FRANCISCI
PATRICII
SENENSIS DE RE-GNO ET REGIS INSTITV-TIONE LIBRI IX. AD ALPHON-SVM ARAGONIVM INCLYTVM AC CE-leberrimum Calabriæ Du-cem ſcripti.

Opus Hiſtoriarum ac ſententiarum varietate refertum, & cum alijs omnibus tùm verò Politicis cum primis vtile & neceſſarium, vt ex Epiſtola cognoſcere licebit.

Ope vetuſtiſſimorum librorum manu ſcriptorum, & curâ ac diligentia doctorum quorundam virorum denuò ab innumeris penè mendis perpurgatum:

Cui adiecimus indices tum titulorum, tum rerum ac ſententiarum locupletiſſimos.

EDITIO POSTREMA.

SCIENTIA

IMMVTABILIS.

ARGENTINÆ,
Impenſis LAZARI ZETZNERI.
cIↄ Iↄ XCIV.

321.6
P314

ILLVSTRIBVS AC GENEROSIS DOMINIS: D. FRIDERICO: D. VVOLFGANGO ERNESTO: *D. IOANNI THEODORICO Comitibus à Leonsthein, Vvertheim & Roschenforth, Dominis in Scharpseneck & Breuberg, fratribus germanis: Dominis suis clementibus S.P.D.*

UTOPIA
RBR
P314S

RES est, Illustres ac Generosi Domini Comites, Domini clementes, præclara, præclaro, nobili, illustri ortum loco, ita natum esse: vt in alios imperium obtineatur: nõ horum expectanda mandata sint. Neq; diuinitus hoc quibus contingit, ipsi modo quod gaudeãt Deoque agant gratias habẽt: sed & reliqui sibi quod gratulentur inueniunt. Est enim, vt Seneca author grauissimus scribit, Reipub. animus Princeps ac magistratus bonus: est vinculum, per quod Respub. cohæret: est spiritus vitalis, quem multa hominum millia trahũt, nihil ipsa futura, nisi onus & prȩda, si imperij illa mens subtrahatur. Nec sine causa sacrȩ istud literȩ no-

166759

tant: tum vnumquemq; sibi rectum quod videretur fecisse, cum rex in Israël nullus esset. Sed est hoc ipsum summa cum difficultate coniunctũ: quòd vt omnes à Deo constitutos ordines alios, ita hunc maximè, cæteris qui præest, odio Vatiniano cõmunis illa generis humani hostis prosequitur: Reges, Principes, populi Rectores nonnullos impellit: vt sua perperam potestate vtantur ac tyrãni fiant: vitijs sese polluãt turpissimis: iracundiæ frena laxent: ludis ac cõpotationibus indulgeãt: sint voluptatibus atq; libidinibus dediti, & quod omnium est grauissimũ, bene monentibus aures præbere ac obtemperare turpe & seruile ducãt, eaq; de causa tales aditu alloquióq; suo prohibeant. Mouit istud, ne alios iam attingam, Isocratẽ, Xenophõtem, Plutarchum, vt de Principum ac magistratuum officio præcepta traderent: impulit quoq; hunc, qui præ manib. est, FRANCISCVM PATRICIVM Senensem, vt de Regno Regisq; institutione libros nouem conscriberet: quibus, verè doctis ac prudentibus si creditur, hoc in genere nihil literatius, perfectius nihil, nihil limatius atque politius reperiri potest. Quàm enim diligenter scriptores eos recẽset ac distin-

distinguit, qui in codẽ quo ipse argumen to tractãdo occupati fuerũt? Vt accuratè de Rerumpub.formis differit,reliquis eã præfert,vnius imperio quæ paret? Quãta doctrina ac prudentia de Regum educatione, studijs, corporis exercitationibus agit? Quàm copiosè eorundem virtutes persequitur: quę declinanda sint vitia cõmonstrat: de animi perturbationibus varijs leniendis,aut euellendis scribit: complectitur alia, quæ ad regnum Regemq; probè ac feliciter informandum esse accõmodata videntur? Verùm & hæc & cætera in medium hic adferre quid attinet? Proba,vt ille ait, merx facilè emptorẽ reperit: nec vẽdibili vino suspensa opus hedera est. Quãtus rerum pulcherrimarum vtilissimarumq; hisce in libris thesaurus inueniatur, norũt vnoq; omnes ore fatentur literati: probat ac confirmat illud,qđ lecti hi studiosè multis ab adolescẽtibus: à pluribus verò desiderati fuerunt. Qui etiam à me crebris atq; assiduis suis precibus hoc impetrarunt: vt sumptibus meis recognitos, & adnotatiunculis nonnullis marginalibus auctos typis mãdare voluerim. Studium istud meum bene de re merendi literaria: ab interitu quoq; vindicã-

166759

di authores insignes, probabũt,qui rectè de aliorum iudicare laboribus institutisque norunt:non mirè sibi dum placent, nihil,nisi quod ipsi fecerint, rectè fieri opinantur. Sed & vv. c l. serena benignaq; illud fronte accipient: quòd earundem illustri sub nomine in lucem libri isti denuò prodeant. Ita enim studia, res, actionesque illæ suas cunctas apud nos instituunt: vt à pietate vbi recesserint, nihil bonarum artiũ studijs habeãt antiquius, sic in Rhetorum officinis atque Dialecticorum sunt spatijs occupatę: vt & ea paulatim addiscant: quæ à Politicis sunt literarum monumentis tradita: eaque in re illis non præceptorum modò in Schola, verumetiam domi parata expeditaq; auxilia D. Magistri PHILIPPI REINHARTI: viri literati: præceptoris fidi: hominis industrij atque illius sunt, qui in studijs cæterisq; commodis earundem prouehendis curas cogitationesq; suas omnes defixas habet: ac propterea, cum ab Academiæ Doctoribus omnibus, tum alijs, & amatur, & commẽdatur. DEVS OPT. MAX. deinceps quoque VV. C L. benignè tueatur, foueat, conseruet: earundem ita studijs benedicat: vt ad exoptatũ his finem

aliquando

aliquando perductis nouo ac singulari antiquissimæ atque laudatissimæ Familiæ ornamento: voluptati illustri ac Generoso D. Parenti: gaudio cæteris sanguine iunctis: vsui patriæ atque adeò Imperio Romano toti illæ esse queant: Quibus etiam me, qua par est animi submissione commendo. Argentinæ IV. Cal. Augusti Anno reparatæ salutis M.D.XCIV.

Ill. ac Gen. VV. CL.

Addictissimus

LAZARVS ZETZNERVS
Bibliopola Argentoratensis.

TITVLORVM AC CAPITULORUM libri primi index.

Sit ne eius viri qui de Repub. scripserit, de vnius etiam Principis dominatu tractare, tit. j.
Poetas omnium primos moralem philosophiam indagasse, deq; ea versibus scripsisse, tit. ij.
De rerum ciuilium differetijs: & vnius viri principatum reliquos omnes anteire, tit. iij.
De his qui primi de regno scripserunt: differentia Socratis & Dionis, tit. iiij.
De cura & studio antiquorũ regũ erga doctos viros. tit. v.
De diligentia Regis in deligendis oratoribus, tit. vj.
Ratio bene viuendi quæ ad fœlicitatẽ ducit: vter aptior ad bene beateq; viuendum, Rex, an priuatus ciuis, tit. vij.
De imbecillitate humanæ conditionis, de mente à Deo homini data, tit. viij.
Mens omnia suppetit homini, quæ per naturam ei desunt, tit. ix.
Sapientiam diuinam mẽs homini præstat, quæ societatem humanam instituit, cui erit necessarium rectorẽ vnum præficere, tit. x.
Reges hominibus à Deo dari, tit. xj.
Fortunam in Rege optandam esse. Fatum & fortuna quo intellectu differunt, tit. xij.
Vnitatem numeris omnib. præesse: Sic vnius principatum reliquos omnes anteire, tit. xiij.

Secundi libri titulorum Index.

MVnus Regis iustitiam esse, iustum vnius viri imperium regnum esse, tit. j.
Statuẽdum est Deũ summũ esse bonum, finem hominis similem Deo fieri: ad quem per solam virtutem peruenitur, tit. ij.
Regem non modò animi bonis, sed corporis & fortunæ cõmodis egere, tit. iij.

Formas

Formas quasdam primarias, quas sola mente concepimus, quæ à Platone ideæ dicuntur, solas esse perfectas, & ad illas dirigendam esse speciem illam de qua agimus, & inde ducendum esse archetypum, tit.iiij.
De prima Regis institutione, tit.v.
De prima Regis educatione, tit.vj.
Magni referre quos quisq; audiat quotidie, quibuscum loquatur à puero, & quibuscum frequens sit consuetudo, tit.vij.
Præceptores & pædagogi graues pueris adhibēdi, tit. viij.
A futuro Rege qui scriptores legendi discendiq; sint, quiue negligendi, tit.ix.
Historiographos & annaliū libros Reges futuri lectitent, maiorum statuas & imagines parum curent, tit.x.
Regia oratio qualis esse debet, tit.xj.
Dicteria prudētiæ condita sale principib. honesta, tit. xij.
Quid ex mathematicis scientiis discat Rex, ac primùm de Arithmetica, tit.xiij.
De Geometria, tit.xiiij.
De Musica, tit.xv.
De Astronomia, tit.xvj.

Tertij libri titulorum Index.

SIcut aliæ sunt Regis virtutes, aliæ priuatorum, sic diuersæ sunt corporis exercitationes, quæ non omnes passim Regi conueniunt, tit.j.
De equitandi ratione & vtilitate, de optimis equis & eorum patria, de equestri militia, tit.ij.
De cursu ac pedum pernicitate, & alijs corporis exercitationibus quæ ad Regem pertinent in re militari, tit.iij.
Nandi vsum in re militari vtilem esse, tit.iiij.
De sagittandi vsu, & alijs quibusdam exercitationibus rei bellicæ conducentibus, tit.v.
De venatione, tit.vj.
De aucupio, de accipitrum natura & eorum generibus, de aquilis, tit.vij.

De studio ac delectatione agriculturæ, tit. viij.
De lusu pilæ, diuersis pilarum nominib. reges'q; nonnullos studiose pila lusisse, tit. ix.
Aleam & aleatores Regib. odio esse debere, tit. x.
Reges iudicium de se quandoq; foris exquirant, tit. xi.
De calculorum siue latronum ludo, tit. xij.
Consuetudo vitæ cum doctis viris optima omnium exercitationum habenda est. tit. xiij.
De peregrinationis vtilitate, de geographia, cosmographia & pictura mundi, ac regionum in quibus bellum geritur, tit. xiiij.

Quarti libri titulorum Index.

VIrtutem ac veritatem sequatur Rex, non mentiatur, nec mendacium dicat, neq; mentiri alios permittat, tit. j.
Adulatores atq; assentatores à Regib. exagitãdos esse, tit. ij.
Reges ea sequi debent, quæ maiestatem augent. De delatoribus, calumniatorib. assentatorib. & maledicis, tit. iij.
Delatores ab regijs auribus non prorsus exigendos, tit iiij.
Calumniatorum, delatorumq; rationes diligenter rimetur Princeps, talionis pœna calumniatorib. statuta, tit. v.
Princeps vanis delatorum vocibus non moueatur, Regiumq; esse sciat quum benefecerit malè audire, tit. vj.
Effrenatam maledicendi licentiam ciues coerceant, tit. vij.
Quot sunt animi perturbationes, & quomodo leniri, aut euelli ex animis per solam virtutem poßint, tit. viij.
De indigentia siue auaritia quam Græci ἔνδειαν vocant, tit. ix.
De ira & iracundia, excandescentia, odio, discordia, tit. x.
De amoris affectu, & de varijs philosophorum, ac Poetarum super eo opinionib. tit. xj.
De affectu desiderij, & veri ipsius significatione, tit. xij.
De lætitia gestiẽtis, seu voluptatis, immoderatævè lætitiæ affectu, tit. xiij.
De maleuolentia, tit. xiiij.

De delectatione nimia, quæ per aures accipitur, tit. vx.
De oblectatione, tit. xvj.
De insultatione vbi malè est de institutione, tit. xvij.
De iactatione, seu iactantia, tit. xviij.
De effusione, seu prodigalitate, tit. xix.
De ambitione, atq; ambitu, tit. xx.

Libri quinti titulorum Index.

DE metu, & ægritudine, quæ animum nostrum opinione magni alicuius mali perturbant, tit. j.
De pigritia, tit. ij.
De pudore, tit. iij.
De terrore, tit. iiij.
De timore, vel præmolestia, tit. v.
De pauore, tit. vj.
De conturbatione, tit. vij.
De formidine, & somnijs, insomnijsq;, tit. viij.
De ægritudine, tit. ix.
De misericordia, tit. x.
De inuidia, tit. xj.
De æmulatione, tit. xij.
De obtrectatione, tit. xiij.
De angore, tit. xiiij.
De tristitia, & atra bili, tit. xv.
De mœrore, tit. xvj.
De luctu, tit xvij.
De ærumna, tit. xviij.
De lamentatione, tit. xix.
De sollicitudine. tit. xx.
De molestia, tit. xxj.
De desperatione, tit. xxij.

Sexti libri titulorum Index.

DE virtute, & de contemplatiua fœlicitate, tit. j
De fœlicitate contemplatiua, & humana, tit. ij.
De secundo gradu fœlicitatis contemplatiuæ, iij.
De tertio fœlicitatis contemplatiuæ gradu, tit. iiij.

De

De actiua fælicitate, & virtute ciuili, tit. v.
De virtute ciuili, tit. vj.
De prudentia & eiusdem speciebus, tit. viij.
De ratione, siue raciocinatione, tit. ix.
De intellectu siue intelligentia, tit. x.
De circunspectione, tit. xj.
De prouidentia, tit. xij.
De docilitate, tit. xiij.
De cautione, tit. xiiij.
De sagacitate, tit. xv.
De versutia & calliditate, tit. xvj.
De æquitate atq; æquanimitate, tit. xvij.
De temperantia & eius partibus, siue speciebus comitibúsve, tit. xviij.
De modestia, tit. xix.
De verecundia & pudore, tit. xx.
De abstinentia & continentia, tit. xxj.
De castitate, tit. xxij.
De honestate, tit. xxiij.
De moderatione, tit. xxiiij.
De parcitate seu parsimonia, tit. xxv.
De sobrietate, tit. xxvj.
De pudicitia, tit. xxvij.

Septimi libri titulorum Index.

DE fortitudine, tit. j.
Virum fortem quæ faciant variæ Philosophorum opiniones, tit. ij.
Virum fortem quæ faciant opinionum variarum resolutiones, tit. iij.
Ira quid ad fortitudinem, tit. iiij.
Dolor quid ad fortitudinem, tit. v.
Quid desperatio ad fortitudinem, tit. vj.
Cauendi cura ac diligentia quanti facienda est, tit. vij.
De magnanimitate, tit. viij.
De fiducia, tit. ix.

De securitate, tit. x.
De magnificentia, tit. xj.
De constantia, tit. xij.
De tolerantia, tit. xiij.
De stabilitate & patientia, tit. xiiij.

Octaui libri titulorum Index.

DE Iustitia, tit. j.
Iustitiæ partitio, & de diuina iustitia, tit. ij.
De naturali iustitia, tit. iij.
De ciuili iustitia, tit. iiij.
De iudiciali iustitia, tit. v.
Quid cum legibus agere debeat, tit. vj.
De innocentia, tit. vij.
De amicitia, tit. viij.
Tres amicitiæ species secundum Platonem, tit. ix.
De ciuili seu sociali amicitia, tit. x.
Secunda ciuilis amicitiæ pars, tit. xj.
De sociali amicitia, tit. xij.
De hospitalitate, tit. xiij.
De concordia, tit. xiiij.
De pietate, tit. xv.
De Religione, tit. xvj.
De affectu, siue affectione, tit. xvij.
De humanitate, tit. xviij.
De facilitate, tit. xix.
De fide, tit. xx.

Libri noni titulorum Index.

DE officio corũ qui Regis imperio parere debent, tit. j.
Qua ratione priuati omnes Regi parere debent. tit. ij.
Alia Regis officia in pace, alia in bello esse, tit. iij.
Obedientiæ ac beneuolentiæ munera imprimis ciues omnes Regi præstare debent, tit. iiij.
De beneuolentia ciuium erga Regem, tit. v.
Cur nõnulli à Regibus magis diligantur quàm alij, tit. vi.

Non esse inuidendum illis quibus Reges, ac Principes arcana committunt, tit. vij.
Non esse inuidendum illis quos Reges in consilium adhibent, tit. viij.
Reges & magnos viros syderib. adiuuari, tit. ix.
Ciues de virtute certare debent & nobiliores, ne ab obscurioribus virtute vincantur, tit. x.
Ciues solertes & industrij esse debent, tit. xj.
Vtile erit si ciues cognoscat Regẽ omnia scire velle, tit. xij.
Ciues diuersos principium mores ferant oportet, tit. xiij.
Actiones Principum ab omnib. iudicantur, tit. xiiij.
Ciues vt benè cõciliati sint principib. studere debẽt, tit. xv.
Ciues in rebus anxijs, Regibus adsint, tit. xvj.
Iucundam Regib. gratulationẽ in rebus prosperis, tit. xvij.
Gratias pro beneficijs acceptis Regibus habendas esse, tit. xviij.
Quæ præmia optimo Regi debeantur, tit. xix.
Quam sibi gloriam Rex ipse statuere debeat, tit. xx.
Quæ præmia Rex à Deo expectare debet, tit. xxj.
Rex qui cum virtute vixit, demum de successore cogitare debet, tit. xxij.
De vltimo vitæ die, tit. xxiij.

FINIS.

AD INCLYTVM AC CELEBERRIMVM CALABRIAE DVCEM,

ALPHONSVM ARAGONIVM, serenissimi FERDINANDI Regis primogenitum FRANCISCI PATRITII Senensis, Pontificis CAIETANI, Præfatio in libros de Regno ac Regis institutione.

MAXIMVM onus in hoc Codice suscepisse videor, Alphonse Ducum omnium fortissime, quum profiteor me his libris de Regno, ac Regis institutione scripturum. Nam si verum est (quod nemo inficiari potest) nullã ex omnibus fortunis inter mortales regia præstantiorem inueniri posse, nullámque Deo Optimo Maximo similiorem, quis negabit de ea literis præcepta dare, arduum ac perdifficile omnibus esse, & summo ingenio, exquisita doctrina, magnaq; rerum experientia indigere? Xenophanis præterea sententia animaduertenda est, qui quum accepisset Empedoclem Agrigentinum dicere consuesse, *Perdifficile esse sapientem hominem inuenire*: *Verum*, inquit,

Rex Deo similis.

Laertius l. 6. in Xenophanis vita.

quandoquidem ſapiens ſit oportet, quicunque ſapientem virum explorare voluerit. Qua ex opinione conſequens eſſe videtur, Regem eſſe oportere illum, qui regni præcepta alijs præſcribere voluerit. Hac quoque opinione ductus Xenophon Socraticus, Cambyſem patrem Cyrum filium inſtituẽtem inducit, & regia præcepta præſcribentem. Et Alexander Macedo documenta nouæ militiæ à Philippo patre apud Oneſicritum accepit. Onerosum itaque, atq; ſuperbum videri poteſt, profiteri ſe ſcribere velle qualem Principem eſſe oporteat, & præcipuè priuato viro, qui imperij prorſus expers, obſequioq; addictus, vix ſibi ipſi quid facto opus ſit, præſcribere valeat. Nec ſatis eſt ad deprecãdam inuidiam, dicere: Studijs bonarum artium ab ineunte ætate in hanc vſque diem, multam ac diligentem operam dedi, ſemperque conatus ſum, ſi qua ex parte id aſſequi potui, vt aliquid ad agendum ac iudicandum præſtare poſſem. Nihil enim difficilius eſſe poteſt, quàm bene imperare: quod quidem quamuis doctrinę monitis plurimùm adiuuatur, & decorem quendám ac ſplendorem accipit: tamen longè maiores vires nanciſcitur à naturali quadam ac propè diuina ſyderum infuſione, & deinde à vernacula atque domeſtica inſtitutione, & ab aſſiduo vſu, ac conſuetudine magnarũ rerũ, quę quotidie geruntur, cùm in pace atq; ocio, tum in bello & tumultu, quàm ab omnium diſciplinarũ præceptis, & eruditiſſimis ſapientiæ documentis. Magna quidem res eſt, hominibus imperare, quũ ſit homo (vt Xenophon ait) animalium omnium in rectorem ac cuſtodẽ ſuum ingratiſſimum. Scita eſt enim vetuſtiſſima illa ſententia, qua dicitur: *Lupum auribus tenet, qui imperium agit*, proinde ſum: :operè in prȩſentia vereor, ne mihi idem accidat, quod olim Phormioni Peripatetico Philoſopho nõ vulgari vſu veniſſe Cicero refert. Nam quum Hannibal Carthagine expulſus, Epheſum exul ad Antiochum Regem tunc maximum veniſſet, pro nominis eius amplitudine inuitatus ab hoſpitibus ſuis fuiſſe dicitur ad eundem philoſophum audiendum: quum is non inuitus

In pædia Cyri.

Homo animalium ingratiſſimum.

De oratore li. 2.

Phormio.

nitus accessisset, audiuit illum orantem aliquot horas copioso sermone de Imperatoris officio, deque omni rè militari: quum tandem perorasset, omnes qui aderant, illius facundiam admirabantur, & summis laudibus efferebant. Tum interrogatus est Hannibal, quid de eiusmodi homine sentiret, hic Pœnus nõ optimè Græcè, sed tamen libero sermone ait, se deliros sene plerunque vidisse complures: sed qui magis quàm Phormio deliraret vidisse neminẽ. Nec, medius fidius, iniuria hoc ait Imperator exterorum omnium fortissimus. Quis enim æquo animo ferre possit Græculũ quẽdam in vmbraculis philosophię semper educatum, qui nunquã hostem viderat, nunquam bellicæ tubæ clangorem audiuerat, nunquam castra attigerat, nunquam aliquod militare munus obierat, de imperio rei bellicę coram Hannibale disserentem, qui tot annos cum Romano populo omnium gentium victore ambiguo Marte certasset? Nõne tibi ego quasi alter Phormio ludibrio futurus sum, quum has meas commentationes legeris? In quibus ea recognosces, quæ tibi à teneris annis cognita extiterunt, & vernacula disciplina quasi peculiaria. Habes enim ex domestica institutione regnandi rationem, exempla omnium virtutũ, & integram atque absolutam rei militaris scientiã. Vnico Asclepiadeo versiculo planè se laudasse putauit Lyricus noster Flaccus virũ illum summum atque illustrẽ, & Augusti Cæsaris comitem in rebus totius orbis terrarum gerendis, quum ait ode prima lib. primi. *Mæcenas atauis edite Regibus.* Quasi nihil ei virtutis, sapientiæ, gloriæ, ac dignitatis deesse possit, qui genus suum à veteri ac longa regum progenie ducat. Pater tuus Ferdinandus cõsilio, prudentia, fortitudine, atque omni virtute Reges omnes sui tẽporis antecellit, regnatque summa cum dignitate ac gloria in hac magnæ Hesperiæ regione, vt ait Mantuanus poëta, quæ semper in vniuersa Italia difficillima dominatu habita extitit: Auus autẽ tuus Alphonsus, cuius nomine tu quoq; nuncuparis, Regũ fuit Rex, vt ex veteri consuetudine loquar, & nõ modò auitis regnis

magna cum dignitate ſucceſſit,verùm gratia, virtute & armis noua quoq; adeptus eſt, deque omni hominum genere optimè meritus, alter Magnus Alexander gloria,ac magnificētia ab omnibus mortalibus, dum vixit, habitus eſt: poſt obitum verò omnium ſuffragijs Diuus nuncupatus, & in diuinum numen relatus eſſe creditur. Quid autem de te loquar? vereor equidem te ipſum tibi legendum præbere, & quaſi in os (vt dicitur) laudare, ne adulator aſſentatórve eſſe videar,aut gratiæ, benignitatis, liberalitatiſve captator.Tu recta maiorum tuorum veſtigia terens, non ſolùm Iulij Cæſaris (qui vnus in ſe omnium Imperatorū ac Ducum virtutes cōtulit)imaginem ante oculos ſemper tibi præfers, & eam tanquam ſpeculum intueris,verùm ſingulorū quorúmque illuſtrium Imperatorum,ac Regum proprias,& quaſi peculiares laudes aſſequeris.Tu Q. Fabij Maximi circunſpectam ſapientiam imitaris, ſuperioris Africani expeditam celeritatem, minoris ſubitū conſilium in rebus improuiſis, Aemilij Pauli rationem ac diſciplinam, Marij præſentem corporis vim, animiq; fortitudinem,quinetiam ab exteris, Alexādro, Hannibale,Pyrrho, aliiſque compluribus ea ſumis, quæ rebus tuis optimè conducere tibi videntur, & vſui tuo eſſe opportuna.Teſtis ſit Thuſcia,quæ in te ferentem auxilium innoxijs amicis, ac ſocijs tuis Senēſibus, ciuibus meis, vidit vniuerſæ penè Italiæ exercitum irruentem, quem non modò paruo admodum tempore attriuiſti, verùm collatis etiam ſignis profligatum afflixiſti.Caſtra quoque, ad quæ fugati hoſtes confugerant, vi & armis magno impetu expugnaſti,quibus è veſtigio direptis, atque incenſis, reliqui hoſtes qui euaſerant, in abruptum atque excelſum montem,natura atque omni humana opera munitiſſimum ſe contulerunt: nomen monti Podio Imperiali ab excellentia fuerat, quādo(vt omnes accolæ, indigenæque teſtantur) in omni ſuperiori æuo nullis humanis viribus expugnari vnquam potuerit. Tu verò non modò hoſtem ab eo exturbaſti, verumetiam cęſum ac victum paſſim in vicina oppida pro-

Podium Imperialis.

da pro-

da profugére compulisti, victorq; strenuè perua dēs, frumentum, arma, commeatum, impedimenta, & omnem hostilis exercitus sarcinam militibus diripiēdam permisisti: murales machinas, lapidum validissima tormenta, diuersi generis ballistas, & nonnulla militaria signa partim tuis, partim socijs auxiliarib⁹, quasi virtutis præmium, dono dedisti, vt perpetuò posteris seculis huius celeberrimæ victoriæ monumenta seruarentur, virtutisq; testimonium afferrent. Quinetiam victoriam nihilo segnius prosecutus, complura hostium oppida atque castella, ingenio loci, omnique humana ope munitissima, & multis ac strenuis defensoribus firmata, non per proditionem aut dolum, sed per virtutem, ac strenuā celeritatem expugnasti, nonnulla etiam propter oppidanorum perfidiam funditùs euertisti: nec vllis viribus, aut potentia fermè totius Italiæ, à tam præclara atq; indubitata victoria auerti, aut abduci potuisti, nisi callido, vafro, atque impio consilio Sultambasius Parthorum, Teucrorum, ac totius Asiæ, partisque Europæ potentissimus rex, suasu etiam quorundam Italorū, qui sibi ipsis formidabant, maxima atque improuisa classe, & numeroso Barbarorum exercitu Hydrūtem vrbem opportunam admodum ad inferendum Italiæ bellum, & Salentinórum, Leuteruiorúmq; extremam penè imperij tui oram subito, improuiso atq; inopinato cōcursu, per Duces ac legatos suos celeriter inuasisset. Hæc repentina Barbarorum irruptio tantum terroris, tantumque consternationis non solùm Salentinis, Iapigibus, Calabris, Apulisque incusserat, verùm vniuersis inferioris Italiæ populis, vt quisque sibi extrema formidaret, & cuncti communi terrore perciti passim exclamarent, actum prorsus de re Itala esse, nisi tu cum vniuerso exercitu tuo ab Hetruria celeriter reuocatus, subitam opem, atq; auxilium laborantibus tuis afferres. Quicunq; enim à Ferdinando Rege inclyto patre tuo illuc mittebantur, siue in subsidium vicinarum vrbium, præsidiúmve vltrò confluebant, quamuis viri fortes ac strenui essent, & rei militaris ac totius bellicæ disciplinæ

Sultābasius.

Hydruns.

gnari ac periti, tamen quamprimum victi fusiq; cædebantur, trucidabanturque, siue in turpem fugam conuertebantur. Id accidebat, siue dolo atq; insidijs hostium, siue equitum celeritate, equorúmve alacritate, à quibus præuertebantur cataphracti, præcipuè nostri, quum hostes omnes expediti essent, & leuiter armati, & cursu prædam aut fugam meditarentur, more veteris Parthicę militię. Quo nouo genere pugnæ nostri facile succũbebant, assueti potius forti animo decernere, quàm accipitrum instar hostem euolando ferire. Accedebat etiam huic terrori sæuitia atque immanitas Barbarorum, qui tam dira insolentia insultabant, tantoque furore grassabantur, vt neque sexui, neq; ætati parcerent, & captiuos inermes atq; imbelles omnes passim sine discrimine vllo iugularent, armatos verò omni fœditatis exẽplo trucidarent, nec promissa aut fidem cõceptis verbis datam vnquam seruabant. Solenne enim apud Parthos semper fuit, fidem ac iusiurandum hosti datũ nunquam præstare, vt qui fallendum contra se arma ferentem esse, in prouerbio habent. Ignaui siquidem, atq; effœminati hominis esse putant, quippiã Deorum metu agere: aut honoris, decorisve gratia vtilitati cedere. His miserabilibus querelis horrendisque clamoribus Ferdinandus concitus, te quamprimum ex Hetruria, è medio scilicet victoriæ cursu, literis ac nuntijs reuocauit, quasi alterum Hannibalem, vt oppressæ patriæ subuenires, quum nullę aliæ vires pręter tuas satis essent, ad extinguẽdum tam tetrum ac dirum totius regionis incendium. Tu verò agnito præcipiti ac manifesto rerum discrimine, tanta alacritate properasti, vt euolare potius, quàm excurrere videreris. Agnito itaque celeri ac maturo aduentu tuo, Barbarorum dux Agametus, vir celer & industrius, quum cerneret vires suas impares tuis esse (hyems enim iã appetebat) milites suos omnes, qui antea passim vagantes omnia ferro igneq; vastabant, intra munimenta, quę tutissima parauerat, ad Hydrũtem compulit. Ipse autem futuro bello prospiciens, celeri classe contracta, ad nouum delectum, nouamque

Parthorum mos militaris

Barbarorum immanitas.

Parthi fallaces.

Agametus.

que militiam scribendam è Macedonia, atque omni Asia ac Gręcia celeri cursu maturabat, sperans se nouo vere maximas copias in Italiam transmissurum. Tu verò eius rei per exploratores ac transfugas certior factus, eum iam celeri cursu cum omni classe sua properantem, per triremes atque actuarias naues tuas, quas paratas ad eiusmodi opportunitates semper habebas, ad Sasonem paruam ac desertam insulā (quæ media inter Epirum Brundusiúmque interiacet) magna ac fœlici victoria superasti. Nam ex tanta classe solus Agametus cum vno perexiguo myoparone euasit: reliquæ omnes eius naues vel à tuis interceptæ, vel in mari cū omnibus vectoribus demersæ perierunt. Qua ex re animi Barbarorum plurimū deiecti sunt, tuorum verò valde ad spem victoriæ erecti. Ineunte deinde vere, vt primùm per tempus licuit, coactis vndiq; viribus ac copijs tuis, quas per hybernum tempus optimè instruxeras, Hydruntem terra mariq; obsedisti, quamuis milite, re frumentaria, commeatu, missilibus, atque omni tormentorum genere affatim abundaret, & obsessi rem neutiquā segniter agerent, adeò vt eruptione facta sæpe cum tuis acrem pugnam inirent, attamen eosdem attritos viribus, atq; omni expectatione frustratos, intra paucos menses ad turpem atq; ignominiosam deditionem compulisti, tametsi efferato animo essent, nihilo indigerent, & obsidionem ad tertium vsque annum ferre potuissent. Ob cuius rei meritū omnis Italia gramineam coronam iure optimo tibi deberet, quam olim Fabio Maximo tanta cum gloria detulit, quum per eius virtutem ac sapientiam à Punico exercitu euasit. Tua enim fortitudine, solertia, atque industria, eandem non modò à formidabili bello, verùm à diræ seruitutis iugo liberasti. Sed tamen nemo tibi eripiet hoc dignitatis, famæ, ac glorię prȩmium, quod omnium mortalium rumore assecutus es, vt omnium Ducum atq; Imperatorum nostri ęui fortissimus ac celeberrimus habearis, possisq; iudicio omnium cum quouis vetustissimo de virtute ac dignitate certare. Sed non est consilij mei hoc loco

Sason insula.

Hydruns obsidetur.

Graminea corona.

Fabius Maximus.

res præclaras à te geſtas domi militiæq́; recenſere, ne modũ præfationis excedam, aliud quippe volumen exigunt, ſatis ſuperque mihi fuerit oſtendiſſe, non vt te doceam, hos meos libellos te nouiſſe, ſed vt abs te ſciam (ſi per clementiam atque humanitatem tuam licebit) ecquid in his meis lucubrationibus probandum tibi eſſe videatur, aut aliqua ex parte laudandũ. Quoto enim cuique accidit, vt de ſeipſo rectè iudicare poſſit? Hebeſcit ſæpenumero ingenium in nobis: vt humanus oculus, cùm alia peracutè intueatur, ſeipſum tamen omnino ignorat. Cerno equidem Iulium Cæſarem virum Romanorum penè omniũ elegantiſſimum, libros ſuos de ratione Latinæ linguæ ad Ciceronem inſcripſiſſe, non quòd eũ docere aut inſtituere vellet, quem de Latino ſermone & de omni eruditione optimè meritum eſſe dicebat, & Romanæ orationis principem appellabat: verùm, vt iudicium illius ſcrutaretur, noſceretque, nũ libri quos nuper ſcripſerat, edendi an ſupprimendi eſſe viderẽtur. Eâdem etiam ratione (vt opinor) M. Terentius Varro, vir ſummo ingenio, exquiſitáque doctrina, libros ſuos de origine Latinæ linguæ ſimiliter ad Ciceronem ſcripſit: non vt eum moneret, cui maximam auctoritatem deferebat, & oratorum omnium principem eſſe putabat: ſed vt illius ſententiam ſciſcitaretur, iudiciúmque eliceret, quò liberius libros ſuos, ſi ab eo probarentur, ederet, & cogitationes ſuas conſultius manumitteret. Hos igitur libellos meos nunquam manumittendos emancipandóſve eſſe opinabor, niſi tu prius eoſdem in tutelam adoptionémve ſumpſeris, edixeríſque edendíne, an Orco damnandi eſſe videantur. Quòd ſi eos dimittendos ſtatueris, ſuæq́; ſorti credendos, patrocinium eorum vt accipias opus eſſe arbitror, vt à calumnia facilius euadant, & à liuore atque inuidia ſint tutiores: pretioſiora ſiquidem ſemper illa habentur, quæ è ſacrarijs, delubris, templis, principúmve penetralibus eruuntur, quàm quæ ex priuatis domibus, inopúmque diuerſorijs exeunt. Sic quoque lapilli ac gemmę pluris veneunt quæ à diuitibus atque opulentioribus,

Iul. Cæſar libros de lingua Latina ratione cur Ciceroni dicauit.

M. Varro libros de lingua Latina cur ad Cic. ſcripſit.

bus ſunt, quàm quæ à pauperioribus, ac tenuioribus. Principum prætérea gratia in paruis etiam rebus ſtudium ac fauorem populi conciliare ſolet, & quæ minora ſunt, longè ampliora reddere. Imperator Nero Poppæam virginem decore atque forma præſtantiſſimam, quam deinde vxorem duxit, ad inſaniam vſque adamauit, & illius capillos crebris ſermonibus laudabat, verſibusq́; ad citharam ſcitè cantabat, quòd ſuccini coloris eſſent. Fuit enim Nero (quod nemo inficiari poteſt) oratione, poëmate ac muſica præclarus. Hac quidē opinione ductæ puellæ oēs Romę & in omni Italia eo tempore eiuſmodi colorē magno ſtudio affectabant, non modò in coma & capillo, verùm in reticulis, annulis, & in omni genere ornamētorū: qua ex re ſuccina gēma, quæ paruo antea æſtimabatur, magno deinde liceri ex vniuerſo terrarum orbe cœpit, quando maximo omniū principi grata erat. Sic noſtræ meditationes, ſi tibi iucundæ fuerint, plurimos fautores habebunt. Sed vt ad exitum hunc ſermonem meum perducam, nihil aliud cauſæ eſſe duco, cur philoſophorum multi & oratorum ac poetarū quamplurimi opera ſua Regibus, Ducibus, Imperatoribúſve inſcribant, niſi vt priuati omnes eadem ab illis accepta carius legant, ſanctiúsq́; venerentur. Vt enim auidi atque furaces homines, rapaces manus à ſacris rebus longè magis abſtinent, quàm à profanis: ſic æmuli, obtrectatores, ac procaces homines linguas ſuas diligentius cautiusq́; comprimunt ab illis, quorum ſtudia atque induſtriam maximi ac potentiſſimi vindices tuentur.

Nero.
Poppæa.
Succinus color.
Plinius lib. 37. cap. 3.
Succina gemma.
Cur principibus opera ſæpius dicentur.

Sitne eius viri qui de Rep. scripserit, de vnius etiam Principis dominatu tractare.

TIT. I.

NOVVM, & admiratione fortasse dignum plerisq; videri poterit, quòd qui paulò antè præcepta ciuilis institutionis nouẽ tradiderim voluminibus, nũc de Regno scribere aggrediar: quasi non eiusdem viri sit officium, qui Rempublicã laudauerit, extulerit, probaueritq;, vnius etiam Principis dominatum admirari, atque efferre. Nec deerunt qui dicant pugnantia hæc inter se esse, neque satis constanter ab vno eodemq; præcipi posse: exemplumq; Platonis ac Xenophōtis in medium afferent, qui quum ex eodem ludo eademq; disciplina profecti essent, æmuli tamen, ac dissidentes, inter se simultates exercuerunt: & alter ciuilem societatem commentus est, alter autem Cyri Persarum regis disciplinam scripsit: & vterq; eorum seorsum suo studio delectatus, alterum contempsit. Quibus quidem respondendum est, libera hominum esse iudicia, & posse quempiam alterum laudare sine alterius vituperatione, vel vtrunque etiam, si placuerit, probare. Hanc tamen quæstionem paucis absoluit diuinus dicendi ac sentiendi præceptor Plato, libro quarto de ciuili societate, his ferè verbis. *Dico equidem vnum Reipublicæ esse modũ, qui bifariam diuiditur. Nam si vir vnus optimè imperat, regnũ nuncupabitur: sin verò plures, optimatum principatus.* Nihil enim de ratione ac virtute amouebitur, siue vnus, siue plures multitudinem rectè gubernent. Hac opinione ductus Samius Pythagoras, commentarios peregregios reliquit, in quibus & de Republica & de Regno simul scriptum erat: quos quidẽ summo studio per epistolã ab Archyta Tarentino illius discipulo rogauit Plato: cui, quũ eos deinde accepisset, gratias egit peringentes, & eosdem summis laudi-

Vide Macrob. in Somnium Scipionis.

In fine 4. dialogi de Republica.

Regnum. Aristocratia.

Pythagoras de Republica scripsit.

laudibus extulit. Ariſtoteles quoque vtrumque munus complexus, & ciuilia documenta tradidit, & ad Philippum Macedonum Regẽ præcepta Regni ſcripſit. Eius quoque diſcipulus Theophraſtus præceptoris terens veſtigia, libros de Republica edidit, & de Regno etiam ad Caſſandrum præclara volumina exarauit. Idem ante eum fecerat Xenocrates Calcedonius, qui populares inſtitutiones tradiderat, & de Regno ad Alexandrum præſcripſerat. Antiſthenes quidem Cynicus regia quoque & ciuilia præcepta docuit, ſicut Cleantes Zenonis diſcipulus, qui libros ad Ptolemęum de Regni ratione miſit, & Remp. Lacedæmoniorum literis commendauit. Non igitur hoc mihi vitio dandum erit, ſi vtrumque tentauero, quum poſſim & ſuperiores teſtes, & complures etiam alios citare, qui idem quoque factitarunt. Sed hanc diuerſitatis opinionem maximè auget varia gẽtium conſuetudo. Vix enim fieri poteſt, vt qui ſub Regibus diutius viuere cõſueuerunt, paruo temporis momento ciuilem æqualitatem, à qua longo vſu alieni ſunt, ferre valeant. Sic alia ex parte qui annuis magiſtratibus parere adſolent, & parendi imperandiq; vices ſeruant, non poſſunt æquo animo vnius principis dicto auſcultare. Et ſic quiſque populus ſuo viuendi ordine contentus, alios ſpernit, ne dicam odio habet. Cappadoces, quum apud eos regia progenies extincta eſſet, oblatam à Romanis libertatem repudiauerũt, & Ariobarzanem Regem alienigenam optauerunt, vt qui affirmarent, æquo inter ſe iure neutiquam ſine principe viuere poſſe. Athenienſes autem cõtrà, extinctis enim Regibus quamprimum popularem ſtatum conſtituerunt: & quanquam variante fortuna nunc à Regibus tenerentur, nunc autem à tyrannis, tamen ad conſuetam Remp. ſemper redibant. Sunt etiam nonnulli, qui adeò pernicaciter in ſuo viuendi præſcripto perſeuerant, vt inclinante etiam fortuna, nullis conditionibus, nulliſque pollicitationibus inde abduci poſſint, malintque extrema omnia experiri, quàm propoſitum vitæ genus mutare. Crœſus Lydorum, Babyloniſque Rex,

Ariſtotelis Politici libri.

Theophraſti Politica.

Xenocratis Politica.

Antiſthenes Cynicus de Regno ſcripſit.

Cappadoces.

Athenienſes.

Rex,qui iustitiæ ac clementię laude nõ caruit,quum accepisset,Solonem, vt Pisistrati tyrannidem fugeret,patriam reliquisse & incertis sedibus vagari,eum humanissimis literis rogauit,vt ad se veniret,secumque regni habenas moderari vellet. Ad quem Solon in hanc sententiam rescripsit: *Amplector, Rex inclyte, maiorem in modum beneuolentiã in me tuam,& per immortalem Deum, nisi mecum statuissem illic degere,vbi cõmunis libertas agitur,mallẽ apud te in tuo regno vitã ducere,quàm Athenis Pisistrato violenter tyrannidẽ exercente. Sed gratias illic in instituo meo ago,vbi sunt omnib. pariter aqua ac cõmunia iura: Vale.* Quid durius aut seuerius Catone, qui maluit sibiipsi violentas manus afferre, quàm clementissimo victori aliqua ex parte cedere, ac solitum vitæ suæ genus, Stoicamq; sententiam præterire? Atqui incertum mihi omnino esse videtur,laudisne plus, an vituperationis attulerit hæc mors M. Catoni.Nam Cicero, quamuis eam eloquentiæ laudibus extulit,eius exemplum tamen neutiquam imitatus est:& illum secutum esse fatetur præscriptum durioris vitæ,se autem ab ineunte ætate mollius semper vixisse. Quæ quidem verba non tam excusationis causa dixisse mihi videtur Cicero, quàm quod vim sibiipsi Catonem attulisse minimè probauerit. Iulius verò Cæsar duabus elegantissimis orationibus Catonis laudem refellere non dubitauit, & sæuam ac sanguinariam illius sententiam improbare. Sed hanc palæstram declamatoribus inter se luctantibus relinquamus,nos autem ad pręscriptam rationem reuertamur.Themistocles certè secus egit:nam post Gręcorum suo ductu atque consilio victoriam contra Xerxem Persarum Regem(qua nullum maritimum præclarius facinus, neque à Græcis neque à Barbaris gestum vnquam fuisse Simonides testatur) post multa etiam inclyta in Republica sua gesta,quũ cerneret æmulos suos Athenis præualuisse, & se indigno exilio multatum, nihil amplius cum ingrata patria agendum statuit,sed in regno potius esse agẽdum.Proinde ad Xerxem, qui paulò antè acerrimus hostis fuerat,se contulit, maluitq; ancipiti inimici fidei,

Solonis epistola.

Cato Vticẽsis.

Iulius Cæsar in Catonis Vticensis necem scripsit.

Vide Æmiliũ Probum in eius vita.

fidei, ac barbaro Regi ſe committere, quàm durius quidpiam in ſe ſtatuere, aut reconciliatæ patriæ gratiam expectare. Xerxes autem, qui Themiſtoclis virtutem atque excellentiam planè nouerat, illum gratiſſimo hoſpitio accepit, maximo in honore habuit, rogauitque vt obliuiſceretur ſe exulem eſſe, & reliqua ab eo ſumma expectaret. Egit gratias Regi honorificis verbis Themiſtocles, & aliquid quo modeſtè degere poſſet, & familiam parcè educare, ab eo rogauit. Tum rex beneficentiæ ac liberalitatis non indoctus, tres illi vrbes opulentiſſimas dono dedit: Myum imprimis vnam ex duodecim Ioniæ vrbibus, pecoris ac pabuli feraciſſimam, quam in obſonium ſe ei dare dixit: Magneſiam verò in panem, abundat enim optimo ac candidiſſimo frumento: Lampſacū autem in vinum. Erat enim Lampſacus inſignis ciuitas, & ſtudijs literarum dedita, in qua diutius diuerſatus eſt Epicurus, adeo vt à pleriſque Lampſacenus crederetur. Eiuſdem vrbis ſubiecti colles mari imminebant, & multum ac ſuauiſſimum ferebant vinum. Vixit autem diutius Themiſtocles in eo regno gratus regi, & cum pluribus illuſtribus viris: & cùm ex rebus humanis exceſſiſſet, Magneſię ſummo cum honore ſepultus eſt.

Thucydides et Æmilius Probus.

Æmilius vocat Myntā.

Magneſia.

Lampſacus.

Themiſtocles vbi ſepultus.

Sed illuc redeat ſermo, vnde defluxit. Licebit, ſpero, mihi ſine reprehenſione de Regno ſcribere, quamuis libros de ciuili ſocietate ediderim. Nec maledici aut æmuli formidandi ſunt, quos qui metuunt, nihil literis commendabunt, ſed taciti ignotique omnino moriantur, vt fecit Hippaſus Metapōtinus, qui cùm eſſet Pythagoricorum omnium diſertiſſimus doctiſſimúsque, veritus adeò eſt obtrectatorum calumniam, vt nihil ſcriptum reliquerit, vt ait Demetrius. Eodémque pudore cohibitus Pyrrhō, & complures alij doctiſſimi viri miro ſilentio tacuerunt: & vt detractorum ſuorum meledicta vitarent, obliuionum ſui nominis poſt ſe reliquerunt. Nec admirandum id quidem eſt: *Recta enim ingenia verecundia debilitat, peruerſa autem audacia cōfirmat*, vt eſt in veteri ſententia. Nec ſperandum eſt quempiam eru-

Maledici floccifaciendi.

Hippaſus, Metapōtinus

Pyrrhon.

Inuidiā eruditorū nemo vitauit.

Homeri æmuli: de quib vide Ælianū.

ditorum hominum ab inuidis intactum esse. Cernimus enim Homerum (qui consensu omnium scriptorum cunctis mortalibus fœlicitate ingenij præstitit) in vita sua Sagarim, post obitum autem Xenophontem & Zoilum Macedonem ęmulos habuisse. Hesiodo præterea cum Cecrope certamē fuit viuo, post mortem verò idem Xenophanes maledictis eū persecutus est. Simonidi cum Timocreonte etiam contentio fuit, & Pindaro cum Amphimene. Sed quid poetas memoro, quorum aliquando scripta aut adulationis aut odij suspecta esse possunt? Quid? non & Philosophorum principes (qui ea scribunt, quæ neque ad singulos pertinent, neque molesta cuipiam esse debent) maledici ad viuum vsque lacerarunt? Thaleti Pherecydes obtrectator extitit, vt Bianti Sylurus Prienæus, & Pittaco Antimenides, & Anaxagoræ Sosibius. Putemus Pythagoræ aut Socrati æmulos defuisse? Quorum alterū Cydon & Onata, alterum Antiochus Lemnius & Antiphon maledictis insectati sunt. Eubulides Aristoteli infensus fuit, vt Alexinus Eliensis Zenoni.

Cecrops & Xenophanes Hesiodi æmuli.

Simonidis æmulus Timocreon.

Pindari æmulus Amphimenes.

Pherecydes Thaletis obtrectator.

Silurus Prienæus æmulus Biantis.

Antimenides æmulus Pittaci.

Sosibius æmulus Anaxagoræ.

Pythagoræ Socratis, Aristotelis, Zenonis, æmuli.

Sed ne in nominibus recensendis ambitiosior esse videar, sic statuo, neminem paulo clariorē in studiis bonarum artium extitisse, qui à plagis vibicibúsque inuidiæ omnino expers euaserit. Nos verò ęmulis malignisque detrectatoribus relinquamus, vt suo liuore tabescant, sesèque perpetuo mœrore vlciscantur. Sequamur igitur cursum operis nostri, Deo Optimo Maximo beneuolente, vt priscis verbis in præsenti sententia vtar.

Poetas omnium primos Moralem Philosophiam indagasse, deque ea versibus scripsisse.

TIT. II.

Vide eiusdē Patricii de Republ. lib. 2 Tit. 5.

Poëtica antiquissima disciplinarum.

Viuendi rationem, quam moralem ciuilémve sapientiam licet appellare, primi omniū mortalium prisci poetæ indagauerunt. Fuit enim poetica antiquissima discipli-

sciplinarum omnium, quæ literis cogitationis suas commendauerit quæque docuerit quæcunque ad veram virtutē, hominumque mores atque affectiones attinent, & res gerendas cum gratia ac iucunditate commisceret. Hoc & Strabo refert, & Græci omnes scriptores testantur. Hæc quidē sibi Musicen (vt animos hominum alliceret) sociam asciuit, versumque dimensa est, vt cantu, cithara, lyra, tibiarumque modulis, agrestes illos ac rudes homines ad virtutem communitatemque vitæ, & officiorum inter se vicissitudinem formaret. Proinde vetustissimi solos poetas sapientes esse arbitrabantur, eisdemque liberos suos erudiendos tradebant, vt qui illos viros bonos esse experirentur, atque omni probitate insignes. Nam poeta bonus nequaquam esse quis potest, nisi etiam vir bonus existat. Et sic poetæ se morum magistros, & humanæ vitæ emendatores esse profitebantur. Suis namque carminibus quum viros claros laudent, virtuti meritam gloriam exhibent, & ad imitandam viuendi rationem iuuenes excitant, vt virtutem capessant, & laboribus subeundis promptiores alacrioresque reddantur. Hæc poetica ratio quum primum processit in medium, libenter ab optimis viris accepta est, & ab omnibus comprobata: diuque poetarum carmina per ora hominum voluebantur, & in sacris Deorum cōuiuiis, epulis, magnisq; celebritatibus, canebantur, adeo vt nihil memoriæ hominum nisi poeticis numeris scriptum mandaretur. Sed qui deinde secuti sunt, Cadmus videlicet, Pherecydes, & Hecatæus, reliquis poeticæ partibus seruatis, versum numerumque soluerunt: & sic oratio pedestris inuenta est absque numero, quasi ab excelsiore loco vel celeri curru in planiciem decurrat, vt Cretensis refert Strabo. His vtique principiis fluxerunt hi, quos primò sapientes, mox mitigato nomine sapientiæ studiosos veteres appellarunt. Nam multis seculis ante eos, poetæ de Deo, de rebus cœlestibus, de natura rerum, de moribus, de ciuili sapientia, de ratione, ac sermone tractauerunt: non Homerus modò, quem Pythagoras, Pla-

Musicæ vsus.

Qui & primi scripserunt, teste Isidoro lib. 1 Cap. 37

Soli poetæ sapientes.

Poetæ morū, & vitæ humanæ magistri.

Prosæ orationis origo.

Poetæ primi Philosophi.

Homerus à Philosophis testis sapissime adducitur.

ras, Plato, Aristoteles, Zeno, & alij philosophorum principes, quasi fidissimum rerum suarum testē sæpenumero inducunt: verùm & complures alij ante Homerum atque Hesiodum cecinerunt, vt Linus, Philammō, Thamyras, Amphion, Musæus, Demodocus, Phemius Ithacensis, & complures alij. Quo in numero Sibylla etiam habenda est, quæ virginitatis merito diuini cōsilij particeps & dici & esse meruit.

Amphion.

Alludit ad etymō Sibyllæ, quod tamen aliud esse monet Lactantius.

De rerū ciuilium differentiis: & vt vnius viri principatus reliquos omnes anteat.

TIT. III.

Tres rerū ciuilium status. Regnum.

HI quidem poetæ maiorem philosophiæ partem circa Principum vitas ac mores versari opinati sunt, & rerum ciuilium differentias ab ipsis principibus in tres partes discreuerūt, vt esset Regnū principatus vnius, qui commodum quęrat eorum qui ab eo reguntur. Et hanc speciē duabus reliquis prætulerunt. Secunda autem sit optimorum ciuium potestas, qui ad virtutem omnia dirigunt, hanc Græci ἀριστοκρατίαν vocant. Nam Politia generale nomen est, & vnamquanque ciuilem administrationem significat. Tertia verò esset popularis societas, quæ ad iuris æqualitatem tendit, miltitudini studet, libertatemque sibi præficit. Horum statuum quisque dum rectè geritur, suam habet laudem: quum autem præuaricatur, & à seipso discedit, in manifestam labem incurrit. Nam si Rex oblitus vtilitatis eorū quibus præest, proprium duntaxat quęrit commodum, sibi suisque studet, iustitiam negligit, voluptati inseruit, tunc à dignitate sua discedit, fitque tyrannus, qui rectum transgreditur, & ab omni virtute secernitur. Optimates verò cùm in suo præscripto non perseuerant, nec constanter virtutem comitantur, sed ea neglecta diuitiis atque opibus inhiant, tunc quamprimū in paucorum potentiam concidunt, quæ ὀλιγαρχία dicitur, & vix paululum quidem differt à tyrannide.

Aristocratia. Politia, generale nomen. Democratia.

Tyrannus Optimates.

Pauci

Pauci enim ſunt opulentiores, illi qui dominãtur, & multitudinem formidant: proinde vt ſibi ipſis caueant, ſæuitia & omni immanitatis genere inſultant. Atqui potentia illa, quæ multorum damno ac periculo exercetur, diuturna eſſe non poteſt. Popularis autem ſtatus cùm ab æqualitate illa diſcedit, quam mitiſſimo verbo Græci ἰσονομίαν appellant, quùmque aut nimis vni viro defert, aut multitudini nimis indulget, in alterutrum vt incidat opus eſt, aut in tyrannidem, cùm vir ille populari aura ſuſtultus nimis extollitur, aut in plebeium dominatum, quum plebs nimium ſibi arrogat, quo nihil deterius eſſe poteſt. Plebs enim ſicut humiliter ſeruit, quum durioribus habenis comprimitur: ſic vbi frenum reſpuit, inſultat admodum, ſeſſorem deturbat, & iniuſtè, crudeliter, ſæuiſſimeque dominatur. Hanc præuaricationem plebeium dominatum appellamus, quando ad inopum tantummodo vtilitatem ſtatus deducitur, magiſtratus omnes ex plebe creantur, reiectis hominibus virtute præſtantibus, nobilioribus opulentioribuſque.

Oligarchia.

Popularis ſtatus.

Iſonomia.

Plebeius dominatus qualis.

Hoc loco monendi ſunt nonnulli, qui falſò opinantur popularem ſtatũ & plebeium vnum & eundem eſſe, quum ſint diuerſi, & popularis ſtatus vna ex tribus ſpeciebus ſit adminiſtrandarum ciuitatũ, quas philoſophi omnes probant, vt in ſuperioribus dictum eſt: plebeia autem gubernatio, tranſgreſſio exceſſuſque ſit, & ſuperioris præuaricatio. Qui verò aliter ſentiunt, falluntur in nominis interpretatione: dicitur enim Græcè δημοκρατία & δῆμος populum, nõ plebem ſignificat. Vnde hæc duo verba manifeſtè diſcernuntur, vt Caius iureconſultus clarè indicat in titulo de verborum ſignificatione: & manifeſtius patet in libris Inſtitutionum, vbi de iure naturali, gentium, & ciuili tractatur, his verbis. *Plebs autem à populo eo differt, quo ſpeciés à genere. Nã appellatione populi vniuerſi ciues ſignificãtur, connumeratis etiam patriciis, & ſenatoribus: plebis autẽ appellatione, ſine patriciis & ſenatoribus cæteri ciues ſignificantur.* Patet etiam hoc ex eo quòd cùm Romana plebs quondam à patribus

Popularis ſtatus a plebeio differt v. genus à ſpecie.

Plebs.

Populus.

l ij. de orig. iur. ff.

secessisset, iura quædam condidit, quæ post conciliationem à populo accepta, suadente Hortensio prisco pro legibus habita sunt, & plebis nomen seruauerunt, dictaque sunt plebiscita. Quinetiam Tribuni illi, quos sibi in monte Sacro plebs creauit, Tribuni plebis nuncupati sunt, quorum auctoritas amplissima fuit, adeò vt plebem à senatoribus tueri possent. Similis magistratus fuerat apud Lacedæmonios eorum, quos Ephoros appellabant. Singulas quasque harum ciuilium specierũ experti sunt Athenienses, tam rectas, quàm etiam deprauatas. Nam prius regali tenebantur imperio, quorum primus Theseus vrbem mœnibus sepsit & vagos per agros ciues in vnũ compulit. Et quamuis neminem iniuria lacessiuerit, tamen inuidiam atque offensionem ciuium effugere nequiuit: adeò vt ignominiosè admodum eiectus fuerit ea vrbe, quam mœnibus, opibus, legibus, dignitate, gloria, imperioque extulerat. Rex deinde Cecrops, licet genere Aegyptius fuit, magna tamen clementia & virtute regnauit, apud quem iudicium Neptuni & Mineruæ de vrbis nomine agitatum est, tũ cùm in arce oliua orta est, vnde & placuit ex Deæ nomine vrbem vocari, quæ Græcè ἀθῆναι dicitur, cui ea arbor sacra est. Longè pòst summa cum æquitate regnauit Codrus, qui iuxta diuinum oraculum pro patria se morti vouit in bello Peloponesiaco: qua ex re illustrem illam victoriam Athenienses consecuti sunt. Hic vltimus fuit Heraclidarum Regum, qui trecentis octaginta tribus annis continuata serie regnauerũt. His exactis Rempublicam instituerunt, in qua diutius summam inter se æquitatem seruauerunt. Mox, vt res mortaliũ fluxę sunt, inualescente plebe, Pisistratus vir popularis ac factiosus, quum in Principes Reipub. oblatraret, fauente multitudine tyrannidem inuasit, exacto Solone legumlatore integerrimo ac sanctissimo. Huius tamen facti inuidiam timens, conabatur eundem blandis literis reuocare, eiusmodi exemplo. Pisistratus Soloni salutem. *Non solus ipse Græcorum omnium tyrannidem inuasi, nec medius fidius rem alienã vsurpaui. Genus enim à Cecrope duco: proinde*

De qua re Liuius & alij.

Lacedæmonij Ephori, similes Tribunis Plebis apud Romanos.

Theseus.

Cecrops.

Codrus, rex vltimus Heraclidarum.

Heraclidarũ regnum.

Diogenes Laertius in vita Solonis.

Pisistrati epistola.

inde iure optimo mihi vendico, quod Athenienses olim iureiurando affirmarunt, Codro & illius generi se perpetuò prabituros, & postmodum posteritati eius, immemores tanti beneficij neglecto iureiurando abstulerunt. Leges quas statuisti, seruari iubeo: & longè melius seruantur, quàm si multitudinis imperio res ageretur. Tyrannus ego, nomine ac dignitate solùm à plebe differo: Vale. Cui ita Solō. *Solon Pisistrato salutem. Illic degere cupio, vbi communi atq; aequali iure omnes inter se viuant. Tyrannidem non amo, sed te tyrannorum omnium mitissimum esse fateor:* Gaude. *Solonis epistola.*

Multa quidem incommoda Athenienses à Pisistrato tulerunt, longè tamē plura ab illius filijs, quibus tandem sublatis, ad popularem statum quamprimum redierunt. Ac principiò quidem, clarissimi viri principatum in Republica tenuerunt, & quamplurima bella terra marique fœliciter faustéque gesserunt, Atticumque imperium nō modò finibus, verumetiam auctoritate ac gloria latius propagauerunt, sed ambitione atque inuidia crescente in dies, plebs per seditionem praeualuit: quae dum rationem impēsae in bello pecuniae à Ducibus reposcit, ab exercitu victores reuocat, nouos Imperatores preficit, hos damnat, illos interimit. Et sic à Lacedaemonijs, quorum victores fuerant, vincuntur Athenienses, Lysandro duce, & ad paucorum potentiam redigūtur. Eis namque Lacon ille callidissimus triginta ciues praefecit, qui in saeuissimos tyrannos euaserunt. Quibus deinde Trasybuli virtute exactis, rursus ad popularem statum redierunt. Macedonum nanque Reges, qui illos subegerunt, solitam eis viuendi formam permiserunt: & Cassander, qui in alios violentior fuit, in Athenienses benignam exercuit potestatem. Eis nanque praefecit Demetrium Phalereum, eorum conciuem, qui nō modò popularem statum illaesum seruauit, verùm in melius quoque redegit, editis etiam praeclaris commentarijs de Atheniensium Republica. Romani quoque eos libertate donauerunt, permiseruntq; vt solitis legibus vterentur. *Demetrius Phalereus.*

Quorsum haec tam longa Atheniensium commemoratio? Vt intelligamus Athenienses omnes ciui-

les ſtatus pertuliſſe, tam rectos, quàm etiam depra-uatos, à quibus quidem vtriuſque fortunæ exempla facilè accipere poſſumus. Harum trium ciuilium administrationum ſimilitudines & quaſi formas in domibus noſtris familiaribus inueniri Plato & Ariſtoteles teſtes ſunt. Nam patris indulgētia in liberos, inſtar habet regiæ pietatis in populos quos gubernat. Vt enim pater pro filijs anxius eſt, nihilque vt eis ad benè beateque viuendum deſit, ſemper proſpicit, vnus pro omnibus excubat, ratione cū illis agit, mavult eos emēdare quàm punire, ſic Rex etiam ſuis ciuibus indulget. Huius opinionis auctor Homerus, Iouem, quem Deorum hominumque Regem inducit, patrem appellat, ex quo clarè demonſtrat, regnū ferè paternum eſſe imperium. Viri autem & vxoris in re familiari ſocietas, qui pari officio parique pietate liberis proſpiciunt, ſimilitudinem cum ea ſpecie tenet, in qua optimates gubernant. Et in ijs quidem quæ foris ſunt pro dignitate vir præeſt, in his autem quæ domi, vxor: ſicut & inter optimates robuſtiores militiæ, infirmiores verò rei domeſticæ ſtudent. Fratrum autem ſocietas in populari gubernatione cernitur: pares enim inter ſe ſunt, niſi quantum ætate ac virtute differunt. Sic etiam ſimilis fit tranſgreſſio. Nam quum pater filios negligit, ſibi ipſi ſtudet, ſibique ipſi viuit, tunc in liberos familiamq; ſuam tyrannus eſt, ſicut Rex in populum, cùm à virtute diſcedit, & luxuriæ auaritiæque ſe permittit. Similiter vir & vxor ſi minus inter ſe congruunt, familiamque peroſi liberos deſtituunt, aut ſæuiſſimè dominantur, ſimiles fiunt paucorum potentiæ, quæ parum admodum à tyrannide ſecernitur. Fratres verò qui negligentius rem familiarem agunt, vel diſcordes inter ſe, rei domeſticæ imperium minoribus aut ſeruis permittunt, ſimiles ſunt popularibus illis, qui habenas omnes plebi tradunt eidemque ſe & alios ſubijciunt.

Rex patris inſtar.

Viri & vxoris officia.

Fratrum officium.

Videndum igitur erit, vt quæque harum ſpecierum ſuam dignitatem ſeruet, nec à ſe ipſa diſcedat, ſi laudem aſſequi cupit, & diuturna eſſe ſtudet. Nam

ſi ſe-

si secus egerit, quamprimū corruat necesse est. Veramque sententiam Xenophontis esse experietur, *Xenophontis sententia.* qui ait: *omnes ciuiles societates vitio eorum ruere, qui illis præsunt.* Nam si recte gubernarentur, perpetuæ omnino, vel immortales etiam essent. Ipse autem Cicero à Platone Philosophiaque se didicisse ait, naturales esse ortus atque obitus Rerumpublicarum, vt hæ *Rerumpublicarum ortus atq; obitus naturales.* tum à Principibus quidem vel tyrannis, tum à populis tenerentur vel Regibus, sed denique vt animalia reliqua, suo tempore occiderent. Sed de his satis dictum sit, ne vltra crepidam (vt dicitur) sermo noster decurrat, cùm sit propositi mei de optimo Rege, ac de regni ratione tractare, & reliquos ciuiles status omittere, & præcipuè quum de ciuili societate nouem voluminibus præscripserim.

De his qui primi de Regno scripserunt, differentia librorum Socratis & Dionis.

TIT. IV.

MVLTI Græcorum de vnius viri principatu, siue de regno scripserunt, & non hi modò quorum suprà mentionem feci, verùm alij complures. Nam & Euphantus Olympius regem Antigonum erudiuit, regnique præcepta literis commendauit: & Strato Lampsacenus libros tres de regno ad Ptolemæum Philadelphum Aegypti Regem scriptos reliquit. *Euphantus Olympius. Strato Lampsacenus.* Horum volumina nostro tempore nusquam apparent, sed cum plerisq; alijs dudum periere. Maximum enim librorum naufragium, vt & omnium aliarum rerum, regio illa pertulit. Irruentes enim Barbari eam igne ferroque ad eò vastarunt, vt nullum penè Græciæ vestigium nec in ipsa Græcia reliquerint. Enatarunt tamen duo, & in Italiam emerserunt, iamque ab omnibus leguntur, Isocrates scilicet & Dio Prusensis, *Isocr. & Dio.* varioque inter se argumēto differunt. Fuit enim Isocrates vir & dicendi & viuendi disciplina peritissimus, cuius è ludo (vt ait oratorum maximus) tanquam ex equo Troiano innumeri Principes exiere. *Isocrates tres fuerunt, vt docet M. Antonius Mure.*

tus, in Varijs, lib. 1. cap. 1.

Hunc Socrates & Plato, atque ex nostris Cicero & Quintilianus miris laudibus extulerunt. Hic libros duos ad Nicoclem Cypri Regẽ reliquit, in quorum altero præcepta Regi tradit, in altero autem his qui ab eo reguntur. Hi quidem perbreues sunt, nec id sine consilio: quippe quòd Nicocles paucis delectaretur, vt Neoptolemus ille apud Ennium, *cui philosophari quidem placebat, sed paucis*: lõgiora tamẽ scripsisse arbitror Isocratem, sed ab aliquo delicatiore in commentarios esse redacta, qui si vberiores essent, potuissent fortasse me ab hoc scribendi studio liberare: res enim tanta paucis absolui non potuit. Dio item præcepta regni breuiter etiam complexus est, sed diuerso ab Isocrate argumẽto nititur. Nihil enim ipse præcipit, sed Homerum ostendere conatur, sicut omnium reliquarum, sic huius quoq; ciuilis sapientiæ principem & quasi architectum extitisse, vt qui in libris suis cuncta præcepta, quæ ad Regem spectant, complectatur, singulisq; Principibus seorsum proprias quasdam virtutes, propriumq; decorum impartiatur. Vlyssi enim omnes ingenij vires tribuit, consilium, eloquentiam, dolos, artes, prudentiam, rerum peritiam, vt qui complures vrbes viderit, varios diuersarum gentium mores didicerit, diuersa studia calluerit, manus quoque agriculturæ admouerit, sulcum aratro rectissimum duxerit, herbas incurua falce celeriter strauerit. Achilli verò animi fortitudinem, & corporis robur, omni ex parte tradidit, & quæcunque alia quæ ad optimum quẽque bellatorem pertinent, cui & præcipitem atque implacabilem iram veluti fortitudinis cotem adhibet, & ardentissimum gloriæ studium, quasi calcar, quo sæpenumero (quum à pugna cessaret) fidibus & cantu incendebatur, quum fortissimorum virorũ laudes caneret, tantoque animi ardore efferebatur, vt cæteros quosque à congressu Hectoris arceret, ne viri fortissimi cæde ab aliquo fraudaretur, à quo præuentus, deinde posterior gloria esse videretur. Diomedi autem modestiam quandam adhibet, qua tumentem iram comprimeret, nemini malediceret, neque

Refertur à Cicerone.

De scriptis Dionis iudicium.

Homerus.

Vlyssis ingenium.

Achillis ingenium.

Ira cos fortitudinis.

Diomedis ingenium.

neque dicto factóve proteruo noceret: ex qua etiam virtute cibi esset abstinentissimus, & vino numquã nisi in magnis laboribus vteretur. Sic singulis alijs Principibus proprias quasdam virtutes tribuit Homerus, adeò vt consummato operi nihil desit, quod ad animi corporisve virtutẽ spectet. Hoc igitur argumento Dio opus suum perfecit, omnia Homero tradens, præter pauca quæ magno Alexandro tribuit, quem maximum omnium Regũ fuisse iure optimo arbitratur. *Alexander.*

De studijs antiquorum Regũ erga doctos viros.
Tit. V.

LONGE facilius priscis illis seculis præcepta quæq; vitutis tradebantur, quàm nostris, in quibus pauci sunt qui humanitatis studia & bonarum disciplinarum artes beneuolentia aliqua complectantur. Quotus enim quisque nunc est, qui doctos viros amplectatur, atque admiretur, ac non potius negligat, ne dicam contemnat, aut odio habeat? Cuius domus non potius scurrę, mimo aut adulatori, quàm poetæ, oratori aut philosopho patet? Veteres verò contrariũ faciebant. Atque vt omittam Romanos, (qui doctissimorum quorumque virorum consensu mortales omnes virtute, gloria, atque animi præstantia excelluerunt) nonne veteres illi Principes ac Reges eruditissimis viris delectati sunt, & cum illis etiam summa beneuolentia ac amicitia coniunctissimè victitarunt? Eosdem enim adhibebant in consilijs maximarum rerum, illis auscultabant, illos obseruabant verebanturque. Crœsus Lydorum Rex opulentissimus quum studio ciuilis sapientiæ flagraret, & cerneret barbaras illas nationes, quibus imperabat, viris clarissimis omnino carere, excitatus Anacharsis fama, ad eum Athenas vnum ex familiaribus suis misit, qui illum ad se accersiret, aurumque ei dono afferret. Ad quem ille eiusmodi epistolam scripsit. *Anacharsis Crœso bene agere. Veni in Græciã, Lydorum Rex, vt*

Doctorum cõtemtus apud nostri ævi homines.

Romani, omnium excellentissimi.

Crœsus.

Anacharsis epistola ad Crœsum.

Vide Diogenem Laertiũ

mores, instituta, disciplinásq; perdiscerem. Auro nõ egeo: satis mihi fuerit, si doctior meliorq; ad Scythas rediero. Sed quia beneuolentiã tuam mirificè amplector, ad te quamprimum iro pergam. Vale. Dionysius quoque Syracusanus quamuis ad sæuitiam natus videretur, tamen disciplina Aristippi Cyrenaici summopere delectatus est, eò præcipuè, quòd vir ille & facetus esset, & loco ac tempori inseruire optimè nosset, iocisq; ac salibus abundaret: quod quidem vel ex hoc cerni licet. Tres forma liberali & ætate integra ancillas Dionysius ei adducit, vt ex illis vnam quam vellet acciperet: tunc Aristippus tres simul abduxit, asserens Paridem neutiquam impunè tulisse, quòd vnam Deam duabus prætulerit. Quo quidem lepore ac ioco voti compos factus est, & integrum munus accepit. Fuit hoc etiam Dionysio gratum, ac periucundum. Nam cùm ab eò pecuniam aliquando rogaret Aristippus, tum facetè Dionysius, *Docuisti* (inquit) *sapientem pecunia non egere*. At ille, *Da*, inq̃t, *postea de his disseremus*. Quum verò dedisset, *Vidésne* (ait) *me pecunia non egere?* Et quũ tyrannus his rebus delectaretur, eundem summis honoribus ac muneribus quotidie afficiebat. Stilponem quoque Megarensem nonne summa beneuolentia complexus est Ptolemæus Soter, Aegyptiorũ Rex? Sic Menedemum Eretriensem Antigonus. Idẽ Rex mirificè obseruauit Bionem Boristhenitem: & quum accepisset illum grauiter ægrotare, & summa etiam inopia laborare, duos ex familiaribus suis ad eum visendum ac curandum misit, iussítque, vt opportuna ei omnia suppeditarent. Lycon Troadensis Attalo Regi gratissimus extitit, & ab illo regijs opulentijs honestatus est. Demetrius Byzantius Antiocho, & Ptolemæo persamiliaris fuit, & illorum gesta summo studio literis mandauit. Metrodorus Sceptius vir in dicendo periucundus, & varijs disciplinis ornatus, Mitridati maximo Regi tãta beneuolentia coniunctus fuit, vt vulgò Regis pater appellaretur. Platonis etiam memoriam adeo veneratus est hic Rex, vt illius statuam in Academia erexerit eiusmodi titulo inscriptã. Mitridates Rhodobati filius Musis

Ptolemæus Stilpõ ẽ amplexus.

Antigonus Menedemum Eretriensem, & Bionem.

Demetrius Antiocho & Ptolomæo familiaris.

Metrodorus Sceptius Mitridatis pater appellatus.

Musis Platonis imaginem dicauit, Silamonis opus: Quot doctissimos viros dilexit Alexander? Omitto Aristotelem, cui ab ineunte ætate à patre Philippo in disciplinam traditus extitit, ad quem etiam eiusmodi epistolam dedit. Philippus Aristoteli salutem. *Scito filium mihi genitum esse, quod equidẽ Dijs habeo gratiam, non proinde quia natus est, sed quòd eum nasci cõtigit diebus vitæ tuæ. Spero enim fore, vt edoctus abs te dignus existat & nobis, & rerum istarũ susceptione. Vale.* Ipse quoq; Alexander in primis dilexit Onesicritum, quem in militia secum habuit, & res à se gestas ab eo literis mandari voluit. Anaxarchum verò maiorem in modum obseruauit: & cùm Clitum per temulentiam peremisset, factique eum vehementer adeò pœniteret, vt exclusis è cubiculo arbitris amicisque omnibus, iam de consciscẽnda sibi morte ageret, solum hunc philosophum veritus est, qui in penetralia prorumpens, nullo familiarium id audente exclamauit: *Hiccine est Alexander ille, quẽ vniuersus orbis admiratur ac metuit? At ipse nunc seruilem in modum miserabiliter eiulans, hominum ignominiam, legesq; formidat. An ignorat Iouem ita Regibus statuisse, vt quicquid agerent, æquum iustumq; esset? Deo Optimo benè volẽte, temerarij militis petulantiam, & temulentam verborum licentiam vltus es. Scient omnes te Regem esse, neutiquam maledictis ac probris incessendum. Pugnent in hostes milites tui ferro, non autem in te linguæ procacitate.* His & similibus rationibus ac verbis vsus Anaxarchus, Regis animum mœrore affectum lenijt, mentisq; compotem reddidit, & à præcipiti consilio reuocauit. Quanti quoque Diogenem Cynicum fecerit, vel ex hoc intelligere possumus. Seriò enim dicebat, *Diogenes esse vellem, nisi Alexander essem*, quasi se vnum omnibus mortalibus prçferret, Diogenem autem secundum faceret. Tanto etiam studio Homeri Iliadẽ amauit, vt eam *rei militaris viaticum* appellaret, & eandem dormiens sub puluino cum pugione teneret. *Pares item gratias Aristoteli magistro, & Philippo patri se debere* dicebat: vt qui ab hoc viuendi causam, ab illo autem bene viuendi

Alexandri dictum.

Plutarchus in eius vita.

Homerus rei militaris viaticum.

rationem accepiſſet. Qua quidem ſententia facilè intelligere poſſumus, quanti Alexander fecerit ſapiẽtiæ ſtudium, morumque documenta, & contemplationem etiam diuinarum humanarumq; rerum, pro qua quidem non minus ambitioſus fuit, quàm pro imperio totius orbis terrarum. Nam quum accepiſſet Ariſtotelem vulgaſſe occultiora quædam, illum per epiſtolam his verbis obiurgauit. *Alexander Ariſtoteli ſalutem. Quod ſpeculatiuas edidiſti diſciplinas id nequaquam mihi acceptum eſt, nec me hercle rectè egiſti. Eam enim rem qua cæteris præſtabam, iam omnibus dediſti eſſe communem: malueram equidem ſingulari diſcipina, quàm ingenti potentia cæteros anteire* Admiratus eſt etiam Xenocratis ingenium, cui quinquaginta talenta dono miſit, certior factus illum præ anguſtia rei familiaris vix operam ſtudijs ſapientiæ nauare poſſe. Archelaus Macedonum Rex Euripidem tragicum tãta beneuolentia complexus eſt, vt eidem cõſilia omnia crederet, & ſæpenumero eum ad cœnam vocaret, quam quidem in multam noctem, delectatus poëtæ ſuaui ſermone, protrahebat: qua ex re accidit, vt cùm illius æmuli atque obtrectatores liuore & inuidia exarſiſſent, redeuntem aliquando illum nocte intempeſtą à Regis conuiuio, inſidijs exceperint, ferociſſimiſque canibus lacerandum præbuerint. Cuius interitum adeò moleſtè tulit Archelaus, vt ſuprema illius non modò magno funeris ſumptu proſecutus fuerit, verumetiã crinem tonſus, regiam faciem deformauerit, animique mœrorem corporis ſquallore cunctis indicauerit: nec antè priſtinum habitum recipere voluerit, quam interempti poëtæ manibus inimicorum ſanguine parentaſſet. Doctos etiam viros complures honore ac muneribus affecit Artauaſdes Armeniorum Rex celeberrimus, & vſq; adeò illorum ope Græcis literis eruditus euaſit, vt tragœdias ſcripſerit, orationes plurimas ediderit, & hiſtorias etiam cum laude compoſuerit. Quinetiam oratores, poëtas, philoſophoſque, complures ex Hellade magno impendio aduocauit, vt eos ſibi comites haberet, cumq; illis (ſpretis Barbaris) familiariſſimè victi-

Alexandri epiſtola ad Ariſtotelẽ.

Alexander Xenocratem admirabatur.

Archelaus Euripidem amabat.

Archelaus Euripidis mortem indignè tulit.

Artauaſdes, rex Armeniorum doctos viros amabat.

victitaret. Imperatores Romanos cōsultò prætereo, q; doctissimi penè omnes extitere, & eruditos quosque gloria, dignitate, ac muneribus affecerūt: tametsi priorem Africanum neutiquam silentio prætereūdum esse duco, qui quinti Ennij poëtæ statuam in sepulchro suo collocari iussit, vt posteri perpetuò cernerent, quanti fecerit tertiæ terrarum orbis partis victor poëtam illum, qui primus apud Latinos heroïcum carmen scripsit, & gesta Romani populi celebrauit. Malo tamen hoc loco Regum exemplis vti, quando de regno præcipuè scripturus sim, quamuis singuli Romani principes pro Regibus habēdi sint, vt qui etiam Regibus ipsis imperauerint.

Imperatores Romani doctißimi.

Vide Plinium & Solinum.

Sed hoc demum concludendum censeo, primos Regum ac principum comites esse doctos ac sapientes viros, qui & consilio & auctoritate adiuuant & regiam dignitatem illustrant. Testis sit mihi Cyneas Thessalus, vir dicēdo grauis ac suauis, vt Demosthenis auditorem planè cognoscas. Hunc Pyrrhus Epyrotarum Rex magno in honore habuit, & eo oratore ad complures ciuitates vsus est: qui eas adeò in Pyrrhi voluntatem pellexit, vt verām Euripidis sententiā esse ostēderet, qui ait, *Omnia conficit oratio, quæ etiam hostile ferrum efficere nequiret.* Atqui Pyrrhus ipse dicere solebat, *plures à Cynea oratione vrbes, quàm à se armis expugnatas esse.*

Cyneas honoratus à Pyrrho.

Vis orationis.

De diligentia Regis in deligendis oratoribus.

TIT. VI.

MAGNAM itaque principes diligentiam in legatis oratoribusq; deligendis adhibere debent, & cogitare in primis illos maiestatem ac dignitatem eorum, à quibus mittuntur, præ se ferre, & mentem atque animum eorundem exprimere eos debere. Vetus enim ac scita sententia illa habetur, qua dicitur: *Quales oratores videris, tales eos à quibus missi fuerint, expecta.* Romani veteres, legatos de pace agenda, Caduceatores appellabant. Erat enim Caduceus, Mer-

Vide Varronem.

Caduceatores.

curij

Caduceus. curij virga, per quam ostendebatur Deus ille medius
Mercurius. sequesterque belli pacisque inter dissidentes esse.
Oratores. Ad hanc similitudinem oratores de pace virgam in manu gestabant, per quam sancti, intacti, inuiolabiles etiam ab hostibus ipsis habebantur. Legatum autem de bello, Fecialem dicebant, qui bellum peractis sacris iubente populo ex sacerdotali iure indicebat.

Fecialis quis? Nunc autem indifferenter legati siue oratores dicũtur, de quacunque re agenda missi. Et certè magnum subeunt onus legati, virique excellentes esse debent, & ætate ac virtute probati. Quod quidẽ optimè intellexisse videntur Athenienses, tum præcipuè cùm tres illos clarissimos philosophos Romam miserunt impetratum, vt mulcta eis remitteretur quinquaginta talentorum, quibus damnati fuerant propter vastationem Oropi: hi fuerũt Carneades Academicus, Diogenes Stoicus, & Critolaus Peripateticus. Qui singuli seorsum in Senatu locuti sunt varia dicendi figura, quæ ἰσηγορις Græcè dicitur. Nam Carneades violenta, Diogenes scita, Critolaus modesta oratione vsus est, exẽplo Homeri, qui Vlyssem vberi, Menelaum gracili, Nestorem verò moderata oratione dicentes inducit. Illis itaque oratoribus in Senatu magna laude sine interprete respondit Cæcilius Senator, fuitque omnibus admirationi, quòd cuiusque eorum dicendi formam expresserit, non modò doctrina & eloquentia, sed vultu quoq; ac corporis gestu.

Carneades, Diogenes & Critolaus, Atheniensiũ legati.

Cæcilius respondit legatis Atheniensiũ.

Magno autem sæpenumero acumine ingenij magnaque calliditate ac versutia oratoribus opus est: vt Mutio Scæuolæ contigit, cui legato à Senatu ad Carthaginenses misso, duæ tesseræ Punico ingenio oblatæ sunt, in quarum vna pacis signum inscriptum erat, in altera belli: eiusq; arbitrio permissum est, vt vtram vellet referret. Ille autem vtramque sustulit, & ait Carthaginenses petere debere vtram mallent accipere. Et sic astuto consilio calumniam euasit, declarauitq; Romanos potẽtiores dignioresq; Carthaginensibus esse.

Scæuola factum.

Cn. quoq; Pompilius ad Antiochum Syriæ regẽ orator à Senatu populoq; Romano missus, vt bello se, quo Ptolomæũ lacessebat, abstineret:

Valer Maxi. lib. 6 de grauiter dictis & factis.

(inse-

(infestabat enim Alexandriam Regis Ptolomæi regnũ) cùm ad eum venisset, atq; is prompto animo & amicissimo vultu dexteram ei porrexisset, inuicem ei suam porrigere noluit, sed tabellas senatusconsultũ continentes tradidit: quas vt legit Antiochus, dixit se cum amicis collocuturum. Indignatus Pompilius, virga, quam manu gerebat, circulum fecit, quo inclusum Regem non prius inde exire permisit, quàm Senatui responsum daret, pacémne an bellum cum Romanis vellet. Hæc quidem asperitas adeo Regis animum fregit, vt se obsecuturum Senatui responderet. Magnam insuper laudem assecutus est Xenocrates Calcedonius, qui ab Atheniensibus legatus missus ad Antipatrum, captiuos omnes, quos in bello Lamiaco cœperat, dono impetrauit, quos nec precio redemptos vt redderet, exorari potuerat. *Vide Liuiũ.*

Oratores, sancti iure gentium habebantur: proinde intacti inuiolatique ab omnibus esse debent. Lartes Tolomnius Veientum Rex quatuor populi Romani legatos Fidenis interemit, quorum statuas ad suam vsq; ætatem pro Rostris extitisse Cicero in Antonium refert. Hi fuere quatuor, videlicet Clœlius, Tullius, Roscius, Santius, & Fulcinius: qui vitam pro patria amiserunt: quam deinde populus Romanus famæ diuturnitate eis instaurauit, vt perpetuum virtutis exemplum posteris præberent. Quinetiam illorum mortem neutiquam inultam esse permiserũt. Fidenates enim, qui manus suas legatorum cæde polluerant, condignas dederunt pœnas: victi enim primo cæsiq; magna ex parte ab exercitu Romano fuerunt, deinde omnes qui obsidioni subtracti sunt, sub corona venierunt. Vrbs quoq; ipsa prædæ, direptioni igniq; exposita est. *Oratores inuiolati.* *Cicero Philippica nona in principio.*

Corinthus verò Achaiæ vrbs opulentissima, & Asiaticis Italisque mercatoribus opportuna, ex Senatuscõsulto à L. Mummio euersa est, nullam aliam ob causam, nisi quòd in ea Romani oratores ab Achæis violati fuerant. Eius vrbis calamitates miseratus Polybius, multa indigna atque impia se vidisse testatur. Signa complura illinc detulit Mummius, quæ Lu- *Corinthus.* *L. Mũmius.* *Cic. lib. 2. Officiorum.*

cullo dono dedit. Eadem ille cum fortunę ędem statuisset, illic consecrauit: ex quibus maiorem laudem Mummius, quàm Lucullus tulit. Quinetiam L. Minutius & L. Manlius quòd Carthaginensium legatos pulsauisse dicerentur, volente populo Romano, iussu M. Claudij Prætoris vrbani per Feciales traditi sunt legatis, & Carthaginem ad supplicium missi.

L. Minutius. *L. Manlius.*

Bellum etiam Illyricis, quia legatos Romanorum, qui ad se missi fuerant, occiderāt, indictum fuit: quo subacti, cum magna suorū cæde in deditionē populi Romani venerunt. Fuerūt autē oratores q̃ ab eis cæsi sunt, P. Iunius, & Titus Corūcanus: quos Tensā Regina, quæ eis tūc imperabat, interimi iussit, cùm illorū verba minus patienter ferre posset. Illis itaq; legatis (quoniā pro Republica ceciderunt) statuæ a populo Romano in foro positæ sunt, vt ereptæ vitę breuitas, diuturnitate famę ac gloriæ compensaretur.

P. Iunius. *T. Corūcanus.* *Tensa regina.*

Abstinentes vt sint oratores, omnino opus est, ne muneribus corrupti in alienam sententiam abducantur: quod crimen præuaricationi simile admodū habetur, & oratores ipsos suspectos reddit eis, à quib. missi sunt. Romanorum legati, qui in Aegyptum ad Ptolemæū venerunt, regia omnia munera spreuerūt. Hoc cùm animaduerteret Rex eosdem ad cœnam inuitatos aureis coronis inter epulas coronari iussit. Tulerunt illi coronas honoris gratia æquo animo: verùm postridie eius diei easdem regijs imaginibus, quas in Iouis templo suspexerant imposuerunt, ne quid regij muneris auertere velle viderentur.

Oratoris munus. *Aurea corona Oratorum.*

Continentię etiam virtute vt fulgeant oratores expedit, ne id in eos agatur, quod in Persarum legatos egit Alexander Amyntæ Macedonum Regis filius: qui cùm cerneret illos à patre inuitatos ad cœnam, insolentius se gerere in regias coniuges ac filias, è cōuiuio illas euocauit, pollicitus venustiores cultioresq; se confestim easdē esse reducturū. Atqui è vestigio mutato habitu iuuenes supponit ferro clanculū accinctos, quibus vt legatorū petulantiā coërcerent iubet: legati opinātes illas cōcinniores cōuiuio redditas esse, licētius multo insanire pgūt: iuuenes verò turpi-

Persarum legati.

turpitudinem non ferentes, districtis gladijs legatos trucidant. Magabysus Persarum præfectus rem indignè admodum ferens, Bubarim cum exercitu, vt iniuriam vlcisceretur, mittit. Ille re diligenter cognita, dixit oratores iure cæsos fuisse. Et non modò ab omni iniuria in Macedonas abstinuit, verùm amicitiam quoq; cum Amynta Rege contraxit, & eam affinitate firmauit, quippe qui illius filiam vxorem duxerit, & per illã quidem necessitudinem Amyntã Regẽ, & eius filiũ Alexandrũ Persarũ Regi perpetuò cõmendarit. Sed hæc de orationib. legatisve dixisse satis sit. In eos namq; minus cautè incidimus, & exemplorũ suauitas nos fortasse nimiũ diu retinuit. Nunc autẽ sermo noster ad locũ vnde digressi sum⁹ redeat. *Megabyzus.* *Bubaris.* *Amintas.*

Vnde sumatur ratio bene viuendi, quæ ad fœlicitatem ducit: & vter aptior sit ab benè beateq; viuendum, Rexne an priuatus ciuis. TIT. VII.

NATVRA homines nec bonos nec malos gignit, aptos tamen ad bonum, procliues autem ad malum reddit. Hoc ratio suadet, ingenium ostendit, experientia edocet, & Aristoteles ex veteris Academiæ documentis testatur. *Inserit quidem in nobis natura ipsa igniculos quosdam cœlestes, & semina quædam virtutum, quæ si adoleuerint, quamprimum in optimam frugem euadunt*, vt ait Plato. Ex illis enim nascitur benè agendi recteque viuẽdi ratio, quæ omnes turbidos affectus comprimit, potentias disponit, habitus autem confirmat. Hæc semita nos ad fœlicitatem ducit, quæ per sese expetenda est: omnia nobis suppeditat, nulliusq; rei indiget. Ad quam actiones, cogitationesque nostras omnes dirigere debemus: Animi nanque continuata actio secundum virtutem, summum hominis bonum esse videtur. Hæc est enim vera fœlicitas, hæc etiam illud bonum est, quod diuinũ à cõpluribus philosophis nũcupatur. Actiones enim secũdũ virtutẽ Duces nobis sunt, & effectrices fœlicitatis: contrariæ autem nos in miseriam mœrorisq; barathrum *Talis sententia Ciceronis in Tusculanis.*

præcipitant. Sed quæri plerumque solet, vter aptior sit ad bene honesteque viuendum, priuatúsne ciuis, an ille qui cum imperio est? Et certè multa commoda esse videntur ei qui priuatam vitam agit. In primis priuatus ille minus luxuriæ indulgere potest, minus delicijs diffluit, minusque ocio abundat. Vrget enim res familiaris: pro victu vestituque vt laboret opus est: parentes, liberos, familiamq; vt alat expedit, quæ quidem res, industria, labore, vigilia, parsimoniaque indiget, & continua animi anxietate. Quibus rebus quicunque ex animo intentus est, voluptatum, libidinum, illecebrarũ, deliciarumq; obliuiscitur. Cogitur præterea legibus iudicijsque parere, quibus libidines, cupiditates, nequitiæ, immoderatæque voluptates coërcentur. Adsunt quoque familiares ac domestici obiurgatores, affines, consanguinei, necessarij, vicini, liberiores amici, qui priuatũ illum ratione, iurgijs, conuitijs, minis contumelijsq; adeò vexant, vt vix eum male agere sinant. Accedunt præceptores & magistri, qui maiore licentia eũ erudiunt, & non modò verbis, sed verberibus etiam in illum animaduertunt, vtque monitis obtemperet omnino compellunt. Quocirca priuatus ille facilius eruditur, doctiorque euadit. Namque vt præclarè Aristoteles ait: *Aspectus continenti aëre lumen accipit, animus autem à liberalibus disciplinis.* Hinc sententia illa Socratis manare videtur, qui asserit *difficile factu esse, vt is qui doctrina aut scientia aliqua excellit, vitio aliquo immergatur, quo veluti mancipium in seruitutem turpiter trahatur.* Ordinatio præterea ciuilis, quod quidem ius vno verbo appellamus, & vniuersalis illa speculatio *θεωρία* à Græcis dicta, longè magis priuatos ciues quàm Reges ac Principes compellit. His igitur adiumentis magna ex parte destituti esse vidẽtur, qui ad imperij spem aluntur, quive ipsi imperant: nam solutiores sunt, nemini obtemperant, delicijs profluunt, ocio merguntur, nihilo indigent, nullo nisi voluptuario labori insudant. Nullæ leges eos coërcent, nullæ morum disciplinę, nullæ ciuiles institutiones, nullæ familiares obiurgationes, nulla amicorum monita,

Priuatorum luxuriam cohibentia.

Aristotel.

Socratis sententia.

Ius.

nulla

nulla præceptorum aut seniorum documenta, sed passim soluti exultãt, veluti effrenes equi sine habena aut sessore. Quinetiam secum asseclas quamprimum complurimos habent, qui gratiam illorum turpibus obsequijs mercãtur, & optatas voluptates, atq; illecebras omni studio omnique diligentia eis conciliant, & scelera cuiuscunque generis pro bonis atque honestis suadent, quibus ex rebus illi & deteriores fiunt, & totam ciuitatem inficiunt. Principum enim exempla facilè omnes sequuntur. Vnde verum esse cernimus, quod à Platone, Socrateque dicitur, *Principes lõgè magis exẽplo quàm culpa peccare.* Qua enim via vitia vberius in populum exeunt, & in omnium mentes irrepunt, quàm publica, vbi maiorum exempla cernuntur? *Tutissimo clypeo tegitur ille, qui se sancta maiorum vestigia tenere ostendit.* Pessimi autem homines rectè omnia se agere dicunt, quæcunque per imitationem Principum agunt.

Principes grauius peccant exẽplo quàm culpa.

Præterea in tanto fastu, tanta fortuna, tanta potẽtia, tantaque maiestate constituti, vix æquo animo à minoribus minusq; dignis moneri, emendari, obiurgarique patiuntur. Perpauci etiam sunt, qui ad Principum Regumq; aures liberum aditum habeant. Et hi quidẽ nulla libertate loquendi vtuntur, sed obsequendo, adulandoq; eis adblandiuntur, vera mendacijs cõcinnant, laudant turpia, & pro egregijs haberi affirmãt, seuera odiosa esse omnibus dicũt, nequiora autem leuioraq; iucunda. Sicque assentando, simulãdo dissimulandoq; Principum aures permulcent, & tali aucupio se tuẽtur. His itaq; illecebris blanditijsq; illecti illi ab ineunte ætate, omnia quæ agunt sibi licere existimãt. Qua persuasione nihil infœlicius esse potest. Miser enim ille habẽdus est, qui ex voluptate viuit, & quæcunque agit, sibi ipsi indulget.

Mendacij & adulationis gymnasium est aula Principũ.

Eiusmodi rationibus plerique inducti, priuatam optimi viri vitam tutiorem præstantioremque esse putant, & longè ad bene beateque viuendum aptiorem quàm eius viri, qui in talibus delicijs à primis incunabulis educatus imperium gerit. Quæ quidem ambiguitas sic simpliciter enunciata, non difficilem

solutionem habet. Quis enim adeò est hebetis atq; obtusi ingenij, qui non malit se similem esse Soloni legumlatori sanctissimo atque æquissimo? aut quis non velit potius similis esse Socrati, quàm Critiæ? aut Bruto, quàm Tarquinio? Ille enim libertatem constituit, hic autem Romanorum regno impietate ac scelere sibi parto, non regio more, sed tyrannica libidine, ac sæuitia abutebatur. Age verò, Brutum Numæ Pompilio confer, tunc Regiam dignitatem priuatę vitę quis non antetulerit? Quamuis ipse Numa anceps fuerit, priuatámne vitam, an regiam agere vellet. Nam ad oratores, quos ad se miserant Romani & Sabini, qui tunc in vnum conuenerant, illumque qui delegerant Regem, & in vrbem vocabant, rogabantque vt Regnum acciperet, eiusmodi responsum attulit: *Omnis quidem mutatio vitæ periculosa est: verùm illum cui rerum necessariarum nihil deest, & qui querelæ neutiqam obnoxius habetur, nihil aliud, nisi amentia à consuetis studijs transfert, vt certa pro incertis relinquat. Romulum diuina soboles regno dignum fecit: mihi autem genus mortale est. Ille Marte genitus, vos bellatores optimos educauit: Ardentis animi, & robusti corporis Rege vobis opus est. Ego autem pacis studiosus religionem rectaq; iudicia sequor.* His & eiusmodi sententijs regnum repudiabat, adeò vt vix multis oratorum precibus, & necessariorum lachrymis exorari potuerit, vt regias habenas vltro sibi traditas moderari vellet. Sed postquam illas accepit, tanta virtute præfuit, vt eo regnante, neque bellum, neque seditio, neque tumultus Romæ vllus extiterit: nullæ præterea inimicitiæ, nullæque insidiæ aduersus eum regnandi causa, vt adsolet, fuisse dicantur. Itaq; populum Romanum iustitia & modestia sua ad mansuetudinem ac pacis studium transtulit, & ad vitæ comitatem. Numæ enim tempore Iani templum tres & quadraginta iuges annos, quibus regnauit, clausum mansit. Agriculturam autem quasi pacis & ocij effectricem, magis quàm diuitiarum ac voluptatum ministram amauit. Metum religionis omnibus persuasit, cultum deorum instituit, sacra ac ceremonias ordi-

Numæ Pompilij responsum ad Romanorum legatos, quod apud Liuium.

Iani templum, XLIII annos clausum.

ordinauit, dies discreuit: vt essent sacri, in quib. diuina tantum curarentur: negociosi verò, quibus humana. Annum certo dierum numero præscripsit: & ciuitatem optimis legibus firmauit. *Sacri dies, Negociosi dies*

Dicendum igitur erit, priuatos viros optimos, & virtute præstantes, qui suis rebus contenti, aliena nō appetāt, suisque fructibus alantur, alienis nō egeant, deterrimis Principibus, qui omnia iniustè agāt, aliena rapiant, luxuria, libidine, auaritia sæuitiaque insultent, longè præferendos esse: optimo autem Regi Principive nulla ex parte conferri posse, non magis quàm si humana diuinis comparare vellemus. Singuli enim scriptores fatentur, ex omnibus humanis bonis nihil præstantius regno, nihil admirabilius, nihil deniq; maiore reuerentia dignum. Et certè *regnādi munus diuinitùs mortalibus tributum est*, vt Homerus asserit, & Isocrates testatur, vt scilicet similitudo quædam diuinæ celsitudinis in terris cerneretur.

Persæ Reges suos inter Deos colunt. Maiestatem enim imperij salutis tutelam esse opinantur. Sanctitas quidem Regum augusta est, vt Iulius Cęsar in oratione, quam habuit in funere amitæ suæ, censuit, & inter mortales omnes plurimùm semper polluit. Quinetiam Hesiodus, qui de diuina sobole fabulatur, magnanimos, atq; optimos Reges cum Dijs enumerat, hisque exemplo terrenæ potestatis, si benè se gesserint, etiam in cælo regendi res humanas officium assignat. Deos ex hominibus factos prisci Latinorum Indigetes appellant, quasi inter Deos agentes: Athenienses verò διοσκόρους, id est Iouis filios dicunt: & hoc nomine Castorem & Pollucem honoris gratia venerantur. Sed eosdem etiam ἐπιτηρητὰς cognomento vocant, quòd nautas in periculis ac tempestatibus saluos incolumesque reddant. His etiam inter mortales, qui iustè regnauerunt præmium ac merces maxima est honor, gloria & perpetua fama, qua à populis in omni æuo afficiuntur, quæ (vt Hesiodus ait) diuina est futura, nunquam perit, nunquam occidit, nunquam omnino perimitur: Iniusti autem Reges sæuissimiq; tyranni in vita *Persæ suos reges venerantur vt Deos: quod Tertullianus quoq; testatur. Indigetes. Castor & Pollux dij tutelares.*

quidem sua omnibus odio sunt, post interitum verò à posteris perpetuæ excreationi habentur, & diuersis pœnis ac cruciatibus apud inferos torquentur, vt aiunt tragici poëtæ, & perpetua ignominia infamiaq; apud superos notantur.

Plutarc. in vita Artaxerxis. Optimi Regis deterrimi tyranni exemplum in eadem familia quondam extitit. Artaxerxes enim Persarũ Rex duos & sexaginta annos regnauit, cùm duos & triginta annos natus à patre relictum regnum accepisset. Mansuetudinis verò, comitatis & clemētiæ laudem super omnes alios Reges assecutus est: quam summopere post obitum auxit, celebrioremq; reddidit filius eius Ochus, qui eidem in regno successit. *Ochus.* Patris enim virtutes omni vitiorum scelere adæquauit. Nam sæuitia, immanitate, perfidia libidineq; tyrannos quosque teterrimos superauit: veramq; sententiam Dionysiodori Træzenij esse docuit, qui ait: *Dionysiodori sententia.* *Quis patrem laudabit, nisi improbus filius?* Quasi laudem optimi parentis longè magis homines celebrent, cũ turpem ac degenerem filium vituperant.

De imbecillitate humanæ conditionis: de mente à Deo homini data.

Tit. VIII.

Silenus, Bacchi alumnus. SILENVS (quem Bacchi alumnũ vetustissimi fuisse fabulantur) poëta fuit, & mysteria Liberi patris, quæ orgia vocantur, & diuinos cātus, quos hymnos appellāt versibus ac fidib⁹ cecinit. Is aliquādo per regionem, quę Mœonia primò ab antiquissimo Rege Mœone, deinde ab accolis Phrygia nũcupata est, iter habebat, & à latronib⁹ exceptus ad Regē, cuius iussu grassabātur, perductus est. Regnabat per id temporis eo loci *Midas Rex.* Midas Rex, cupiditate & auaritia notior quàm virtute aliqua: quod quidem & diuinitùs ostensum fuisse asserunt. Nam cùm in cunis infans dormiret, formicæ in illius os tritici complura grana congesserunt: qua ex re coniectores illum prædiuitem futurum prædixerunt, sed omnium auarissimum. Rex itaque vt primum

mùm hominem cõſpicatus eſt, rogauit quiſnam eſſet,& quanti ſe redimere vellet. Tum Silenus nomẽ profeſſus ſe poëtã eſſe dixit, & inopem admodum, nihilque omnino æris penſitare poſſe: ſed ſi ſe liberali animo dimitteret, velle eum docere quid maximum a Deo homini dari poſſit,& quid ſecũdũ:quæ duo ſi recto animo expẽderet, precioſiora ei futura eſſent multo auro multoq; argento.Rex verò audaciam viri,& magnã pollicitationẽ admiratus,iureiurando affirmauit, ſe liberum inuiolatumq; cum eſſe dimiſſurum,ſi promiſſa illa præſtaret, doceretq; ea quæ profitebatur.Tum Silenus,accepta dicendi poteſtate,ſuauiſſimis verſibus cecinit hanc ſentẽtiam: *Maximum munus homini à Deo eſſe,non naſci:proximũ autem in primo vitæ limine occũbere.*Hoc cùm multis rationibus peroraſſet,gratiſſimum incũdiſſimumq; Regi extitit:& liberum illum,vt promiſerat,dimiſit,ac munuſculis quibuſdam pro naturę ſuę parſimonia Silenum affecit. Hac ſanè ſententia ducti Getæ, puerperia lugent, funera autem cantu luſuque celebrant. Huiuſmodi opinionibus mouemur,vt imbecillitatis humanæ cõditionem conſiderare velimus,& cognoſcere hominem, qui tanta ſe iactantia effert, ac tanta ſuperbia exultat dominatoremq; orbis terrarum ſe eſſe putat, & dominum ac domitorem cunctorum animalium: animal eſſe mortale, caducum, & omnium infirmiſſimum.Sapiẽter quidem apud Homerum Vlyſſes dixit:*Nil homine infirmum tellus animalia nutrit,Inter cuncta magis.* Solus enim homo alienis ſemper opib. ſe tuetur. Nudum illum in terram natali die natura abijcit, & ad vagitum ploratumq; exponit,qui niſi manibus,pedibus ac toto corpore vinciatur,contrahitur quamprimum & quaſi truncus inutilis fit, vel ſtatim moritur:quod quidem ei optandum eſſe videtur. Sed quid dicemus quòd ſingulis quibusque animalibus natura ipſa veſtẽ parat: nam alijs vellera, pilos, ſetas, ſpinas, pẽnas,ſquammas & his ſimilia parauit:hominẽ autẽ ſine vllo inuolucro aut integumẽto edidit? Alijs cibus paratiſſimus eſt, homini autẽ quærẽdus multo ſtudio,multo labore,

Getarũ mos in filiorum geneſi, vnde manauerit.

multa vigilia, multaque industria. Alijs natura artes documentaq; tradidit quibus se alant, corpusq; tueantur, pernicitate, robore, volatu, sagacitate, odoratu, nando, desiliendo, ascendendo, luctando similibusque conatibus, quibus & arma parata aptaq; habent, vt promuscidem elephantes, vngues ac dentes leones, pardi, vrsi, tigres: cornua tauri, cerui, damę, siluestres capræ: calces, equi, muli, cameli: rictum, dẽtésve, apri, sues, lupi, canes: rostrum, aut aduncos vngues, aquilæ, accipitres. Et ne de singulis diutius loquar, singula quæque animalia in sua specie, instituente adiuuanteque natura victitant, & nullis externis opibus indigent, præter hominem, cui nihil scire sine institutione atque disciplina dedit, nisi vagitum atque eiulatum, ad quem quidẽ natus esse videtur. Proinde nequaquam admirandum est, doctos atque eruditos nonnulos extitisse viros, qui dubitauerint meliorne mater, an tristior nouerca natura homini fuerit: & fuisse etiam philosophos, qui de contemptu humanæ vitæ scripserint: & duriores alios, qui mortem complurib. persuaserint. Nã præter hæc incommoda, quæ multa quidem sunt, affectus quam plurimos natura turbidos admodum homini dedit, quorum magna ex parte belluæ ipsæ expertes sunt. In solo homine luctus cernitur, & luxuria libidoque multiformis, & omni etiam tempore: sic ambitio, cupiditas, superstitio, futurorum cura innumerabiliaque alia, quæ quidem longum esset in præsentia percensere. Sed hoc vnum nequaquam omittendum censeo, reliqua animalia tuta quietaque degunt in suo genere, congregantur simul, contrarias vires communi impetu propulsant, non dimicant inter se leones, non pardi, non vrsi, non lupi, non serpẽtes: At verò homini plura ac maiora ab homine ipso imminẽt mala quàm à reliquis animantibus. Proinde Deus Optimus Maximus (qui prima rerũ omnium est causa, & Princeps eorum quæ sunt, quæque esse videntur) soli homini præter cætera animalia, vt illũ à naturæ detrimentis mundique periculis muniret, mentem dedit sibi ipsi similem, quæ cùm creatorem patrem-

Animal tũ solus homo lugет.

Solus homo in sibi similes sæuit.

Ex Macrobio in primo de somnio Scipionis

Homini mẽ-

patremque suum respicit, & à corporis contagione recedit, plenam; perfectamque similitudinem auctoris sui seruat: hinc ratio manat, quæ gerendorum ordinem obseruat, causamque subnectit, vt quid quo loco facias aut dicas, intelligas. Hanc mentem veteres qui Latine optime locuti sunt, animum appellarunt, vt esset diuinus ille spiritus in nobis, quo quidem intelligimus & sapimus, quiq; ab omni concretione mortali est alienus: *& vt Deus mundum, sic ille regit ac gubernat hominem.* Animam autem vocabant prisci spiritum quo viuimus, crescimus, & sentimus, quę communia nobis cum multis etiam animantib. sunt. Proinde senior Cato ille, cui castior antiquorum ętas Censorij nomen ab emendatis moribus dedit, dicere solebat, *animum ideò sui datam esse, ne putresceret illud pecus ignauissimum, cui quidē in luto volutari sic est requies,* vt homini calida aqua lauari, vt eleganter ait Varro. Sed hæc duo nomina confuse inter se iuniores vsurpant, & frequenter pro animo animam ponunt, cùm propriè loquendo longè diuinior sit animus quàm anima: hæc enim corporeo carceri addicta est, ille autem purior, nulli corporis custodiæ subijcitur.

tem Deus sibi simile dedit.

Ex Aristotele in libro de mundo.

Cato Censorius.

Vide Plinium.

Ca. 4. l. 2. Rei rustica.

Animus & Anima.

Vide Tertullianū librum de Anima.

A puro quidem animo sine corporea ope insunt nobis cogitationes, rectæ intelligentiæ, agnitiones, consilia, terrenarum rerum ratio, cœlestium contēplatio, præsagitio futurorum, & his similia. At perturbationes ipsæ, turbidiq; omnes motus, à coniunctione corporis animati nobis accidunt, qui nisi ab animo regantur, nos similes brutis animalibus esse faciunt. Hoc diuino animi munere affectus homo, iure optimo principatum orbis terræ sibi vendicat, & dominum dominatoremq; omnium animalium se esse iactat: patiturq; etiam se *μικρόκοσμον*, id est paruum mundum, vocari, cùm ad similitudinem Dei mundum regentis ipse etiam corpus regat.

Aristoteles libro de mundo.

Mens omnia suppeditat homini, quæ per naturam ei desunt.

Tit. IX.

EA omnia quæ dixi per naturam homini deesse, suppeditat ratio ipsa, & admiranda docilitas. Quæ siue sit Platonica illa reminiscentia, siue memoria ex præexistente cognitione, vt aiunt Peripatetici, siue vtrãque naturam sapiat, vt partẽ eorum quæ scimus, reminiscentia diuinorum, partem verò disciplina nobis tradat, vt ex Pythagoricis symbolis colligere possum⁹ (nihil enim in hoc laboro) res profectò admirãda est, adeò vt nihil maius aut diuinius dici aut excogitari possit. Nonne magnum tibi atque admirabile videtur, infantem anniculum, aut bimulum, aut ad summum trimulum, blæsa adhuc lingua vernaculo sermone conari, materna verba, qua diligentia per ætatem potest, imitari, adeò vt paruo temporis curriculo innumerabilia vocabula discat, plenũ perfectumq; sermonẽ hauriat? Cùm verò septimum agit annum, tunc & tempestiuè literis imbuitur, vt ait Hesiodus, & ad studia bonarum artium sese erigit, & quamcunque disciplinã facilè perdiscit, fitque quã primum vir, & ratione & oratione nititur æqualibus omnibus suis prestare. Hoc diuinum rationis munus adeò hominem extulit, vt humanarum diuinarumq; rerum eum capacem compotemque reddiderit. Cui non satis fuerit, se suosque alere atque educare, nisi etiam arcana naturę indagauerit, absconditas rerum causas perquisierit, terræ viscera effoderit, aurum, argentum, & alia metalla eruerit, cœlum cogitatione ac mẽte penetrauerit, abditaq; omnia scrutatus, mortales etiam alios docuerit. Hic est ille Prometheus Iapeti filius, quem ignem cœlicolis ferula subtraxisse, & mortalibus tradidisse poetę fabulantur. Fuit enim primus, vt quibusdam Græcorũ placet, qui Astronomiam docuit, vel Atlas Libys filius, quem Diodorus Siculus refert primum spherã inuenisse, multis seculis ante Archimedẽ Syracusanum, qui eã deinde per-

Prometheus, de quo Horatius.

Atlas. Plinius c. 56. li. 7. & ca. 8. l. 2. Diodor. l. 4.

perfectiorem reddidit. Atlantem cœlū humeris sustinere faciunt, vt ostendant primum illum Astronomiam docuisse: & Herculem onus subire, quòd illius discipulus fuerit, & fesso ac senescenti magistro suc cesserit. Sed huius artis antiquiora præcepta ab Aegyptijs sacerdotibus tradita fuisse auctores sunt. Cicero alijs omnibus Phœnices in hac disciplina antiquitate præfert. Sed Plato hanc cognitionem priscis Græcorum tradere videtur, vbi in Cratillo ait, *Solem, lunam, stellas ac cœlum veteres Græci primi Deos putauerunt. Et cùm cernerent illos currere, θεοὺς appellarunt, θεῖν namque currere significat, inde tractum est, vt θεὸς Deus diceretur, nomenq; Latinum hinc ductū esse plerisq; visum est.* Sunt tamen qui Deum à timore dici putēt. Est enim δέος timor, quoniam Dei potentia omnibus formidini esse debeat. Sed quicunque fuit qui hanc cognitionem hominibus tradidit, certè diuinus potius quàm mortalis haberi potest.

Hercules, cur subeat Atlantem.

Phœnices: vide quæ notauimus ad lib. 2. Patricij de Repub. cap. 8.

Deus unde dictus.

Omitto inuentionē literarum, quæ quidem præter omnes alias admiranda est. Pauculis enim notis vniuersum hominum sermonē complecti videmus, per quas memoriæ mandarentur doctrinæ ac disciplinæ omnes, quæ sine his ieiunę omnino essent, mutæ penè, atque elingues, & parua temporis diuturnitate propter varios fortunæ casus interirent. Omitto etiam aliarum artium inuentores, quos tanti Aegyptij & Phœnices æstimarunt, vt eos qui vitam humanam re aliqua inuenta excoluerunt, communes hominum patronos, ac benefactores esse putarent, & eosdem quasi Deos venerarētur, statuis, simulachris, templis, ædibus, delubrísque decorarent, eorū quoque nomina inter præsentissima numina referrent. Nónne Liber pater, quòd emere ac vendere docuerit, & vinum vsui mortalium tribuērit, diademą regium gestamen, ac triumphum in honorem fortissimorum Ducum Imperatorúmve, Deus habitus est? Et Ceres Dea, quoniam frumentum glāde vescentibus dederit, & pinsere, molere, ac pultem panemq; facere docuerit? Aeolus quoque Tellenis filius qui rationem vtilitatemque ventorum monstrauit, vnde

Liber pater cur Deus habitus est. Emere & vendere Liber pater docuit.

Ceres

Aeolus Telle-

nis aliâs Helenæ, teste Boccatio filius, plerique Iouis filium credunt. Amalphi.

nauigandi vsus fluxit, ex quo multa communis vitæ commoda manauerũt, in numẽ relatus est. Sic Amalphis honores meruit, qui magnetis vsum primus nauigãtes edocuit. Antè enim ad siderum obseruationem cursum dirigebant, fallebanturque sæpenumero, siue nubilo obscuroque cælo, siue montium oppositione. Quanta laude dignus existimatus est ille, q primus domos ædificauit Athenis? Antea (vt aiũt) specus & tuguria erãt pro domibus, verùm Doxius Cælij filius, exemplo sumpto ab hirundinum nidis, lutearum ædium inuẽtor fuit, qua ex re diuinas meruit laudes. Chiron quoque Saturni & Phillyres filius, qui herbarum medicamenta ostendit, diuinus habitus est, & Aristeus Atheniensis propter olei mellisque documentum, sicut & Triptolemus, quòd bouem primus aratro subegerit. Bellerophon verò hominem equo vehi docuerit: & ex equo certare Thessali, qui Centauri dicti sunt.

Plin. c. 56. l. 7.

His igitur relictis, ne nimius fortasse videar, concludendum erit, mentem ac rationem homini à Deo datam, omnia suppeditare, quæ per naturam ei deesse videbantur. Nam cùm eadem rectè officio suo fungitur, libidinem coërcet, iracundiam comprimit, voluptatem respuit, cupiditatem sedat, & alias omnes animi perturbationes freno rationis subigit. Tunc virtutem ipsam effert, secundum eam agit, & ab ea nusquam discedit, cuius habitu atque actu nihil homini deesse potest, quod ad benè beatéque viuendum pertineat. Atqui, vt Plotinus Platonicus ostendit, *duo præcipuè præstat in mũdo Deus, vnum quo mundum instituit, alterum quo illum gubernat*, hæc eadem duo animus in corpore nostro efficit. Nam beneficio ac virtute animi corpus formatur, & sic ab eodem etiam gubernatur. Hic rationem homini tradit, quæ dirigit eum ad optimum finem, id est ad actionem secundum virtutem. *Agere enim honesta & laudabilia*, vt Aristoteles ait, *ex his rebus est quæ propter sese expetuntur, in quibus humana fœlicitas esse cernitur, quæ quidem humanarum rerum est finis, & ad quam actiones omnes nostræ dirigantur oportet.* Fœlicitas

Plotini Platonici sententia.

citas enim per se ipsa perfecta est, & nihilo indiget, cùm singulæ aliæ res alicuius alterius rei gratia expectantur, præter fœlicitatem, quæ humanarum omniũ actionum finis est, & idcirco summum bonum plerisque clarissimis philosophis esse videtur.

Sapientiam diuina mens homini præstat, quæ societatem humanam instituit, cui fuit necessarium rectorem vnum præfici.

TIT. X.

DIVINA illa mens soli homini ex omnibus animalibus à Deo tradita, quæ illum ducit & regit, & curam honestarum cogitationum habet, cuiusque occulta agitatio secundum propriam virtutem ad Dei agnitionem & ad veram fœlicitatem nos ducit, effecit vt homines semper cogitauerint quæ profutura essent, declinarent aduersa, sequerentur prospera, aspera autem fugerent. Hac itaque duce agnitionem rerum, & sapiẽtiam nanciscimur, quæ tanto maiorem iucunditatem affert, quanto præstantior est qui per se sapit, quàm is qui semper inquirit, aut causas rerum prorsus ignorat. Accedit etiam contemplatio rerum maximarum, atque occultarum, quę solius sapientis est. Tunc enim agit humana mens secundum illud diuinum quod in se habet. Tunc non terrena cogitat vt mortalis, sed quantum potest, ad immortalitatem se erigit homo, omniaque efficit quæ recta sunt, vt benè beateq; vivere possit. Ea siquidem est vera ac beata vita, quæ secundum mentem ipsam agitur. Proximum locum tenet illa, in qua ciuiles actiones versantur secundum virtutem, quarum particeps omnino corpus esse videtur. Per hanc tamen contemplationem proderit etiam sapiens rebus humanis, quibus semper aderit, vt Deum etiam dicimus nostris actionibus interesse. Quæ quidem persuasio optima est, cùm cogitamus diuinũ numen singulis quibusq; horis nostris rebus interuenire, e dicereq; vt non nisi recta agamus, abstineamus ab iniquis. Præclarè certè illud Siiij poetæ ad Scipionem dicitur:

Mens diuina soli homini cũ Deo cõmunis.

Beata vita.

Silij versus. *Idem iustitiæ cultor, quæcunq; capessis,*
Testes factorum stare arbitrabere diuos.

Hæc quidē cogitatio efficit vt homo intelligat quanta beneficentia à diuina natura affectus fuerit, quantaque munera acceperit. *Nam non celeritate modò mentis eum ornauit*, vt ait Cicero libro primo de legibus, *sed & sensus tanquam satellites attribuit: figuramq; corporis habilem atq; aptam humano ingenio dedit.* Nam cùm cætera animantia abiecisset ad pastum, solùm hominē erexit, ad cœlique quasi pristini domicilij conspectū excitauit: tum speciem oris ita formauit, vt in ea penitus reconditos mores effingeret, quando hilaritatem animi vultu ostendimus: mœrorem enim, tristitiam, formidinem, iram, furorem, tranquillitatemq; frons, oculi & supercilia indicant. Hac mente diuina, principio rerum humanarum acutiores ingenio viri, qui inter vagos illos atque agrestes homines versabantur, animaduerterunt, hominem aliena ope indigere, cùm neminem sibi ipsi satis esse cernerent. Proinde arbitrati sunt illum per societatem sui generis commodius degere posse, & facilius cōsequi omnia quæ per naturam ei deesse videbantur. Et idcirco à syluestri vagaque solitudine in multitudinis cœtum, humanamque societatem illum deducendum esse duxerunt. Quo quidem facto quamprimùm coniuncti inter se homines sermonem ex assidua consuetudine statuerunt, quo conceptū mentis exprimerent, & consilia communicarent. Nam solus homo ex omnibus animalib⁹ sermone distincto vtitur, reliqua verò omnia confusa voce affectus suos indicant, vt boues mugitu, equi hinnitu, canes latratu, elephantes barritu. Sic coniuncti deinde societate, mutuis officijs homines, dando, accipiendo, commodando, mutuando inter se, facilius victitare cœperunt, & ferarum incursum communi munimento propulsare. Sed paulatim moribus corruptis, cùm naturaliter quisque magis sibi, ac suis, quam reliquis studeat, vnusquisque rem suam agebat, proximique commodum negligebat: nec erat quispiam, qui pro cōmuni vtilitate laboraret, aut curā multitudinis ageret;

ret: errabantque veluti sine pastore greges. Idcirco cogitandum fuit, vt esset aliquis qui alijs praeesset, cunctos regeret, pro omnibus excubaret, communi vtilitati ac commodo studeret. Elegerunt igitur virũ aliquem virtute, sermone, ac fortitudine præstantẽ: & probitate ac moribus integrum, qui quasi pastor omnium esset. Proinde apud Homerum Agamemnon populorum pastor sæpenumero appellatur, id enim significat (vt arbitror) Ἀγαμέμνων siue per similitudinem, siue quòd priscis temporibus homines non delicijs aut voluptatibus, sed pascendo pecori, aut agriculturæ insudabant, vnde illud Ouidij:

Regni princip. patusq; origo.

Agamemnon pastor ab Homero sæpius appellatur.

Fastorum l. 5.

Cætera luxuria nondum instrumenta vigebant:
Aut pecus, aut latam diues habebat humum.
Hinc etiam locuples, hinc ipsa pecunia dicta est:
Sed iam de vetitis quisq; parabat opes.

Huic viro, quem præfecerant, arbitria rerum permiserunt. Cumq; prudentiam eius cernerent circa iusta honestaque versari, & ea omnia agere quæ eis commoda, vtilia atque tuta esse possent, decreuerũt eum publicè alere, vt ab omni illiberali functione, quæstuosáve industria immunis esset: quandoquidẽ putarent illum sapientem à Deo factum, non autem fossorem, aut aratorem, aut aliud quippiam eiusmodi, vt de Mergythe ait Homerus.

Reges hominibus à Deo dari.

TIT. XI.

POëta Græcorum omniũ clarissimus opinatus est, *neminem rectè imperare posse, nisi eum cui Deus imperium destinauerit.* Quocirca Reges à Deo petendos sacrificijs litationibusque esse dicebat. Hanc opinionem secutus est Samnius Aegyptius philosophus non vulgaris. Nam cum accepisset Alexandrum Regis Iouis Hammonis filium oraculo fuisse salutatum, admirantibus compluribus ait, omnes homines sub Dei imperio sunt: idcirco imperare, & principatum inter mortales gerere, diuinum quoddam munus existimandum est.

Reges à Deo petendi sunt.

Alexander Hammonis Iouis filius.

est. Omnibusque rationibus patere dicebat Deum communem hominibus parentem esse, verùm peculiariter veluti filios sibi adoptare illos, quibus imperandi regendique potestatem permitteret. Priamus quoque apud Homerum Hectorem laudans eximia illum probitate præstare ait, adeo vt non mortalis alicuius hominis, sed Dei filius esse videretur. Romanus etiam senatus, Imperatores optimè de se meritos postquam excessissent è vita, diuos publico consilio appellandos esse censebat. Quod nomen viuo homini neutiquam conuenit, vt apud omnes incorruptè, ac Latinè loquentes cerni potest, vnde illud Adriani Cæsaris apud Aelium Spartianum, qui inquit; *Ego mihi diuum adoptaui, non filium*, cùm Aelius Verus, quem sibi adoptauerat, præ mala valetudine mortuus esse videretur. Natiuitatem educationemque Regum numinibus curæ esse, populi ac nationes crediderunt. Hinc orta est opinio Romulum à lupa fuisse nutritum, Cyrum à cane, Abidum autem à cerua. Firmati hac opinione Persæ, vt diximus, Reges suos viuos augustè sanctèque colebant: proinde tussire, spuere, oscitare, nasum emungere, & similia alia ante Reges agere, nefas omnino habebatur. Post obitum verò eos in numina referebant, & aris, templis, statuisque eorum hostias cædebant, & thura atque alios diuinos odores illis adolebant. Arcebant prætereà à Regum suorum aspectu Principum omnium populorumque oratores, qui illos adorare minimè volebant, nec nisi per internuncium mandata exponebant: quod quidem eiusdem exemplo cernitur Ismenias à Thebanis ad Artaxerxem orator missus, monebatur à Regis satellitibus vt si ad Regem aditum optaret, illum vt Deum adoraret. Quod Ismenias pollicitus est facturum: & tamen ne quid à patriæ dignitate alienum ageret, introductus in regni penetralia, cùm Regem in alto solio suspexit sedentem, anulum è digito suo exemit, & illum ante pedes suos deiecit, & sic se flectens adorantis in morem anulum sustulit, mandataque tali illusione aditus exposuit, remque patriæ optimè

Priamus, apud Homerũ.

Imperatores Romani diui vocati.

Adrianus.

Aelius verus dictus, Commodus.

Educationes Regum Dijs curæ sunt.

Persarũ mos venerãdi suos Reges.

Plutarc. in vita Artaxerxis.

optimè nauauit. Hanc Persicam salutationem cùm victo Dario nimis ambitiosè affectaret Alexander, maximam ciuium suorum contraxit inuidiam. Dicebant nanque Macedones pessimè cum eo Principe agi, qui se Deum quàm Regem haberi mallet, quique mortali patre abdicato se Dei filium existimari cuperet. Hæc quidem res multis exitio fuit, & Callistheni philosopho in primis, vt nonnulli scribunt, qui hanc barbaram assentationem magna verborum licentia execrabatur. Quod cùm accepisset Rex, graui ira excanduit, & eũ insidiarum in se conscium accusari passus est, exegitque ab eo immanissimas crudelissimasque pœnas. Nam truncatis manibus abscissisque auriculis, & naso, labrisque mutilatis, deforme ac miserum spectaculum omnibus illũ visendum præbuit: ac deinde eum in caueam cum cane quodam coniectum ad metum exemplumque cæterorum palam circunferri iussit. At Lysimachus Macedo vir illustris, & virtute viriumque gloria prestantissimus, qui Callisthenis doctrina summopere delectabatur, miseratus tanti viri fortunam, pœnam potius libertatis loquendi, quàm perfidiæ aut alicuius grauioris duriorisve culpæ pendentis, venenum ei in remedium miserandę calamitatis detulit. Quod adeò iniquo animo Rex tulit, vt Lysimachum ferocissimo leoni exponi iusserit. Sed cùm in eum leo impetum aperto ore fecisset, manum pallio inuolutam in os leonis insæuit, auulsaque lingua feram exanimauit. Quod cùm vidisset Alexander, admirationem rei in satisfactionem vltionis accepit, & non modò Lysimacho pepercit, verùm etiam eundem deinceps chariorem habuit, propter mirificam animi constantiam: & eundem honore quoque ac muneribus affecit, & digniore militia honestauit. Sed Callisthenes, vt alij scribunt, grauiùs in Alexandrum sæpius oblatrabat, & mordaciore verborum licentia Regem incessabat. Nam palam Homeri versum in illum intorquebat:

Persica salutatio.

Alexander vt Deus adorari voluit.

Callisthenes ab Alexandro interemptus.

Aemilius Probus in vita Lysimachi.

Et cecidit Patroclus, vir te præstantior olim.

Et rogatus ab adolescente quodam, qui inter mini-

ſtros Alexandri erat, quidnam agendo illuſtris fieri poſſet, reſpondit, *Si illuſtriſſimum quempiam interemeris.* Enimuero Ariſtoteles non immeritò dicere ſolebat, *Calliſthenem magnam quidem eloquentiam aſſecutū, ſed eū eſſe mentis inopem.* Quinetiam Alexander ipſe in illum ſæpenumero inquit, *Odi equidem ſapientem illum, qui ſibi ipſi nunquam ſapit.* Eum quoque monuerat Ariſtoteles, vt modeſtè cum viro illo loqueretur, qui vitæ, necíſque poteſtatem in linguæ acie haberet.

Val. Max. lib. 7.

Sed vt iam ad calcem procurrat ſermo, concludēdum eſſe videtur his rationibus atque exemplis, imperium in homines diuina prouidentia diuinoque nutu conceſſum eſſe, nec poſſe quempiam iuſtè aut diuturno tempore imperare, niſi eum cui Deus imperium permiſerit. Proinde Regem orandum poſcēdumque à Deo eſſe arbitremur, vt priſci etiam putauerūt. Deſiderata quondam apud Perſas progenies regia Mergydis vltimi Cyri regis filij interitu, magnaque inter Principes diſceptatio erat de regni ſucceſſione. Inter ſe enim complures virtute ac nobilitate adeò pares eſſe videbantur, vt difficilis ex eis eſſet ad populū electio: quocirca ab omnibus in hanc ſententiam ventum eſt, vt res religioni committeretur: pactique ſimul ſunt, vt ad diem dictam omnes ante regiam primo mane equis veherentur: & cuius equus primus contra ſolis ortum hinnitum dediſſet, is eſſet Rex. Perſæ enim ſolem præcipuum Deorum omnium eſſe opinabantur, & eidē Deo albos equos ſacrificabant. Cùm ergo ad ſtatutum tempus conueniſſent, Darij equus ſtatim hinnitum edidit, & ſegnibus tacitiſque alijs fœlix auſpicium omenque Domino primus emiſit. Tanta autem moderatione reliqui vſi ſunt, vt religioni confeſtim cederent, & ex equis deſilientes, Darium Regem ſalutarent: Populus itaque omnis Principum iudicium ſecutus, quaſi Deo bene volente eundem Regem conſtituit.

Perſæ. Mergys. Cyrus. Herod. l. 3.

Sol Deus apud Perſas: quem ipſi mitram vocant.

Non in diſſimili exemplo verſati ſunt Tyriorum ſerui, qui conſpiratione facta omnem liberum populum trucidauerunt, potitique vrbe lares Dominorum occupauerunt, omnia inuaſerunt, duxeruntque

Serui Tyriorū occiſis Dominis regem diligunt.

que coniuges pro sua libidine, vnus tamen è tanto seruorum numero, Stratoni seni Domino, & vnico eius filio pepercit, eosque clanculum occultauit. Sed cùm placuisset seruis de statu rerum deliberare, & vnum ex seipsis, qui Dijs præter cæteros acceptissimus esset Regem instituere, illum communi consilio Regem decreuerunt, qui postridie eius diei orientem solem primus ostendisset. Tum ille qui Dominum seruauerat, rem ad eum defert: Et hic à Domino edoctus, cùm in campum ad auroram omnes cõuenissent, occidentem cœli plagam solus spectabat, cùm alij omnes orientem intuerentur, ludibrioque habebant illum solis ortum ad occiduum spectantẽ. Sed vbi dies aduentare cœpit, is omnium primus in summo vrbis fastigio orientem solem ostendit. Atque cùm non seruilis ingenij hæc ratio visa esset, pietatem suam in dominum omnibus confessus est. Igitur venia seni, filioque eius omnibus data tanquam diuino numine reseruatis, Stratonem Regem declarant, qui aliquandiu omnibus gratus regnauit: post cuius obitum regnum ad filium, deinde ad nepotes posterosque longa serie transiuit vsque ad Imperium magni Alexandri, qui dirum seruorum scelus omni fœditatis exemplo vltus est. Et ad hanc sententiam satis, nũc autem ad vlteriora transeamus.

Fortunam in Rege optandam esse, fatum, & fortuna quo intellectu differunt.

TIT. XII.

OMNIVM humanarum actionum nulla difficilior est quàm benè hominibus imperare. Nam & si virtutes omnes suppetant, fortuna etiam optanda esse videtur: qua inclinãte, populorum animi plerumque labuntur. Non enim solis Barbaris fides ex euentu pendet, sed plures etiam alij illorum sententiam sequuntur. Vnde Plutarchus vir eruditissimus in pluribus disciplinis, hanc sententiam protulit, *prudentiam, iustitiam, ac potentiam nunquam fatu posse*

Benè imperare hominibus, difficilimũ.

Fortuna.

nisi comitem fortunam habeant, à qua pulchritudinem & magnitudinem humanæ omnes accipiunt actiones. Sed fortunam nunc intelligo subitum & inopinatum euentum eorum quæ accidunt, vt Academicorum complures eam definiunt. Et illuc spectare mihi videtur sententia illa Ciceronis, cùm ait, *Multa efficit fortuna inopinata nobis, propter obscuritatem, ignorationémque causarum.* Quam etiam sententiam protulit, vbi ad Nepotem scripsit: *Fœlicitas est fortuna adiutrix bonorum cōsiliorum, quibus qui non vtitur, fœlix nullo pacto esse potest.* Et rursus ad filium scripsit: *Magnam esse fortunæ vim in vtranque partem quis nescit? Nam cùm prospero flatu eius vtimur, ad exitus peruehimur optatos: & cum reflauerit, affligimur.* Nec illis auscultandum cēseo, qui fortunam Deam esse putant, in cuius potestate omnia sint, quæ ad homines pertinēt. Hi enim priscis fabulis mouentur, quibus ex Hesiodi figmento dicunt, fortunam Deam esse, quæ hominibus bona & mala non ex merito aliquo virtutum aut actionum, sed ex temeraria quadam voluntate tribuat. Proinde cæca à quibusdam pöetis surdaque esse perhibetur. Eius simulachrum cum cornu & gubernaculo fingebant, vt qui opinarentur illam & opes largiri, & humanarum rerum imperium habere. Qua opinione ductus Aristoteles in libris suis de institutione Reipublicæ scripsit externorum bonoru[m] fortunam causam esse. Et Liuius *in omni re fortu[n]am dominari* inquit. Hircius quoque de bello Alexandrino, eiusmodi verba scripsit. *Fortuna plerumque eos, quos plurimis beneficijs ornauit, ad duriorem casum reseruat.* Hanc etiam de fortunæ Imperio sententiam secutus Maro, *fortunam omnipotentem* cecinit. Et Demosthenes in clypeo suo bonam fortunam scripsit, quippe qui opinaretur eam Reipublicæ Deam dominamque esse. Huius numinis templum magnæ vetustatis Præneste fuit, vnde certa oracula per sortem eruebantur. Apud Antium quoque promoueri solita simulacra fortunæ ad danda responsa multi scribunt. Nec defuit Romæ fortunæ Deæ templum, & ædes illa, quam Lucullus magnis opibus construxit, in qua statuas

magno

Ciceronis sententia ad Nepotem.

Fortuna non est dicenda Dea.

Simulachrū fortunæ: vide quæ auctor Rhetorica ad Herennium.

Hircius.

Demosthenes in clypeo suo bonam Fortunam cur scripserit

Fortuna Antiana.

magnorum artificiorum complures erexit, quas dono habuit à Mummio, qui Achaiam vicit & Corinthum, vrbem opulentissimam & dominam duorum marium, ex senatusconsulto euertit. Nemesis quoque (quæ Dea superborum vltrix habebatur, & Deorum ira esse credebatur) à plerisque poëtis pro fortuna habetur. Vnde Antimachus scripsit hanc Deam consensu omnium Deorum cuncta mortalium bona in potestate sua habere, & Adrastum omnium primum eidem sacram ædem statuisse ad Arsapum fluuium pone Cyzicum vrbem. Fuit etiam ei templum ad Rhamnum Atticæ pagum, vnde etiam Rhamnusia appellatur. Sapientius multo Homerus sensit, qui fortunam nullam esse arbitratus, eius nomen in poëmatis suis nusquam posuit. Is tamen fatum asseruit, quam diuinam voluntatem esse definiuit, non impiam aut fabulosam aliquam sententiam secutus, sed à vera ac theologica ratione neutiquam aberrans. Non enim omnia, sed quædam tantùm fato fieri existimauit: quod vel maximè ibi cernitur, cùm increpat eos mortales, qui temere superos incusant in rebus suis aduersis, quum homines ipsi pro sua ipsorum vecordia atque ignauia malis suis causam præbeant. Actionibus siquidem nostris omnibus Deum præesse putat, sed illarum partem naturæ permittere, partem voluntati nostræ, partem autem subitis & inopinatis casibus. Hos autem casus fortunæ subiectos esse, complures etiam doctissimi viri arbitrantur. A fortuna enim ea fieri autumant, quæ præter animi nostri intentionem accidunt: vt si quis culturæ gratia fodiat agrum, & thesaurum inueniat, cùm eius rei causa non foderet, erat tamen fortuna incerta. Et quandoque eam in bonam, quandoque autem in malam accipiebant partem. Nam pro rerum euentu secunda vel aduersa dicebatur: vt si quis aurum fodiens, subito cuniculi lapsu decidente mole oppримeretur. Fors autem fortuna ab antiquissimis semper in bonam sumebatur partem. Eius numinis templum à Seruio Tullio Romanorũ Rege, secundum Tyberim, vt Varro scribit, extra vrbẽ

Nemesis.

Vnde & Adrastia dicta est.

Rhamnusia.

Homerus fortunæ nusquã meminit.

Fors fortuna: & eius templum.

dedicatum fuerat, cui in magna aliqua fœlicitate sacrificabant. Cicero verò duas refert sententias: vnam eorum qui censent omnia ita fato fieri, vt fatum omni ex parte vim necessitatis afferat: alteram eorum quibus videtur nullum esse fatum, sed omnia referunt ad voluntarios motus animorum nostrorum. Platonici sapienter quidem fatum causarum complexionem & prouidentiam Dei, quam primam causam appellant, esse existimant. Posidonius verò fatum definit collationem causarum, ex astrorum motibus vim efficaciamque trahentem. Hipparchus, Eudoxus, Hecateus, & alij nonnulli Astronomorum fatum virtutem constellationum immutabilem esse dicunt, quam tamen opinionem non omnes astrorum periti affirmant. Heraclitus enim Ponticus cùm incidisset in versus illos Hesiodi, in quibus dicit dierum omnium alios infœlices, alios verò fœlices esse, poëtam illum irrisit, asserens eum non cogitasse naturam omnium dierum pariter dominam esse. Romanos tamen video hanc sententiam Hesiodi secutos esse: nonnullos enim dies infaustos notabant, vt quintum decimum ante calendas Sextiles propter Cremerensem Aliensemque cladem. Multi veterum dixerunt fatum esse seriem causarum ineuitabilem cœlestium orbium motu manantem. Sunt etiam qui durius sentiant, dicantque hanc seriem à Deo neutiquam mutari posse. Vnde Pythiam Crœso Regi de illusione oraculi contra Cyrum per legatos quærenti respondisse ferunt, *sortem in fato destinatam, ipsi quoq; Deo immutabilem esse.* Hoc etiam declaratur vetustissimo versiculo illo, in quo dicitur:

Quod fore futurum est, ipsum exuperat Iouem.

Fatum facilius præuideri, quàm vitari posse doctissimi veterum senserunt: quod quidem declarauit Iulius Cesar. Nam cùm peritissimus in studijs Astronomiæ esset, vidit ex natalibus suis Martias Idus propter Scorpionis occasum sibi fatales esse: easdem tamen cauere nequiuit, sed prædestinato fato functus est, & quod præsciuerat, neutiquam declinauit. Quid autem de Cæsare loquor, cùm cernam Senatum populumq;

In li. de fato, & in topicis ad Trebatiū. Vide & Lipsij libros de Cōstantia.

Heraclitus irrisit Hesiodi sententiam.

Tit. Liu. dec. 1 l. 6. in prin.

Pythias. Crœsus.

Cæsar Astronomiæ peritissimus.

lumque Romanum prędictum multò antè fątum cauere nõ potuisset? cùm Decemuiri, qui libris Sybillinis præerant, cecinerunt ad Aufidum non esse pugnandum? Et Martius vates fore etiam prædixit, vt Romani ad Aufidum Apuliæ flumen vincerentur. Chrisippus Stoicorum princeps fatum (quod quidem ipse) πεπρωμένην vocat, alij vero εἱμαρμένην, definit esse sempiternam quandam & indeuiabilem seriem rerum, ac catenam voluentem semetipsam, sesesque implicantem per æternos consequentiæ ordines, ex quibus apta connexaque sit. Hæc est aurea illa Homeri catena, quam pendere de cœlo in terram Vlysses commemorat. Sentit enim à summo Deo ad imum terræ vsque vnam mutuis se vinculis religantem, & nusquam interruptam esse connexionem. Hinc rursus Cicero in libris de diuinatione, *Fatum* ait, *esse ordinem seriemq; causarum, cùm causa causam ex se gignit, eáque est ex omni æternitate fluens & sempiterna virtus*. Hanc physici causam æternam vocant. Noster autem Stoicus, ne à Chrysippo (qui non aliqua vt Homerus, sed omnia necessitate fatorum fieri putat) discedat, *fatum definit necessitatem esse omnium rerum, omniúmque actionum, quam nulla vis frangere possit, ex Dei dispositione definitam*. Hanc opinionem cùm sequeretur Ammianus Marcellinus, eiusmodi verba scripsit. *Nulla vis humana vel virtus meruisse vnquam potuit, vt quod præscripsit fatalis ordo, non fiat*. Sed Pindarus longè ante cùm dixerat: *Non ignis fatum, neque ferrea munimenta arcent*. Sed Alexander Aphrodiseus mitiorem sententiam protulit. Dixit enim *fatum nihil aliud esse nisi naturam ipsam, quæ sicut ad rationem voluntatémque nostram nequaquam redigi potest, & sic fatum inexorabile omnino est, nullisq; viribus auerti flectiue possit*. Ad hanc sententiam redigitur etiam illud Homericũ,

Chrysippus.
Ex A. Gel. 6. & lib. 6.
Catena aurea Homeri quid sibi velit.
Cicero.
Fatum.
Physici.
Chrysippus.
Ammianus Marcellinus.

Non est qui fixas Parcarum auertere leges,
Effugere aut possit.

Primùm natiuitatis nostræ diem viam ordiri, & extremum dare, multi sentiunt. Hinc illud Silij Italici,

Silius.

Extremúmque diem primus tulit.

Et tragicus noster ait,

Seneca. *Primusq; diem dedit extremum.*

Nec distat ab hac sententia illud Maronis,

Maro 10. Aeneidos. *Stat sua cuiq; dies.*

Sed hanc ambiguam obscuramq; quæstionem aliis relinquamus, satisq; sit si vltro fatemur veniam aliquam indulgendã esse his, qui opinantur non modò virtutes omnes ciuiles ac militares Regibus Principibúsve necessarias esse, sine quibus bene imperare nõ possint, verùm prosperam etiam fortunam expetendamq; esse. Hinc illud Aeneæ ad filium,

Disce puer virtutem ex me, verumq; laborem,
Fortunam ex aliis.

Quũ sibi ipsi minus fœlix ac fortunat⁹ esse videretur.

Agesilaus Lacedæmoniorum Rex, qui exercitui totius Græciæ contra Tyssaphernẽ cum ingenti præfuit gloria, vir fuit omni virtute clarissimus: nam ingenii acumine, animi probitate, consilii sapientia, fortitudine, robore, celeritate, tollerantia, omnes anteibat. Is tamen fortunam semper formidauit, vt qui eã præter hominum potestatem esse cerneret, & posse etiam paruo temporis momento totius vitę laudem labefactare, atque obscuriorem reddere. Quocirca sæpenumero dicere solebat, non eos qui benè ac ꝓsperè viuerent, adhuc fœlices ac fortunatos esse habendos, sed eos qui gloriosè morerentur. Proinde εὐθάνατον. *εὐθανατον*, quam ipse appellabat, hoc est bonam mortem fœlicitatem esse dicebat. Hæc est vetus illa sententia, qua quidem dicebatur, *Alius de alio indicat dies, supremus autem de omnibus.* Dictum notandum.

Nos verò à Principe, quem descripturi sumus, ea exposcere debemus, quæ ipse præstare potest, quæq; in eo sunt. Aliena enim quis polliceri potest? Multa de Cn. Pompeii fœlicitate Cicero populo Romano pollicebatur, quasi illius fortunã in cõsilio haberet: at id assequebatur exemplis bellorũ quæ antè gesserat, in quibus prosperos semper habuerat euentus: verùm quis ignorat fortunam lubricam, volubilem, mutabilemque esse, quæ quidem humanam vitam nunc secundis, nunc aduersis rebus permiscet, adeò vt nullam vnquam fœlicitatẽ miseriæ cala- Orat. pro lege Manilia.

mitatis-

mitatisve expertem euenire permittat: quam etiam beatissimus quisque versa (vt dicitur) fortunæ rota, ante solis occasum miserrimus fieri possit? Fortunatus habitus est Paulus Aemilius quum Regem Perseum superauit, & eum captum cum tribus filijs in triumphũ ante currum duxit. Sed fortuna eiusmodi lætitiam nec solidam nec diuturnam ei permisit, verùm domesticis funeribus eam miscuit: duos enim adolescentes peregregiæ indolis filios amisit, alterũ quidem antequam triumpharet, alterum verò paucis diebus post triumphum. *Paulus Æmilius.*

C. quoq; Cotta orator, Sulpitij æqualis, ante diem decreti sibi triumphi diem obijt, ex reclusa vulneris cicatrice, quod pluribus annis antè in prælio pro Republica acceperat. *C. Cotta.*

Ad hæc Cicero ipse pro restitutione M. Marcelli luculentam orationem ad Cæsarẽ habuit, reditumq; illius impetrauit: sed aduersante fortuna (quæ rarò admodum stabilis esse solet) Marcellus restitutionis beneficio neutiquam frui potuit. Nefariè siquidem per scelus à Cn. Chilone cliente suo Athenis occisus est. *M. Marcelli infœlicitas.*

Sapienter itaq; veteres pictores, vt instabilitatem fortunæ ostenderent, eam in pila sedentem pingebant, non Deam aliquam, quæ nusquam est, significantes, sed mutationem conditionis humanæ, & varios rerum euentus. Nam idem Pompeius, qui tot regna ac nationes vicerat, principatumque in Romano Senatu tandiu tenuerat, & à virtute rebusque gestis cognomentum magni meruerat, ad spadonum proditorumque libidinem in Aegypto trucidatus est, & eius caput, quod paulò ante terror gentium extiterat, hosti dono datum. Nec minimum etiam fortunæ ludibrium fuit Persei (quem modo dixi in triumphum ab Aemilio ductum fuisse) legitimum filium ad spem imperij tot gentium ac nationum educatum cernere, ferrariam artem exercentem, necessarij victus quærendi gratia. *Fortunæ simulachrũ in pila cur sedebat.* *Pompeij excidium.* *Vt Lucanus luculentis verbis testatur.*

Videndum tamen est, ne culpæ nostræ crimen in fortunę instabilitatem reijciamus. Fieri enim solet, vt

errata nostra diluentes, casibus assignemus, vt mali gubernatores facere consueuerunt. Non pugnasset apud Pharsalum Pompeius, ac maledicebant æmuli, & oblatratores, eumque Agamemnonem vocabant. Atqui tutius ei fuisset malè audire, quàm malè pugnare. Non ei cum Armenijs aut Ponticis res erat, sed cum Iulio Cæsare, qui trecenties in Celtas victor certauerat, & quadringentas nationes bello subegerat, adeò Romano populo formidandas, vt antiqua lege de senum ac sacerdotum immunitate scriptum fuerit, nisi Celticum instaret bellum, quo quidem imminente & sacerdotes, & senes in armis esse oporteret. Cæsaris quoque milites à Gallis Germanisque inuicti plura gesserant bella, quàm quispiam recensere posset, & mille vrbes vi expugnauerant, & decies centena millia hominum occiderant. Segnius quàm prõptius cũ illis certandum fuerat. Si cunctando Pompeius certamen aliquandiu detrectasset, actũ certè de rebus Cæsaris extitisset. Desperatio milites eius fortes ac strenuos lõgè magis effecerat. Omnes enim aggressus hostiles præsidijs suis Pompeius interceperat, præclusisque itineribus omni commeatu terra marique milites Cæsaris arcebantur, adeò vt ex herbis siluestribus confectum panem comedere cogerentur. Nec res hęc Pompeium latebat. Nam transfugæ nonnulli eiusmodi panem ad eum detulerant, vt lętitia perfunderetur. At ille neutiquam exultauit, sed sibi cum belluis pugnandum esse exclamauit. Pompeius autem nihilo indigebat, omnique commeatu affluebat. Adeò enim re nautica præstabat, vt quocumque vento spirante, vndique, aut frumentum, aut pecuniæ, aut equi, aut milites ei aduherentur, Cæsar autem terra marique angustijs vndiq; circumseptus, fame inopiaque rerum omnium compulsus, necessariò pugnam capessere cogebatur. Et hoc à natura mortalibus insitum est, vt properè admodum exequantur, quod per difficultatem piget inchoare. Iniuit igitur pugnam Pompeius siue proprio consilio (nullis enim pacis conditionib. auscultare vnquam voluit) siue militum suasu (qui vltro prælium

Cæsar.

Pompeij solertia bellica.

Iul. Cæsar in Comment. de bello ciuili.

prælium deposcebant, & illum carpebant vt certaminis detrectatorem, affectatoremque diuturni imperij) siue infinito militum numero fretus, septẽ enim millia Pompeianorum equitum contra mille Cæsarianorum in pugna futuri erant: & peditum infinita multitudine excellebat. Quibus quidem copijs elatus, indubitatam sibi victoriam persuaserat: vsque adeò, vt quum classem omnium Romanorum Imperatorum maximam in anchoris religatam haberet, neque eam accersiri iusserit, neque ex ea auxilij quicquam aduocauerit, cùm opportunè admodum id efficere potuisset: & vtcunque res ageretur, in quenuis euentum præsidium maritimum perutile admodum extitisset, vel ad victoriam naualem, vel ad meditandum effugium. Qua ex re negligentiæ vecordiævè incessitur Pompeius, & ex euentu argumentũ calumniæ æmulis & obtrectatoribus suis præbuit, experentiaque docuit verum esse, quod ex veteri sententia vsurpari solet: Gnaram assuetamque paucitatem, longè plurimum ignaram insuetamque multitudinem præcellere. Proinde Magnus ille ex superioribus victorijs nuncupatus, vt primum quidem equitum suorum fugientium surgentem puluerem vidit, omisso omni imperatorio munere officiòve, lymphato attonitoque similis in castra se recepit, & quum hostem victoria vndique exultantem in se tẽdere cerneret, *Tu etiam ni castra*, exclamauit. Tũ subitò mutata veste, pauculis comitibus ac seruis comitatus, præcipitem fugam corripuit. Cæsar autem victoria potitus, summa alacritate in hostium castra penetrauit, & in Pompæi tabernaculo, vt mensæ suæ ministris prædixerat, desedit, & cœnam, quæ Pompeio parata fuerat, assumpsit. Similiter quoq; victor exercitus hostium epulis magna cum hilaritate repletur. Quid igitur dicemus? Fortunæ hoc ludibrium extitisse, an temerarium ambitiosi væsanique animi consilium? Hoc si intelligere volumus, audiamus Cic. verba ad Pomponium Atticum virum grauissimum scribentis de Republica. *Valde timeo, nec adhuc ferè inueni, qui non concedendum putaret Cæsari, quod postularet*

Pompeius negligens.

Cic. epistola ad Atticum.

potius quàm pugnandum. Atqui si ferro omnino decernere statuerat, cautior diligentiorq; esse debuerat. Quid idem testis in alia epistola de eodem dicat, audi. *Caeterum noster, ô rem miseram, vt totus iacet, non animus ei est, non consilium, non diligentia*: Reliqua illic legenda sunt, vt intelligamus qualem se praestiterit Pompeius.

Carthaginensium mos laudabilis.

Proinde seueritatem Carthaginensium culpare meritò nemo possit, qui ex senatusconsulto Imperatores illos in crucē tolli iubebant, qui prospero etiā euentu prauo consilio rem gessissent. Foelicitatem enim illam ciuitatis Genio tribuentes, temeritatem Imperatoris vlciscebantur. Praestet igitur se immunē ab omni temerario consilio, quicunque vult fatum aut fortunam incusare: alioqui non euentum, sed seipsū criminabitur. Princeps verò, quē describimus, humanę mentis sublimitatem cognoscat: nihil temerè, nihil incōsultò, nihil imprudēter aut pœnitendū agat: proinde omnia circūspiciat. *Turpe est enim dicere non putaui*, vt maior Africanus dicere solebat. Agat etiam splendidè, cōstanter, grauiter honesteq; quęcunque agit: nec properandum, sed maturandum in rebus arduis magnisque esse ducat. Praeclarè Caesar Octauianus dicere solebat. *Nihil minus in optimo Duce quàm festinationem celeritatemq; esse optandum. Sat celeriter fieri, quaecunque benè fiant.* Et Fabius Maximus, non quòd promptior fuerit, laudem immortalitatis, & gloriae perpetuum cognomentum assecutus est. Nihil ita expectet quasi certo futurum, nihilq; cùm acciderit, admirandum, inopinatum, aut nouum accidisse putet. Omnia ad suum arbitrium referat, secum habitet, secum meditetur, ratione in omnibus regatur. Et quamuis aliena audiat consilia, tamen illis examinatis, suis sententijs suisque iudicijs nitatur. Romanos imitetur, qui res omnes magnas & prosperè gestas in Deum auctorem referebant. Et hac opinione ducti vetustissimi non victori coronas dabant, sed soli Deo. Vnde Homerus neminem viritim coronat, sed eas cœlo & belli praesidi Deo tribuit. In sacris quoque certaminibus apud Romanos

Octauius Caesar.

Romani.

Homerus, victis nullas coronas attribuit

Apud Romanos

non

non victor, sed victoris patrij Penates Genijque pronunciabantur coronari. Quinetiam triumphantibus dabantur coronæ, vt eas in templis dicarent. Recto etiam sit animo Rex, & impatiens superioris: abiectos, & subijcientes sese, libenter adiuuet, & præcipuè illos qui miseri sunt, quum hoc facere videatur tanquam maior. *Nam quotiescunque discedit æmulatio, succedit humanitas*, vt ait oratorum maximus. Et vt ad Romanum populum inquit Maro:

manus in sacris certaminibus nō victor, sed eius Genius, siue Penates coronabātur.

Tu regere imperio populos Romane memento,
(Hæ tibi erunt artes) pacisque imponere morem:
Parcere subiectis, & debellare superbos.

Et hæc hactenus.

Vnitatem numeris omnibus præesse: sic vnius principatum reliquos omnes anteire.

Tit. XIII.

NATVRAE ratio edocet omnem multitudinem ab vno incipere. Agit enim in omnibus natura quod optimum perfectumque sit secundum singulorum speciem. Sed vnitas ipsa, quæ dicitur *μόνας*, eiusmodi est, vt ex ea omnia fieri, & in eam omnia resolui veteres sapientes putauerint. Cuius sententiæ auctorem fuisse dicunt Musæum Atheniensem Eumolpi filiũ, qui multò ante Homerum poëtatus creditur. Sic & Pythagoras Samius principium rerum omnium vnitatem esse arbitratus est, & ex ea infinitam dualitatem, veluti materiam auctori vnitati præberi, subiectamque ei omnino esse. Hinc dicere per similitudinẽ possumus vnitatem imperare, reliquos autem numeros parere. Proinde dicimus vnius viri principatum longè præstantiorem esse quàm multorum. In multis enim vnitas quædam requiritur ad omnes consultationes, actus & electiones: nam plures, benè ac rectè regere ac gubernare non possunt. Hoc sanè in ciuilibus societatibus cernimus, quæ tandiu seruantur augenturque, quandiu speciem illam ac similitu-

Vnitas, origo omnis multitudinis.

Musæus.

Pythagoras.

Vnius imperium, multitudine vtilius. Pulcra ratio.

militudinem vnitatis imitantur: cùm verò illam deserunt, statim occidunt, vel grauiter ægrotant, donec per vnitatem ad pristinam valetudinem redeant. Præstat igitur id quod per se vnicum est, his omnib. quæ per se diuisa separataq; sunt, & vnitatẽ quandam per imitationem fictam desiderant. Hoc quoque à Mathematicis, qui numerorum rationem scrutantur, manifestè ostenditur. Vnitas enim, quæ μόνας ab illis dicitur, mas est, eadem & fœmina, par & impar, nec per se numerus, sed fons & origo numerorum, principium & finis omnium, cùm ipsa principij & finis omnino expers sit. Proinde ad summũ refertur Deum, & ad mentem illam, quæ ab ipso creata Deo vices tẽporum ignorat, nunquam senescit, sed semper in eodem æuo permanet, & nunquam occidit. Vt igitur in vniuerso mundo omnia regit Deus, in partib. animi mens, in multitudine membrorum cor, aut cerebrum, quando quidem omnis naturalis gubernatio ab vno manat: sic quoque consentaneum esse videtur, vt cuicunque collectæ multitudini vnus potius præsit, quàm plures. Virtus siquidem vnita (vt Academici & Peripatetici quoque sentiunt) potentior longè est quàm dispersa, & vtilior ad omnes bonas ac rectas actiones. Cernimus enim ciuitates quæ à pluribus gubernantur, seditionibus, & intestinis odijs plerumque laborare: illas autem quæ ab vno reguntur, concordes esse, vt quæ iustè legitimeque imperanti, æquo animo pareant, vltroque obsequantur sine æmulatione aut obtrectatione aliqua: quibus quidem ex rebus perpetuæ sunt, & bonis omnibus affatim semper abundant. Quinetiam ciuitates atque Respublicæ ipsæ, quum bellorum calamitatibus aut maximis difficultatibus premuntur, ad vnitatis remedium se conferunt, nullaque ratione alia facilius euadunt, quàm si res omnis ad vnius arbitriũ redigatur. Romani in magnis periculis Dictatorem vnum creabant, cuius imperio omnia permittebant. Et idcirco Dictatorẽ appellari Varro arbitratur, quòd illius dicto omnes auscultarent obsequerenturque. Licinius Romanus ciuis, qui magna diligẽtia de antiqui-

Mathematici.

Mens animũ regit, cor, aut cerebrũ, corporis mẽbra.

Academici.
Peripatetici.

Ciuitates in testinis & odijs & dissidijs plerumq; laborant.

Romani.

Dictator vnde.

Licinius.

tiquitatibus scripsit, retulit Romanos huius magistratus exemplum ab Albanis, à quibus magna ex parte originem ducebant, sumpsisse: qui post Amulij Numitorisque mortem deficiente regia sobole annuos Dictatores designabant, qui regiā potestatē haberent. Theophrastus quoque in libris suis de regno scripsit, *ciuitates Graecas in rebus difficilimis ad modicum temporis einsmodi magistratus instituisse, quos Aesymnetas vernaculo verbo appellabant*, quemadmodum Mytylenæi elegerunt aliquādo Pittacum contra exules, qui cum Alcæo erant, vt Dionysius Halicarnasseus etiam testatur. Romani itaque ideò faciebant, quòd clarè cognoscerēt, in vnius principatu maximam auctoritatem esse, liberam sententiam, consilia non ambigua, iudicia in rebus ordinandis potiora, & executiones promptiores alacrioresque: & hoc consilio è multis periculis non semel euaserunt, ac penè victi, victores extiterunt. In difficilimo cōtra Latinos bello Aulus Posthumius ad Regillum lacum Dictator emicuit, aduersus Aequos re male gesta apparuit: Quintius Cincinnat⁹ Dictator factus, & ab aratro accersitus, quamprimùm victos hostes sub iugum misit, & ad optatum agellum rediit. Sic etiam Fidenæ captæ. Furius quoq; Camillus Dictator primùm obsessos per annos decem Veios cepit, & rursus cùm Galli Senones fusis Romanis ad Alliam fluuium vrbem cepissent totam præter Capitolium, & coacti fame Romani mille auri pondo iam spopondissent, pecuniaque expenderetur, Camillus Dictator creatus cùm exul esset aduenit, & Gallos vrbe expulit, ac trucidauit, pristinamque patriæ libertatem vindicauit, Romanumque populum, qui iam Veios migrare volebat, retinuit. Lōgè etiam pòst cùm tot cladibus à Carthaginensibus Duce Annibale acceptis; post Cannensem etiam calamitatem (à qua per fugam euasisse in laude fuit) res Romana in vltimo discrimine versaretur, Dictatorem creari placuit, & Fabius Maximus designatus est, qui cunctando Annibalis vires attriuit, & rem Romanam restituit, donatusq; est à Senatu populoque Romano & ab omni etiam

Theophrast⁹.

Pittacus.

M. Aemilius. Furius Camillus de quo Liuius.

Italia

Italia graminea corona, quâ nulla fuit nobilior. Nam cæteras omnes singuli Duces militibus qui optimè pugnauerant dabant: hæc autem non nisi in summa desperatione vniuerso exercitu seruato seruatori illius decernebatur. Idcirco etiam obsidionalis vocabatur, liberato ab obsidione exercitu. Legebatur hęc corona viridi de gramine decerpto eo loci vbi obsessos seruasset. Summum enim signum, summaque victoriæ confessio fuit apud veteres, cùm victi herbam victori porrigerent. His igitur exemplis intelligere possumus, ex sententia eorum qui virtute & armis imperiũ omnium gentiũ quæsiuerunt, Rerumpublicarũ status in magnis periculis magnisq; calamitatibus nulla alia ratione seruari salvariq; posse, nisi ad vnius viri imperiũ redigãtur. Quinetiam in bellis intestinis, in quibus Romanus populus in seipsum ferrum conuertit, post diram sæuitiam atque immanitatem L. Syllæ, qui à ciuium iniqua cæde ac carnificina Fœlix cognominari voluit, post Cinnam, Marium, Carbonem, & alios qui præmium in medio patriæ prædam posuerunt, & pro patriæ tyrannide certauerunt, postquam ad Pompeij Cæsarisq; seditionem ventũ est, complures prudentes atque optimi ciues publicè asserebant, nullo pacto ab intestina lue Rēpublicam curari posse, nisi delato imperio ad vnius arbitrium. Hanc sententiam Cicero, qui nunquã nisi de optimo statu Reipublicæ cogitauit, manifestè docuit, cùm ad Pomponiũ Atticum scribens inquit. *Ego autem vsque eo sum eneruatus, vt hoc otio quo nunc tabescimus, malim τυραννεῖσθαι (hoc est tyranno gubernari) quàm cum optima spe dimicare.* Illos verò inter se non de Republica, sed de tyrannide certasse clarius ostēdit in alia quadã ad eundē Atticũ epistola, his verbis. *Cum Cæsare aut depugnandum est, aut habenda è lege ratio. Depugna, inquis, potius quàm seruias: vt quid? Si victus eris, proscribêre, si viceris, tamen seruias.* Vtilitas redigendæ rei ad vnius arbitrium apparuit Cæsare rerum potito. Nam continuò seditiones intestinas compressit: pacem non modò vrbi, verùm etiam Italiæ & vniuerso terrarum orbi præbuit, instauran-

Corona graminea, omnium nobilissima. Vide Festum.

Li.2. epist.14.

Cæsaris benef.

staurantes bella coërcuit, leges, iudiciaque instituit, labascentem Romanum populum erexit, nutantem Italiam firmauit, ciuibus pepercit, inimicis indulsit, exules proscriptosque restituit. Tunc vetustissimum illud oraculum verum esse apparuit, quo consulentibus Phrygibus de fine ciuilium discordiarum respondit Iupiter: *Rege in seditionibus opus esse.* Proinde Gordius vir prudẽtissimus, sed humillimæ sortis, vt qui conductis bobus araret, iussu Dei Rex constitutus est: qui discordias omnes virtute atque eloquentia compescuit, & summa cum æquitate diutius imperauit. Hic nodum indissolubilem in templo suspendit, ex quo Phrygiæ fata pendere dicebantur. Quē longo tempore post cùm soluere nequiret, abscidit magnus Alexãder. Gordio successit Midas eius filius, Regum omnium opulentissimus, cuius posteri longa serie regnauerunt, vsque ad tempora Alexandri, qui eos exegit. Cæsar, vt ad rem redeam, plerisque clarissimis viris, qui contra se arma tulerant, veniam dedit, ex quib. Brutus ille extitit, à quo deinde occisus est: quo primùm post Pharsalicam victoriã non cõparente, grauiter indoluit Cæsar, & illum diligenter perquiri iussit: cumq; tãdem incolumis perductus esset, summa hilaritate atq; lætitia ab eo exceptus est, tantaq; beneuolentia & honore à Cæsare affectus, vt à quibusdã eius filius crederetur. Nec temere forsitan. Seruilia enim Catonis soror, & Bruti mater, adolescentem Cæsarem miro amore cõplectebatur. Quinetiã inter vulnera cùm ab illo cõfoderetur, exclamâsse Cæsarē testatur Tranquillus Grecis his verbis, καὶ σὺ τέκνον, id est, & tu fili? Sed & alios nonnullos ciues patriæ causa liberos dimisit Cæsar, à quibus deinde peremptus est, quum eos internosceret, rursus exclamans ait: *Men' seruasse, vt essent qui me perderent.* Et certè Rempublicam & vniuersum imperium optimè constituerat: adeò vt verè admodum in Senatu dixisse videatur Antonius, quum inquit, *Nationes, Reges, potentatus, & quæcunque ab oriẽte ad occidentem sunt, Cæsar nobis virtute ac potentia subegit, & legibus & benignitate clementiaq; firmauit.*

cia in Remp. suo singulari imperio.

Phryges.

Gordius Dei iussu Rex constitutus.

Gordianus nodus. De quo Q. Curtius.

Alexander.

Midas.

Cæsaris clementia.

Seruilia Bruti mater.

Non

Non est ergo mirandum Populum Romanum viuo Cæsari templum commune cum Dea Clementię cōdidisse,& plebem ei solidam columnam propè viginti pedum Numidici lapidis in foro statuisse, inscriptam Patri patriæ,apud quam longo tempore (vt Tranquillus etiā refert)sacrificare,vota suscipere, & controuersias quasdam interposito per Cęsarem iuiurando,perseuerauit.Nec porro immeritò eiusmodi munera& complura alia ei delata sunt.Nullū enim mansueti ac clementis animi officium vnquam amisit.Pompeij disiectas à plebe statuas reposuit. Quod cùm accepisset Cicero, ait, *Cùm Pompeij statuas erexit Cæsar, suas fixit.* Et cùm Alexandriam inuasisset, Photinum & Achilam Pompeij interfectores interemit. Quocirca verum esse cernitur, quod Plutarchus Cheronensis scripsit, *Cæsarem rerum potitum nullum crudele facinus aut tyrannicum vnquam exercuisse, sed in principatu se quasi clementissimum medium à Deo datum, omnibus in rebus ostendisse.* Proinde eum Populus Romanus adeò desiderauit,vt infestus atque inexorabilis eius interfectoribus semper extiterit, criminique idem auctor Bruto obijcit, quòd cùm a Cæsare seruatus esset,& quoscunque voluisset etiam ex captiuis liberasset, prælatusque ab eo omnibus ferè amicis esset, facta tamen conspiratione per dolum illū cōfoderit,quòd si nulla gratia,nulla in se collata à Cæsare beneficia eum mouebant,cui quòd viueret, incolumisq; esset iure optimo acceptum referre debuisset,nonne illius potentiam, virtutem,fortunā vereri debuit? cuius etiam solum nomē Parthorū & Indorum Reges somnum capere non sinebat.Ipse quoque Brutus ad Ciceronem scripsit, vt idem Plutarchus meminit:*Bonus profectò vir erat Cæsar, sed progenitores nostri mites etiam Dominos non tulerunt.* Verè de seipso vaticinatus est Cæsar, quum renunciarentur ei nonnullæ coniurationes, conuentusque nocturni,quos quidem non vltrà arguit, nisi vt ostenderet eosdem sibi natos esse: & ait *non tā sua quam Reipublicæ interesse,vt saluus esset.* Se iam pridem potentiæ gloriæque abunde esse adeptum, Rempublicam

Plutarchus de Cæsare.

C. Cæsaris vita.

Brutus.

Reip.interer at Cæsarem saluum esse.

etiam verò si quid acciderit, neque pacatam neque quietam fore,& aliquanto deteriore conditione ciuilia bella subituram. Quæ quidem omnia,vt prædixerat,& longè duriora acciderunt.Sed ad Brutum redeo, quem opinor antiqua maiorum suorum persuasione id egisse, quos cernimus summa gloria esse affectos, quòd exactis Regibus Rempublicam statuerint, id quod ipse quoque se facturum putabat:qua opinione ductus ad Atticum scripsit: *Optimo in statu mentem se locatam habere: aut enim victor Romanam Rempublicam liberabo, aut moriens à seruitute euadam.* Sed cùm iam ciuilium bellorum pertæsum esset, res ad vnius imperiũ quasi adiuuante Deo inclinabant,quæ Bruto omnia recta consilia, omnemque lætam fortunam (vt dicitur) auferebat. Aeschyli cuiusdã poëtæ sententia est: *Occasiones malorum diuinitus dari his hominibus, quos Deus propter eorum delicta punire voluerit.* Nihil æquo animo audire poterat Brutus, quod contra Reipublicæ rationem diceretur. Erant inter amicos & contubernales eius philosophi duo,Stallius Epicureus,& Pharnus Stoicus Catonis sectator.Hi inter se(vt moris est) aliquando in disputationem inciderant.Affirmabat enim multis argumentis Pharnus ciuile bellum longè durius esse, quàm vnius viri imperium,quod contra legem non esset.Stallius autem acutissimis rationibus ostẽdebat, viri sapientis non esse, ob ignauam imperitamq; plebem periclitari, & anxio semper animo pendere.Labeo cùm his sermonib. interesset,contra vtrumq; sententiam protulit: sed cùm obiecta illorum minus diluere ac dissoluere valeret, tacuit Brutus,vt qui contra sententiam suam loquentes iniquo ferret animo, & philosophos illos deinceps à tabernaculo suo prohiberi iussit. Claruit deinde multò magis post varias multiplicesque Reipublicæ calamitates vnius Principis imperio ciuiles discordias sedari.Vt primùm enim Octauius Cęsar rerũ potitus est,ita passim omnia quierũt, vt post aduersam maris tempestatem residentibus cunctis ventis, & placido surgente sole,fluctus omnes desidunt. Quocirca

Aeschylus.

Stallius Epicureus, Pharnus Stoicus, amici Bruti.

Labeo.

Octauius Cesar. cur & à quo primũ Augustus dictus fuerit. Teste Suetonio, & victore Aurelio.

ex Munatij Planci sententia Augustus appellatus est, quasi augurio ac fœlicitate populi Romani consecratus, vel (vt Suetonius scribit) ab auctu, vel ab auium gestu gustûve: imperium namque auxit, & vrbẽ pro maiestate imperij excoluit, adeò vt non iniuria gloriaretur, se marmoreã relinquere, quã lateritiam accepisset. Et vt Strabo Cretẽsis ait, *nunquã tanta pacis facultas, tantaq; bonorum omnium copia Romanis ac socijs affluxit, quantam suppeditauit Augustus Cesar, postquam imperij habenas accepit.* Cretenses antiquam habuerunt Rempublicam. Erant enim in ea insula complures vrbes, quæ omnes inter se societatem seruabant, & communi iure communiq; consilio regebantur. Harum præstantissima erat Cnosos, quam Minois regiam Homerus appellat. Secunda Gortina, tertia Cydonia, quarta Lyctum. His Radamanthus vir iustitia & æquitate clarissimus primus leges dedit, quat Iouis iussu se afferre commentus est, vt duriores homines ad ciuilem vitam facilius redigerentur. Quibus legibus noua decreta diu pòst addidit Minos, quem poeta dicit annos nouem regnasse, & Iouis mãdata rursus ex antri abditis penetralibus captasse. Horum quidem leges tanti fuerunt, vt eas optimi omnium Græcorum & Lacedomonij imprimis (vt Plato in libris de legibus refert) imitati fuerint. Hæ sanctiones Rempublicam instituerunt ex omni populo commixtam, cui tamen Rex vnus præerat: quod intelligerent legumlatores illi prudentissimi, turbida esse multitudinis in rebus dubijs consilia, nisi ab vno aliquo veluti gubernatore in aduersis tempestatibus regerentur. Secundo enim vento remiges ipsi facilè cursum sine nauarcho dirigunt. Fuit olim apud Cretenses antiqua sanè Regum prosapia à Cœlo illo, qui quando primus Deo sacrificauit, nomen suum numinum domicilio dederit: deinde à Saturno, & Ioue, & eorum posteris, qui primi in ea insula regnauerunt, de quibus multa poëtæ fabulantur. Rex apud eos belli potestatem habebat, magistratus iudicia agebant. Populus autẽ magistratus senatumq; creabat. Non dissimilis admodum huic Laco-

Strabo li. 17. Cretensium Respublica antiqua.

Quã postea imitatus videri posit Numa Rex Romanorum. Minos.

Plato.

Cretensium Resp. Cœlus Rex.

Laconica Respublica. Duas quidem regias familias habuerunt Spartani, quarum vna Eurytionida, altera Agida vocabatur. Harum originem ad Herculem vsque referebant: nec vnquam passi sunt regnũ vlla ex parte decidere, nec ipsi Reges maiora vnquã quæsiuerunt, quàm quæ principio regni maiores eorum per leges accepissent. Hoc temperamento Lacedæmonij assecuti sunt, vt Principes Græciæ haberentur, & Herculi similes dicerentur. Nam sicut heros ille leonis pelle amictus, & claua armatus, iniquos homines, immanesq; omnes coërcebat, sic illi scutica & pallio volenti Græciæ imperabant: dominatus enim iniustos compescebant, bella dirimebant, factiones sedabant, non vi aut armis, sed vnico oratore misso, cui statim omnes obtemperabant, parebantque vltrò. Tanti apud singulas quasque nationes eorum dignitas habebatur, & vsque adeò auctoritate, iustitia, optimis institutis, mirificaque æquitate pollebant, vt aliæ etiã gentes ac nationes ab eis peterent non classem, non militem, nõ aurum, sed vnum Spartiatam Ducem, cui obsequerentur, quo accepto se tutos, atque hostium victores fore arbitrabantur: vt Siculi Gilippum petiuerunt, Chalcidenses Brasidam, Asiatici Lysandrum, Callicratidam, & Agesilaum, Carthaginenses verò Xanthippum, quo imperante quum pluribus prælijs semper victi extitissent, exercitum Romanorum (cui Attilius Regulus præerat) profligauerunt. Et cùm deinde inuidia perciti Xanthippum ingratè ac perfidè demisissent, Deo vltori omnium scelerum pœnas victi dederunt, planeque didicerunt, mutato Duce, fortunam viresque exercitus etiam mutari. Neq; abs re dixit ille quisquis fuit, tutiorem ceruorum exercitum esse Duce leone, quã leonum Duce ceruo.

Spartanorum Resp.

Lacedæmonij Herculi similes.

Gilippus.

Chabria dictum apud Plutarch. in Apophth.

Harum igitur duarum Græciæ ciuitatum auctoritate atque exemplo constat, non posse rem multorum imperio benè geri, nisi eis vnus præsit, qui veluti gubernator nauim reflantibus colluctantibusque ventis in portum salutis impellat. Huiusmodi Reges, qui mixtam ac penè communem cum

populo potestatem habebant, agenda omnia ad senatum populumq; referebant, vt eligerent in rebus dubijs semper quæ potiora essent. Quod quidem & Homerus probare videtur: sæpe enim Agamemnon belli Principes consulit quid facto opus sit, & inter plures fit confutatio, tametsi nihil arduum vnquam deliberasset, nisi prius Nestorem in consilio habuisset, vt ab eo cogitatam rationẽ haberet, quid agendũ esset. Arist. quoq;, *eligibile, consultabile affectabileque esse dicit: & electionem, consultationem, aut agendum aut nõ agendum, affectationẽ esse*, definit. Hactenus superiorib. argumentis, & exemplis satis abundè probatũ sit, naturale imperiũ vnius esse hominis, & vnũ longè melius imperare quàm plures: deinceps autẽ in sequenti volumine ostendemus, iustum imperium vnius esse regnum, & Regem bonum iustè imperare.

Agamemnon Homericus.

Nestor Homericus.

Arist.

LIBRI SECVNDI AD EVNDEM ALPHONSVM,

Proœmium.

DVRIS Samius rerum Græcarum scriptor eximius, secutus quorundam vanam ac futilem opinionem, qui vel Alcibiadi æmuli atq; infensi erãt, vel comicam dicendi libertatem ac licentiam oderant, scripsit Eupolin Comicum poëtam ab Alcibiade cum Atheniensium classe in Siciliam nauigante, in mare demersum extitisse. Hoc cùm legeret Eratosthenes, vir in historia diligentissimus, illum irrisit, quòd per incuriam ac desidiam malis auctoribus nimiam fidem adhibuisset, attulitque nonnullas fabulas, quas ille longè post ea tempora docuisset. Theophrastus verò Peripateticus communem multorum imitatus opinionem, asser-

Duris scriptor Græcus, de Eupoli Comico mentitus.

Theophrastus.

asseruit, Zaleucum Pythagoricum leges Locrensibus ciuibus suis scripsisse, id tamen à Timæo Platonico reprehensum est, & tanquam falsum repudiatum. Luctantur inter se complures Græcorum, alter & alterum furti ac mendacij criminatur. Ephorum Caustrius & Lysimachus accusant, Theopompum Appollonius & Nicagoras, Sophoclem Philostratus, Pollio Crosium & Herodotum. Nec abstinuerunt quidam à Platone: dicunt enim illum à Protagora, Pithagora & Epicharmo Siculo multa accepisse, sicut Aristoteles ab eo, & à Socrate, & à plerisq; alijs deinde abstulit. Hæc eo consilio dixi, Alphonse Ducum atque Imperatorum omnium fortissime, vt intelligas exempla omnium, quæ huic volumini inseruimus, partim ex auctoribus Græcis eruta esse, partim à nostris sumpta. Illi inter se plerumq; varij ac diuersi sunt, nostri verò non semper cum eis conueniunt. Proinde non erit mirandū, si à Liuio, Valerio, alijsq; Latinis aliqua ex parte nostra dissentiant. Varietas nanq; scriptorum, varietatem quoq; facere solet eorum qui illos imitantur. Luctantur sanè inter se Græci scriptores (dicam enim quod sentio) neque furaces tamen ob id aut mendaces eos esse arbitror, cùm se inuicem accusant. Fructus enim legendi est, modestè admodū in rem suam conuertere, quæ ab alijs optimè scripta sunt: quamquā ingenuitatis officiū esse duco, ingenuè fateri, per quem proficimus, sin minus id fieri possit, quando non omnia destinato operi quadrant, cauendū esse, ne benè dicta in deterius corrūpamus, vt de Hyperide Apollonius grammaticus ait, qui multa illū à Demosthene abstulisse refert, quæ ex optimis pessima fecerit, ne manifestū furtum cerneretur. Neq; etiam eos mendaces dicerem, qui cum doctis pluribus errarēt. Communis error tolerabilior esse videtur quàm singularis: grauior enim culpa eorum haberi solet, qui soli peccant, quam qui cum multis alijs delinquunt, quorum error reprehendendus magis est, quam culpa punienda. Facit autem sæpe historiam ancipitem, nominum mutatio. Videmus nanq; montium, flumi-

Zaleucus. *Timæus.* *Græci scriptores furti se inuicem accusant.* *Ephorus.* *Aristoteles furti accusatus.* *Liuius.* *Valerius.* *Fructus legendi.* *Hyperidis furta.*

Nomina regionum mutata.

Spina, olim dicebatur Ferraria.

Spinetum.

Strabo lib. 5.

num, vrbium regionumq́; nomina alio tempore aliter fuiſſe nuncupata. Terracinam, quam nũc dicimus Thracinam, Auſuremnem vetutiſſimi appellabant, Peſtum Poſidoniam, Puteolos Dicæarchiam, ſic etiã Venetiam Henetiam ſiue Euganeam, Padum verò Eridanum. Ferraria, quæ nunc vrbs opulentiſſima ac pulcherrima eſt, paululum quidem à priſcis ſedibus remota, vt quæ Barbarorum latrocinijs atque excurſionibus crebrò vexaretur, Spina quondam dicebatur. Pelaſgi enim per mare Ionium ad Italiam vecti, vnum ex Padi oſtijs Spinetũ nomine occupauerunt, & pone eius ripas vrbem ſtatuerunt; quam Spinam ab oſtij nomine appellarunt, quæ breui deinde tempore interiecto ad maximas creuit opes, adeò vt diutius Delphos ad Apollinem decimas mitteret, vt Dionyſius Halicarnaſſeus refert: & Strabo Cretenſis teſtatur, theſauros peringentes in eodem templo ad omnes fortunæ caſus depoſuerit. Hæc Ferrariæ vrbs, per virtutem, ſapientiam, celeritatemq́; tuam ex hoſtium faucibus ſuperioribus annis eruta eſt. Veneti enim potentiſſimo exercitu terra mariq́; eam obſederant, & hoſte, fame, peſtilentia adeò vrgebatur, vt ciues iam de deditione agerent, & Hercules eorũ Dux inclytus, quicum ſoror tua illuſtriſſima denupta eſt, fugam meditaretur. Tu verò rumore ac nuncijs concitus, Neapoli, cum expedito exercitu (quem ad oẽs caſus paratiſſimum ſemper habes) Italiam penè omnem celeri curſu permenſus, illuc aduolaſti: & quamuis aditus ad obſeſſos, niſi à cœlo relictus eſſe videretur, vi tamen & armis eiecto hoſte, intra vrbis mœnia penetraſti, paruoq́; tempore aſſiduis cõgreſſibus atque excurſionibus egiſti, vt Veneti de ſtatu vrbium ſuarum ſollicitati, pacem æquis conditionibus pegigerint: qua quidem per te nunc etiam Ferraria fruitur, & iam inſtaurata priſtini ſplendoris ſpeciem ac decus recuperauit.

Munus Regis iustitiam esse: Iustum vnius viri imperium, regnum esse.

Tit. I.

ALEXANDER, cui magno ob virtutem cognomentum fuit, cùm aliquid ocij à summis negocijs nactus esset, venationis studio summopere tenebatur: eamque in tigres, pardos, apros, vrsos, leonesq; libentius exercebat, quàm pecora inter inertia, vt optabat Iulus apud Maronem. Et illi quidem aliquando colluctatio fuit aduersus maximum ferocissimumq; leonem, quem post magnam difficilemque pugnam summis virib. tandē strauit. Fortè tum aderat Spartanorum legatus, qui vehementer admiratus dixit: *Vtinam, Rex inclyte, pro magno aliquo imperio cum leone tibi esset certamen.* Hæc tamen venatio tanti fuit, vt eam Craterus vir illustris, & Alexandro gratissimus, à Lysippo Leochareque (qui præcipui omnium artificum eo tempore habebantur) ære conflatam Delphico Appollini suspendi fecerit. Cernebatur illic Alexander, qui leonē adoriebatur, & juxta eum aderat Craterus inter canes, & alios venatores. Expressit enim Lysippus similitudinem Alexandri, & amicorum eius, adeò vt penè spirantes viuique esse viderentur. Sed ad Spartanum oratorem redeo, cuius sententia illuc quidem mihi spectare videtur, vt intelligamus Regem fortē esse oportere, non autē audacem, ferocémve, & quasi vitæ suæ prodigum, ac contemptorem. Vbi tamen Imperatoris periculum, magni alicuius momenti foret, vt res profligatas posset restituere, illic forti animo magnoq; conatu pugnandū esset. Secus autē si parum prodesse posset. *Decet enim eum qui imperat,* vt ait Theophrastus, *Ducis mortem obire, non autem gregarij militis, aut gladiatoris in arena. Hi honestè cadunt, si viritim certantes, fortiter se contra singulos hostes gerunt: Imperator verò pro toto pugnat exercitu:* Pulchrè itaque Scipio maior ad quendam, qui dicebat illū parū esse pugnacē, ait: Mater mea me Imperatorē peperit,

Alexander ferociora animalia venabatur.

Aeneid. 4.

Spartanorū legatus.

Craterus.
Lysippus.
Leochares.
Appollo.

Non oportet Regem esse vita sua prodigum.

Theophrastus.

Scipionis dictum.

non autem bellatorē. Timotheus quoq; Cononis filius laudatur. Nam quuū quidam ostenderet Atheniensib⁹ cicatrices, quas in bello pro patria Imperator accepisset, ridens inquit: *Equidem valde erubesco, quòd quum Samum obsiderem, iuxta me sagita fortè cecidit, qua exanimatus, non quasi Dux tanti exercitus, sed quasi ingnauus tyro profugerim.* Iusta Imperatoris dimicatio fuit Publij Decij, qui tot Romanos ciues in præsidio obsessos ꝓpria virtute liberauit, & seruator à seruatis gramineā coronam accepit, quod facinus quale fuerit, ex religione ipsa cerni licet: bouem enim albū Marti immolauit, & centū fuluos, quibus virtutis ergo ab obsessis donatus fuerat. Iusta etiam dimicatio extitit Q. Fabij Maximi, cùm Minutiū magistrū equitū, & eius exercitum ab Annibale oppressum seruauit: qua ex re pater à seruatis honoris gratia appellatus est. Sed si rectè iudicamus, propriū Regis munus est iustitia, quam à Ioue eū dono accipere testatur Homerus, non autem bellicas machinas, aut rostratas naues. Proinde eum Iouis discipulū vocat: & non ferocem, audacem, aut immanem inducit, sed omnium iustissimum. Rex enim magistratus omnes in se vno continet, & vniuersorum lex habetur. Vnde Demetrium Antigoni filium reprehendit Plutarchus, quòd expugnatoris vrbium cognomen ambitiosè affectauerit: (cùm id à Regis decoro longè alienum sit, nanq; vrbium ac ciuitatum seruator custosque habetur, & dicitur) Laudat autem Aristidem, qui quanuis inops & ignobilis esset, iusti autem cognomen per virtutem est assecutus, quod nullus Regum aut Imperatorum ante eum optauerat, sed expugnatores, fulmina, victores, aquilas, accipitresq; se appellari gaudebant? quasi virib. & potentia potius gloriarētur, quam virtute, cùm iusti cognomentum Deo & Regi admodū conueniat. Ex omnib. diuinis bonis, solius virtutis homo particeps esse cernitur. Idcirco si secundū eam viuit, nihilo egere potest, vt Stoici docent, & similis fit Deo: sin verò ab ea alienus est, nihil boni habere potest, & à feris ac belluis nulla ex parte differt.

Tit Liu. Dec. 1. lib. 7.

Proprium Regis munus Iustitia

Horat. Reges in ipsos imperium est Iouis,

Plutarchus Demetrium reprehendit.

Aristides, Iustus cognominatus,

Diui-

Diuitiæ, opes, potentiæ, si iustitiam comitantur, splendorem suum retinent: sed si ab ea secernuntur, obscuræ fiunt, & turpitudinem temeritatemque augent. Isocrates quidem Regi suo præcipit imprimis, vt videat ne deterior ipse melioribus imperet, néve indoctior peritioribus. Et *naturæ legem* Dionysius Halicarnasseus esse dicit *omnibus communem, vt deteriorib. semper imperent meliores.* Non erit igitur importuna definitio illa, qua dicitur, Rex est vir bonus, cui per generis dignitatem, vel per legitimam electionem concessum sit, vt ciuitates populosque regat. Regere enim nonnulli interprētatur rectè agere, quæ interpretatio si durior fortasse videbitur, relinquatur a lectoribus, & nos lusisse putemur: si enim verbum minus acutè exponimus, rem profectò ipsam optimè declaramus. Nec tamen alienum erit virtutem regiæ determinationi addere, cùm Oratorem Cicero virũ bonum dicendi peritum esse dicat, & similiter Strabo poëtam: quasi nec orator dicere, nec poëta canenere sine virtute rectè valeat, multò etiã minus Rex sine probitate benè regere posset, ad quam pertinet omnis virtutis moderatio: cuius quoque officium est iustè gubernare eos quibus præest, & illorum commodis semper adesse. Nam sicut medicus languentis vtilitati, nõ suæ & gubernator eorũ quos vehit, consulere debet, sic Rex eorum quibus imperat. Aliter Rex neutiquam habendus esset, sed tyrannus, qui iniustè imperans omnia ad vtilitatem suam metitur. Quocirca finis Regis est, vt ait Socrates apud Platonem, ciues suos ad fœlicitatem perducere: quod nequaquam nisi per virtutem assequi posset. Tyranni autem finis est, eos quibus dominatur, in voluntatem suam compellere. Et sic alter virtute ac ratione, alter verò vi ac potentia nititur. Hæc declarauit Timotheus cùm dixit, *Mars quidem tyrannus est, cùm statuat violẽta omnia iusta esse.* Rex verò communis omnibus lex esse debet, singulos enim ciues non beneuolentia solùm, verùm summa quoque pietate complectatur oportet, & humanum se cunctis, facilemque præstet, & illorum congressu atque consue-

Rex melior sit subditis.

Regis definitio.

Regere, rectè agere.

Socrates. Plato.

Plut. in vita Demetrij.

Isocratis dictum. tudine delectetur. Verè Isocrates inquit, *non homine, non cane, non equo benè quispiam vti potest, nisi eo delectetur & eundem charum habeat.* *Sol.* *Rex quidem pro dignitatis meriti, virtutisq; ratione sic omnibus prosit, sicut sol omnibus lucet. Verùm ædificia illa, quæ patentiores fenestras habent, magis illustrantur*, vt Aristoteles testatur. Virtus quidem omnium rerum mensura esse debet. Sic quoq; Rex se præstet, vt meliores amet, mediocres diligat, reliquos autem nō negligat, neque odio habeat, sed cupiat meliores fieri. Sic ciuile præceptum illud Platonis imitetur, cùm ait. *Nec eo ordine Rempublicam instituimus, vt vnum genus in ea duntaxat fœlix existat, sed ciuitas vniuersa, quæ beatitudinem per solam iustitiam consequetur.* Sed si bonis animi externa quoque addere volumus, vt Academicis & Peripateticis placet, dicemus Regem beatam ciuium vitam sic sibi præponere debere, vt sit ciuitas virtute, honesta gloria ampla, copijs locuples, opibus firma. Optimus enim pictor non solùm oculos & faciem, quamquam potiora sunt, penicillo exornat, verùm totam quoque imaginem colorum varietate honestat. Nec perfectam dicimus imaginem illam Veneris, quam vltimam Apelles pinxit: nam faciem & pectus politissima arte perfecit, reliquas autem corporis partes inchoatas reliquit. Tyrannus, nisi vtilitatis aut voluptatis causa, diligit neminem: cui optimi potius quàm deterrimi odio sunt. Insensus siquidem est omnibus qui virtuti student: nec patitur quempiam vltra alios sapere, aut in præclarum virum euadere, aut opibus augeri, aut amicis, clientibus, hospitibúsve frui. Domini imperium in ciues quasi in seruos exercet: vt formidine perciti, nihil homine libero dignum agere audeant. In timore enim nimio qui educantur, ignaui fiunt, & seruilem abiectumque animum semper habent. Literarij ludi magistri, qui minis ac verberibus nimijs in pueros sæuiūt, hebetiores illos tardioresq; reddunt, & in odium disciplinarum, bonarumq; artium eos compellunt, quos nimia formidine coërcent: verberibus enim obdurant, vt pessima quæque mancipia quæ plagis assuescunt. Ingenia nam-

Teste Plinio. Tyrānus odit optimos magis quàm deterrimos.

Ludi literarij magistri seueri nimiū nocent.

namque puerorum nimia seueritate emendationis deficiunt,& vt ait Quintilianus,quum desperāt, dolent, & disciplinam ipsam odio habent: sic dum omnia timent, nihil conantur, maluntque ignorare, quàm tanta difficultate perdiscere. Eodem pacto vecordes & ignaui fiunt ciues qui tyranni sæuitiam semper formidant.

Thrasibuli epistola. Audiamus nunc Thrasybulum, quid consulenti per internuntium Periandro Corinthio responsi per literas afferat. Thrasybulus Periandro salutem. *Præconi, quem ad me misisti, dissimulaui nihil: duxi enim eum per segetem, & altiores spicas bacillo decussi, vt ex eo qui coram adfuit, scitari poteris, & quid viderit, audieritve, intelligere. Tu igitur sic efficies si tyrannidem tutò tenere cupis: ciuitatis Principes tolle, siue amici, siue inimici esse videantur. Tyranno enim potentes etiam amici exitio aliquando fuerunt.* Non dissimili exemplo vsus fuit Sextus *Sextus Tarquinij filius.* Tarquinij superbi filius, qui deceptis per dolum Gabijs nuncio misso patrem consuluit, quid facto opus esset vt tutò imperaret. Tum ille mutuatus vt arbitror, argumentum à Thrasibuli historia, nihil responsi nuncio dedit, sed deliberabundus sequēte illo in hortum ædium descendit, ibique tacitus ambulans papauerum subliniora capita baculo, quem in manu gestabat, decutiebat. Nuncius verò fessus longiore mora, putans se ludibrio haberi, vt re perfecta Gabios redijt. Quæ dixerit, quæque viderit, refert. At filius ex noto patris ingenio, sanguinarium consilium intellexit. Et confestim primarios ciuitatis per varias calumnias interemit, vt tutius tyrannidem exerceret. Si rectè autem iudicare volumus, vt optimus Rex omnium mortalium fœlicissimus habendus est, sic contrà tyrannus omnium infelicissimus: sicut enim illi omnia tuta sunt, ita huic omnia infirma,& insidiarum plena.

Alexander Pheræus primus tyrannorum. Alexander Pheręus tyrannorum omnium primus, ab vxore perijt. Et ea quidem Thebe dicebatur: quæ perosa viri perfidiam, sæuitiam, inumanitatemque cū tribus fratribus suis, quos habebat, in necē illius cōspirauit. Et cùm cerneret illum remotis satellitib. à

quibus

quibus custodiebatur, in secretiore cubiculi lecto altum dormire, remoto per blanditias ferocissimo cane, qui pro foribus cubiculi excubabat, & tenuï lana stratis gradibus ne strepitus hominem expergefaceret, percussores fratres admisit, eosque, non modo hortata est, verùm minis etiam compulit, perterruitque, ni rem strenuè maturarent, se excitaturam virũ, qui facinus vlciseeretur, & illorum vecordiam animaduerteret: quo timore perciti illi cædem maiore audacia peregerunt. Pherei ciues summa lætitia affecti, populariter metu liberati, cadauer tyranni omni fœditate vncis ferreis tractum, laceratumque feris atque alitibus exposuerunt, & illius vitam atque memoriam turpibus probris dirisque execrationibus damnauerunt: Theben autem, & eius fratres, vt patriæ liberatores, dignis honoribus, opulentissimisq; muneribus affecerũt. Hoc futurum in somnijs familiari suo Eudemo Cyprio prædictum scripsit Aristoteles. Nam quum Pheras vrbẽ tunc nobilissimam in Thessàlia venisset, quæ quidem sæuissima tyrannide tenebatur, in maximas febres incidit, adeò vt medici omnes illius salutem desperarent. Et tunc leniter dormienti secundum quietem iuuenis decora facie visus est dicere, fore vt quamprimum conualesceret, sed paucis diebus interiturum Alexandrũ: quod quidem statim effectum est, & euasit Eudemus, & tyrannus trucidatus est.

Alexandri Pherei miserabile funus.

Phera vrbs Thessaliæ.

Valerius Maximus.

Dionysius autem Syracusanus filias, quas tonstriculas effecerat, quum adoleuissent timuit, & candentibus iuglandium putaminibus barbam sibi ac capillum exurebat, ne collum ac guttur tonsori committeret. Et allocuturus populum, quũ singulos quosq; formidaret, ex alta turri concionabatur.

Quid quod corporis sui custodiam non necessarijs, non ciuibus credunt tyranni, sed seruis peregrinis ac Barbaris satellitibus, & illis præcipuè, quorum opera in conciliandis toris, turpibusque voluptatibus ministrandis abutuntur? At Isocrates, *tutissimam Regum custodiam non turribus, propugnaculis, mœnibus, satellitibus, aut armis contineri*, inquit, *sed amicorum præsidijs,*

Isocrates.

dijs, ciuium beneuolentia, propriaq; virtute : quibus quidem opibus regna & imperia non modò seruari, verum in dies augeri ac propagari asserit. Planè etiam cognoscat oportet Rex, non se dominari vt hominē, sed vt rationem regere. Est enim custos boni, & æqui, quasi animatum ius. Proinde qui ad eum accedunt, non tanquam ad hominem aliquem, verùm ad ipsam iustitiam atque æquitatem accedere vidētur. Ipse autem Rex nō sibi, sed alijs laborat. Vnde verum esse cernitur, quod Academici veteres & Peripatetici affirmant, *Iustitiam alienumq; esse bonum*, non autem illius qui secundum eā agit : sed iustò satis mercedis ab honore & gloria rependi. Ille verò cui hæc non sufficiunt, non Rex habendus est, sed tyrannus, qui non vt ratio, verùm vt homo imperat, tenditque ad proprium commodū, non autem ad vtilitatem eorum quibus præest. Nam vt Plato asserit, *tyrannis est, cùm vi compulsi ciues iugum seruitutis violenter subeunt : regnum autem quum vltro parent, paremq; dimensionem iustitiæ & officiorum expectant.* Regem in iuredicundo non gratia, non amor, non timor, aut alia quæuis animi perturbatio à recto seiungit, sed semper in eodem iudicio perseuerat, nec res similes dissimilibus sententijs iudicat: quippe qui leges ipsas imitetur, quæ semper & firmæ sunt & nullo aspectu mouentur.

Rex ius animatum.

Iustitia est alienum bonū.

Tyrānis quid.

Regnū quid.

Sequitur quoque prudens Rex maiorum suorum vestigia qui rectè ambularunt, & eorum iudicia sibi ad imitandum proponit. Præiudicium quidem apud veteres Romanos semper magni momenti extitit: præbebat enim futuris iudicijs similium rerum quasi firmissimum exemplum, a quo discedere iniquum esse videbatur. Est enim præiudicium res, quæ quum statuta fuerit, affert iudicaturis exemplum vt idem iudicent, vt apud Ciceronem in Verrem cernitur.

Præiudicium quid?

Heroes quidem priscis seculis ideò diuinis honoribus à gentibus ac nationibus venerabantur, quòd iniustè, impiè, aut crudeliter imperantes coercerent atque vlciscerentur. Diomedes eius Thraciæ partis Rex, quæ Maronia dicitur, quam Sthenos fluuius alluit, mandendos aduenas equis suis apponebat. Qua

Diomedis immanitas.

imma-

immanitate permotus Hercules, illum Regno pepulit, & eisdem equis deuorandum præbuit. Busiris
Hercules mõ-strorum domitor. quoque Aegyptiorum tyrannus ab eodem Hercule interemptus, aræque impositus dicitur, quòd hospites cæsos Ioui immolaret: & *Cacus.* Cacus, quòd boues eius abegisset claua interfectus: *Antæus.* Antæum verò in palæstra amplexu brachiorum peremit, & *Cycnus.* Cycnum singulari certamine superauit: vt qui pro æquitate ac iustitia certaret & eos perderet, qui hominibus exitio esse studerent, quique iustitiam & æquitatem metum ignauiamque appellarent, & robur ac potentiam in sæuitiam & immanitatem conuerterent. His gestis Herculis æmulus Theseus plerosque facinorosos homines necauit. Fuerunt etiam ex sapientibus qui pro iustitia pugnauerunt, vt Pittacus Mitylenæus, qui simul cum Alcæi poëtæ fratribus Nelanchium, qui iniusta seruitute Lesbum insulam opprimebat, interemit.

Romani quoque, à quibus virtutum omnium exempla sumenda sunt, quanto studio, quanto labore quantaque impensa ciuitates atque prouincias cõplures ab iniustis inuasoribus liberauerunt? Nabis
Vide Liuiũ. quondam Lacedæmoniam iniustè occupauerat, & Philippus Demetrij filius Macedonum Rex omnem Græciam inuaserat: hoc cùm Romam populorum querelis perlatum esset, placuit senatui populoque Romano, vltionem vindictamq; Tito Flaminio consuli demandari. Erat eo tempore Flaminius annos circiter triginta natus, & facundia, virtute ac comitate pollebat, quibus artibus Græci, qui nondum in partes Romanorum inclinauerant, alliciendi fuerant. Is cum primùm in Græciam venit, Nabin aperto marte deleuit: & paulo pòst collatis signis, Philippum illustri pugna apud Cynocephalas Scotusæ locum superauit, multis millibus hostium cæsis ac captis, vt ex
Alcæi epigramma. noto Alcæi Epigrammate constat, in quo & Philippum trucem appellat, & eius turpem fugam probris incessit, cæsorum quoque ac captiuorum numerum recenset, cùm inquit:

Fletibus & busto indecores terdena, viator,

Thessalia

Thessaliæ oppetimus millia in hoc tumulo:
Marte sub Aetolum domiti & virtute Latinum,
Quos Titus immensa duxit ab Italia.
Aemathiæ clade trux spiritus ille Philippi,
Ceruorum cursu præpete lapsus abit.

Sed Alcæus numerum ementitus est, & Quintij animum maiorem in modum offendit: ob idq; eius iussu hæc sunt loco carmina inscripta:

Frondibus & veteri libro nudata, viator,
Celsa sit Alcæo crux sita in hoc tumulo.

Hæc victoria Græciam omnem à seruitutis iugo liberauit. Nam quum certamen Isthmicum celebraretur, quod Theseus in honorem Neptuni olim primus instituit, & ad spectaculum frequens hominum conuentus consedisset, indicto silentio præco proclamauit in hæc verba. *Senatus, populusq; Romanus, & Titus Quintius consul, Rege Philippo, & Macedonibus debellatis, sine custodijs, liberos, immunes, & suo iure permittũt Corinthios, Locros, Phocenses, Euboicos, Achæos, Phthiotas, Magnesios, Thessalos, Perrhæos.* Hæc res adeò vniuersis grata fuit, vt relictis certatoribus omnes prosilientes consurgerent, & Flaminium amplectarentur, illum Græciæ saluatorem liberatorémque salutantes, tanto clamore, vt corui qui fortè superuolabant, vocis horrore attoniti è sublimi cœlo in theatrum ceciderint, quod Plutarchus refert, & alij scriptores testantur. Ob hanc victoriam Titus Quintius Flaminius tribus continuis diebus Romæ triumphauit. Rursus etiã alio tempore, cùm Pseúdophilippus homo audax, & ignotus, q̃ falsò Philippi Regis se filiũ esse iactabat, Thessaliã inuaderet, occupata iã Macedonia, à Qu. Cæcilio victus ac captus fuit: & Thessalia cum Macedonia pristinæ libertati est restituta. Ptolemæus Rex, qui Euergetes dicebatur (ob contrariam vt opinor locutionem, quando εὐεργεσία beneficentiã significat, & ille in necessarios & in omnes erat sęuissimus) regno pulsus ab Aegyptijs fuerat, & regia etiã incensa prę nimia eius crudelitate, Cyprũ ꝓfugerat: hoc cùm accepissent Romani, auxiliũ Aegyptijs tulere,

Plutarchus in Flaminio.

Plut. in vita T. Quintij Flaminij.

Pseudophilippus.

Ptolemæus Euergetes vnde istud nomẽ inuenerit.

tulere, & Reginam Cleopatram illius sororẽ, cui regnum iure optimo debebatur, instituerunt. Fuerat enim illa à fratre incredibili iniuria lacessita: filiam enim eius primò per vim stupratam, deinde in matrimonium ductam, deinceps repudiauerat, & infantem, quem ex ea susceperat, Cypri interemerat, & caput, pedes manusque illius matri dono miserat. Miserati igitur Romani tantæ indignitatis facinora, Regem odio prosecuti sunt, & iniuria affectos vindicarunt. Regem Capadociæ Ariobarzanem, & Nicomedem Bithiniæ pepulerat Mithridates Ponti Rex ille, cuius iussu quicquid Romanorum ciuium in Asia fuerat, trucidatum est. Hos Reges Romani per Syllam consulem vi, & armis restituerunt. Cuius beneficij non immemor Nicomedes, quum moreretur, populum Romanum hæredem instituit. Athenas quoque, quas eadem tempestate inuaserat Archelaus Mithridatis præfectus, idem Consul ex senatusconsulto liberauit, & pristinæ libertati reddidit. Quorsum hæc tam longa exemplorum connumeratio? vt intelligant iusti Reges, se iure optimo vltores esse debere eorum, qui aliena inuadunt, aut iniustè dominantur. Vt enim iustis adesse, ita iniustis obesse, optimi Principis est officium. Accedit etiam alia ratio manifesta. Nihil est enim quod magis reges suspectos populis reddat, quàm durum imperium eorũ, qui per vim aut iniuriam dominantur. Timent siquidem ne deterrimis exemplis bonorum probitas corrumpatur. Potentia enim sæpenumero homines procliues in libidinem iniuriamque rapit: vera prorsus Ciceronis sententia esse cernitur, cùm inquit, *nihil Principibus infœlicius esse, quàm velle agere quæcunque possunt: rursusq; illos miseros omnino habendos esse censet, qui omnia sibi licere existimant.* Nero tunc sæuissimus factus est, cùm intellexit omnia sibi permissa esse, & cuncta scelera ac probra sua quasi pro egregijs ac præclaris gestis vulgò probari. Agrippinam matrem postquã peremit, cunctabatur in oppidis Campaniæ, aspectũ fugiebat senatus, odium plebis formidabat, incertus quid ageret, & anxius omni ex parte erat. Adsunt vndique

Ciceronis sententia.

Suetonius in eius vita.

...que adulatores, & pessimi hominum assentatores, & reliqui ministri scelerum, turpiumque voluptatũ: ...clamant cuncti, morte Agrippinæ (cuius nomen ...nibus inuisum erat) accensum in eum populi fa...rem: bene factum dicere, & reditum illius in vrbẽ desiderare. His suasionibus motus Nero Romam ire ...git. Præmiserant optimi illi fallendi artifices nũ...os, qui clàm iuberent omnes Imperatori obuiam ...dire. Parent metu perciti, occurrit Senatus festo ...tu, & omnis ordo, omnisque sexus. Putat hæc o...nia libero animo sibi exhiberi, cernit obsequium ...natus, studia plebis, & indulgentiam, beneuolen...tiamque in se omnium. Tunc boni consulere quæ...cunque ageret singulos quosque existimat. Animũ ...audaciamque à scelere sumit. Octauiam coniugem Octauia. ...mo exturbat, arguẽs illam sterilem esse, Popæam ...ue dudum ante illius pellicem ducit, & Octauiam Poppæa, coniuges Neronis. in Pandathariam insulam claudit, deinde restringi vinculis ei venas iubet, & per omnes artus sanguinẽ ...itti. Ac ne pauore sanguis tardius flueret, præfer...idi balnei calore necatur. Atqui Poppæa ipsa non ...tius in delicijs habita est. Nam furore & iracun...dia accensus Nero eam, cùm in ventre fœtum habe...ret, ictu calcis peremit. Pœnituit eum grauiter post...quam ad sese redijt, & cum aliquantulum fleuisset, quod mirum admodum fuit in homine sæuissimo, translato funere eam sepeliri iussit, & sepulchro Iu...liorum inferri. Sed vt ad exitum percurrat sermo, cùm sibi omnia licere persuasit Nero, non antè im...perij licentia abuti destitit, quàm ab infesta multitu...dine ad mortem compelleretur. *Plura tamen sunt*, vt ...it Flauius Syracusius, *qua bonos Principis mores corrum...punt, licentia, rerum copia, amici improbi, dispensatores aua...ri, satellites detestabiles.* Dictum Flauij Syracusij.

Sapienter quidem dicebat Diocletianus Cæsar, *...hil difficilius esse quam bene imperare.* Coeunt aliquan...do in eandem sententiam tres aut quatuor ex his, Diocletiani Imperatoris scitum. quorum consilia grata sunt principi, & ex composi...to ficta pro veris narrant. Ille autem ad quem paucis ...est aditus, vera nequaquam nouit, cogiturq; fidẽ illis

adhibere, à quibus decipitur: & sic plerunque in deteriora labitur. Et amicorum culpa, inuidiam, odiumque populorum inscius contrahit. Iulius Cæsar potitus rerum mitissimè se gessit: sed amicorũ insolentia, quibus adiutoribus in victoria vsus fuerat, effecit vt tyrannidis nota inureretur: plerisque enim nimium indulsit, & præcipuè Antonio, cuius errata negligentius animaduertit, cùm dignosceret illum virum esse fortissimũ, & manu strenuũ ac promptũ, cuiusq; opera in bello sæpenumero vteretur. Erat autem Antonius multis ciuib. odio, pro nimia sua peccandi licentia, inter aleatores, mimos, temulẽtos, scortáque assiduè versabatur: & vnguentis delibutus, in multam noctẽ vino ciboq; se ingurgitabat. Amici etiam Antonij ipsum quoque eodem ludo illudebant, quo ille Cæsarem prius illuserat. Eo nanque inscio multa agebant & turpiter & iniquè, ex quibus maximam inuidiam contrahebat Antonius, negligentiorq; in vlciscendo habebatur, siue incuria quadam, siue nimia indulgentia, qua in suos tenebatur: adeò vt vix credere posset quippiam quod illis obijceretur. Eratq; ingenio suo Antonius propensior ad gratiam ac præmium, quàm ad vltionem, ac pœnam.

Iulius Cæsar notatus tyrãnidis.

Plut. in vita Antonij.

Vt Cicero in Philippicis abundè testatur.

Sed vera est sententia illa Ciceronis, qua dixit: *bellorum ciuilium hi semper sunt exitus, vt non ea solùm fiant, quæ velit victor, sed etiam vt his mos gerendus sit, quibus adiutoribus parta sit victoria.* Boni Reges ac Principes plerumque etiam (vt dixi) ab adulatoribus deteriores fiunt. Hoc docere videtur Græcus ille apologus, quo inducuntur aues complures, vt adsolet, cuculum circumuolare, non ad eum propius accedere: quas ille quidem rogabat, cur se fugerent, cùm placidus & imbellis esset: volucres verò audacter respondebant, se ideò ab eo deuolare, quia cernerent illum vngues ac rostrum eiusmodi habere, vt facilè, si vellet, accipiter fieri posset. Tigranes Ponti Rex principio mitis ac placidus fuit, deinde pessimorum amicorum vanis adulationibus assentationibusque illectus, & potentia ac superbia, & alijs vitijs nõ modò acerbus ac durus, verùm insolentissimus quoque reddi-

Ciceronis sententia.

Cuculi & aliarum auiũ apologus.

Tigranis, Regis Ponti fastus.

additus est. Adeò vtillius mores Græci omnes execrarentur, nec eum vllo pacto ferre possent. Ministrabant ei Reges aliqui, qui eius ditioni suberant, ac si pedissequi eius satellitésve essent.

Quinetiam pedibus per lutum ac puluerem, cùm curru aut equo veheretur, illum sectabantur, sine discrimine vllo ætatis aut dignitatis: sedenti verò, vel ius dicenti, conexis singuli brachijs circunstabant. Hæc erat seruitutis confessio quædam, atque imago manifesta, vt clare ostenderent datam Domino sui etiam corporis liberam potestatem. Succensuit is mirum in modum L. Lucullo, quòd eum Regem tantùm, non autem Regem Regum per epistolam salutasset. Hæc ideò agebat Tigranes, quòd nimium adulatoribus aures præbuerat, à quibus ficta pro veris plerunque audiebat. Nam grati blandique sermones ab illis afferebantur. *Et Principum opes frequentius adulatores quàm hostes euertunt*, vt sapienter Quintus Curtius dixit. Idcirco Tygranes ex magno Rege tyrannus factus, odium ferè omnium gentium contraxit, pœnasque dedit Romanis Ducibus iniurias vlciscentibus. Iustus autem Rex nunquam à seipso discedit, sed in vera sententia perstat, nec vllo vento agitari se permittit, nec blanditijs aut illecebris artificiosi sermonis cedit, vt faciebat Neoptolemus ille apud Sophoclem, qui suauitate verborum pellectus, non persistebat in sententia, sed suasu Vlyssis mentiebatur, quamquam vera loqui pulcherrimum esse duceret. Et hæc satis ad ostendendum iustum vnius viri imperiũ regnũ esse, & bonũ regẽ iustè imperare.

L. Lucullus.

Sapiens dictũ Q. Curtij.

Statuendum est Deum summum esse bonum: finem hominis, similem Deo fieri, ad quem per solam virtutem peruenitur.

TIT. II.

VIrtutem satis esse ad benè beateq; viuendum Zeno Citticus Stoicorum princeps & omnes qui eum comitantur, opinati sunt, tantique illam faciunt, vt nihil ei

Virtus satis est ad beatam vitam, secundũ Stoicos.

deesse posse arbitrentur, qui secundum virtutem agit: etiam si corporis fortunæque bonis careret, eundem tamen nihilominus beatum esse dicunt. Si in Phalaridis quoque tauro vreretur, similiter fœlicem esse, quandoquidem solùm bonum virtus sit: alia autem quæ ad corpus vel ad fortunam spectant, neque in bonis neque in malis esse habēda, sed media quodammodo haberi, & si optio detur, præferenda aut eligenda tantùm videri, non tamen bona, quæ fortunæ sunt: ζεκτικὰ id est externa, Stoici illa appellāt, quæ postposita & reiecta licet nobis auctore Marco Tullio appellare. Acuta quidē est hæc sententia, & verè philosophis, quales Stoicos iudicare possumus, digna, sed dura satis, quæ nacta acre ingeniū, mitemq; animū, audentiam securitatemq; prǽstat, & neglectū quendā rerum humanarum: verùm fœlicitatem animi contemplatiuam potius complectitur quàm hāc nostrā, quæ quidem rerum humanarū finis est, & ad actionem secundum virtutem tēdit. Nam virtus ipsa licet per se expectatur, & nihilo videatur egere: tamē cùm nō solùm ad animum, verùm ad hominem quoque ipsum respicimus, tunc planè intelligimus illum indigere externis bonis, corporis scilicet & fortunæ, quæ etsi bona animi non augent, tamen hominem ipsum adiuuant, qui & bona habitudine valetudineque indiget & victu, veste, domo, & alijs externis cōmodis, sine quibus vix tranquillo animo esse potest, aut omni ex parte beatus. Sapienter Solon fœlicem eum esse ait, *qui ex virtute optimè ageret, & rebus externis mediocriter abundaret*. Plato autem, qui primus omniū rationem honesti declarauit, licet per se virtutem satis esse ostendat, nullisq; opibus augeri posse, tamen corporis bonis eā egere fatetur, velut in integritate sensuum, ac membrorum bona valetudine, habitudine, robore & similibus. Exterioribus etiam, vt opibus, amicis, optima patria, generis claritate, alijsque eiusdem generis. Nemo enim inficiari potest omne bonum cum alio bono iunctum expetibilius esse, quàm per se solum: qua ratione vtuntur illi qui honestam voluptatem virtuti addunt.

Cic. in Acad. & lib. de fin.

Stoici veri Philosophi.

Fœlix quis dicatur, iuxtà Solonem.

Plato primus rationē honesti declarauit.

Sequa-

Sequamur modò in hoc volumine hanc mitiorē opinionem, quæ aliquid nostris mollioribus morib. indulget. Nam duriora illa contemplationi aptiora sunt quàm actioni, nec facilè legentibus persuaderi possunt, sed acumine argumentorum ab illis extorquent, vt confiteantur potius vera esse ea, quàm assentiantur. Academicos Peripateticosq; nobis præficimus, quibus ducibus à recto itinere nunquam diuertemus: & Platonem in primis, qui religiosissimè sapientissimeq; Deum summum bonum esse dixit, & auctorem bonorum omnium, finemq; hominis esse, per similitudinem Deo adhærere: quod quidem per solam virtutem nanciscimur. Optimè dixerunt Stoici, inter bonos viros & Deum amicitiam esse, conciliante sola virtute. Diuinam verò iustitiam legem vniuersalem omnibus esse Plato arbitratus est, quæ bonos præmijs, malos autem pœnis afficiat.

Academici. *Peripatetici.* *Plato.* *Finis hominis est, similē Deo fieri.*

Regem non modo animi bonis, sed corporis quoq; & fortunæ commodis egere.

TIT. III.

POstquam ergo hęc fundamenta iecimus, dicemus Regem corporis & fortunæ bonis etiam egere, & pręsertim cùm non sibi soli, aut vni alicui familię natus sit, sed ad omnes homines iuuandos, tutandos, conseruandosque bona habitudo, bonaque valetudo in Principe vtilis admodum esse cernatur. Vix enim ei benè ab animo esse potest, cui à corpore malè consulit, qui sibi ipsi prodesse nequit. Corporis namq; ægrotatio cùm diuturna atque insanabilis est, vires ingenij atque animi frangit, & nonnullos etiam molliores delicatiorésve compellit, vt longa doloris consistatione vexati, desperent adeò, vt vitæ commoda relinquant: vt de Cornelio Rufo viro clarissimo atq; eruditissimo referunt, qui vix dum media ætate sibi mortē accersiuit, cùm articulorum dolores diutius ferre nequiret. Silius quoque Italicus, cuius carmen de secundo Punico bello inscriptū magna cum vene-

Cornelius Rufus. *Silij Italici dignitas.*

Plinius secun. in epistolis. *Theophrastus.* *Pericles.* *Carminum magicorum vis.* *Ptolemaeus fautor & patronus doctorum hominũ.* *Athleta.* *Tiberius, de quo Suetonius in eius vita.*

ratione temporibus etiam nostris legitur, in Neapolitana ciuitate sua sponte etiam media vita functus est, præ tædio insanabilis morbi, quem ex clauo sibi nato contraxerat. Theophrastus dubitasse videtur, an corporis dolores non solum corpus eneruent, verumetiam animi virtutes peruertant, & vt molliores mores vires ingenij frangunt, sic mala corporis affectio mentis virtutes perturbet: Periclisque viri summa fortitudine, mirificaque eloquentia, exemplum inducit, qui cum graui morbo ægrotaret, viseretur que ab amicis, cùm iam meliusculè se haberet, cuidam ex his quos chariores habebat, ostendit muliebres quasdam incantationes, quas scriptas gutturi suo suspenderant, vt ostenderet hominem malè affectum corpore, mentis etiam esse alienatæ, vt qui eiusmodi vecordijs insanijsque crederet. Has tamen incantationes non videtur insanas omnino putasse Homerus. Nam Vlyssi, quem sapientissimum Græcorum omnium inducit, grauiter in femore vulnerato, sanguinis profluuium carmine stetisse affirmat. Et Iulium Cæsarem Dictatorem virum tanti nominis tantarumq; disciplinarum, ferunt post ancipitem vehiculi casum, semper vt primùm currum cōscēderet, carmine ter repetito securitatē itinerum impetrasse.

Sed ad propositam rationem redeat sermo. Nonnulli Principes langore aliquo corporis vexati, plurima opera memoria digna imperfecta reliquerunt. Ptolemæus Philadelphus præclara multa in Aegypti regno egisset, nisi perpetua valetudine impeditus resedisset. Egit tamen quod potuit: nam disciplinis bonarum artium, & bibliothecis mira diligentia operā dedit, fouitq; præclara quæq; ingenia sui temporis.

Integri corporis sensus, & dexteritas quædam agilitasque membrorum, Regem adiuuant plurimum, eumque gratiorem aspectu reddunt. Sic etiam vires optandæ sunt, non quales in athletis cernimus, sed tales, vt ne minimis statim ictibus cōcutiatur ac succumbat. Nec robur Tyberij Cæsaris optarim, q articulis ita firmis fuisse dicitur, vt recēs integrumq; malū digito terebraret, & pueri caput lethaliter vulneraret polli-

pollice solùm vel impudico digito inflicto, vt Tranquillus in eius vita refert. Satis mihi fuerit, si integritate corporis vigeat & mediocritate virium inter æquales præstet. Formæ prætereà dignitas plurimum auget Principis auctoritatem, vt deformitas minuit. Est enim in corporis maiestate, maxima quædam veneratio, qua quidem ducti barbari omnes, nullos pu[tant] magnorum operum capaces, nisi illos quos eximia specie natura donauerit. Macrobij quoque qui Meroen Nili insulam incolunt, quique tale nomen à longitudine vitæ acceperunt, quod dimidio quàm reliqui homines diutius viuant, Principem cui paret, à pulchritudine ac viribus eligunt, nunquam enim deformi viro obedire dignarentur. Nec speciem illam admirandam quæro, qua præter cæteros Reges [iac]tatur Demetrius Antigoni filius, quem nullus sculptor aut pictor adæquare vnquam potuit. Præ se enim ferebat gratiam quandam, simul & terrorem cum grauitate & mansuetudine, vt natus videre[tur] ad terrorem hominibus pariter incutiendum, beneuolentiamque conciliandam. Neque admirandam etiam Alcibiadis formam, cui largita videbatur natura hoc præcipuum, vt non modo in pueritia & adolescentia, sed & in omni ætatis gradu omnium speciosissimus esse videretur, sed tale dignitatem for[mæ] optarem, qualem Marco Antonio fuisse Plutarchus refert, cuius species similis Herculis imagini (à quo genus se ducere dicebat) esse videretur. Vel qualem præ se ferebat maior Aphricanus, qui dignitate formæ, inter quoscunque viros esset, solus præter cæteros imperio dignus esse videbatur.

Rex formosus gratus. *Macrobij populi.* *Demetrij pulchritudo.* *Alcibiades omnium formosissimus.* *Æmilius Probus & Thucydides.* *M. Antonius.* *Plutarchus in eius vita.* *Scipio maior.*

Oris quidem ac corporis deformitas, virtutis laudisque gloriam aliqua ex parte minuere videtur, & hominem obnoxium detractoribus reddere. Periclem, cuius præclara gesta omnis Græcia admirata est, quòd oblongo capite esset, versibus mordacibus [ca]rpsit æmulus poeta: & sculptores eius imagine cassidevelabant, ne deformitas appareret. Hipponacti Ephesio poëtę notabilis faciei fœditas fuit, adeò vt à Bupalo, & Antermo fratribus, qui ea ætate sculptores

Pericles habuit caput oblongum & deforme. *Hipponax poeta deformis faciei.*

peregregij habeantur, illius imago per lasciuiam iocorum irridentibus cinædis exposita fuerit: qua ex re maxima ira excanduit Hipponax, & iambici carminis amaritudine sculptores illos adeò perculit, vt hominum aspectum fugerent, & ad laqueum compulsi à quibusdam credantur. Titus quoque Flaminius, de quo paulò antè diximus, indecoro etiam oris habitu fuit, & non à maledictis eam ob rem immunis. Sed longè eo turpior habitus est Philopœmen Achæorum Dux, de quo facetum illud scribitur. Statuerat aliquando Megaris diuertere apud hospitem longa consuetudine sibi notum: & paruo comitatu præuertens reliquos, hospitis ædes ingreditur. Fortè hospes ruri aberat, rogat hospita quisnam sit, responsum à puero accipit, Ducem esse Achæorum. Tum illa nomine tanti hospitis perterrita, absentiam viri excusat, se tamen qualemcunq; posset cœnam paraturam pollicetur. Deinde cùm nullum, ex familiaribus suis secum haberet, circumspicit anxia super apparatu, & videt stantem hominem quẽdam turpi facie, & vestitu etiam tenui. Philopœmenem enim non nouerat, sed ex aspectu putabat illum quem intuebatur, famulum quempiam ministrandi causa præmissum, tum mulier rogat, vt sibi in ministerio adsit. Ille autem se præsto adesse ait: nec tamen se indicat, sed posita chlamyde, acceptaq; securi, ligna quibus ignem accẽderet, scindere incipit. Interea accitus ab vxore hospes rure aduenit, domumque ingreditur. Tum conspicatus Philopœmenem ligna scindentem, rei nouitatem admiratur, & exclamans ait. Quid hoc rei est, Dux præstãtissime? tum leuiter subridens Philopœmen. Quid nam aliud inquit est, ô hospes? do quidem nunc pœnas deformitatis meæ, & tali ioco mutuò inter se amplexati sunt.

T. Flaminius.

Plut. in Philopœminis vita.

Tyrtæo poëtę (quem ex Apollinis oraculo Ducẽ ab Atheniensibus contra Messenios acceperant) illudebant Lacedæmonij, quòd fœdo esset aspectu, & altero pede claudicaret: sed cùm ex illius carmine victoria potiti fuissent, didicerunt corporis deformitatem

Tyrtæus poëta fœdo aspectu.

tutem non esse irridendam: quandoquidem Lacedæmonij huius ductu triplici prælio à Messenijs fusi, in eam desperationem venere, vt in supplementum seruos militiæ ascripserint, interfectorum matrimonia victoribus polliciti, vt quum se non solùm ciuium numero, sed dignitati etiam successuros scirent, fortius bellicam ciuitati operam nauarent. Iam eò cedêdo processerat desperatio, vt de exercitu Lacedæmonem reducendo Reges ipsi inter se consilia agitarent: ne si super cæteras clades recentior aliqua accidisset, rem Spartanam pertinacius bellando perditũ irent. Soluissent illi obsidionem. Et nisi Tyrtæus interuenisset, qui composita à se carmina pro concione recitauit, quibus hortamenta virtutis, damnorum solatia, belli cõsilia complexus tantum militibus ardorem iniecit, vt non tam de salute, quàm de sepultura essent soliciti, & diuinum Musarum furorem posse Martem accendere crederent, & bellicam victoriam præbere. Agesilaus quoque Lacedæmoniorum Rex, qui tot virtutibus emicuit, altero etiam pede claudicabat, Xanthippus Lacedæmonius, qui Carthaginensium Imperator contra Romanos, Attilium Regulum captiuũ duxit, horribilli ac truci fuit aspectu, nec speciem aliquam dignitatis aut decoris præ se ferebat, eratque statura pusillus, sed adeò robusto corpore, vt proceriores quosque viribus superaret, & ingenio acerrimo. Optabimus igitur, vt corporis bona, quæ vires ac speciem augent, Principi nostro non desint: quæ autem decorem maiestatemq; exornant, non absint. Difficile tamen est omnia in vno homine perfecta esse. Munera enim naturæ incerta omnino ac fugitiua sunt, breuia quoq; & maligna his etiam qui illis affluere videntur.

Musæ. *Agesilaus.* *Xanthippus.* *Attilius Regulus.*

Proinde minimè admirandum est pro miraculo haberi vetus exemplum illud Xenophili Musici, qui centum & quinque vixit annos, sine vllo in omni vita corporis incommodo, Idcirco qui plura & firmiora corporis bona habet, perfectior accumulatiorque iudicari poterit. Fortunæ verò bona partim necessaria, partim vtilia, ac decora sunt. Non enim satis erit

Xenophili Musici vita. *Plin 7.l.c.50.*

Regi, si vni populo vn.ve ciuitati imperet: quæ quāuis suppeditet multitudini quæcunq; vlui sunt, tamē ad propulsandum, inferendumque bellum nō sufficit, sed maiore indiget auxilio, & prouinciæ regionique vt imperet expedit. Aliter nec se satis tueri, nec suos defendere posset, nomenq; inane regis haberet, nō autem potentiā. Vt enim scribit Arist. Rex eorum vtilitatem quærere debet, quos regit. Non enim verè Rex esset, nisi per se sufficeret, & omnibus bonis excelleret, adeò vt nullius ope egeret. Infima est enim potentia illius qui alienis virib. nititur. Cernimus nonnullas ciuitates, quæ tenui potentia sunt, dānis, incōmodis, excursionibus, latrocinijs, prædæque expositas esse: quæ quidem mala vt effugiant, plures nonnūquam societatem ineunt, vt quasi quodam vinculo inter se iunctæ, communi vtilitati salutiq; consulat. Et quæ seiunctæ singulæ languescerēt, sic coniunctæ, & quasi in vnum corpus coactæ, seruantur: vt quondam Lycij populi factitarunt, quorū tres & viginti ciuitates societate coniunctæ, ad Italiā vsque mare omne infestum habuere, deinde a Romanis victi libertate donati sunt.

Lycij.

Sed hæc diuersarum vrbium cōuenientia & quasi harmonia raro diuturna, stabilis ac firma esse solet, verùm discordia & seditione facilè corrumpitur, & plerunq; tyrannidem patitur. Sunt enim eiusmodi ciuitates veluti mēbra sine corde, aut partes reliquæ animi sine mente. Proinde expedit vt ad vnitatē illam redeant, de qua paulò antè diximus, Regiq; pareant, qui iuste imperet, & vnus pro omnibus vigilet. Tunc licebit omnibus secundum virtutem agere: quæ res quasi finis humanæ societatis, & coniunctæ hominū multitudinis esse videtur. Nam non solùm vt viuant conueniunt (id enim commune esset eis cum plerisque multis animantibus) sed vt benè beateq; viuant, liceatque eis esse fœlicibus.

Munus Regis.

Munus quoq; Regis est (vt sentire etiam videtur Isocrates) ciuitatem aduersis casibus inclinatam erigere, & secundis nimium elatam, ne in luxuriam labatur retinere. Pro cōperto etiam omnes existimare possunt,

possunt, longè melius gubernare eos qui perpetuò regnant, quàm eos qui annuis magistratibus vicissim præsunt: quandoquidem isti munus imperandi rudes ineunt, & cùm sapere incipiunt, tunc imperium deponunt, & ad rem suam priuatam redeunt: Reges verò ad publica tanquam ad sua ac propria accedunt: magistratus autem tanquam ad aliena, & vix publicis rebus præ temporis angustia animum adhibere valent. Reges autem cùm nullis priuatis negocijs impediti sint, rem diligentius gerunt, nec discordia decertant, vt plerumque senatores solent, sed libero iudicio, ac sine ambitione omnia agunt, & idcirco cuncta celerius perficiunt, & cùm sine aliqua alia cura sint, diligentius in publicis rebus agendis versantur. Quod etiam illis eò facilius quòd nullis æmulantur, nullis inuident, nullis obtrectant. Pares enim nullos habent: & cùm suis opibus, consilijs virtutibusq; nitantur, alienis rebus neutiquam inuidēt: proinde singula quæque præstanti ratione iudicioq; perficiunt.

Nunc autem illuc redeat sermo, vnde diuertit: asserendumque erit, Regem diuitijs, opibus, ac potentia indigere, cùm in pace & ocio, tum in bello ac tumultu. Esse enim magnanimus, & circa maxima versari debet. Benefacere alijs assiduè studeat: nam beneficium ab alijs vt accipiat, non sine pudore esse potest. Dando, erogando, elargiendoq; Rex cunctis se præfert: accipiendo autem inferiorem se erogandi esse ostendit. Rectè quidem illud dicitur, *Regem tum Deum imitari, cùm pluribus benignus, beneficus, ac liberalis ipsi ostenditur.* Deum siquidem omnium rerum imperio ac potestate vel ex hoc dignissimum esse arbitrantur, quod bonorum omnium causa sit, malorum autem nullam præbeat causam. Est enim semper innotius. Aethiopes qui vlteriorem Nili regionem incolunt, vt Strabo Geographus refert, duos colunt Deos, immortalem vnum, alterū mortalem. Immortalem eum dicunt, qui rerum omniū sit causa: mortalem autem eum, qui illos beneficio afficit. Hac ratione ducti Reges, suos optimè de se meritos, Deos cō-

Geographiæ libro 1.

Æthiopes duos Deos colunt, mortalē & immortalem.

munes omnium conseruatores atque custodes esse existimant. Hæc est quasi sponsio quędam, vt omnes eorum Reges benigni sint, & bene de omnibus mereri studeant. In referenda itaque gratia Rex omnino (vt addecet) excellat oportet, indignum enim putare debet, ab inferiore aliquo benignitate ac liberalitate supperari. Priuati nonnulli aurum aut argentum Principibus largiũtur: sed hos neque benignos neque liberales putandos esse scribit Isocrates, sed quasi pecuniæ fœneratores, qui paucum mutuant, vt exigant plurimam, quæ quidem non largitas, sed quæstuosa mercatura nuncupari poterit. Ex paruis nanque muneribus magnam commutationem astutè callideq; expectãt. Quoto cuiq; priuatorum tantæ sunt opes, vt per eas se Principibus ac Regibus gratificari posse speret? quod flumen istud est, quod non capit mare, vt facetè ait Plautus? Reges δυνάστας Græci propter potentiam appellant, quòd per potentiam & opes priuatis hominibus præstant. Hac opinione ductus Strabo, *regiam persuasionem nõ oratione contineri*, dixit, *sed donis & muneribus: illam autem quæ verborum est, oratorum esse*, ait, *non Regum*, *quorum opulentia*, *non eloquentia splendida esse debet*. Multa item per diuitias ac liberalitatem plerumque Reges agunt, quæ vi & & armis nequaquam assequerentur. Cyneas Pyrrhi Regis orator multas vrbes Pyrrho per eloquentiam conciliauit, sed non pauciores per largitionem & regiam magnificentiam. Legati Mileti Reipublicæ causa Athenas missi, eloquentiam maximi oratoris Demosthenis argenti munere strangulauerũt: quocirca popularis ille facetè in eum cauillatus est, quum dixit non συνάγχην. i. aginam Demostenem pati, sed ἀργυράγχην id est argentanginam: hoc est eum non ab angina, verum ab argento fuisse strangulatum. Ad hanc sententiam dicebant Græci nõ Philippum, sed Philippi aurum Græciam subegisse. Infinita atq; immensa est bellorum impensa, vt Archidamum dixisse ait Plutarchus. Vana ideò ostenditur sententia illa M. Crassi, & animi potius ægritudinem quàm veritatem ostendisse videtur, cùm dixit, *neminẽ satis diuitem*

Isocrates.

In curculione.

In lib. 1.

Cyneas.

Ex Aulo Gellio ca. 9. li. 11.

Plutarchus in apophth.

Ex Cicerone

ex-

æstimari posse, qui legionem vnam ex suis fructibus alere non posset. Alexander verò eiusdem Philippi filius sicut Reges omnes rebus gestis superauit, sic etiam beneficientia & largitate cunctos antecelluit, adeò vt recusantibus munera sua tristior molestiorque esset.

paradoxo sexto.

Alexander.

Sæpe etiam dicere solebat, eos qui munera Principum respuerent, puniendos esse, vt qui illorum virtuti inuiderent. Et Phocionem Atheniensem virum integrum ac grauem literis monuit, minimè se existimaturum illum sibi amicum fore, si deinceps munera sua repudiaret.

Phocion.

Munificentia etiam indicat Regis iustitiam. Nam qui res suas ad hominum vtilitatem largiri gaudet, ab alienis vt manus abstineat verisimile est. Si enim pecuniarum cupidus esset, longè facilius suas seruaret quàm alienas raperet. Optima erit Principis persuasio, si opinabitur pecunijs non modò iustè, verùm etiam liberaliter esse vtendum, quandò iusto satis erit aliena non rapere, liberalis autem quomodo sua ad hominum vtilitatem elargiri possit, cogitabit. Victorias sæpenumero per magnificentiam assequũtur Reges, quas nullis alijs viribus vnquam obtinerent. Obsidebat aliquando Philip. Alexandri pater (de quo modò dixi) castellum quoddam ingenio loci adeò munitum vt omnes dicerent ad illud, nisi è cœlo, nullum esse accessum. Tum Rex rogauit, *an asinum pecunia onustum illuc perducere possent*, respondentibus illis, Etiam: tunc ait, *Vicimus ergo*, vt ostenderet aurum nonnulla conficere, quæ vix vllis alijs viribus effici possent. Inexpugnabiles arces, & pleraque munitissima oppida corruptis pecunia custodibus inuasit Philippus, vnde eius liberalitas in prouerbium venit, vt corruptor potius quàm liberalis aut benignus ab omnibus existimaretur.

Iustus.

Liberalis.

Philippus.

Aurum ferro potentius.

Concludendum igitur erit, Regem non per solam virtutem, quæ omnia animi bona abundanter suppeditat, fœlicem planè esse posse, sed & corporis & fortunæ bonis egere, vt perfecto maiestatis munere fungi possit.

For-

Formas quasdam primarias, quas sola mente concipimus, quae à Platone ideae dicuntur, solas esse perfectas, & ad illas dirigendam esse speciem illam de qua agimus, & inde ducendum esse archetypum.

Tit. IV.

Iouis Olympij simulacrum. Phidias.

SIMVLACRVM Iouis Olympii, quod ex ebore fecerat Phidias Atheniensis, quo nihil praestantius in eo genere omnes ferè scriptores extitisse testantur, cùm intueretur Panderus pictor eximus, admiratione magna ductus, artificem rogauit, vnde tam praeclari operis exemplar accepisset? Tum Phidias ex tribus Homeri versibus eiusmodi imaginem delibasse respondit, qui sunt ad hanc fermè sententiam:

Panderus.

Inde superciliis iam Iupiter annuit atris,
Concussitque comam pulchro de vertice rector
Aethereus, nutu & summum tremefecit Olympum.

Laudant Homeri interpretes hunc poëtę locum, qui annuētem Iouem superciliis tantùm ostendat, & tenui verticis commotione. [illegible] imitatur Horatius, cū de eodem Deo dixit, *Et cuncta supercilio mouentis*, quasi mens, cogitatioq; numinis maximi, ex modico frōtis gestu ostendatur. At cùm de Iunone loqueretur Homerus, vt decori affectum in vtroque ex diuersitate indicaret, dixit:

Magnumq; oculis lustrauit Olympum,

vt ostenderet illam toto corpore permoueri cùm annueret, non supperciliis tantùm, vt fecerat Iuppiter. His cogitationibus assecutus est Phidias, vt vulgò diceretur, vel solus imagines Deorum videre, vel solus ostendere. Haec mihi cogitanti occurrit maximi oratoris sententia illa, quum ait: *Ego enim sic statuo, nihil esse in vllo genere tam pulchrum, quo non pulchrius id sit, vnde illud vt ex ore aliquo quasi imago exprimitur, quod nullis humanis sensibus percipi potest, mente tantùm & cogitatione complectimur.* Et quum de Phidia, paulo pòst loqueretur, dixit: *Insidebat in mente illius artificis spe-*

Cicero in Oratore ad Brutum.

speties quadam pulchritudinis eximia, quam intuens, in eaq; defixus, ad illius similitudinem artem & manum dirigebat. Ex his sententijs colligimus formas quasdam ac figuras perfectas esse, quas sola mentis contemplatione intuemur, non autem oculis cernimus, aut auribus percipimus, sed ex illis similitudinem quandam ducimus earũ rerum, quas acturi sumus. Et sic mẽtem à sensibus auocando, hæc perfectiora esse cernuntur, quàm ea quæ vulgo ab alijs imitatione singulorum ducuntur. Absolutas illas rerum formas Plato Ideas appellat, aitque eas semper esse, ac ratione & intelligentia contineri: cætera nasci, occidere, labi, nec diutius esse in vno eodemq; statu.

Idea Platonis.

Nos igitur de vnius viri dominatu aut imperio dicturi in his libris, si ratione ac via differere volumus, ad vltimam sui generis formam ac speciem sermonẽ nostrum redigamus necesse est, atq; in optimo Principe fingẽdo talem formemus, qualis fortasse nemo vnquam fuit. Non enim quærendum à nobis est, quis eiusmodi fuerit, sed videndum erit qualis debeat esse ille, quem optimum Regem aut Principem esse statuimus. Nec vnum nobis aliquem præficimus, cui virtutes omnes regias tribuamus. Nam vt ait Nestor apud Homerum, *non vni Duci omnia à Deo data sunt, vnus siquidem vincendi arte caret, alter animi fortitudine, alius celeritate conficiendi, alius consilio regendi. Pauci quidem sunt, qui pacis pariter & belli artes optimè calleant.* Plato cùm iustitiam, ciuilemq; sapientiam docere vellet, non Atheniensium Rempublicam, aut Lacedæmoniorum scripsit, quamuis altera studijs sapientiæ, altera armis polleret: sed nouam ac commẽtitiam finxit ciuitatem perfectam, illam ideam respiciens, de qua modò dixi, quæ ciuitas nunquam in rerum natura fuit, & nunquam futura est. Impossibile aut difficile admodum existimauit esse philosophus ille sapientissimus, eis veram virtutem persuadere, qui licentia prolapsi, deprauatis moribus viuere consueuissent. Quocirca cùm à Cyrenæis aliquãdo rogaretur, vt eorum Rempublicam melioribus legibus ac constitutionibus emendaret, respondit:

Plato nouam Rep. scripsit.

Viri

Viri Cyrenæi, difficilimum admodum est amplißima fortuna dissolutos ciues aliquibus durioribus legibus continere. Et cùm inuitaretur à ciuibus suis, vt ad Rempublicam accederet, ait: *Noui equidem Athenienses eiusmodi viros esse, qui sibi persuaderi quæ iusta & recta sunt, neutiquam permitterent, & si vim eis facere nequire, & si etiam posset, id nequaquam facere velle, quum nefas omnino sit patriæ, aut parentibus vim aliquam afferre. Satius igitur, æquiusq; esse, vt ad Rempublicam non accederet, & eos doceret, qui facile sibi virtutem persuaderi sinerent.* Xenophon Socraticus, quem Platonis æmulum fuisse paulò antè dixi, Cyri iunioris Persarum Regis disciplinam suauissima eloquentia scripsit, & præceptorem inducit Cambysem illius patrem, qui rerum gestarum gloria non contemnendus fuit, nisi ambiguitas Græcarum historiarum nos dubios ancipitesque reddat. Adiecit enim paternis regnis Aegyptum, quam per iniuriam occupauit: & quasi non cum hominibus tantùm, verùm etiam cum Dijs bellum gereret, omnes sacras ædes euertit, & in Thebas, postquam eas diripuit, summa impietatis sæuitia grassatus est: cuius vrbis non solùm portarum ambitiosum numerum, & custodum equitum millia admiratus est Homerus, sed & spaciosum mœnium ambitum, & ciuium diuitias publicas, priuatasq;. De Cambyse Strabo eiusmodi verba protulit. *Heliopolis, Solis vrbs, templum habuit vetustissimum, quod Cambyses euertit, cuius multis indicijs insania ac sacrilegium ostenditur.* Templa enim partim igne, partim ferro destruxit, singulas quasque imagines mutilans, excidens, comburens. Ad Ammonis quoque templum nobilissimum expugnandum exercitum misit, qui tempestatibus, & arenæ vi obrutus perijt. Cambysem igitur audiemus loquentem de virtute, aut optimi Principis præcepta tradentem? Putabimúsne illum melius alijs posse præcipere, quàm se ipsum instituere? Nisi forsitan ex Xenophontis eloquio melior factus esset, aut ab eo reuocatus ab inferis iustitiam pietatemq; didicisset: sed philosophus ille eruditissimus non ad veritatem historiæ, sed ad adulationē Cyri Regis illa scripsit. Onesicritus Diogenis

Xenophon Platonis æmulus.

Lib. 17.

[Ones]icriti discipulus eadem similitudine tyrocinia Alexandri scripsit:& certè Regum omnium auctorē habuit,à quo non modò egregiæ indolis præcepta, & primæ eruditionis monita accipere potuit, verùm multarum etiam virtutum exempla. *Onesicriti & Diogenis. Alexander.*

Sed ego sic statuo,nihil in simplici genere perfectū omni ex parte inueniri posse: prudentissimusq; mihi videtur fuisse Zeuxis Heracleotes,pictor ille eximius, qui ex pluribus diuersisq; puellarū formis perfectam pulchritudinē delibauit:nec vnius exemplar satis esse putauit,ad illius fœminæ simulacrū pingēdū,cuius formā vniuersa Græcia admirata sit, & oēs poëtæ laudib. extulerint,proq; ea Asia omnis & Europa certauerit,nec inuentus sit vspiam sculptor aut pictor, qui illius imaginē arte sua æquare potuerit. Eadem diligentia vsus dicitur idem artifex,cùm Agrigentinis facturus esset tabulam illam,quā in templo Iunonis Laciniæ publicè dicauerunt.Primò enim virgines eorum nudas complures inspexit, & quinque forma præstantiores elegit,vt quodcunque in singulis laudatissimum esset,pictura imitaretur. Hanc sententiam etiam probasse videtur Eupompus etiam pictor, qui rogatus à quodam, quem antiquorum artificum, cùm pingeret, sibi proponeret imitandum, dixisse fertur, demonstrata hominum multitudine: *Naturam ipsam sequamur oportet, non hominem aliquem.* Quo ex dicto Lysippus Sicyonius dicere solebat, audendi rationem sese in pictura accepisse. Et certè natura ipsa artes penè omnes edocuit. Atque, ne ab officina huius artis discedamus, pictura (vt veteres docent) initium accepit ab hominis vmbra in sole inspecta, quæ deinde lineis circunductis simulacrum hominis ostēdebat.Hinc linearis ars,quæ γραφὴ Græcè dicebatur, duxit originem, cuius inuentorem alij Philoden Aegyptium,alij Cleanthem Corinthium fuisse perhibent, qui primi ea vsi sunt sine vlla colorum diuersitate: sed vsus deinde & exercitatio omnes artes perficit. Cicero quum de optimo genere orādi scripturus esset, singulos quosque oratores,qui ante eum dixerant,aut scripserant, suo *Zeuxis pictura. Cic. lib. 2. de inuentione. Iuno Laciniá. Eupompi pictoris responsum. Lysippus. Pictura initium, de quo Plinius quoque. Ars linearis. Cicero de claris oratorib.*

ordine recensuit, tam Græcos, quàm Latinos, & vniuscuiusque virtutem miro ingenij acumine, miraque verborum proprietate expressit : & nihil reliquit, quod in aliquo probandum esse duceret. Quinetiam quum non modò claros, sed obscuros etiam aliqua saltem ex parte laudaret, vt qui opinaretur in mediocribus quoq; aliquid esse, quod placere possit, exclamantem Atticum inducit, ac dicentem : *Tu nunc quidem de fæce hauris*: cui ipse responsum affert, se omnes cõquirere, qui in multitudine dicere ausi sunt, ne qd omitteret, quod vtilitati conduceret. Atqui cùm in alio loco Demosthenem cũctis alijs oratoribus prętulisset, dixit tamen illum non semper aures suas implere, quippe quæ capacissimæ essent, longeq; perfectius aliquid nõnunquam expectarent. Idcirco perfectionem veram ducendam esse à suprema illa imagine, de qua modò dixi, arbitratur, delibandumque esse ex singulis quibusque, quod perfectissimũ esse apparebit. Nec Lysippum pictorem probare videtur, qui vnum solum Polycliti opus quasi magistrum sibi præfecerit, à quo tantum didicerit, vt ad id exemplar sexcenta & decem opera perfecerit. Dicebat nanque Lysippus Doriphorum puerum à Polycleto factum omnes artis virtutes in se habere. Proinde artifices illum canona vocabant, lineamẽta totius artis ex eo sumebãt, veluti à lege quadã totius picturæ. Adeò in vno opere ars omnis consũmata erat. Huius quoque maximi oratoris exẽplo dixit Horatius: *Indignor, quandoq; bonus dormitat Homerus.* Et quamuis diuinus ille poëta fœlicitate ingenij cũctis mortalibus consensu omnium scriptorũ præfertur, tamen aliquando conquiescere, aut oscitare Horatio visus est. Plerąque autem sunt in disciplinis & artibus, quæ nullis præceptis edoceri possunt, & vix etiam proprijs verbis exprimi, quæ quidem magno ingenio viri, alta cogitatione diuturnoq; vsu adepti sunt. Et ne à pingendi officina recedam, quanti laboris est animi affectus penicillo, vmbra, lumine, ac colorum varietate exprimere? Non enim satis est pictorem corporum tenus tantum laborare, sed animi quo-

Lysippus. Polycletus.

Horatius.

Ars vera picturis.

quique sensus vt exprimat, omni cura omniq; diligentia nitatur oportet. Polycletus Sicyonius animi affectus plurimum dicitur ostendisse, & præcipuè in illis duobus pueris, quos nudos talis ludentes fecit, viui enim, & penè spirantes esse videbantur: quo opere nullum absolutius pleriq; iudicauerunt. Laudatur etiã hac in re Lysippus, & hic gloriabundus dicere solebat: Alios artifices, quales essent homines facere, se autem quales viderentur. Euphranor quoq; maximam laudem assecutus est in Paride, quẽ ex ęre fecit, in quo omnia simul intelligebantur, iudex Dearum, amator Helenæ, & Achillis etiam interfector. Hanc solertiam sunt qui primũ cogitasse putẽt Aristidem Thebanũ pictorem. Huius pictura fuit, vrbe ab hostibus capta, ad matris morientis ex vulnere mammam adrepens infans: intelligebatur enim sentire mater, & timere, ne mortuo lacte sanguinẽ infans lamberet. Est & alia occulta virtus, quam in pictura omniũ præcipuam dicebat esse Appelles: hæc ἀγλαΐα Græcè, Gratia à nostris, vel Venus poëtico verbo dicitur. Hanc Apelles sibi soli vẽdicabat: dicebat enim reliqua omnia pictores alios cogitasse, venustatem autem se solum cognouisse. *Plin.l.34.c.8.* *Pli. l 35.c.10.*

Nunc ad propositam rationem redeo. Multa animi bona in Alexandro extiterunt, indoles imprimis, qua Reges omnes præuertit. Constantia in subeundis periculis, velocitas in perficiendis rebus, fides in deditos, clementia in captiuos. Quis consideratior illo? quis prudentior? quis rectior? quis moderatior? quis in laboribus fortior? quis benignitate, liberalitate, magnificentia præstantior? Hæc tamen & complura alia animi corporisq; bona, sola ebrietate ac temulentia fœdauit, qua quidem aliquando percitus, violentior truculentiorq; in amicos quàm in hostes extitit. Iulius autem Cæsar animi præstantia mortales omnes longè anteiuit. *Cui* (vt Plutarchus testatur) *nemo summorum virorum, aut clarissimorum Ducum, Imperatorum, Regúmve præferendus vnquam fuit.* Nam si quis Fabios, Scipiones, Marcellôs, Syllam, Marium, vtrunque Lucullum, & ipsum Pompeium *In Cæsaris vita.*

huic contulerit, Cæsaris gesta omni ex parte superabunt: qui si imperium non inuasisset, sed illud sine iniuria quæsiuisset, vel lege, aut hæreditario iure accepisset, is solus esset, à quo exempla penè omnia, quæ ad optimũ quemque Regem aut Imperatorem pertinerent, eruere possemus. Sed quoniã & Alexãdro & huic aliquid defuit, quod ad cumulum virtutum accedere debuisset, perfectum aliud quippiam atque omni ex parte absolut[illegible] quæramus, delibando à singulis, quod optimum fuerit, quando in vno omnia accumulata atque perfecta inuenire nequaquã possumus. Exemplumq; M. Varronis sequamur, qui cùm optimũ ciuem & Principẽ Reipublicæ describere vellet, non vno aut altero contentus fuit, sed septingentorũ virorum illustrium nõ solùm vitas ac mores, & præclara domi militiæque gesta oratione complexus est, verùm singulorum imaginem ac faciem sermone veluti penicillo expressit. Nec præceptum illud Plinij secundi viri eruditissimi hoc loco seruabo, qui in quadam epistola ait: *Præcipere qualis esse debeat Princeps, pulchrum quidem, sed onerosum, ac penè superbum est.* Laudare verò optimum Principem, ac per hoc posteris velut è specula lumen quod sequãtur alijs ostendere, id vtilitatis plurimum habet, arrogantię verò nihil. Ego tamen institutum meũ sequar, auctoribus tot Græcis philosophis, quos principio huius operis mei recensui: ne dum arrogantiæ calumniam fugio, adulationis crimen subeam, quod longè grauius mihi esse videtur. Video enim quosdam reprehendi, quòd ea per blanditias in Principe aliquo laudauerint, quæ tacenda fuissent, quia vel frigidiora esse viderentur, vel omnino vituperanda, quasi turpia & indigna homine libero. Adulationis atque mendacij reprehẽsione non caruit Xenophõ, quum ea de Cambyse & Cyro dixit, quę à veritate lõgè aliena erant: vnde Plato in eum inquit: *Quæ de Cyro scribuntur, ficta omnia sunt, & ad beneuolentiam potius captandam dicta, quàm ad fidem veritatis.* Fuit siquidem Cyrus vir prudens ac strenuus, cuius pædiam Xenophon scripsit. Cicero quoq;, vt Platonis in omnibus imi-

Marci Varronis institutũ.

Plinius, in epistolis.

imitator cognosci possit, ait: *Xenophon veram historiæ fidem non sequitur, sed effigiem iusti imperij.* Nos igitur præcepta nostra à prima Regis educatione atq; institutione ordiemur.

De prima Regis institutione.

TIT. V.

CHRYSIPPUS Solensis, quem Laërtius quinque & septingenta librorum volumina scripsisse testatur, quum sapientem futurum à materno vtero alendum educandumque sumeret, lactis alimoniam propriæ parenti, vt natura edocet, tradit. Nam nequaquam integra mater esse videretur illa, quæ cùm in aluo habe ret, eum aluit quem ignorabat, si postquam in lucem homo editus est, eum aliò ablegaret: sed si quo casu lac nato infanti præbere nequiret, videndum est vt nutrices, quas adhibet, sapientes sint, si fieri potest, & nullo vitio manifesto inquinatæ. Plurimum enim confert lactis alimonia, non modò ad corpus formandum, verùm etiam ad affectus ac mores. Temulentia, iracundia, ignauia, torpor & his similia etiam cum lacte imbibuntur. Videndum igitur erit, vt lactantes Regis pueri, nisi à matre alãtur, optimas habeant nutrices, & animo corporeque præstantes: sintq; etiam puro nitidoque sermone, ne futurum Regem à prima ætate edoceant ea, quorũ pudeat cũ creuerit, vel dediscere cogatur. Natura enim pueri tenacissimi sunt eorũ, quæ à teneris vnguiculis (vt aiũt Græci) accipiunt: *Et deteriora*, vt Quintilianus refert, *pertinaciter hærent: bona autem facilè mutantur in peius.* Alcibiades Atheniensis quibuscunque Græcis ac barbaris temporibus suis fortitudine, consilio, & scientia rei militaris præferendus fuit: & in omnibus certaminibus quibus præfuit, hostes terra marique superauit. Is nihil in vita magis expetendum duxit, quàm vt fama, & rerum gestarum gloria cæteros omnes anteiret. Fuit autem audax & intrepidus adeò, vt Spartanus potius, quàm Atheniensis videretur. Hanc naturã complures eius æquales putabant

De Chrysippo Laërtius.

De qua re & Gellius, Plutarchusq; de lib. educatione.

Vis lactis materni.

Amycla nutrix Alcibiadis.

Plutarc. in vita Alcibiadis.

eum à lactis alimonia duxisse. Nutrix siquidem eius Lacæna fuit, Amycla nomine, vt locupletes testes sunt Antisthenes & Plato. Quæ animorum differentia inter has tres ciuitates fuerit, facetè admodum docuit Stratonicus, qui monebat Athenienses, vt mysteria pompasque agerent, Elienses ludos ederent, Lacedæmonij autem verberibus illos cæderent, quum deliquissent. Erat enim vulgata eo tempore opinio inter omnes gentes, Lacedæmonios Græcorum omnium Præceptores esse, fortitudinis ac rei militaris magistros: à quibus cùm aliquando rediret Diogenes Cynicus, & Athenas pergeret, interroganti vnde veniret, & quò iret, scitè respondebat, *se venire à viris, accedere autem ad mulieres.* Agesilaus verò Spartanorũ Rex glorianti cuidam Atheniensi, quòd mœnia Athenarum admirandæ latitudinis atque altitudinis essent, subridens ait, *id optimè factum fuisse, quando ea mœnia non viris constructa essent, sed mulieribus.* Hæc Agesilai sententia cum Romanis conuenit, qui (vt Strabo refert) dicere solebant: *Non viris mœnia, sed viros mœnibus propugnacula afferre debere.*

Ex Plutarc. in apophth.

De prima Regis educatione.
Tit. VI.

Sed redeat iam sermo vnde defluxit. Lactis educatio plurimum potest. Cernimus enim nonnunquam abstemias nutrices abstemios alumnos educare, & ex contrario temulentas ebriosos alere. In cæteris quoque animalibus id etiam vsu venit. Hœdi siquidem qui ouiũ lacte aluntur, molliore sunt capillo, quàm quos propriæ matres nutriunt. Et agni quibus capræ lac præbent, duriore sunt lana: vt docent veteres illi qui elegantissimè de agricolatione scripserũt. Optimæ igitur nutrices Regis filio, qui ad Regni spem editus est in lucẽ, deligendæ sunt, & prudentia, virtute, morib, sermone, forma, & habitudine probatissimæ: ne natus ad tantam sublimitatem infans, in primo vitæ limine tam parua diligentia fraudetur. Sed de hac tenu

tuera educatione paucis à me hoc loco differendū exiſtimo puto,& ſolùm de his dicendum, quæ ſublimiora ſunt, & ſupra ciuiles mores eſſe videntur,& ad ſolos Principes pertinent.Communia ſiquidem & vulgaria illa,quæ ſingulos quoſque ciues reſpiciunt, ſatis ſuperq; tractaui in libris de ciuili ſocietate.Omnis itaq; prima educatio muliebris eſt, & præcipuè matri incumbit. Cornelia Gracchorum mater filiorum eloquentiam ſermonis conſuetudine à tenera ætate adiuuit,ſic etiam Aurelia Cæſaris,& Accia Auguſti: hę nanque matres educationibus liberorum ſic prę-fuerunt, vt eos quaſi ab infantia Reipublicæ Principes formauerint. Priſcis enim temporibus magnorū virorum coniuges,ac filiæ non lanificij aut lini vſum tantum callebant,verùm viriles quoq; virtutes ac diſciplinas imitabantur. Hortenſia enim Q. illius Hortenſij filia , qui de eloquentiæ laude cum Cicerone certauit,cùm ordo matronarum à Triumviris graui tributo oneratus eſſet, nec quiſpiam virorum præ timore patrocinium eis præſtare auderet, cauſam fœminarum apud Triumviros conſtanter fœliciterque peregit,paternamq; eloquentiam mira grauitate, & gratia expreſſit.Ante ſeptimum ætatis annum pueri ad patris conſpectum raro accedebant, non modò apud Lacedæmonios, quorum caſtigatiſſima eruditio fuit , verùm & apud Perſas & Scythas:hoc ideò obſeruabant,ne filij antè patrem dignoſcerent, quā illum vereri ac venerari didiciſſent. Et alia etiam ratione,ne parentes primæ teneritudinis blanditijs illecti, nimia indulgentia in pueros tenerentur , nec ſi quid eis accideret, vt pro illius ætatis infirmitate fieri ſolet, nimio mœrore angerentur , interea eorum curam matribus relinquebant.Durius Galli agebant (vt refert Cæſar) qui non antè filios ſuos ſe adire permittebant,quàm adoleuiſſent, & munus militiæ ſuſtinere poſſent.

Cornelia. *Aurelia.* *Accia.* *Magnorum virorū coniuges apud veteres quales.* *Hortēſia,cauſſam egit.* *Lacedamonij.* *Perſæ.* *Gallorū mos in educandis liberis.*

Magni referre quos quisq; audiat quotidie, quibuscum loquatur à puero, & quibuscum frequens sit consuetudo.

Tit. VII.

MATERNAE igitur curæ erit, non modò vt salubriter alatur puer, & vt optimo, puroque sermoni consuescat, sed vt nihil turpe aut indecorum audiat, cernat aut suspicari possit. Scurræ, mimi, histriones, & eiusmodi artifices ab illius aspectu exigendi, prohibēdique sunt, qui nequitiarum, illecebrarum, ac omniū voluptatum sementem iaciunt, quę vt primùm adoleuit, *indolis ac probitatis igniculos quosdam à natura nobis ingenitos*, vt ait Plato, *extinguit, & virtutem animi, ac corporis effœminat atq; eneruat.* Arcendi etiam & exigendi sunt Pumiliones, quos Græci *νάνους* appellant, homines scilicet parua nimis & humili statura, quos Octauius Cæsar horrebat, & sic eutrapeli omnes, ac manci. Afferebat namque illos naturæ ludibria esse, & monstra mali ominis. Optimè legislatores statuerunt, non alendos esse, neque inter liberos habendos, quos mulier monstris similes, & contra humani generis formam peperit. Hosque inter prodigia procurandos esse veteres historici affirmant. Pellendi etiam Spadones, quasi violatæ naturæ monstra. Sunt enim obluridi, enerues, ignaui, indecoraque membrorum cōpage deformes. Semiramis Regina, quæ prima teneros mares castrasse dicitur, iacturam non minimam laudis, quam ex condita Babylone assecuta fuerat, fecit hoc scelerato flagitio. Cuius tamen pessimum exemplum pleræque orientales Reginæ imitatæ, diutius eunuchos in delicijs habuerūt. Fabulas illas, quibus pueris nutrices eblandiuntur, non probat Plato. Ait enim, quando pueri per ætatem ad rationem animo capessendam minus idonei sunt, ludo, ioco, fabulisque præparentur, quæ quidē si falsæ sunt, faciem quandam veritatis præ se ferant oportet, vt veræ esse posse videantur: omnino tamen castæ

Plato.

Octauius.

Spadones.

Semiramis, prima masculos castrauit.

Plato, improbat fabulas nutricum.

stæ sint ac modestæ, & nullam turpitudinis speciē præstent, nihilque timoris, formidinisve incutiant cauendum est, néve vanam aliquam, & anilem superstitionem inducant.

Obscœnitas verborũ, procul amouida. Obscœnitas omnis verborum à puerorum auribus prohibenda est: libertatem enim verborum, licentia quoque actionum sequitur. Turpiter etiam dicta, turpiter facta comitantur. Puerorum indolē non tam adiuuant, quę quotidie bene dicuntur, quàm inficiunt quæ pessimè & petulanter proferuntur. Hæc enim pertinaciter in mente hærent, illa autem facilè dilabuntur. *Scythæ moderati & abstinentes.* Scythæ moderatione & abstinentia cæteros mortales antecellunt: & hoc admirandum inprimis veteres esse scribunt, id illis à natura datum, quod ne Græci quidē doctrina ac præceptis assequi potuerunt. Nam si Græcorum varijs disciplinis excultos mores cum illorum indocta barbarie conferas, vincunt animo barbari. Tanto plus in Scythis potuit vitiorum ignoratio, quàm in Græcis virtutis cognitio. *Thraces. Menander. Getæ.* Thraces modestissimi habiti sunt, de quibus Menander (vt refert Strabo) eiusmodi verba protulit: *Thraces vniuersi, & præcipuè nos Getæ (nam indigenam me eorum esse glorior) omnium rerum continentiam valde agimus.* Non erit igitur parua eruditio in pueris assequi, vt vitia omnino ignorent.

Præceptores & Pædagogi graues pueris adhibendi.

Tit. VIII.

Adhibendi deinde sunt viri graues & eruditi, qui alendi, exercendi, erudiendiq; pueri curam habeant, præsintq; alijs Præceptoribus, & videant nequid turpiter aut indecorè agant, sed tempori adsint, ac curent vt quisq; officio suo modestè, sanctè iusteq; fungatur, *& artem suam doceat, alienam autem non attingat.* Optimè veteri prouerbio præcipitur: *Artem quisq; suam doceat; sus nulla Mineruam.* Sic enim ab ineunte ætate Reges instituēdi sunt, vt non solum sibiipsis, sed & alijs quibus pręsunt, sapiētia & exemplo prosint. Achilles *Achilles.*

diligentes habuit Pręceptores, & imprimis Phœnicē Amyntoris filium, qui cùm suadente nouerca rem cum patris concubina habuisset, patria eiectus est, & ad Peleum diuertit, à quo grato hospitio susceptus, Achilli dicendi agendique magister adhibitus est: multò tamē plura didicit Achilles à Chirone Thessalo, quem poëtæ centaurum, hoc est dimidio equū propter equitandi peritiam fuisse fabulantur. Vnde illud Claudiani poëtæ. *O qui hausit Achilles Semiferi præcepta senis, seu cuspidis artes, Siue lyræ cantus, medicas seu disceret artes.*

Claudianus.

Philippus Macedo Magni Alexandri pater, sordidum ante se Macedonum nomē, ad spem imperij totius orbis terrarū erexit. Et si causam vnde tantæ virtutis incremēta manauerint, quærimus, inueniemus primam eruditionem solida ei fundamēta gloriæ ac laudis iecisse. Alexander enim eius frater natu maior regiam dignitatem apud Macedones gerebat, contra quos Illyrici (gens eo tempore potentia & armis illustris) bellum gerebant: verùm cùm rursus succubuissent Macedones, compulsi sunt vt pacem redimerent arbitrio Thebanorum, qui pro vtrisque spoponderunt. Dati sunt eis à Macedonibus obsides, quorum princeps Philippus Regis frater extitit, qui tum adolescēs erat. Is triennio apud Epaminundam desedit, à quo bonarum artium studia, & rei militaris disciplinam perdidicit. Et sic breui tempore virtute excelluit, vt quū mortuo fratri in regno successisset, non solùm Illyricos, quibus obses datus fuerat, subegerit, verùm non dubitauerit totius Græciæ imperium inuadere, & omnium ante se Regum gesta longè superare: Et quamuis in rebus bellicis assiduè versabatur, tamen à liberalibus studijs nunquam aberat, in quibus tantùm profecit, vt libros epistolarū reliquerit, quos Cicero se lectitasse refert, & illorum grauitatem, prudentiam, & eloquentiam non mediocriter laudat. Hic deinde magnam diligentiam in Alexandro filio erudiendo instituendoque exhibuit. Nam Leonidam virum integrum, & morum comitate ac iucūditate conspicuum, qui Olympiadi per

Eruditio fundamentum futuræ gloriæ.

Philippus ab Epaminonda bonas artes & militiam edoctus.

Libro de claris oratoribus.

Leonidas, Alexandri Pædagogus.

per affinitatem coniunctus erat, Præceptoribus, ministris, familiæque præfecit. Hunc tamen Diogenes Babylonius scripsit vitijs quibusdam Alexandrum imbuisse, quæ robustum quoque ac maximum Regem ab illa puerili institutione prosecuta sunt, vt Fabius Quintilianus refert. Lisimachum autem Præceptorem inter bonarum artium doctores esse voluit, qui sæpe per iocum dicebat, *se Phœnicē esse, Alexandrū Achillem, Philippum verò Peleum*. Adiecit paulò post his omnibus Philippus Aristotelem temporibus illis philosophorum omnium acutissimum, eruditissimumque, à quo Homeri libros in primis didicit Alexander, deinde ciuilem sapientiam, deinceps autem speculationes quasdam philosophicas, quibus summopere delectatus est, ad æmulationem condiscipulorum vsque.

Diogenes.

Cap. 1. lib. 1. instit. orat.

Non paruam etiam diligentiam erudiendo Alcibiadi impenderunt Pericles & Ariphron, viri præclari, & à Clinia ipsius patre tutores testamento relicti. Eidem enim primò, cùm puer esset, Zopyrum virum in studijs bonarum artium peritissimum Præceptorē tradiderunt, à quo complura, quæ ad primam eruditionem pertinent, perdidicit: deinde cùm adoleuisset, & illius dicto minus auscultaret, ac licentiam viuendi liberiorem iam propter ætatis formæq; procliuitatem accepisset, in illecebras turpesque Græcorum lasciuias prolapsus est: à quibus eum Socrates vir sanctissimus & innocentissimus reuocauit. Et vt ferrum igne mollitum aqua densari solidarique solet, sic Alcibiadis ingenium voluptate ac turpitudine diffluens, disciplina, sapientia, seueritate, eloquentiaque Socratis in dies magis magisque cohibebatur, & ad frugalitatem propius accedebat. Hæc Socratica disciplina summa beneuolentia confirmata, tantum potuit, vt ad claritatem, & gloriā consequendam, nō mediocrem occasionem Alcibiadi præbuerit, quippe quæ eum ex nebulone impuro præclarū reddiderit virum, & Ducem Imperatoremque illustrissimum. Beneuolentiam in Alcibiadem imprimis ostendit Socrates, cùm simul militauerunt

Plutarc. in vita Alcibiadis.

Socratis fa-

ad

[For]tissimè pugnauit ad Potideam.

ad Potideam: nam cùm fortissimè pugnasset nauali prælio, adeò vt ei victoriæ corona decerneretur, illam vltrò Alcibiadi concessit, qui tum adolescens erat, & nulla adhuc bellicæ laudis fundamenta iecerat: quo quidem principio maximam deinde laudem assecutus est.

Grammatica Regibus futuris discenda.

Grammaticæ laus generalis.

Discat futurus Rex à teneris annis Grammaticen, quæ fundamenta iacit omnium disciplinarum, sine qua omnes infantes atque elingues essent, & barbaro sermone blęsi ac balbutientes: quę quidē in omni studio plus operis, quàm ostētationis habet. Hæc & loquendi artifex erit, & poëtarum historiarumq; interpres, aliarumq; doctrinarum, quasi dux & auriga.

M. Antonius.

M. Antonius, qui inter Cæsares virtutis ac sapientiæ laudem meruit, diligenter admodum singulas quasque disciplinas perdidicit, & præcipuè Grammaticen, in qua Præceptores Latinos habuit Trasium, Aprum, Palæmonem, Eurychium, Proculum, & Alexandrum Græcum. Proculo verò tantum detulit, vt eundem ad proconsulatum vsque prouexerit. Licon Troadensis Stratonis discipulus fuit, & eloquio plurimum præstitit. Is cùm in educādis, instituendisque pueris idoneus valde haberetur, dicere solebat, duo necessaria pręcepta pueris pręcipuè adhibenda esse: pudorem imprimis vt seruarent, qui actiones cupiditatesque regere, & pro habena retinaculoque esset: Deinde laudis studium, quod discendi atque agendi aculeum ac calcar acutissimum subderet. His præceptis Grammaticus in discipulos vtatur, expedit, quorum alterum virtutem, alterum ingenium excitabit.

Pueris præcepta duo tradenda.

Puer Regius ab Homero Græco, à Virgilio Latino ordiatur lectionem poeticā. Lib. 1. orat. instit.

Græcè & Latinè instituendus puer.

Ab Homero ex Græcis inchoanda est tractatio poëtarum, exemplo Aristotelis, ab eo nanque incepit, vt modò dixi, cùm Alexandrum institueret. Ex nostris autem à Virgilio, vt Quintilianus præcipit. Vtranq; enim linguam discat, si per ocium licebit, opus est. Hæc heroïca lectio plurimum Principibus ac Regibus confert, quorum animi eriguntur sublimitate heroïci carminis, cuius inuentum Pythio Apollini tradunt, quando per Phœmonoëm virginem eo versu futuros caneret euētus. Argumentorum enim excellen-

cellentia, & rerum magnitudo, quæ carmine illo cõtinetur, ad imitationem rerum regendarum lectores inuitat, & promptiores alacrioresque reddit. Sunt etiam qui putent Homerum in Rhapsodijs suis Principem instituere voluisse: insunt nanque in eo non solum bellorum ac rei militaris documenta, verùm ciuilia quoque præcepta, ac clarissimorum Ducum atque Imperatorum laudes, quarum studio accenduntur illi, qui dum legunt eiusmodi gesta in alijs, similem sibi ipsis gloriam affectant. Theseus & Pirithous æmulatione Herculis, cuius laudes tunc vniuersi poetæ decantabant, longinquas militias egerunt, vt nomina sua immortalitati commendarent. Proinde in fabulis scribuntur ad inferos vsque penetrasse: quod etiam intellexisse videtur Alexander. Nã cùm victor Ilion ingrederetur, multa oculis & animo lustrauit, illectus Homerica lectione, & vetustissima quamplurima perquisiuit: quod cernẽs quidam, eum rogauit, *velléine Paridis citharam cernere?* Tum comiter ridens respondit, *eam nequaquam sibi cordi esse, sed Achillis citharam videre malle, qua ille non Veneris illecebras, sed fortissimorum Ducum gesta & res inclytas canere consueuerat.* Huius sentẽtiæ astipulator etiam videtur fuisse Octauius Cæsar. Nam cùm victo Antonio Alexandriæ esset, quæsiuit ab his qui rebus sacris præerant, vt vrnam, in qua corpus Magni Alexandri (quod à Perdicca sustulerat Ptolomæus Lagi filius, quum illud ex Babylone referret) conditum fuerat, ei ostẽderent. Cumque illi eam è penetralibus solenni more protulissent, venerabundus procubuit Octauius, diligenterque vrnam inspexit, & eam floribus conspersam corona donauit. Tum illi eum rogauerunt, num etiam Ptolomæum videre vellet? quibus ille respondit, *Se regem voluisse intueri, non autem mortuos.*

Theseus & Pirithous.
Plut. in vita Alexandri.

A futuro

A futuro Rege qui scriptores legendi discendiq; sint, quive negligendi.

TIT. IX.

Poetarum vis ad excitandum.

Plutarc. in vita Cleomenis.

QVantas vires animis addat etiam poëtica exercitatio, vel furor poëticus, hinc discere possumus. Leonidem Spartanum illū illustrem interrogatum aliquando, qualis sibi poëta fuisse videretur Tyrthæus? memoriæ proditum est, respondisse: *Bonum cumprimis ad iuuenum animos excitandos. Illius enim carmine concitos, tanquam furore aliquando correptos, nullis periculis parcentes, in pugnas ruere.* Fuit enim Tyrthæus ex oraculo Apollinis Lacedæmonijs Imperator datus ab Athenienfibus, per ridiculum: Imperitus enim erat rei militaris, & altero pede claudicabat. Nam cùm infœliciter adeò pugnassent Lacedæmonij contra Messenios, qui ab illis defecerant, vt eorum Reges iam de reducendo exercitu, & turpiter deserendo bello cogitarent, tum Tyrthæus dux factus, cùm cerneret, quò loci res Laconica per vecordiam deducta esset, opem auxiliūq; Musarum implorauit: quibus annuentibus elegiam commentus est, quam *Εὐνομίαν* à bona institutione appellauit, & eam suauissimis modulis ad tibiam pro militum concione cecinit. In ea damnorum erant solatia, belli consilia, fortitudinis laudes, & vltionis cohortatio: eoque carmine animos Lacedæmoniorum adeò inflammauit, vt Musarum furore conciti, qui toties succubuerāt, victores euaserint, & exercitum Messeniorum funditùs deleuerint.

Ex Strabone lib. 8. geographia.

Tragici, legendi.

Euripidis versus.

Sophocles.

Non sine vtilitate etiam leguntur Tragœdi, si mores in tuto fuerint, habent enim pondus ac nitorem verborum, & sententiarum grauitatem, præcipuè Euripides, *cuius singulos versus singula testimonia* se putare ad Tyronem scribit Cicero. Habuit Sophocles laudem suam non modò in Tragœdia, in qua peregregius habitus est, sed etiam in militari disciplina. Quocirca ab Athenienfib. difficili bello cōtra Lacedæmonios & Thebanos dux creatus est, vnà cum Pericle

tide spectatæ virtutis viro, qui Atheniensium imperium plurimum auxerunt. Sed turgida illa & inflata, quæ sunt apud Tragicos, & quæ desperationẽ quandam, & animi impotentiam præ se ferre videntur, fugienda omnino sunt. *Ex stultis enim insanos faciunt*, vt ex Stoicorum sententia ait Comicus ille. Eodem etiã modo Comici legendi sunt. Alunt siquidem quotidianum sermonem, & proprietate elegantiaque verborum eloquentiam nitidiorem vberioremq; reddunt. Sed vt breuiter concludam, singuli poëtæ, si cũ delectu quodam leguntur, proprias quasdam virtutes habent, & mirificam quandam gratiam, quæ à regia dignitate nequaquam aliena est. Miscent enim Gratias Musis, & orationem omni ex parte gratiorẽ iucundioremque reddunt. Nihil in Neronis ingenio laude dignum fuisse duco, nisi quòd ad poëticam pronum aptumq; fuit. Versus quidem facillimè cõponebat, nec rudes aut indisertos, sed faciles atque eruditos: nec alienos pro suis edebat, vt quidem falsò putabant, sed suos, ac proprios. Eius nanque libellos in manus suas peruenisse testatur Tranquillus, cùm quibusdam notissimis versibus, ipsius chirographo scriptis, ex quibus facilè apparebat, non translatos, aut dictante aliquo exceptos, sed planè à cogitante scriptos. Ita multa & deleta, & inducta, & superscripta in alijs fuisse asserit.

Pericles.

Poeta.

Nero poësis studiosus.

Obscœni poëtæ omnino negligendi sunt: bonos enim mores corrumpunt, & animum nequitijs imbuunt. Non poëtarum studium, sed animi sui labem ostendebat Aelius Commodus Verus, *quum Martialem dicebat suum esse Virgilium*. Nos autem Platonem audiamus, qui ea poëtas scribere iubet, quæ viros bonos efficiant, doceantque bonos beatos esse, malos verò miseros, etiam si fortunati ac diuites essent.

Poeta obscœni negligendi.

Commodi Virgilius, Martialis.

Historio-

Historiographos & annalium libros Reges futuri lectitent: maiorum statuas & imagines parum curent.

TIT. X.

Lib 1. de oratore.

PROXIMA poëtarum cognitioni historia accedit, quam Cicero *testem temporum, vitæ magistram, vitam memoriæ, veritatis nunciam* appellat. Cuius cognitio Regibus, Ducibus, Imperatoribus & omnibus Principibus perquam necessaria habenda est. Ex ea nanque omnium virtutum exempla depromuntur, & imitationes quæque clarissimarum actionum. Nã si corporum simulacra, & effigies manu artificum factæ, iuuenum animos excitare solent, ad eorum imitationem, quorum illæ imagines sunt, quanto magis id assequentur historiæ, & rerum gestarum monumenta, quæ mentem animumque exprimunt, non autem corporis lineamenta, formæq; speciem?

Historiæ præstantia.

Tanto enim præstat imagini historia, quanto corpori animus.

Nec corporis pulchritudine glorientur præstantes viri, quãdo ea & facilè mutatur morbo vel senio, & quamprimum concidit, sed sapientia, cõsilio, fortitudine, & rebus illis, quæ animi virtutẽ ostendunt. Proinde sapienter Romani, cùm alicui excellentissimo viro statuam decernebant, nõ nudam Græcorum more (qui nihil in ea velabant) fieri iubebant, sed togatam, si pro ciuili laude decreta fuerat, armatam verò si pro bellica gloria: vt non corporis tantum effigiem, sed animi quoque virtutem aliqua ex parte ostenderent. Armata fuit Horatij Coclitis statua, illius qui Thuscos hostes & Porsenam Regem põtis sublicij transitu, vno sui corporis obiectu prohibuit. Togata verò, & velato capite Accij Nauij, qui Tarquinij Prisci tempore inclytus augur habitus, nouacula cotem dissecuit, qua ex re augurijs sacerdotioque augurum tantus honos accessit, vt nihil deinceps bello domiue nisi ex auspicio gereretur. Quæ verò à doctissi-

Statua Romana laudabilior Græcis.

T. Liu. dec. 1. l. 1. Idem dec. 1. lib. 2.

Val. lib. 1. de Auspicijs.

[illegible]mis scriptoribus literarum monumentis man[illegible]tur, ea veram hominis effigiem ostendunt, & vbi[illegible]que gentium, terrarum, locorúmve ab omnibus vi[illegible]tur: at statuæ ipsæ sensibus carent, & vix oris linea[illegible]menta imitantur; & à paucis vno tantùm loco cerni possunt. Hanc etiam sententiam mihi ostendisse vi[illegible]dentur Athenienses; qui quum memoriam Thesei ce[illegible]lebrarent, Connidam illius Præceptorem, qui non[illegible]nulla eius gesta literis commendauerat, maiore ve[illegible]nerati sunt honore, quam Silamonem & Parrhasium, quorum alter pictura, alter sculptura Thesei simula[illegible]crum imitatus est.

Plut. in vita Thesei.

Ambitiosè admodum mihi egisse videtur Peri[illegible]cles, qui se Athenis in scuto Mineruæ cum Amazo[illegible]ne pugnantem à Phidia pingi voluit, quum esset vir [illegible]mus in re bellica, & consilio, virtute, ac rerum [illegible]rum gloria floreret, cuius monumenta longè [illegible] scriptorum memoria, quàm tenui pictura [illegible]rentur.

Periclis ambitio.

Atqui si artifex ille, suiipsius imaginem imitatus [illegible], calui senis specie saxum vtrisque manibus attol[illegible], nō est admirandum: eius enim laus ex solo pe[illegible]nicillo, & coloribus pendebat, non ex animi virtute, & rebus gestis, sicut illa Periclis, quę non modò diu[illegible], verùm immortalis futura erat, literarum lumi[illegible] accensa. His verò ex rebus tantam inuidiam con[illegible] Phidias, vt præ liuore obtrectatorum in carce[illegible] duceretur, & breui tēpore tabe & mœrore con[illegible] periret, pœnasque daret artifex nobilissimus [illegible] affectatæ gloriæ.

Phidia mors.

Polygnotus pictor etiam peregregius, vt famam [illegible] sui propagaret, Stoicorum porticum pro[illegible] opera & impensa Athenis pinxit, vt Melanthius [illegible] meminit. Et pictura historiā Troiani belli con[illegible]bat, & cùm eò loci ab artifice ventum esset, vt [illegible] mulieres pingeret, ab Elpinice Miltiadis vi[illegible]rissimi filia, (Cimonis iuuenis pietate & rebus [illegible] nouissimi sorore) clanculum accersitus exti[illegible]. Erat tunc Elpinice ætate integra, & forma inter [illegible]nienses fœminas conspicua. Accessit ad eam

Plut. in vita Cimonis.

pictor non inuitus, vt qui non exactæ ætatis esset, ne puellæ venustatem exhorreret. Tum illa studio gloriæ accensa, multis blanditijs pollicitationibusque eum orat, vt imaginem suam proprio ore, proprijsque lineamentis inter Iliacas mulieres pingeret. Quod quidem summa diligentia perfecit artifex, eamque quasi spirantem pictura reddidit: sed precium tanti operis illius noctem exorauit. Nec sanè mirandum esse duco Elpinicem potestatem corporis sui pictori permisisse. Nulla enim animi virtute famam sperare poterat; erat enim suspectæ pudicitiæ. Proinde quamuis illustri genere nata esset, tamen minus bellè audiebat. Sola igitur pulchritudinis imago illam ab omni obliuione aliquando vendicare poterat.

Praxiteles Phrinem nudam sculpsit.

Praxiteles quoque omnium artificum marmore fœlicissimus, Phrynem formosissimam eo tempore, sed famosam, vehementer adamauit; ea nullum aliud amoris ab eo præmium postulauit, nisi vt se nudam sculperet: quod quidem ille diligenter effecit, adeò vt ex imaginis facie, & artificis amor, & lætitia exultantis meretricis præ gratissima mercede cerneretur.

Glycere Thespiensis forma quoque eximia, ab eodem artifice perfecti operis Cupidinem amoris præmium accepit, quem quidem Thespiæ ornatissimo sacello cõsecrauit. Et cùm oppidum illud despectum esset, & raró propter itineris difficultatem à viatoribus viseretur, eius simulachri fama longè celebrius habitum est: omnes enim, qui per regionem illam iter faciebant, illuc diuertebant, vt Cupidinis imaginem illam intuerentur. Cuius rei testimonium affert Strabo geographus. Arelius Romanus pictor laudem suam meruit.

Arelius Pictor, quando floruerit.

Floruit autem Cęsaris Dictatoris, ac deinde Octauij Augusti temporibus, sed infamis ex hoc habebatur, quòd cùm impudicæ semper alicuius mulieris amore teneretur, quasi precium flagitijs illis pendens, picturus Deas, faciem meretricum, quas amabat, magna similitudine imitabatur. Vnde vulgò Romæ omnes dicebant in Arelij

pictura

pictura scortorum imagines inter Deas numerari, vt Plinius refert. *Plinius l. 34.*

Sed iam ex longo interuallo in viam redeamus. Ego enim sic statuo, nullum corporis simulacrum quaerendum esse, vbi animi bona memoriae commendari possint. Isocrates Regi suo eiusmodi praeceptum scribit: *Statuas ac simulacra tibi relinquas, quae animi potius imaginem, quàm corporis lineamenta ostendãt.* Hoc manifesto documento patefecit Agesilaus Lacedaemoniorum Rex. Nam cùm certatim plurimi artifices vellent illius imaginem sculpere, nunquam id fieri passus est, vt qui assiduè conaretur animi monumenta ex rebus praeclarè gestis relinquere. Illud quidem sculptorum opus esse arbitrabatur, hoc suum; illud diuitum, hoc autem bonorum virorum. Et Cato senior cùm rogaretur, à quodam familiari suo, cur imaginem inter multos alios praeclaros viros non haberet, respondit: *Malle potius posteros rogare, cur Cato statuam inter illustres ciues non habeat, quàm mussitare quibus meritis statua sibi posita esset.*

Summa diligentia praeter caeteros omnes legendi perdiscendique sunt à Rege boni oratores. Quotiescunque enim pro concione loquitur vel ad Reges, Duces, Imperatores, aliósue Principes, non extemporanea atque fortuita, sed meditata atque accurata oratione vtatur oportet: ne cogatur deinde cùm rem diligentius cogitauerit, aut verba sua redarguere, aut sententiam mutare, quorum alterum imprudentiae, alterum verò leuitatis esse videtur. Tit. Liuius vir summae facundiae fuit, & Latinae historiae palmam meruit, scripsitque plurima librorum volumina, summo ingenio, mirificaque elegantia: attamen per literas suas filium monet, vt Ciceronem & Demosthenem legat, cum eis quos his simillimos viderit. Idem futuro Regi suadendum censeo. Sunt enim omniũ oratorũ maximi: & alter in ea Republica dicẽdo regnauit, quae totius orbis terrarum imperium tenuit: alter autem in ea quae studiorum sapientiae mater, musarum domicilium diutius

Eloquentia Princips necessaria.

Tit. Liuij laus.

Liuij ad filiũ monitio.

habita eſt. A quibus quidem oratoribus non mod
ſummam perfectamque eloquentiam aſſequem
verùm morum quoque ac ſapientiæ præcepta, & o-
mnium ciuilium virtutum præclariſſima exemp
Non ſolùm enim oratione & ſermone hi duo orat
res mortales reliquos antecellunt, ſed in morali ſa-
pientia præſtantiſſimi habiti ſunt, vt ex vtriuſque o
tionibus cerni manifeſtè licet.

Atqui Cicero ipſe de philoſophia, vt cernimu
complures doctiſſimos libros ſcripſit, & hanc be
viuendi diſciplinam cunctis alijs prætulit, quæ ta
habita eſt, vt Ariſtides philoſophus exiſtimauerit,
nullam perfectiorem virtutem, quàm ciuilem ſapiẽ-
tiam mortales conſequi poſſe. Omnis enim recti ho-
neſtiq; diſciplina Regi neceſſaria eſt, vt optimus vi
eſſe poſſit, & bene dicendi peritus: nam ſine morali
philoſophia inanitas quædam verborum eſt elo-
quentia. Proinde aliquandiu hæ duæ diſciplinæ con-
iunctæ fuerunt, & idem erant morum dicendique
Præceptores, quarum vtranque ab his optimis ora-
toribus ſimul diſcere licet.

Cicero, donũ Dei ſingulari, iuxta Quintill.

Ciceronem Quintilianus dono quodam diuina
prouidentiæ genitum fuiſſe putat, in quo totas vir-
tutes ſuas eloquentia experiretur. Præcipit quo-
que vt hunc ſolùm ſpectemus, hoc propoſitum
ſit nobis exemplar. Sed quanquam in hoc vno o-
mnes dicendi virtutes ſunt, tamen nonnullos
alios oratores etiam legendos puto, & Iulium Cæ-
ſarem in primis, virum ad omnia ſumma natum, de
quo Brutus, quum de claris oratoribus apud Cice-
ronem loqueretur, eiuſmodi verba protulit: *Cæſarem
iudico omnium ferè oratorum Latinè loqui elegantiſſimè, &
hanc benè loquendi laudem multis literis, & his quidem re-
conditis, & exquiſitis, ſummoq; ſtudio & diligentia eſt conſe-
cutus.* Scripſit Cæſar de ratione Latinè loquendi ad
Ciceronem, cùm eſſet etiam maximis occupationib.
impeditus. Scripſit & commentarios rerum à ſe ge-
ſtarum, quos valde probandos eſſe ait Cicero, vt qui
nudi ſint, recti & venuſti, & quibus nihil ſit in omni
hiſtoria ob puram & illuſtrem breuitatem dulcius,
de

quo etiam Quintilianus ait: *Tanta in Cæsare vis est,* *Lib. 10 cap. 1.*
numen, ea concitatio, vt illum eodem animo dixisse appa- *ad fin.*
ret, quo bellauit. Huius Imperatoris orbis terrarum,
reges imitatores esse decet, & Principes omnes, qui
virtutis & gloriæ studiosi sunt. Ex eo nanque non
modò virtutum, & rerũ gestarum exempla assequi
poterunt, sed bene etiam dicendi disciplinam, & sa-
pientiam illam, quæ sicut reliquarum rerum omniũ
fundamenta iacit, sic etiam eloquentiæ. Est enim in
egia oratione maximę laudis perspicuitas, à qua ab-
sit omnis verborum affectatio. Proinde cauenda sunt
obscura, aliena, noua, obsoleta, ambigua, ac nimis pris
ca verba. Asinius Pollio librum in Crispum Salustiũ *Salustius no-*
scripsit, arguens in illo nimiam priscorum verborum *tatur, teste*
affectationem, nimiamque obscuritatem, & audaciã *Gellio.*
quandam nimiam in translationibus & figuris. Mo-
nuit quoque eum, vt noto, ciuili, proprioque sermo-
ne vteretur. Quinetiam noto Epigrammate vulgo
incessabatur,

Verba antiqui nimium furate Catonis,
Crispe Iugurthinæ conditor historiæ.

Quæ quidem præcepta in omni genere orationis
latissimè patent: sed sicut in vita nostra, & in singulis
cuiusque actionibus nihil est difficilius, quàm vi- *Difficillimum*
dere quid deceat, sic in oratione; in qua certè maxi- *seruire vbiq;*
mum est seruare decorum, non in sententijs solùm, *decoro in*
sed & in verbis. Non enim omnis fortuna, non omnis *oratione.*
honos, nõ omnis auctoritas, non omnis dignitas, nec
aetas, nec tempus, nec iocus, nec auditor omnis, eodẽ
aut verborum genere tractandus est aut sententiarũ,
sed semper cogitandũ est quid deceat. Isocrates Re- *Isocrates.*
gibus præcipit: *Quicquid dicas, agas, aut cogites, semper*
meminisse debes, te Regem esse, ne quid vnquam indignum
tanto nomine. Octauius Cæsar *in Senatu, ad populũ* *Octauius*
& ad milites nunquam nisi meditata & composita ora- *Cæsar.*
tione vtebatur. Ac ne periculum memoriæ subiret, instituit *Suetonius de*
omnia recitare: & sermones grauiores non nisi ex scripto & *Augusto.*
ex libello habebat, plúsue minúsue loqueretur,
quàm statuerat, vt Tranquil-
lus refert.

Regia oratio qualis esse debet.

TIT. XI.

Regia oratio qualis?

Cæsar.

Menelaus.

Pisistratus.

Laconismus laudatur.

Agesilaus.

Lysander.

REgia oratio, breuis, dilucida, & iucun[da] esse debet, cum verborum põdere & [sen]tentiarum grauitate. His omnibus, & [com]pluribus alijs virtutibus præstat Cæs[ar] quem imitandũ Principibus ac Regibus statuo. M[e]nelaum Homerus dulcem in dicendo fuisse tra[dit] sed pauca eum loquentẽ inducit. Breuitas quidẽ [di]cendi pro laude habetur in Regibus, Principibus, [&] in omnibus hominibus, qui alijs præsunt, maxim[is]q[ue] rebus occupati sunt. Hæc breuitas dicendi Pisistra[to] Atheniensi suffragata est ad promerendam ciuium gratiam, ex qua quidem imperium assecutus dicitur. Lacones ex omnibus Græcis hoc genere dicẽdi præ[ci]pue laudantur, & in primis Agesilaus eorum Rex qui breue aliquãdo dictum effundebat ex tempore aptum ad delectandos mouendosq́; animos, in qui[d]cumque volebat affectum. Duxerat secum in Asia[m] Lysandrum Agesilaus, eumque honore ac beneuo[lentia] complectebatur. Ille elatior factus, multis ami[c]is ac clientibus stipatus, magna cum grauitate ince[]debat, & officio omnibus aderat: eius dicto etiam omnes obtemperabant, adeò vt imperij dignitatem sibi arrogasse videretur, & solum Regis nomen Age[]silao reliquisse. Tum Rex ne videretur imperium [ex] præscripto illius gerere, nihil amplius rerum gere[n]darum Lysandro permittit: & si aliquibus ille opem aut studio aderat, eos omnes rebus infectis dimitte[]bat. Hoc quum cerneret Lysander, opem omnem o[]peramq́; amicis ac clientibus ferre destitit, & eos à se amoliebatur, & ad Regem dimittebat: rogabatq́; o[]mnes, vt non se deinceps comitarentur: ipse autẽ Re[]gi nihil minus aderat, & nulla officia, nulla obsequia, nullosq́; labores detrectabat, sed omnibus functioni[]bus præsto aderat. Atqui cùm aliquando occasioné loquendi nactus esset: *Rex*, inquit, *ô quàm probè nostri a[]micos quamprimùm minores reddere*. Tum Agesilaus: *No[]us*, ait, *si velint me maiores fieri*: Qui vero dignitatem atque

ipsa

qui meas ampliauerint, eos in partem honoris vocare æquum erit.

Facetum etiam responsum, & optimo Principe dignum fuit illud Iuliani Cæsaris, viri eruditi, & nisi à vera religione discessisset, multis virtutibus ornati. Delphidius orator acerrimus, Numerium Narbonẽsis prouinciæ paulò antè præsidem, repetundarum accusabat: verùm documentorum inopia quum deficeret, exclamauit: *Optime Cæsar, ecquis nocens esse poterit vsquam, si negare satis fuerit?* Tum scitè Iulianus inquit: *Ecquis innocens fuerit, si accusasse tantùm satis erit?* quo quidem dicto & innocentem virum seruauit, & petulantem rabulam coërcuit.

Delphidius orator.
Numerius.
Iuliani Cæsaris scitum.

Vrbanus facetusque etiam habitus est Cesellius Vindex iureconsultus. Nam quum aliquando à populo lapidibus obrutus fuisset, Vatinius vir leuis ac petulans, dum munus gladiatorium ederet, & ab ædilibus impetrasset edictum, ne quis in arena nisi pomum mitteret, consultus Cesellius à iuuene quodam, num pinea nux pomum esset? ridens inquit: *Si in Vatinium missurus fueris, pomum certè est nux pinea*: qua vrbanitate fretus, vt arbitror, Valerius Martialis dixit,

Cesellius.
Vatinius.
Nux pinea.
Martialis.

Poma sumus Cybeles, procul hinc discede viator,
Ne cadat in miserum nostra ruina caput.

Facetum etiam illud Ciceronis fuit. Nam quum vidisset Lentulum generum suum virum pusillum, & exiguæ staturæ longo ense succinctũ, exclamans ait, *Quis generum meum tam magno ensi alligauit?* Hæc facetè dicta Græci, *ὑπόμωμα* appellant, quasi sales minus mordaces, & veluti morsus edentatæ belluæ.

Cicero, vide Macrobiũ in Saturnalibus.

Licurgus apud Lacedæmonios hoc genere dicacitatis adolescẽtes exerceri voluit, vt in alios sine morsu cauillari discerent, & in se dicta in alios statim retorquere atque inuertere scirent. Hanc dicacitatem Quintilianus dicit sermonem esse cum risu aliquos incessentem. Vnde Demosthenem vrbanum fuisse dicunt, non autem dicacem. Et Ciceronem nimium fuisse dicacẽ, fuerunt qui dicerent. Et sic duos maximos omnium oratores carpũt: alterum quòd minus

Demosthenes vrbanus, Cicero dicax appellatus.
Lycurgus.

fuerit dicax, alterum verò quòd nimis. Huius vrbanitatis oportunitas tanti aliquando fuit, vt hominem capitali periculo liberauerit.

Ex Plutarcho in apophthegmatis Pyrrhi.

Iuuenes enim quidam Tarentini cùm plusculum in cœna se inuitassent, multa liberius in Pyrrhum locuti fuerant: verùm quum rationem facti reposceretur, & neque negari res, neque defendi posset, risu & opportuno ioco elapsi sunt. Vnus enim ex eis inquit: *Atqui Rex inclyte multo plura hic dixissemus, si plus vini habuissemus*: qua quidem vrbanitate tota criminis inuidia dissoluta est. Eiusdem Regis legatus Cyneas Romam missus diuertit ad Ariciam, & quum cœnaret, vinum ei caupo valde austerum præbuit.

Cyneæ lepida facetia.

Tum Cyneas hominem rogauit, vt mitius suauiusq; apponeret: sed negante illo melius toto oppido inueniri, rem tulit vt potuit. Manè autem quum discederet, vidit proceras admodum arbores, quibus vites religatæ erant, tum ridens ait:

Elegans iocus.

Optimè egisse Aricinos ciues, qui matres pessimorum filiorum tam altis crucibus suspendissent.

Dicteria, prudentia condita sale Principibus honesta. TIT. XII.

Apophthegmata.

Dicteria.

IDonea etiam Principibus sunt, quæ à Græcis ἀποφθέγματα appellantur, nonnulli autem Latinorum eadem dicteria dicunt, vt Cicero testatur ad Cornelium Nepotem scribens, his verbis. *Nostri ea quæ facetè, breuiter, & acutè locuti essemus, proprio nomine appellari dicteria voluerunt.* Hinc est exemplum illud Ciceronis quum inquit: *Neque grauem mortem accidere posse viro forti, neque immaturam consulari, neque miseram sapienti.*

Plutarchi apophtegmata.

De his Plutarchus libros tres ad Traianum Cæsarē scripsit, in quorū primo dicta Regum, & Principū diuersarū gentiū collegit, in secūdo Romanorū, in tertio autē Lacedæmoniorū. Ambigua locutio (quam ἀμφιβολίαν Græci vocant) breuiter enūciata, grata plerunq; esse solet:

Amphibolia.

vt quū Antiochus, populo Romano bellū illaturus, copias in aciē deduxisset, non tam armis instructas quam auro, & argēto ornatas, Anniba-

[Inte]rrogauit, an satis eas Romanis esse putaret? Tum [Sep]enus, *Satis* (inquit) *puto, quamuis auarissimi sunt*. Rex de victoria rogabat, ille autem de præda respōdebat.

Pulcha etiam fuit ambiguitas illa Octauij Cæsaris. Nam quum Herennium iuuenem impurum ac scelestum ab exercitu dimitteret, quereretur[que] ille, ac diceret, quid patri meo dicam? Respondit: *Dic me tibi displicuisse*. Sunt qui *εἰρωνίαν* Socraticam laudent, sed ea mihi priuatis quidem ciuibus conuenire posse videtur: Principes autem nudam veritatem sequi debent: quorum nonmodo verba & scripta, sed vultus etiā, gestus, nutus, veri semper esse debent. Angusti namque animi est, simulare esse quod nō sis, aut dissimulare esse quod sis. Exprobrationem, obiurgationem, & quasi directam cōtumeliam, quam *λοιδορίαν* Græci vocant, omnino à modesto Principe alienam esse duco: vt fuit illa Laberij in Ciceronem, qui quum ab eo ad consessum non reciperetur, diceretque Cicero, *Reciperem te, nisi anguste sederemus*: ille nimis mordaciter ait: *Atqui solebas duabus sellis sedere*, objiciens tāto viro lubricā fidem. Sed quòd Cicero dixit, nisi anguste sederemus, scomma fuit in Iulium Cæsarem, qui in Senatum passim tā multos admittebat, vt eos quatuordecim gradus capere non possent. De obiurgatione optimè scripsit Cicero actione quinta in Verrem, quum ait: *omnia quæ vindicaris in altero, tibi ipsi vehementer fugienda sunt. Etenim non modò accusator, sed ne obiurgator quidem ferendus est, qui quod in altero vitium reprehendit, in eo ipso deprehenditur.*

Octauius Cæsar.

Apud Macrobiū lib. 2. Saturnal.

Ironia Socratica.

Macrobius l. 2. Saturnāl.

Nolim tamen his meis monitis quempiam existimare, me in Rege nimiam illam & obscuriorem diligentiam in dicendo desyderare, quam ne ab oratoribus quidem ipsis nimium affectandum esse duco: nec illum ex Isocratis discipulis (quos in ludo senescentes irridebat senior Cato) esse velim. Dicebat enim eos eloquentiam illam discere, quæ profutura erat alteri seculo, vel quæ causas apud inferos oraret. Sed omnibus in rebus mediocritatem laudo: & sapienter dictum puto: *Ne quid nimis*. Gloriam quam sibi vendicabat Apelles, etiam sequor, qui cùm Pro-

Cato senior.

Ne quid nimis.

Apelles.

Protogenis tabula.

Apud Plinium.

togenis opus immensi laboris summæq; curæ admiraretur, dixit omnia sibi cum illo paria esse, aut illo etiam meliora, sed vno se præstare, quòd *manum ille de tabula* tollere nesciret: qua ex re ostendit nimiam diligentiam sæpe nocere.

Callimachus sculptor ac pictor peregregius, operum suorum gratiam nimia diligentia obscurabat: quocirca vulgò sui ipsius calumniator dicebatur, quum non intelligeret quid satis esset.

Diligentia Regis in dicendo erit, intelligere verba sua ad animos eorum quibus præest, præcipuè formandos pertinere. Nam si non omnes instituat ac bonos efficiat viros, ingenuos tamen animos ad virtutem parat, melioresque in dies reddit. Hebetiores autem pœnarum formidine cohibendi sunt: virtutē enim ignorant, & nullo probitatis studio tenentur, sed solo metu à turpidine abstinent. Libertas loquendi Principem commendat, licentia autem vitanda est. Non enim vrbanitas aut comitas habetur, sed procacitas potius, aut scurrilitas. Philippus Macedo, Demetrij, qui obses Romæ fuerat, pater, dicacior habebatur quàm Regem deceret, carpebaturq; quàm maximè, quòd ne inter seria quidem iocis procacibus ac nimio risu abstineret.

Placet Principem liberè loqui, non licenter.

Denique Regis cura in sermone pręcipua esse debet, vt sensum animi dilucidè apteq; exprimat: quæ virtus eo maior esse apparebit, quo minus cupiditatis ac studij habere videbitur.

Sed de Regis eloquentia huc vsque dixisse satis sit. Nunc autem pauca de reliquis disciplinis dicēda sunt: & imprimis videndum erit, quid ei mathematicæ scientiæ prosint, & quatenus eis operam nauare debeat.

Quid

Quid ex Mathematicis scientijs discat Rex, ac primum, de Arithmetica.

Tit. XIII.

Mathematicen sapienti viro necessariam esse Pythagoras Samius philosophus celeberrimus arbitratur, vt efficiatur orbis ille doctrinæ, quem ἐγκυκλοπαιδείαν Græci vocant. Equidem Regem quem scripturus sum, non semper ducendum statuo in penetralibus Mineruæ, aut in silentio Pythagorico, aut in quietis vmbraculis Academiæ, sed in aciem, puluerem ac solem, quum adoleuerit, descendat oportet. Prælia meditetur, rem bellicam discat: armis, equis, machinis tabernaculisque militaribus delectetur. Cæsarem, Scipionem, Fabios, viros fortissimos atque illustrissimos nunc fingo, quibus similem Principem hunc esse optarim, non autem Socratem, Platonem, aut Pythagoram. Discat itaque à pueritia, & à teneris annis, quum nihil aliud dignum futuro Rege agere potest. Sed postquam per ætatem ad magna quæque negocia obeunda idoneus fuerit, tunc cùm à rebus arduis ac serijs ei ocium erit, secedat in diuersoriū musarum, tanquam in portum traquillitatis post longam tempestatem. Hoc sentire videtur Homerus, cùm in primo Odysseæ inducit Iouem vt à maxima gerendarum rerū cura aliquantulum relaxaretur, ad Aethiopes diuertere, quò loci grato cōuiuio & lautis dapibus se inuitat, iubetq; Phœbum ad cytharam Gigantæam victoriam inter epulas canere. Per quod quidem figmentum nihil aliud intelligit Poëta, nisi auocationem mentis ab assiduo gerendarum rerum labore, & accessum ad Musarum suauissimū pabulū. Sic etiam apud eundem poëtam in conuiuio quod Alcinous Phæaciæ Rex Vlyssi præbuit, inducitur Demodocus Corcyræus poeta, & cytharœdus peregregius (qui cæcus eo tēpore erat) suauissimè canens: vt ostendatur nullum secessum gratiorē Regibus esse debere, quàm Musarum & Phœbi, quibus omnino

Ex Quintiliano l. 1 inst. or. cap. 16. ad principium.

Iuppiter ad Aethiopes cur diuertebat.

Demodocus Corcyreus. Regum & Principum

omnino

optima relaxatio, Musa. mnino operā debent nauare, si rectè sapere, prudenter regere, & cum iucunditate viuere cupiunt. Virgilius quoque omnibus in rebus Meonij carminis imitator, in Reginæ conuiuio Iopam citharœdum poëtam, Atlantis discipulum inducit de syderum ratione & mundi origine canentem. Prisci enim Poëtarum (vt dixi) ante omnes alios mortales philosophati sūt, de rebus diuinis atque humanis primi omnium versibus cecinerunt, & musicem poëticæ addiderunt, quasi gratias Musis connecterent. Proinde laudatus Terpander, quem primum omnium carmen ad cytharam modulatum fuisse Greci scriptores affirmāt. Noctes trifariam in castris partiri soliti erant Alexander ac Cæsar, & primas quidē partes naturæ ac quieti indulgebant, secundas rebus agendis, tertias verò studijs bonarum artium. Horum industriam Iulianum Cæsarem imitatum fuisse Ammianus Marcellinus scripsit.

Suprà c. 2. l. 1.

Terpander.

Noctis diuisio in castris triplex.

Arithmetice. Sed ad Mathematicem redeo: huius pars prima, quæ à Græcis Arithmetice, à nostris numeralis vocatur, non modò vtilis, verùm omnibus pernecessaria est. Supputandæ enim rationes sunt, digitis nonnunquam computandum, micandúmve, numeri è summa deducendi. Tunc indecorum esse videtur, Principem in his rebus notis ac paruis hærere, aut incerto digitorum gestu à computatione dissentire, aut in summis maximis scribendis legendisve aberrare. Placet ergo in hac numerorum disciplina eum omnino non videri rudem esse aut delicati fastidij, qui ea neglexerit, quæ pueri à teneris annis discere solent. Sed paucis vt in ea laboret hortor, & quæstoribus, argentarijs, institoribus, mercatoribusq; eiusmodi diligentiam relinquat. Acceptorum impensorumq; curam quæstoribus dispensatoribusq; permittat, quæ quidem apud veteres tanti fuit, vt seruis atriensibus à patribus familias demandaretur. Solertia Principis sit solùm videre, cui rem pecuniariam credat. Nimia enim diligentia hac in re auaritiæ crimini obnoxia est. Parua verò negligentia libertatis laudem aliquando attulit. M. Antonius, cui in diuisione orbis terrarum

Serui atrienses, apud antiquos De quibus & Cumtius l. obseruationum.

M. Antonius.

tum in Triumuiratus tyrannide orientalis plaga obtigit, cuidam militi optimè de se merito decies sestertium annumerari iusserat. Dispensator admiratus pecuniæ quantitatem, eandem Antonio ostendit, qui eum rogauit, quid hoc nummorum esset? illo autem respondente pecuniam illam esse, quam militi dono erogari iusserat, hominis improbitatem agnoscens Antonius ait: *Putabam equidem decies sestertiûm longè ampliorem esse summam: proinde quum perexigua hæc mihi esse videatur, tantundem superadde*: quo dicto liberalitatem benignitatemque suam ostendit, & dispensatoris auaritiam improbitatemque carpsit. Fuit autem Antonius vir strenuus & fortis, & nō modò gloria militari, sed imperatoria etiam dignitate insignis, cui etiam à natura inditum erat, vt in rebus arduis atque aduersis animum erigeret, & seipsum virtute superaret. Quanto enim magis aduersa fortuna vexabatur, tanto se præstantiorem exhibebat, & optimo viro similior fiebat. In exercitu quoque eum omnes & obseruabant, & verebantur, eiusq; dicto libenti animo obsequebantur, illius etiam salutē propriæ vitæ præferebant. Multis siquidem fulgebat virtutibus, dignitate, eloquentia, liberalitate, magnificentia, comitateque: indulgentia præterea, pietate, atque omni officio singulis quibusque aderat. Opibus, consilio, & auxilio nemini deerat. Sed has tantas Antonij virtutes multa & ingentia quædam vitia obscurabant. Leuior inter sodales erat, illorumq; voluptatibus administrum se præbebat. Aleam in multā vsque noctem ludebat, vino ciboq; se ingurgitabat: Tum ganeis, scortorumq; gregibus libenter versabatur, adeò vt difficile dictu sit, virtutésne in illo, an vitia superauerint: quo quidem vera sententia illa Platonis esse cernitur, quum ait, *præclara ingenia sicut virtutes multas, sic quoque vitia complura plerumque effundere.*

Antonij virtutes.

Anto. vitia.

Plato.

Eneruauit tandem virtutes in Aegypto Antonius, quum Cleopatram ad insaniam vsque adamauit. Et sic omni ex parte à seipso discessit, vt amatorio poculo potatus fuisse ab omnibus crederetur, vel magicis car-

Cleopatra.

cis car-

cis carminibus delinitus. Eius nanque mens omni cura relicta, & omni libertate amissa, solùm in Cleopatræ vultu semper inhærebat. Numerorum igitur ignorantia in Antonio non fuit indecora, sed testimonium potius beneficientiæ ac liberalitatis exhibuit. Iulius verò Cæsar, qui in omnibus rebus præclaris Antonij Præceptor habitus est, nonnunquã militibus suis pecuniam nec numerari nec expendi voluit, sed vt quisque acciperet, quantum nummorum vellet, dixit: vt fecit in direptione publici ærarij, in quo pecuniam tot victorijs cõgestam, & ex tot manubijs prædisque coactam, militibus suis & vniuerso exercitui (remoto Metello) permisit.

Iulius Cæsar, Antonij Præceptor.

De Geometria. Tit. XIV.

GEOMETRIA, quæ à nostris linealis nonnunquam appellatur, huic comes accedit, adeò vt simul iunctæ esse videantur. Has duas veteres olim pueros à teneris annis docebant, præuiæ siquidem ac ministræ sunt artium omnium, opera omnia manu facta adiuuant, disciplinisque alijs perutiles sunt: ingenium enim acuunt, & docilitatem quandam efficiunt: sed linearum ratio Regibus ducibusque magis conuenire videtur quàm numerabilis: est enim quasi comes rei militaris: nam machinæ, balistæ, & reliqua lapidũ tormenta ad propugnandum oppugnandumq; idonea ex hac disciplina maximè proficiscuntur. Plato Eudoxo & Architæ grauiter succensebat, quòd hãc scientiam à Philosophiæ excellentia separassent, & à contemplatione rerum cœlestium & incorporearum, impulissentq; eam ad sensibilia quæque, & rei bellicę ministram ac pedisequam reddidissent: quinetiam eandem ex innocentissima sapientiæ comite vrbium expugnatricem, hominumque interfectricẽ effecissent. Iustior tamen sanctiorq; esse videtur, quũ obsessos tuetur, & infestos arcet hostes, quàm quum iniuriam infert, aut miseros proprijs ex laribus exigit atque exturbat: tunc enim cupiditati dominandi inser-

Plato Eudoxo & Archita succensebat.

seruit, quæ cunctis affectibus flagrantior esse cernitur. Laudem autem tum maximam meretur hęc ars, quum Architectura comes accedit: ex ea enim omnis dimensio ædificiorum, templorum, ædium, arcium, muniū, reliquarumq; rerum similium sumitur: in qua quidem plurimū præstitit Ctesiphon ille, qui operi ingentissimo templi Ephesiæ Dianæ præfuit, cuius quidem impensam vniuersa Asia contulit, & à numine ipso idem artifex adiutus fuisse videtur. Nam cùm maximam molem erecturus esset, desedissetque illius pōderis in primo limine, nec vllis viribus attolli posse videretur, anxius adeò erat Ctesiphon, vt de cōsciscenda sibi morte meditaretur: & quū noctu rē peragere destinasset, subito sopore correptus per quietē vidit Dianam hortantem monentemq; cum vt viueret: se composuisse lapidem, & ita factum esse postero die apparuit, pondereq; suo correctus lapis fuisse videbatur, adeò vt destinato operi facilè admoueretur. Accedit etiam optima comes Geometria sculpturæ ac statuariæ, quæ duæ artes ex numinū simulacris, clarissimorumque virorum statuis, quasi præmium gratiamq;, virtuti referre videntur. Idcirco grauius deliquisse videtur Perillus Atheniensis, qui has benignas artes à præmio ac gratia auocatas, ad pœnam suppliciumq; conuertit. Phalaridi enim tyrāno sæuissimo, cuius immanitati nota tormēta neutiquā satis erant, nouum supplicij genus præbuit, nulli vnquā homini excogitatū, taurum scilicet æreum, cui supposito igne, admotisq; follibus hominem inclusum vreret, cuius eiulatus bouis mugitū redderet. Sed æquiore sæuitia (si dicere licet) tyrannus extitit, quā artifex ipse, iussit enim, vt primus omniū Perillus noui cruciatus inuentor, suppliciū ipsum experiretur, quasi exhorrens solertissimum alienæ immanitatis ministrum, longè magis quam damnatos sontes, aut nefarios quosque proditores. *Perilli peccatum.*

Nunc autem ad Geometriam redeamus, quæ non modò suppradictarū artium fundamenta cōtineret, verū picturę quoq;, incrustationis, loricationis, cælaturę, graphidos, & omniū similiū. Archimedes solertissi-

Archimedes, mechanicus insignis. tissimus eiusdem scientiæ opifex multa per epistolam Hieroni pollicitus est, & præcipuè se maximè quodque pondus(admotis non magnis viribus) machinamentis suis mouere, trahere, & erigere, & quocunque vellet peruehere, neque id frustra nam quid in hac arte posset, experimento docuit. *Marcellus: de qua re apud Liuium.* Quum enim M. Marcellus Syracusas obsideret, diutius illi repugnauit, ac restitit. Varia enim missilium genera & lapidum tormenta excogitauit, quibus immensæ magnitudinis saxa incredibili fragore, ac celeritate torquebat aduersus terrestres illi* copias, adeò vt omnia prosterneret, plurimosque interimeret. *Marcelli laus.* Et certè nisi proditorum perfidia Marcello adfuisset, vix vnquam huius senis solertiam superasset, quamuis esset Romanorum omnium pugnacissimus, animo fortis, corpore robustus, acer, strenuus, & semper ad pugnam ardens: quem solum omnium Romanorum Hannibal dixerit, nec vincẽdo ocium hostibus vnquam prestare, nec succumbendo sibi quietem vnquam sumere. Multa & præclara quidem in mathematicis inuenit Archimedes, & præsertim sphæram, qua nihil præstantius à mortalibus excogitari vnquam potuit. *Sphæra inuentus. Atlas, Hercules.* Eius tamen exemplar mutuatus creditur ab Atlante Herculis magistro, qui sphæram multis seculis antè inuenerat, vt Dionysius Halycarnasseus meminit. Erat tamen rudis & inchoata tantùm, sed Archimedes eam expoliuit, & omni ratione perfectam reddidit. *Archimedis sepulcrum.* Quam quidem tanti fecit, vt eam sepulcro suo cum cylindro ab hæredibus ex testamento imponi iuberet. Hoc sepulcrum longo tempore pòst quum Syracusis esset, magna diligentia perquisitum, inter vepres & spinas se inuenisse gloriatur Cicero, & iniquo animo tulisse videtur Syracusanos tanti ciuis egregia monumenta per negligentiam ac væcordiam obliterari permisisse. *Cicero Tusculanis quæst. lib. vltimo.*

In hac quidem geometrica disciplina Reges nonnullos magna cum oblectatione versatos legimus, & imprimis Demetrium Antigoni filium, quem tormenta nonnulla bellica inuenisse tradunt Græci scriptores, & ex nostris M. Vitruuius vir disertissimus. Et *Demetrij inuenta.*

De-

Demetrij quidem Regis inuentum Helepolin fuisse dicit, machinā ariete robustiorem, quæ parietes collidebat, quibus paucis ictibus disturbatis patebant hostibus aditus latissimi. Hoc tormenti genere Rhodo, & alijs vrbibus expugnandis vsus dicitur. Nec ambigebat, aut indignum esse putabat, non modò ingenium, verùm etiam Regias manus tormentis, ac lapidum balistis admouere: tantoq; artificio præstabat in his conficiendis, vt regium opus quodcunque faceret, esse videretur, & amicis admirationi esset, hostibus verò terrorem incuteret. *Helepolis.*

Epeus Bœotius fuit Panopæi filius, vt Strabo refert. Hic (vt ex Troiana historia constat) equum machinam geometrica ratione primus inuenit, ad deturbanda Ilij mœnia: qui deinde mutato nomine Aries propter capitis concussionē dictus est. Cretem Iouis nutricium (qui Gnosium vrbem ædificauit) catapultā inter tormēta bellica primum inuenisse aiunt: Pisēū [?] crumabula, & in tormentis scorpionē, Artemonē Clazomenium testudinem. Sed ex ingenio Ducū Imperatorúmve nouæ instrumentorum bellicorum species semper creuerunt, ex opportunitate temporum & locorum varietate. Agrippa in nauali bello contra Sex. Pompeium Magni Pompeij filium noua harpagonum genera reperit, quibus ad victoriam fœliciter vsus est. Parthorum Reges missilib. & sagittis delectati sunt, & spiculorum acumine gloriabantur. *Epeus Bœotius.* *Agrippa inuenta.*

Imperatorias virtutes omnes vt optimè calleant Reges expedit, & machinas tormentaq; bellica vt animo ac ratione metiantur oportet. Sed tignarijs, materiarijsq; fabris reliqua permittant, quib. Architecti Geometræq; præsint, ne in dimensionib. decipiantur, ac totum opus reddant inutile. M. quidem Vitruuius affirmat bellica omnia tormenta vel à Regibus, Ducibus, Imperatoribúsve inuēta extitisse: vel si qua ab alijs accepissent, fecisse ea longè meliora. Qua ex re concludendum erit, illos huius doctrinæ non debere esse ignaros, si rectè rem bellicam gerere volunt. Nunc autem ad reliquas pergamus disciplinas. *Bellica tormenta pleraque ab illustribus viris inuenta & excogitata.*

De Musica. Tit. XV.

Musica.

MVSICEN Plato ad animi excitationem vtilem esse affirmat, gymnicam verò ad corporis. Sicut autem assidua corporis exercitatio hominem hebetiorem ingenio, & languidiorem corpore efficit, sic continuata musice animũ effœminat, & vires corporis eneruat: interpolata verò animum alacriorem promptioremque præstat, corpus firmat, fastidium actionum & cogitationum tollit, & ad mouendos leniendósve animi affectus plurimum valet. Socrates musices se esse expertem neutiquam passus est: & quum annum sexagesimum ageret, lyra ac fidibus erudiri non erubuit. Nec aliud causæ esse puto cur idem apud Platonem Musices mutationem Reipublicæ periculosãm esse statuat, & nouos cantus execretur, nisi quòd iuuenes nouis modulationibus illecti, animo distrahuntur, virtutes negligunt, & à rebus serijs auocantur. Relaxatio animi, quæ fidibus & cantu fit, non est abhorrenda, modò tempori inseruiat, & tum agatur, quum à negotijs rebusq; serijs ac grauioribus ocium fuerit. Musonius philosophus animum relaxandum ac demulcendum esse dicebat, non autem remittendum: cùm remittere animum sit diminuere, & quasi amittere.

Socrates Musica sciens.

Princeps fidibus discat, canere non discat.

Anacharsis Scytha putat lusionibus etiam aliquid temporis esse indulgendum, vt ab illis alacriores reditus ad studia præbeantur. Lycurgus autem musicẽ à natura hominibus traditam esse dicit, ad tolerãdos facilius humanos labores. Et hac ratione ductus, tibias in re militari constituit, vt bellatores redderet promptiores alacrioresq; in laboribus periculisque subeundis. Quæ quidem res aliquando vsui fuit. Lacedæmoniorum acies in prælio contra Messenios iã inclinabant, & succubuissent prorsus, nisi Tyrthæus tibiæ modulis in spondæum mutatis eas erexisset, & ex victis victrices reddidisset.

Lusus ab Anacharsi concessi.

Vide l de rep. caput de Musica.

Ex Plutar. in Apoph. Laconicis.

Musicem in suis Regibus Imperatoribúsve Græci valde optauerunt. Nam Cimon in conuiuio Themistocli

Cimoni post-

ftocli prælatus eft, quòd iucundè ad lyram cecinisſet, quum ille eam recuſaſſet. Et inter Epaminundæ Thebani virtutes in primis laudant, quòd Præclarè ad citharam cantabat, in qua Præceptorem habuit Dionyſium citharœdum. Cantabat etiam ad tibias, quòd quidem didicerat ab Olympiodo, ſicut ſaltare ad numerum à Calliphrone. *habetur, Epaminundas, ob imperitiam Musica.*

Romani in ſuis Principibus eiuſmodi artes nō deſiderauerunt. Nam ex tot illuſtribus ciuibus ſolum Syllam, virum tanti nominis, quod optimè cātauerit, memoriæ proditum memini. Alcibiades omnem modulandi diſciplinam contempſit, tanquā minus dignam libero homine. Liram autem non omnino ſpreuit, vt qui diceret, *illam vultum non distorquere, nec ſermones inter ſodales auferre.* Hæc quidem tantam meruit laudem, vt pleroſque poëtas non ſolùm commēdauerit, verùm à ſuo etiam nomine inſcripſerit. Ab ea nanque ſunt Lyrici illi nouem, quos ex muſarum quoque numero ſummis laudibus veteres Græci extulerunt. Quorum primus Alcæus Mitylenæus fuit, qui aureo plectro præ carminis ſuauitate ab Apolline donatus dicitur. Sappho eiuſdem poëtæ conciuis, ſumma cum admiratione amores ſuos cecinit. Steſichorus miræ modulationis habitus eſt, in cuius ore, quum infans in cunis eſſet, luſciniam cecinisſe aiunt. Anacreon Teius furores ſuos in Bathyllum ſcripſit, & grandis admodū natu vuæ paſſæ acino ſtrā gulatus perijt. Bychus Rhegynus ſuam habuit laudē. Sic etiam Bacchylides. Cæus Alcman Spartanus diuerſos amores cantauit. Symonides etiam Cæus dictus, (Iulidem enim patriā habuit, oppidum Cææ inſulæ, quæ vna ex Cycladibus eſt) his mollior habitus fuit, & ad lachrymas mouendas idoneus. Horum omnium Principem Pindarum fuiſſe dicunt, cuius muſam neutiquam imitabilem eſſe Horatius lyricorum noſtrorum maximus affirmat: quāquam in certaminibus Corinna lyrica bis ei prælata fuit. Tibiam quidem ac fiſtulam execrabatur Alcibiades, quòd colloquia tollerent, & deformitatē ori afferrent. Numinum quoq; iudicium inducebat: Palladis *Sylla ſolus inter iſtos proceres Rom. cantor. Lyria. Lyrici nouē. Palla.*

imprimis, quæ quum se cerneret in Tritonide palude facie deformari, quum buccas inflaret, fistulam fregit: deinde Apollinis, qui Marsyam fistulæ modulatorem, à quo fuerat prouocatus, compulit vt vitam laqueo spiritu intercluso profunderet, vel vt alij sentiunt, præ dolore se in fluuium mergeret. Iuxta Celenas vrbem Phrygiæ Meandri fluminis fontes sunt, & Marsyas fluuius, qui per mediam vrbem labitur. Illic Apollo Marsyam tibiarum cantu superauit, & ex eiusmodi casu Marsyæ fluuio nomen adhæsit. Sed quum increbuisset Athenis, Alcibiadem oblatas sibi tibias ab Antigenide tibicine omnium optimo perfregisse, oris deformitate pudefactum, tacito omniũ consensu cuncti ciues deinceps à tibijs abstinuerunt: & sic canendi ad tibias disciplina apud Athenienses destitit: mansit tamen apud Lacedæmonios diutius in re bellica: Thebani eam in conuiuijs & choreis seruauerunt. Additur etiam huic opinioni ratio peregregia, quæ docet oportere nos ad ea animum intendere, quæ proprio bono delectationem nobis præbent, qualia sunt opera omnia, quæ ab ipsa virtute proficiscuntur: ea enim & probamus, & auctorum similitudinem quandam affectamus. Timothei modulationibus adeò delectatum Alexandrum legimus, vt aliquando eum nihil tale per id temporis cogitantem repentè ad arma compulerit, non tamen optasset citharœdus fieri vt Timotheus erat, & ab omnibus audiri ac laudari. At quum Diogenis virtutem ac doctrinam admiraretur, dicebat: *se Diogenem esse velle, si Alexander non esset*: Antisthenes philosophus præclarus, quum audiuisset Ismeniam optimum tibicinem dici: *Ast homo nequam est*, inquit. *Si enim probus vir esset Ismenias, tibicen non esset.* Quasi ex hoc doceat virtutem esse, quæ bonum faceret virum, non autem musicen. Illuc etiam tendere videtur sententia illa Alcibiadis, quum dixit: *Filij Thebanorum quum philosophari nesciant, peregregie tibia modulantur*: Hæc tamen non eo consilio dico, vt velim Reges ac Principes à musica omnino alienos esse, sed in pueritia vt in ea erudiantur statuo, relaxandi animi

Apollo. Marsyas.

Ouid. in Metammorphos. Plinius & Ælianus.

Antisthenis in Ismeniam tibicinem dictum.

Thebani musica studiosi.

animi gratia, quasi per ludum ac iocum, vt libentius alacriusque ad alias grauiores disciplinas redeant. Hæc enim modulandi ars ingenium acuit, & aures eruditiores reddit, non modò in fidibus & cantu, sed & in poëtarum oratorumque lectione, quam quidem plurimum adiuuat.

Suggerit enim quandam illustrationem, & euidentiam, quasi declarationem, quam ἐναργείαν Græci appellant, quæ non tam docere videtur, quàm ostendere & quasi rei actum exhibere. Nolo equidem Principem quem scribo, Timotheum esse aut Marsyam, quorum laudes non virtutis ac probitatis sunt, sed cantus & modulationis, quando complura alia exi... in quibus eum delectari volo, vt sculptura, cælatura. In his enim Philippum, Alexandrum, Cæsarem, & plerosque alios Reges atque Imperatores oblectatores video, qui in eiusmodi artificum operib. probandis oculos eruditos habuerũt: illorum tamen industriam neutiquam imitati sunt. Alexander edicto cauit, ne quis effigiem suam præter Appellẽ pingeret, solus Polycletus ære duceret, solus autẽ gemmis cælaret Pyrgoteles. Capitale erat, si quis alius artifex regiæ imagini manus temere admouisset. Quis tamẽ putet Alexandrum optasse artifices illos arte superare? At quum admiraretur Herculem viribus suis Nemæum leonem peremisse, factum etiam imitatus ... & ferocissimum leonem occidit. Appelles vir facetus fuit, & ingenuæ comitatis, quibus rebus gratus Alexandro extitit: & quũ in officinã illius nonnunquã progrederetur, imperitè multa de pictura loquebatur. Cui artifex aliquãdo ait: *Tace Rex optime, ... quædam plerumque dicis, quæ à pueris, qui colores terũt, ...* Risit Rex, vt qui pingendi laudem non op... Excanduisset forsitan, si quis ei Regem alium ... virtute prætulisset. In conuiuio enim non ... Clitum Philippi patris laudes suis anteferre. ... Apellem summopere Alexander, eique gratus extitit: quòd quidem vel ex hoc cernitur. ... præter pellices suas omnes Campaspẽ quã... nomine, quę nõ tantùm facie, sed totius corpo-

Plin. l. 7. c. 37.

Plinius, Cicero lib. 7. epist. famil. Horat.

Plin lib. 35. cap. 10.

Campaspe, datur in vxorem Apelli. tis membris omnium speciosissima habebatur, rogauitque Apellem, vt eam nudā sibi pingeret. Annuit pictor, & eam nudam sibi exhiberi voluit, qua visa tanta formæ admiratione affectus est, vt in eam ad insanos vsque amores exarserit. Huius rei certior factus Rex, illam ei è vestigio dono dedit, & delicias tori sui, placidosque amoris affectus eiusdem tradidit, ac pertulit vt ea quæ modò Regis fuisset, quamprimùm pictoris fieret. Apelles cùm pro hac amata paria regiæ opulentiæ munera non æquare posset, egit quod potuit: nam Anadiomenem Venerē picturus, ex ea exemplar sumpsit.

Nunc verò ad regiam musicam redeo, quę exigua omnino esse debet, vt ex superioribus rationibus satis manifestè probatum est. Philippus Macedonum Rex (vt Plutarchus refert) cùm accepisset filium suum suauiter ac scitè aliquando cecinisse, placidè illum obiurgauit, dicens: *Nonne te pudet, quod scienter ac pulchrè canere scias* ? Satis enim Regi putabat esse Philippus, si canentibus alijs adesset, vbi ocium ei suppeteret, & certantibus inter se musicis spectatorem ac iudicem se præberet. Artem verò illam profiteri, humile quippiam & abiectum esse existimabat. Inter Neronis probra hoc imprimis canebatur, quòd modulator melior quàm Imperator haberetur: vnde illud Iuuenalis: *Satyra 8.*

Res haud mira tamen, citharœdo Principe natus,
Nobilis, hæc vltra quid erit nisi ludus?

Nihil æquè Neronem doluisse Suetonius ait, quàm quum, citharœdum malum se increpitum sensit: hac enim arte adeò gaudebat, vt sępe inter familiares Græcum prouerbium iactaret, quo dicitur, *Occultæ musicæ nullum esse respectum*. Hoc autem à sapientibus ac doctis viris discant Principes oportet.

Artium diuisio. Omnium artium cōstat alias quidem esse in inspectione positas, hoc est rerum cognitione, & quadam existimatione, vt est Astronomia, & speculatiuæ aliæ eiusmodi, quę nullum exhibent actum, sed intellectu contentæ sunt eius rei, cuius studio tenentur, quæ Græce θεωρητικαὶ, id est, speculatiuæ dicuntur. Alias

autem

autem in agendo versari, quarum finis solo actu perficitur, sed nihil operis post factum relinquunt, quæ πρακτικαί, id est practicæ & exercitatiuæ appellantur, qualis est saltatio, gesticulatio, & cæteræ eiusdem generis. Alias verò in effectu operis cerni, quod opus suum oculis subijciunt, in quo quidem consummationem operis illius, non tamen finem accipiunt. Hæ γραφικαί dicuntur, cuiusmodi est pictura, & sculptura.

Ex his tribus prima Principibus admodum conuenit: alijs autem satis erit si aures, atque oculos adeò eruditos habebunt, vt de illis verum iudicium ferre possint. Indecorum quidem esset, si in eis deciperentur. Posse igitur cauere, satis videri debet. Non enim ocio abundant Principes, vt philosophi, qui omnem ætatē literis indulgent, sententiamque Solonis vsurpant, qui gloriabundus dicebat, se quotidie aliquid discendo senescere. Principes verò in maximis gentium populorūque rebus agendis senescere debent. Et si quando quippiam ocij à magnis negocijs nanciscuntur, ad iucundiora aliqua fessi rebus serijs, & longo tædio affecti se conuertunt. Qui semper illud Antiphontis animo volutare debent: *Preciosissimum rerū sumptuum est tempus*. Id est sic dispensent, dimetianturq; oportet, vt ne minimam quidem eius particulam frustra elabi permittant. *Antiphontis dictum.*

De Astronomia. TIT. XVI.

REGES nonnullos atque Imperatores Astronomiæ rerumque cœlestium peritissimos fuisse legimus, & imprimis Ptolemæos Aegyptiacos: Fuit enim regio illa nutrix hui⁹ disciplinæ, in qua sacerdotes plurimum excelluerunt, & acceptā illam ab Assyrijs & Chaldæis longè vberiorem reddiderunt. *Nam quū in camporum æquoribus habitarent*, (vt ait Cicero) *& ex terra nihil emineret, quod contemplationi cœli officere posset, omnem curam in syderum cognitione posuerunt, adeò vt existimarent ex hac scientia prædici posse, quid cuiq; euē-* *Ciceronis verba l. de diuinatione.*

Ex Plin. li. 7. c. 37. in prin.

turum sit, & quæ quisque fato natus esset. Berosus Astronomus apud Græcos omnia ex syderum ratione se posse singulis quibusq; prædicere profitebatur. Cui quidem ob diuinas prædictiones Athenienses publicè in Gymnasio statuam deaurata lingua magna cum veneratione erexerunt.

Iulius Cæsar peritissimus Astronomus.

Iulius Cæsar Romanorum omnium peritissimus in hac disciplina extitit, de qua etiã præclaros libros edidit, in quibus singulorum syderum singulorumq; dierum rationes reddidit, tantumque emicuit, vt omnes insequentis æui Latini scriptores eum secuti fuerint. Qui fatum suum præscire, ac prædicere potuit, non autem cauere. Et quum tres Astronomiæ ante eum disciplinæ extitissent, Chaldæa, Aegyptiaca, & Græca, quartam ipse Latinam addidit, & singulos annos ad solis cursum redegit, vt Plinius etiam testatur. Eudoxus tamẽ Platonis auditor hanc Chaldæorum Aegyptiorumque sententiam non sequitur, & prædici quæ futura sunt in omni vita, ex natali die, minimè posse arbitratur. Idem etiam asserit Panætius Stoicus, & rationes plures inducit, quibus genus hoc omne p̃dictionis excludit. Diogenes autẽ, qui etiam Stoicus fuit, aliquid illis concedit, vt prædicere possint quali quisque natura, & ad quam quisque rem maximè idoneus futurus sit: cætera autem quæ illi profitentur, negat vllo modo sciri prædicive posse. Sed quomodocunque res sese habeat, mirifica quidem doctrina, & diuina potius quàm humana videtur esse Astromonia. Præcinũt Astronomi totius vitæ euentus ex natali hora. Quinetiam astronomi illi prisci, qui solis & lunæ cursus ac defectus primi depræhenderunt, diuinos honores præter cæteros mortales omnes iure optimo mihi meruisse videntur. Possunt siquidem haberi non modò maximi viri, sed supra mortalem naturam, qui tantorum syderum imò numinum lege deprehensa, mentes hominum à diuturna solicitudine, cura horroreque liberauerunt, & à perpetua cæcitate in clarissimum vitæ lumen eduxerunt, ostensa ratione, præscripto quodã tempore sydera illa obscurari atque deficere, nõ carmin-

Ex Plinio ca. 26. lib. 18. & 25 eius.

Primis astronomis immortalitas laus tribuenda.

mir-

minibus aut maleficis quibusdam incantationibus, quibus temerè putabant sydera illa laborare, in quo errore diutius populi ferè omnes extiterunt. Et idcirco cùm defectus illi cœlestium luminum cernebantur, varijs sonis, tympanis, cymbalis, crepitaculis ac tintinnabulis ad aspectum cœli elatis pulsabant, dicebantque se opem atque auxilium laboranti syderi ferre, & malas carminum incantationes frangere. Hæc gentium opinio tantùm valuit, vt non solùm populos falsos teneret, verùm etiã doctissimos poëtas ad eam probandam impulerit. Nam Stesichorus & Pindarus eandem sententiam suis carminibus scriptam reliquerunt, quos deinde multi, & ex Græcis, & ex nostris imitati sunt. Vnde Iuuenalis quum de loquacitate mulierum caneret dixit: *Plin. l.2.c.12.* *Satyr. 6.*

Iam nemo tubas, atq; æra fatiget:
Vna laboranti poterit succurrere lunæ.

Endymion astronomus vetustissimus primus omnium lunæ naturam cognouisse dicitur, deque ea carmine cecinisse, & hanc ob rem amore eius captus à fabulosa antiquitate fingitur. Tales Milesius, qui (vt Plato refert) primus omnium sapiens appellatus est, ante alios omnes Græcos solis defectum futurũ prædixit, & quum eodem tempore, quo præscripserat, defecit, omnes admirati, eundem quasi diuinorũ conscium venerati sunt. Hipparchus quoque cursum vtriusque syderis, & stata defectionis tempora in sexcentesimum vsque annum prænotauit. Helicon Cyzicenus solis defectionem aliquando prędixit, & quũ ad præscriptum tempus euenisset, à Dionysio Syracusano, qui tunc in Sicilia regnabat, argenti talento donatus est. *Endymion.* *Ex Plin. ca. 9. lib. 2.* *Helicon Cyzicenus.*

Pericles Atheniensium classi centum & quinquaginta nauium præerat, & iam triremẽ nauigãdi gratia conscenderat, & ecce solis defectio tenebras vndique inducit: tunc nautæ attoniti veluti prodigio aliquo, animo deficiebant, & gubernator in primis perterritus, quidnam acturus esset ambigebat. Tum Pericles sublatam chlamydem ori illius opposuit, rogauitque num ea oculorum velatione quippiam *Pericles.*

mali portendi putaret, tunc abnuĕte illo: *Quid igitur* inquit Pericles, *hoc ab eo differt, nisi quod maius quiddam est chlamyde id quod nunc Soli opponitur, & tenebras inducit?* Quo quidem dicto corda omnium metu liberauit, & fœlicissimum cursum peregit.

Plu. l. 2. c 11. Talia rerum cœlestium arcana nisi ignorasset Nicias, nunquam afflixisset Atheniensium opes, subita solis obscuratione perterrefactus, qua ex re perpetuas tenebras gloriæ suæ obduxit. Apud Romanos ne idem accideret, Sulpitius Gallus vir consularis, & in studijs Astronomiæ peritissimus, rationem defectus solis aperuit, futuramque obscurationem prædixit, quum in exercitu L. Pauli tribunus militum esset, pridie quàm Perses Rex superatus extitisset, productus in concionem ab Imperatore. Hic de ea scientia libros peregregios edidit. Nigidius quoque cognomento Figulus de eadem disciplina eruditissimos libros scripsit, sed ita stylum discĕdi dedita opera obscurauit, vt non intelligi voluisse videretur: vnde vulgò Nigidianas commentationes pro obscurioribus quibusque scriptis dicebant. Tiberius etiam Cæsar quum in hac disciplina versaretur, habitus est diligentior: similiter Germanicus Cæsar, qui Arati Solensis carmĕ de astris in Latinum conuertit, quod tamĕ longè ante eum Cicero transtulerat. Fuit enim Germanicus ingenio præstantissimo, & in vtroque eloquentiæ doctrinæquè genere pręclarus, sed morte præuentus non potuit virtutum suarum cursum perficere. Manlius quoque Torquatus, cuius hodie carmen legimus, eruditissimè de astris cecinit.

Sulpitius Gallus Astronomia peritus. *Perses.* *Nigidius figulus.* *Nigidiana commentationes.* *Tiberius Cæsar.* *Germanici Cæsaris Carmina de astris.* *Germanici ingenium.* *Manilius, videtur legendum.*

Aegyptij (vt Diodorus Siculus refert) primi omnium Solem & Lunam Deos esse putauerunt. Quorum opinionem Græci admirantes, res cœlestes diutius secuti sunt, vt Plato in Cratylo testatur. Mansit apud Aegyptios opinio hæc longo tempore, vt soli Astrorum periti, vates, sapientes ac Theologi haberentur, & eorum Reges Principes illos præter cæteros mortales venerarentur, nihilque eorum iniussu agerent. Poëtæ qui Astronomiæ peritissimi erant, fortissimorum virorum nomina syderibus addiderunt,

Diodorus l. 1. *Plato.*

mus, vt eos cœlo post obitum donarent, quos bene de hominum genere meritos inter mortales vidissent: & sic cœlestia omnia fabulis referserunt. Deinde procedente tempore, quum res indigna numinibus esse videretur, quidem conati sunt fabulas illas ad Deorum mysteria reuocare.

Quorsum primum nonnulli Dardanum fuisse dicunt: alij, Etiona Orgia & cerimonias ex figmentis deductas Thracibus dedisse aiunt, & Mydam Phrygibus, qui easdem ab Odryso didicerat. Cynaria Cyprius, vt amata puella potiretur, nocturna Veneris sacra instituit. Melampos autem Amithaonis filius ab Aegypto in Græciam Cereris sacra transtulit, Orpheus verò poëta Dionysij misteria. Reliqua autem sacra Cadmus Agenoris filius Græcis tradidit. Simulachrorum consecrationes & hymnos, Orphæus, Linus, Musæus, qui circa tempora Troiani belli fuerũt, imitati Aegyptios, & Phœnices inuenerunt. Et sic huiusmodi deliramenta à magnis auctoribus celebrata sunt, donec veriora omnia dé diuinitate nostri tradiderunt, illorum nanque ignoratio fundamenta omnia veræ sapientiæ peruertit. *Dardanus.* *Orpheus.*

Aristoxenum musicum scripsisse referunt, Indum quendam virum grauem & eruditum venisse Athenas, Socratemque, qui ad eum visendum ac salutandum accesserat rogasse, quonam pacto optimè quispiam philosophari posset? Tum Socratem respondisse, si consideret quomodo homini viuendum sit. At Indum risisse, dixisseque, *neminem posse res humanas scire, qui diuinas ignoraret.* O sententiam singularem, & homine doctissimo dignam? Quis enim potest cognoscere quomodo viuendum sit, qui id diuinum quod in se habet, ignorat, & auctorem sum non cognoscit? Hãc etiam sententiam testari videtur Plato, quum philosophiam trifariam partitur. Primam enim partem de natura vniuersi esse dicit, secundam de hominibus, tertiam de oratione. Quid est aliud naturam vniuersi contemplari, nisi Deum agnoscere? Et certè de diuinitate sanctissimè ac sapientissimè locutus est Plato, quũ Deum vnum esse dixit. Neque *Aristoxenus.* *Socrates.* *Philosophiam Plato trifariam partitur.*

hoc

hoc assequutus est Socratica aut Græca aliqua disciplina, sed ex sacerdotibus Aegyptiacis, sacrisque eorum libris, quorum adeò studiosus fuit, vt in Aegyptum vsque perrexerit, diutiusque discendi causa illic manserit. Scribit enim Diodorus Siculus, Aegyptios sacerdotes in sacris suis libris scriptū habuisse, Orphæa, Musæum, Melampoda, Dedalum, Homerum, Solonem, Pythagoram, Platonem, Eudoxum, Democritum Aegyptum petiuisse, vt à sacerdotibus illis docerentur: quorum disciplinam si quis ignorabat, non satis se didicisse arbitrabatur. Et certè de Deo apud priscos nemo scienter disseruit, nisi qui prius Aegyptiorum Chaldeorumque disciplinam planè nosset. Nec pudeat Græcos (qui se parentes omnium doctrinarum ambitiosè dici affectant) fateri hanc sapientiam ab eis, quos barbaros appellant, se didicisse. Quamquam enim mathematicæ ab eisdem acceptæ, maximum incrementum apud Græcos fecerunt: musices tamen inuentum non Aegyptijs tradunt Græci, sed Zetho & Amphioni, quos Cadmi tempore fuisse perhibent, ad tempora vsque Samij Pythagoræ, qui eam inuentis suis excultam ornatamque omni ex parte reddidit, adeò, vt à quibusdam non musices cultor, sed primus inuentor extitisse dicatur. Ipse verò Orpheus, qui multis seculis ante Platonem fuit, versibus suis omnes virtutis studiosos inuitat ad hauriendam ex dictis suis diuinam disciplinam, ex qua quidē cognoscerent autorem mundi, qui vnus esset Deus, qui omnia creauit, omnia fouet, omnia nutrit, qui oculis humanis non cernitur, sed sola mente percipitur; quique nullis malis mortales afficit, quum sit bonorum omnium causa & effector. Deinde addit neminem mortalium vnquam Deum vidisse, nisi pientissimum quendam senem Chaldæo sanguine oriundum. Deinceps cùm iam peroraret, addit se hæc didicisse ex monumentis, quæ olim Deus tradidit in duabus marmoreis tabulis.

Diodorus. *Pythagoras.* *Deus quibus olim cognitus.* *Græci sapientiam aliis acceptam ferre debent.* *Zethus & Amphion, musica inuentores.* *Pythagoras musicus.* *Orpheus.* *Deus vnus.* *Deum nemo vidit vnquā.*

Quis non intelligit ex his dictis, Orpheum Mosaicam sapientiam attigisse? Cuius quoque nequaquā expers

Mosaica sapientia Li-

expers fuit Linus : *dixit enim Deum omnia creasse, & se-* *Poeta nõ expers.*
ptima die cuncta perfecisse. Huic etiam sententiæ acce-
dunt Homerus & Hesiodus, quorum alter septimam
diem cuncta absoluisse ait, & tenebras vmbrasque
Acherōtis soluisse, alter septimam lucem sanctam &
præfulgidam illuxisse. Posuerunt quoq; in principijs
rerum Hylen squalidam, cæcam, & informem quan- *Hyle.*
dam confusionem, quę deinde à Deo fuerit discreta,
quos Ouidius noster notis illis versibus imitatur. *Meta. lib. 1.*

Ante mare, & terras, & (quod tegit omnia) cælum, *Chaos.*
Vnus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere Chaos, rudis indigestaq; moles.

cum reliquis qui sequuntur.

Hunc posteri omnes poëtæ Latini imitantur, sed ab alijs Hyle, ab alijs autem Chaos appellatur, aucto-re Hesiodo. Rés tamen ignota erat pene omnibus Græcis, præter paucos admodum, qui ab Aegyptijs didicerant. Vnde quum Epicurus adolescens esset, *De Epicuro.* & à Grammatico quodam libros Hesiodi vellet per-discere, rogauit eum quid esset Chaos? Atqui quum minus ille ei satisfaceret in expositione, diceretque eiusmodi explanationes à philosophis quærendas esse, missionem à Grammatico petiuit, & ad Demo-critum accessit, operamq; philosophiæ diligēter im-pendit. Nunc verò ad propositam rationem redeo. Aratus etiam vnum Deum fatetur: principio enim operis sui dicit,

Ab Ioue principium musæ, Iouis omnia plena.

Eandem sententiam posuit Pythagoras, & discipuli eius omnes. Pindarus etiam quasi Pythagoricus di- *Pindarus, Pythagoricus.* xit: *Vnum patrem, creatorem summum atq; optimum opificē nos habemus.* Epicharmus item eiusdem disciplinæ *Epicharmus.* sectator dixit, *Deum omnia videre, nihilq; eum latere posse, eiq; omnia factu possibilia esse.* Thales quoque Milesius, *Thales Milesius.* qui vnus è septem Græciæ sapientibus censetur, ait: *Ne cogitata hominum Deum vnquam fallunt.*

Ex his tot tantisque sententijs planè cognoscimus poëtas à fabulis discessisse, & veriora quædam de rebus diuinis quęsiuisse. Pythagoras Deum dixit esse

Deus, quid Pythagoras? Qui liber hodie non extat.

animum per vniuersas mundi partes omnemque naturam commeantem atque diffusum, ex quo omnia quæ nascuntur animalia vitam capiant. Cicero autem in libro de consolatione eiusmodi verba protulit: *Nec verò Deus ipse, qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quadam & libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens & mouens.* Sed harum diuinarum rerum veritas diutius latuit, mortalesque ancipites tenuit, ad tempora vsque saluatoris nostri Christi, qui diuina omnia mysteria veritatis luce hominibus aperuit, nosque cœlestium arcanorum compotes reddidit, & ex miseris beatos feliceséq; effecit, adeò, vt nisi nos ipsos deserimus, & voluptatibus illecebrisque dediti à virtute deficimus, cum diuis æternisq; numinibus perpetuo sempiternoq; æuo fruituri simus.

Christus, diuina omnia mysteria aperuit.

Hanc sapientiam sequantur Reges ac Principes, nec permittant quempiam de religione Christiana male sentire, siue de rebus cœlestibus nouos sermones inducere, sed Dryopen Atheniensem imitentur, qui legem tulit, qua capitale censebatur esse, *de Deo nō rectè sentire, siue de religione nouos ritus afferre.* Vt enim impium esse arbitrabantur Athenienses incredulam mentem habere, & numina contemnere, sic rursus inani superstitione teneri, & deliramentis ac vano timore animum perturbare. Superstitio igitur vitij erit, religio autem virtutis, quam quidam philosophi definiunt, scientiam esse diuini cultus. *Qui autem quæ ad cultum diuinum pertinent, retractarent, & tanquam relegerent, religiosi dicti sunt à relegendo*, vt scribit Cicero libro secūdo de Deorū natura. Seruius Sulpitius religionem dictam esse tradidit, quæ propter sanctitatem remota ac seposita sit à nobis, & ab alijs humanis actionibus.

Dryopis lex apud Athenienses.

Religiosi, qui dicantur.

Religio quid Seruio Sulpitio.

Princeps igitur pius, & Deo numinibusque optimè conciliatus, bene ab omnibus audit, cuncti eius dicto obtemperant, fideique eius liberè se credunt. Hæc virtus Numam Pompilium ex priuato, & quasi rusticano homine Romanorum Regem reddidit: tanta-

Numa Pompilius.

itaque eius pietatis opinio fuit, vt ducerent illum diuinum coniugiũ meruisse. Egeriæ enim nymphæ Numam misceri putabant, à qua per consuetudinem diuinorum fieret consiliorum conscius. Neglecta religio nonnullis Regibus aliquando exitio fuit. L. Piso primo annalium scripsit, *Tullum Hostilium Regem ex Numæ libris, eodem quo ille consueuerat sacrificio, Iouem à cœlo deuocare conatum: sed quoniam parum ritè quædam fecisset, fulmine ictum periisse.* Ex Aegyptiorum opinione putabant veteres virginibus fœminis diuinæ sobolis principia ingigni, in masculis autem nullum cum Deo corporis congressum. Sibyllæ hoc declarant, quæ participes diuinorum consiliorum fuisse perhibentur, & futurorum præsciæ, quas tres tantùm extitisse multi veterum opinabantur. Varro autem decem connumerauit.

Liuius, Val. Max. l. 1. c. 2. Plut. Dionys. L. Piso.

Aegyptiorum opinio.

Sibylla.

Varro, decem Sibyllas recensat.

Primam quæ de Persis cecinit, secundam Lybicam, tertiam Delphicam, quartam Cumæam, quintam Erythræam, quæ Graijs Ilion petentibus perituram Troiam cantauit, & Homerum mendacia scripturum, sextam Samiam, septimam Camanam, Amaltheam nomine, quæ ab alijs Herophile, vel Demophile dicitur: hæc nouem libros Tarquinio superbo obtulit, pro quibus trecentos aureos Philippeos postulauit. Rex precij magnitudinem demiratus, eam tanquam insanam ac fanaticam irrisit: illa indignata tres in conspectu Regis libros cremauit, & pro sex reliquis idem precium poposcit: rursusq; à Rege cõtemptui habita tres alios exussit, & pro tribus, qui superarant, nihilominus eandem summam efflagitauit, qua pertinacia motus Rex, trecentos, vt poscebat aureos nummos numerari ei iussit. Hi tres libri summa religione diutius asseruati sunt, donec Capitoliũ Syllæ Dictatoris tempore incendio absumptum extitit. Præerãt eis interpretes viri grauissimi, quos quidem in rebus dubijs Senatus semper consulebat. Octauam supradictis adnumerat Varro Hellespontiacam, quam Solonis & Cyri tempore fuisse affirmat, Nonam Phrygiam, quæ Ancyræ vaticinata est. Decimam

Vide Val. Ma.

Capitolium Sylla tempore igne absumptum est.

Tibur-

Quæ & Leucothea dicitur. Tiburtem Albuneam nomine, quæ Tiburi pone Anienem fluuium pro Dea colitur. Phœbades etiam, quæ Phœbo sacræ sunt, vt Mænades, Mimallones, Bacchæ, Libero patri nymphæ, & virgines Vestales, & aliæ fœminæ numinibus dicatæ, quarum alias diuinæ sobolis propagatrices fuisse legimus. Diuinitatem quandam ex viris apud Græcos habuit Melampus, apud Romanos verò Martius. Maiori Scipioni religionis opinio non parum suffragata est ad dignitatem auctoritatemque comparandam, qua quidem assecutus est, vt ante legitimũ tempus Aedilis fieret, Tribunis etiam plebis aduersantibus, & quartum ac vigesimum annum agens in Hispaniam proconsul mitteretur, quum duo egregij Imperatores breui tẽpore in eo bello cecidissent. Nam ex quo virilem togam sumpserat, consueuerat quotidie mane Capitolium ascendere, & solus ædem Iouis ingredi, diutiusque ibidem remotis arbitris commorari. Hinc multitudinem omnem opinio inuaserat, Scipionem ex Iouis adytis diuiniora quædam consilia accipere, sicut Numa Pompilius olim ab Egeria nympha acciperet consueuerat. Sacerdotes quoque Iouis & editui palàm testati sunt, ferocissimos canes, qui pro Capitolij foribus excubias assiduas exercebant, nunquam in Scipionem oblatrasse, quum in alios omnes ferociter semper sæuirent, & ille quotidie ant[...]cem primus omnium accederet, quinetiam ei [...]landiebantur, tanquam familiari hero. Marius quoq; non parum auctoritatem in exercitu ex superstitione quadam assecutus est: habebat enim mulierem quandam secum Martham nomine, quam vaticinandi diuinandique peritissimam esse aiebant.

Phœbades.
Mimallones.
Scipio maior Tit. Li. deca. 3. lib. 6.
Numa Pompilius.
Capitolij canes nunquam Scipionem allatrabant.

Hæc per exercitum lectica delata honorificè circumferebatur, cuius etiam iussu rem diuinam faciebant: tantumque potuit fama huius mulierculæ, vt à Senatu aduocata, libertate donaretur, & honore ac muneribus decoraretur, vt quæ diuinorum conscia, futura posse prædicere, ab omnibus vulgò diceretur. Non defuit etiam quædam simulatæ superstitionis species Sertorio viro fortissimo, & Ducum omniũ sui

Martha in castris Marij, mulier fatidica.
Sertorij cerua.

temporis pugnacissimo. Nam cicurem quandam ceruam habuit candidissimo colore, quam ei diuino munere datam omnes milites vulgò asserebant, in cuius rei fidem sæpenumero dicebat Sertorius, se signum pugnæ à cerua expectare, à qua quidem exitum euentumque perdisceret. *Ex Val. Ma. lib. 1 de negl. religione.*

Verùm quum hæc aliquando ad horam solitam non rediret, id signum infœlicitatis esse dicebat, idcirco in aciem non esse prodeundum, nec cum hoste certandum: sed paulò post, quum insperatò cerua redijsset, exclamauit Sertorius, hosti concurrendum esse, victoriamque exploratissimam ab illa portendi. Qua ex re concitati milites arma ac pugnam deposcebant, & spe victoriæ alacriores facti fortius pertinaciusque pugnabant: vnde paruo temporis interuallo Pompeium apud Saguntum profligauit, *Pompeius.* sex millibus cæsis, & dimidia exercitus parte deleta. Summa insuper religione plerisque in rebus semper *Populi Romani religio.* vsus est populus Romanus, non modò inter ciues, & intra vrbis mœnia, verùm inter peregrinos quoque hostes, & in re bellica. In pontificum enim disciplina cautum fuerat, vt neque oppidum neque vrbs aliquantè oppugnaretur, quàm Romani sacerdotes Deum loci præsidem euocassent, & illi vouissent religionis cultum apud Romanos, ac locum ampliorem, templum, delubrum, sacellum, aut arã. Hinc essectum est, vt intra Romana pomœria singularũ progentium numina propria sacraria habuerint, propriasve ędes, creuítque Deorum numerus ad irrisionem vsque. Sed Dei illius nomen sub cuius custodia *Gentium alienigenarum tēpla Romæ.* est Roma, diutius occultum fuit, ne qua hostilis euocatio fieri posset, vt Verrius Flaccus scripsit. *Summa religione dudum Romani natalem vrbis suæ diem celebrarunt, qui fuerat decimo Kalendas Maias, in quo vrbem totam per vias & compita festa lauro velabant, maiores mactabant hostias, & nonnunquam publicum prebebant epulum.*

His igitur rationibus & exemplis concludendum religionib. pietatisq; cultu Deo Optimo Maximo reges principesve optimè cõciliari, & eorũ actiones

fœliciores reddi: & sanè mortales aliqui exinde illos obseruant, tanquam diuina quædam numina inter homines. At contrà impietatis fama omnia difficiliora reddit, & Principem ipsum omnibus criminibus obnoxium facit. Quis enim cum eo quippiam agere volet, quem nullus Dei metus, nulla fides, nullum iusiurandum retinet, & à prauis actionibus coercet? Præclarè Cicero in libris de Deorum natura, inquit, *pietate erga Deum sublata, fidem & humani generis societatem tolli, & iustitiam virtutum omnium excellentissimam.* Virgilius quum miro carminis præconio Æneam efferret, sola pietatis laude eum cæteris ducibus prætulit: nec quicquam magnum illum agere inducit, nisi propiciatis numinibus, peractisque rebus sacris. Quippe qui arbitrari videatur, religionem ac pietatem omnes in se virtutes continere: imitatus hac etiam in re, vt in omnibus alijs Homerum, qui præcipuè hanc virtutem in ducibus suis laudat.

Lib. 1. circa prin.

Virgilius laudat Æneam à pietate.

Sed iam præscribendus est finis huic secundo volumini, in quo de educatione & eruditione futuri Regis tractauimus: properandumq; ad tertium erit, in quo quidem dicemus, quibus corporis exercitationibus vti debeat, & cum quibus hominibus præcipuè versari, quósue cauere eum expediat.

LIBRI TERTII PRAEFATIO, ad eundem.

PLVRIMA vetustissimi poetæ sub placidi alicuius figmenti involucro, humanæ vitæ, iustique imperij præcepta tradiderunt, quæ ex vberrimo sapientiæ fonte eruta, ad formandum à prima ac tenera ætate Regẽ, Principémve pertinent, Alphonse Ducum omnium celeberrime, sine quibus etiam vix fieri posse arbitror, vt quispiam diuturno tempore moderatè ac tutè imperet, & populos ciuesq; omnes dicto audiẽtes habeat. Sed quum priscum illud hominũ genus durũ, agreste, atque omnino indocile esset, & ad iniuriam rapinamq;

procli-

prodiitue potius, quàm ad laborem industriamq; erectum, blandis quibusdam fabellis opus fuit, quibus allecti homines sensim à deprauata ac violenta consuetudine discederent, & ad iustitiam æquitatemq; redigerentur, & sic per obliquam iucunditatis semitam, ad rectam virtutis viam deducerentur. Eius quidem rei in primis eiusmodi erit exemplum. Eurystheus Arcadię Rex (qui priscis illis seculis latum imperium in Græcos & in alias quasdam nationes diu magna cum laude exercuit) vir fortissimus fuit, & frigoris, æstus, inediæ, atque omnium laborum sapientissimus, feras quoque humano generi inimicas, & immanissimos tyrannos hominibus infestos, claua, sagittis, viribus, vi, atque omni impetu insequebatur. Huic (quum Thebas lustraret) Amphitryo Herculem filium, quem ex Alcumena genuerat indolis pereximiæ, & virium præter ætatem admirandarum, comitem dedit, vt virtuti consuesceret, labori obduraret, & à Thebanis nequitijs ac voluptatibus arceretur. Qui paruo tempore interiecto superatis maximis illis laboribus, quos nouercali odio ab Eurystheo ei imperatos fuisse poëtæ fabulantur, in eiusmodi ducem atque Imperatorem euasit, vt ei mortales omnes parerent, & iusticiæ arbiter in omni terrarum orbe haberetur: post obitum verò non modò diuus, sed præsens gentium Deus coleretur, & delubris, tēplis, arisq; veneraretur, interposito etiam per eius nomen iureiurando tantæ dignitatis, vt nec seruili nec muliebri voce pollueretur. Exercitatio itaq; Principum à teneris annis ea res est, quæ eos excellētes in re bellica præstat: & intentos longè magis studijs ciuium. Princeps .n. strenuus, celer & industrius vecordes odit, ignauos ac desides insectatur: cuius exemplo, quia libenter illum omnes imitantur, fortitudini ac labori vt vniuersi studeant opus est.

Poetarum fabula.

Eurystheus Arcadiæ Rex.

Amphitrio.

Hercules.

Princeps strenuus ignauos odit.

Spartani Reges armis ac rei militari vacabant, quorum disciplinam vniuersi iuuenes sectabantur. Proinde Spartani militiæ magistri habiti sunt, adeò, vt quæcunque ciuitas Imperatore indigeret, illum à Spartanis acciperet. Cretenses verò

Cretensium studia.

venatione & re nautica exercebantur. Idcirco optimos canes alebant, & imperiũ maris diutius tenuerunt, Crotoniatæ autem Olympiaca oleastri corona oblectabantur, exinde in vnius Olympiadis ludis septem Crotoniatæ, qui cæteros superauerunt, coronati sunt. Hinc prouerbium, *Crotoniatarum postremus, reliquorum Græcorum primus.*

Thebani voluptuosi.

Thebani contrà delicijs profluebant, & relictis omnium virtutum studijs, tibiæ modulis insultabant, inde prouerbium quoque ortum est, auctore Alcibiade: *Thebani quando citharœdi fieri nequeunt, aulœdi fiunt,* quod Cic. etiam in oratione pro L. Murena inseruit. Iones omnes, & præcipuè Milesij, delicijs, choreis, tripudijsque indulgent, quasi perpetuò feriati sint. Sybaritæ quoque, qui Crotoniatis finitimi sunt (inter fluuios enim Crathin & Sybarim habitant) omnium mollissimi habentur, Veneri ac luxuriç dediti, nullum ciuem magis laudabant, quàm eum qui aliquod nouum libidinis monstrum exhiberet, vnde Aristoteles Smyndiridem Sybaritam in luxu ac delicijs Sardanapalo similem fuisse ait. Cum Homero igitur concludamus, *tales esse populos, quales sunt Principes, qui illis imperant.* Tu verò à teneris annis semper in assiduis arduisque laboribus educatus, ea primæ militiæ tuæ exempla dedisti, quæ non modo Cyri tyrocinia antecellant, verùm cum Alexandri ac Cæsaris gestis comparentur. Et hoc pro comperto habeo, quæcumque agis eo gratiora tibi esse, quo ad veterum Ducum atque Imperatorum fortitudinis ac probitatis exempla propius accesserint.

Sardanapalus.

Qualis princeps, talis populus.

Sicut aliæ sunt Regis virtutes, aliæ priuatorum, sic diuersæ sunt corporis exercitationes, quæ non omnes passim Regi conueniunt.

TIT. I.

Strato Lampsacenus, scripsit de regia Philosophia.

STrato Lampsacenus vir fuit magna eloquentia, summaque doctrina, hic complura librorum volumina scripsit, inter quæ vnum de regia philosophia ad Ptolemæum

lenæum Aegypti Regem inscripsit. Eius libri indicem multi admirati sunt, vt diceret Philosophiam semper vnam atque eandem esse sapientiam, quæ nunquam à seipsa discederet, sed semper eisdem præscriptis sibi constaret, nec mutaretur auditorum aut discentium varietate: quibus illud respondendum fuit, veram quidem esse philosophiæ constantiam, vt asserunt, sed cùm profiteatur diuinarum humanarumque rerum cognitionem, discedendum aliquando esse ab infinita illa cogitatione, quæstioneque, quæ Græcè *θεώρησις* appellatur, & ad *ὑπολογίαν* quæ finita quædam ratio est, perducendam esse orationem, vt personarum, locorum, ac temporum considerata quædam discretio aliquando habeatur. Non enim acuta illa quæ à dialecticis subtilius disputantur, Regi conuenire videntur. Neque etiam ea quæ præter communem hominum opinionem sunt, & à Stoicis *ἄσκεπτα* vocantur, neque abdita Democriti, aut obscuriora illa Pythagoræ, quæ multorum annorum silentium desyderabant, sed clariora quædam, quæ de ciuili vita tractantur, deque optimis hominum moribus præcipiuntur, & rationem orationemque perficiunt, redigenda sunt ad regiam institutionem. Nam mediocritas illa, quæ in ciuili vita laudatur, nonnunquam in Rege neutiquam satis esset, nec numerum perfectæ laudis in eo impleret. Ita enim quæ in viro priuato liberalitas dicitur, in Rege magnificentia sit oportet. Et frugalitas, quæ modestiæ temperantiæque comes est, maximis laudibus effertur in ciuili viro: in Rege autem minoris est laudis, & frigidior vtique habetur. Audi Ciceronem, & intelliges, quæ fortasse non satis clarè exprimere atque explanare possum: *Omnes sunt in Deiotaro Rege virtutes regiæ (quod te Cæsar ignorare non arbitror) sed præcipuè singularis & admiranda frugalitas, etsi hoc verbo scio laudari Reges non solere: Frugi hominem dicitur multum laudis habet in Rege: fortem, iustum, seuerum, grauem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem, hæ sunt regiæ laudes, illa priuata est. Vt volet quisq; accipiat, ego tamen frugalitatem, id est modestiam, & temperantiam, vir-*

Dialectici gryphi Regi non conueniunt.

Pythagora silentium.

Liberalitas, magnificentia in Rege.

tutem esse maximam iudico. Hæc maximi oratoris sententia planè docet, maiora esse ea, quæ a Rege expectantur, quàm quæ à priuato viro.

Cæsaris clementia. Magnæ admirationis in Rege habetur clementia, de qua idem orator ad Iulium Cæsarem dixit: *Multa sunt monumenta clementiæ tuæ, Cæsar, sed maxima incolumitatis eorum quibus salutem dedisti.* Post Pharsalicam enim victoriam omnibus ignouit Cæsar, qui se ei permiserunt. Sed hæc nunc missa faciamus. Nam de his latius dicemus in sequentibus libris, in quibus de virtutibus disseremus. Nunc autem satis erit ostendisse, alias Regum proprias esse virtutes, alias priuatorum, vt ex hoc etiam intelligamus corporis exercitationes non omnes ad Reges pertinere, sed earum quasdam Regibus, quasdam verò priuatis hominibus cōuenire. Quinetiam vt ætates nostræ per naturam variantur, & diuersitate quadam secernuntur, sic etiam quæque earum studio suaque exercitatione tenetur.

Astrologi de animis quid scribant. Scribunt qui de syderum natura ratiocinātur, animos nostros diuino nutu per signiferum lacteumque orbē delapsos, ex singulis quibusq; sphæris singulos quosq; motus siue affectus ducere. Ex sphæra illa superiore, quæ Saturni dicitur, ratiocinationem & intelligentiam accipere. Ex illa autem Iouis, quæ huic proxima est, vim agendi. Ex tertia, quæ Martis nūcupatur, audaciam atque ardorem. Ex quarta, per quam sol labitur, sentiendi opinandique rationem. Ex quinta, cui pręest Venus, desiderij cupiditatisque motum. Ex sexta quæ Mercurij dicitur, vim pronunciandi & interpretandi. Ex Luna verò, *quæ finitima terræ est*, vt ait Cic. naturam ferunt adimplendi augēdique corpora. Est enim Luna, quasi vitæ ac mortis terminus. Animi siquidem ab ea defluentes, terrena accipiunt corpora, quæ & mortalia sunt, & caduca, à quibus quum separantur, ad superiora inde redeūt, æuoq; fruuntur sempiterno. Hac opinione ducti veteres poëtæ, qui (vt diximus) Astronomiæ peritissimi erāt, sub figmēto fabularum Parcas virtuti Lunæ adhibuerūt, vt prima esset Clotho, quæ generando homini præsit, secunda Lachesis, quę eidem nutrimen-

Parcæ. Clotho. Lachesis. Atropos.

tum

tam præbet: tertia Atropos, quæ eum postremò occidit, quæ nomen à Græca interpretatione accipit, quoniam nunquam conuertatur sitque semper inconuertibilis.

Vitam corporis animati sol & luna præcipuè adiuuant. Nam sentire & crescere, à sole & luna proficiscuntur. Sol enim sentiendi auctor est, luna verò crescendi, & sic vtriusque luminis beneficio vita frui videmur. Cõuersatio tamẽ & peruentus ad humanos actus, tam ad hæc duo numina, quàm ad alia quinq; erratica pertinent. Quum enim nascimur, à sole spiritum, à luna corpus, à Marte sanguinem, à Mercurio ingenium, ab Ioue desiderium, à Venere cupiditatẽ, à Saturno humorem accipimus: quæ singulis quibusque singula quæque accepta reddere postremò videmur, quum morimur. His præpositis rationibus consequens est vt singula hominum ætas singulum ducem Præsidémve habeat, à quo studium actionemque accipiat. Luna siquidem primam illam teneritudinem ac molliciem blando quodam officio permulcet, & benigno vberique humore infantiam fouet. Mercurius deinde pueritiam accipit, & illam sermonibus, sermone, ac disciplinis instituit. Venus adolescentiam deinceps amplectitur, eamque cupiditatibus allicit, & generandi potestatem præbet. Sol iuuentutem gubernat, cui animos ac vires addit, & ad altiora sublimioraque erigit. Mars autem virilitatem prębet, & diuitiarum cupiditatem affert, & rixarum contentionumque studium. Iupiter verò, qui senectutem regit, grauitatem, & maturam quandam benignitatem largitur, & pacis studium insinuat. Saturnus decrepitam ætatem regit, frigiditatem quandam morosam ac tardam exhibet, & obliuiosam rerum omnium despicientiam.

His igitur manifestis rationibus constat non posse pręcepta exercitationis totius vitę simul tradi, quũ singulæ quæq; ætates diuerso studio teneãtur. Scitè enim vulgò dicitur. Studium vnius ætatis tædiũ alteri affert. Sed nos in primis libabimus exercitationes illas, quæ ad pueritiam & adolescentiam pertinent, à

quibus quidem reliquæ omnes vitæ partes institutionem eruditionemque accipiunt. Bene igitur à faceto homine illo dicebatur, *qualem sementem feceris talem & messem facies.*

De equitandi ratione & vtilitate, de optimis equis, & eorum patria, de equestri militia.

TIT. II.

Equitatio Regi præcipuè necessaria.

OMNIVM exercitationum, quæ ad futurum Regem pertinent, præcipua habenda est equitandi ratio: quæ quidem in pace iucunda est, in bello autem non modo vtilis, verùm etiã perquàm necessaria. Qui enim ineptè & indecorè equo insidet, in primis ab alijs irridetur, deinde inutilis in pugna ad omnes bellicas actiones habetur. Non aduersarij ictum sustinere aut cauere potest, non hastam suam dirigere, non eam vlna aut cubito compresso stringere, nõ equum flectere, non ex eo iaculari, non arcum tendere, aut quippiam vtiliter aut decorè agere, sed paruo ictu minimaque succussione excutitur, adeo vt ab omni equestri militia extrudendus sit: & præsertim nostris temporibus, quibus maxima ex parte equestri pugna decernitur. Instruuntur enim cohortes Cataphractorum equitum, adoperti per omnes membrorum artus ferreis laminis, nulla ex parte vulneribus patent, tectisque equis vehuntur operimentis scorteis, siue ferreis, quorum quidem splendor adeò fulget, vt aciem oculorum occursantium perstringat. Cataphractorum equitum militiam primi omnium Persæ inuenerunt, vt Græcorum historici testantur, & ex nostris Ammianus Marcellinus. Quintus etiam Curtius in historia Magni Alexandri contra Persas, eiusmodi verba protulit: *Equitibus equisq; tegumenta erant ex ferreis laminis serie inter se connexis, in modum tenuis plumæ*, vt Marcellinus addit. Græci tamen prisci verbi barbariem exhorrentes, cataphractos appellarunt, quasi munitos vndique, & circumseptos armis: φράττω siquidem verbum, munire ac sepire significat, inde φραγμὸς sæpes est, vel maceria. Sed ad institutum redeat sermo.

Cataphracti.

Equi-

Equitandi ratio à teneris annis percipienda est, antequam corpus obdurescat, obstipúmve fiat, dum nerui sine rigore sunt & membra facile quoscunque vsus accipiunt. Consueuit equo insidere puer admodum Iulius Cæsar, qua in re adeò agili corpore extitit, vt reflexis post terga manibus, equum saltibus cursibusque immotus ipse concitaret, & è vestigio habenis regeret, statimq; in exiguum orbem circunflecteret, & à pręcipiti cursu retineret. Quinetiam (vt Oppius vir elegans & eruditus meminit) duobus pluribúsve notarijs sæpenumero epistolas diuersarũ rerum abundè admodum inter equitandum dictitabat. Equo verò in re militari vsus est Cæsar admirandæ celeritatis, & tantæ etiam ferocitatis, vt neminem præter eum sessorem pateretur, sed omnes alios dorso excuteret. Hunc equum perhibent humanis pedibus anteriores vngulas similes habuisse. Et hæc quoque effigie illum sculptum ante ædem Veneris Genitricis se vidisse Plinius testatur.

Oppius, qui reliquas Cæsaris res gestas pertexuit.

Alexandri Regis equus, qui à toruo aspectu, siue ab insigni taurini capitis, quod in armo inustum habebat, Bucephalus appellatus est, magnę admirationi omnibus fuit, hoc præcipuè, quod neminem pręter Alexandrum regio instratus ornatu in sedem acciperet, alios autem omnes reijceret. Credebatur enim (vt Curtius scribit) sentire quem veheret, submittebatq; genua quum Rex vellet ascendere, & illũ dorso sponte accipiebat. In prælijs autem admirandę cuiusdam operæ fuisse perhibetur: in Thebarũ enim expũgnatione, quum grauiter vulneratus esset, Alexandrum in alium equum transilire neutiquam est passus, sed dolorem contemnens, fortiter in officio permansit. Proinde nequaquam admirandũ est, hunc Regem tanta beneuolentia hunc equum complexũ fuisse, vt & in vita ei plurimum indulserit, & post interitum nauatæ operę gratias retulerit. In India enim vrbem ædificauit, quam ab equi illic sepulti nomine Bucephalen nuncupauit: hunc equum Alexander ipse quum puer esset domuit: erat enim admirandæ ferocitatis, nec tractari ab aliquo poterat, aut etiam

sessorem vllum accipiebat, sed passim singulos excu-
babat, quod quum cerneret Alexander, blandè illum per iubam apprehensum, reiecta sensim chlamyde, securus ascendit, habenisque quamprimùm subegit: hoc cùm admiraretur Philippus, desilientis ex equo filij caput osculatus est, dixitq́; : *Aliud iam tibi par regnum quære, Macedonia enim te non capit:* quasi, ex tanta indole iam conciperet illum maximum Regum omnium fore.

Ex Plin. cap. 42. lib. 8.

Magna docilitas & quasi intelligentia quædam in quibusdam equis cernitur. Omitto Bucephalum, de quo multa & admiranda quidem referuntur. Nicomedes Bythyniæ Rex equum habuit, cuius præstantissima fortique opera diutius in bello vsus fuit: sed quum deinde interemptus Nicomedes extitisset, equus mœrore tabeq́; confectus nunquam pabulū accipere voluit, sicque multorum dierum inedia perijt. Sui etiam equi monumenta reliquit Octauius Augustus, cui sepulchrum marmoreum statuit, & de eo Germanicus Cęsar carmen scripsit, vt refert Plini⁹. Penes Cimonis Atheniensis viri clarissimi sepulchrū, equorum monumenta non parua impensa constructa cernebantur, quibus bis victor in Olympiacis ludis coronatus fuerat.

Plin. li. & ca. prædictis.

Equarum vsus in maximis subitisq́; laborib. tutior est, quàm equorū. Mittunt enim vrinam inter prosiliendū currendúmve, nec minimo momento ab opere cessant: equi verò in cursu si plusculū sistant, meiere nequeūt, & dum lotium continent, aut stranguriç morbo statim exanimantur, aut iugulis humore repletis perpetuò inutiles fiunt. Sarmatæ longinquiora itinera acturi (vt Plinius etiam scribit) vnius diei inedia equos præparant, exiguum eis tantùm potū præbentes: atq́; ita per centena & quinquaginta passuum millia continuo cursu illis insident.

Varro cap. 7. lib. 2. rei rusticæ.

Vtilem equorum ætatem Varro in libris suis de re rustica ad sextum decimum annum vsque esse existimat: senectutemque eorum obseruari asserit ex canis superciliis, & præcipuè si sub eis canæ lacunæ cernūtur. Vita eorum longæua, quam ad quinquagesi-

mum

... vsque annum Plinius extendit, minimè optã- *Plin. c. 42. lib. 8.*
...est. Fiunt enim invtiles non modò rei bellicæ, & ... sarcinæ, ac trahendæ rhedæ, sed etiam ad... Vltra vigesimum autem annum non posse ...nerare equum doctissimi quique, qui de agricola ...ne scripserunt, affirmant, nec equam vtiliter vltra ...mum concipere.

Qua forma legi spectariq; equum oporteat lucu... versibus docet Virgilius, quum dicit. *Geor. lib. 3.*

...i pecoris generosi pullus in aruis
... ingreditur, & mollia crura reponit.
... & ire viam, & fluuios tentare minaces
..., & ignoto sese committere ponti:
... vanos horret strepitus: illi ardua ceruix,
...q; caput, breuis aluus, obesaq; terga,
...atq; toris animosum pectus, honesti
..., glaucíq; color deterrimus albus
...: tum si qua sonum procul arma dedêre,
... loco nescit, micat auribus, & tremit artus,
...umq; fremens voluit sub naribus ignem.
...iuba, & dextro iacta procumbit in armo.
...plex agitur per lumbos spina, cauatq;
..., & solido grauiter sonat vngula cornu.

Sed Columella libro septimo de agricultura sum... elegantia ac diligentia per singula quæque mem... eximiam equorum formam ostendit, cui nihil ...fectò adijci potest. *Columella ca. 27. lib. 7.*

...mum equorum domitorem Bellerophonta ...e tradunt: qua ex re poëtæ, equi Pegasi, & Cabal... fontis Musis dicati fabulã finxerunt. Frenis equos ...gere, & vrsinis leoninisve pellibus sternere Pele...nius docuit. Sed Thessali Pelij montis accolæ ...strem pugnam primi inuenerunt, qua ex re illos ...midio viros, ex dimidio verò equos fuisse fabu... antiquitas, dicũturq; Centauri, quòd primi acu... equos foderint. Est enim κεντεῖν stimulo, pungo, ... autem pro aculeo vel stimulo apud Græcos ...s vsurpatur. *Fabula de Bellerophonte & Pegaso.*

Scythæ

Scythæ equorum equitatusque præstantia gloriantur, seque mortales omnes sagittandi iaculandique ex equo, ratione atque vsu præstare profitentur. Parthi quoque qui à Scythis oriūdi sunt (eiecti enim patria nouas sedes quæsierunt) equestrem etiam militiam magna virtute exercuerunt. Eorum enim administratio post defectionem Macedonici imperij sub Regibus fuit, quibus vt locupletissimus quisque erat, ita plurimos equites regio exercitui præbebat. Hi ita pugnant, vt siue procurrentibus equis, siue terga dantibus, & fugiētes quidem, sagittas mittant, idque post Scythas optimè facere consueuerunt. Proinde sæpe simulant fugam, vt incautiores sequentes facilius sagittis figant. Non diu præliantur, sed magno & præcipiti impetu plerumq; etiam in ipso certaminis ardore prælia deserunt, rursusq; pòst pugnam ex fuga instaurant, vt tunc vel maximè periclitetur hostis, qui se magis vicisse putauerit. Hoc etiam declarat versus ille Virgilij, quum ait:

Fidentemq; fuga Parthum, celeriq; sagitta.

Parthi. Parthi non solùm in bello, sed in omnibus ciuilibus functionibus equis vectantur, ex illis conuiuia, & publica priuataque munera obeunt. Hoc quoque discriminis inter seruos ac liberos est, quòd serui pedibus, liberi autem equis incedunt.

Lydi. Lydi velocissimos equos habuerunt, & non modò ad cursum alacres, verùm ad vectandos currus præceleres, spōte sua currentes, vnde illud in prouerbio *Prouerbium.* fuit, Lydus equus nec calcaribus fodiendus est, nec flagello cædendus. Et Pindarus de eo qui lentè sequebatur, ait: *Pedes Lydum currum sequi videtur.*

Argiui etiam laudem suam in equestri militia habuerunt, optimamq; equorum sobolem inter duo flumina Inachum & Erasinum læto pabulo alunt.

Numidæ non caruerunt equestri laude, frenis autem non adigebant equos, sed virga inflectebant, habebant tamen eos adeò sessoribus obsequentes, vt solo nutu regerentur, ueluti si frenati essent: vnde & infreni Numidæ à Marone dicuntur, & Silius illius æmulus ait.

Numidæ

[...]ida gens inscia freni. *Silij Italici versus.*
Qui inter geminas per ludum mobilis aures
Quadrupedum flectit non cedente virga lupatis.
[...] etiam idem poëta equos Hispanos & præci[...] ad raptandum celeriter currus.

Colophon Ioniæ vrbs optimis ac velocissimis co[...] equestribus abundabat, adeò vt semper ea pars [...] euaderet, pro qua pugnabant: inde Colopho[...] addere, pro rem finire ac perficere veteres Græ[...] dicere solebant.

[...]uos Cæsar in equestribus prælijs summopere [...], dicitque eos in certaminibus sæpe desilire, ac [...] præliari: equos enim eodem vestigio quo [...]unt, permanere assuefaciunt, vt ad eos celeri[...] quum vsus fuerit, recipere possint.

Venetia Italiæ prouincia, cui incumbunt Rheti, & *Patauium, olim mater optimorum equorum.* [...] Patauium (quæ cunctas eius regionis vrbes quō[...] antecelluit) optima equarum armenta habuit, [...] modò ad procreandos alendósve mulos, quos [...] omnes alios laudat Homerus à robore & for[...], verùm ad equorum quoque excellentiam, [...] sobolem Dionysius tyrannus summa dili[...] in Siciliam transtulit ad equestre certamen, ex [...] etiam paruo tempore progenies ampla per o[...] Græciam propagata est. Patauini ex hac equo[...] præstantia non paruam laudem meruerunt in [...] militia: nam temporibus Octauij Cæsaris [...]gentos equites in supplementum Romanę mi[...]miserunt, vetustioribus autem temporibus ma[...] copias miserant, vt refert Strabo: qui etiam asse[...] [...]censes equestri quondam militia floruisse, à [...] Romanus senatus aliquando militares acce[...] ordines.

[...]turia Hispaniæ regio suos præfert equos, qui [...]bus negocijs perutiles habentur, propter cele[...] artificiosamque ambulationem, in bello autem [...] vsui sunt, vnde Silius cùm de populis illis lo- *Silius Italicus.*
[...]r, ait:

[...] sonipes, nec Marti notus, at idem
[...] concusso glomera vestigiat dorso.

Aut

Aut molli pacata celer trahit esseda collo.

Veredi etiam equi pernices admodum habiti sun & in venationibus perutiles, sed insultãt simul & re giuersantur, adeò vt incautũ sessorẽ facilè excutia

Agrigentini. Agrigentini magnanimos equos alunt, & non so lum ad pugnam, verùm ad Olympia etiam certam na alacres, vt Pindarus canit. Ex his oraculo Apolli *Cappadoces.* moniti Cappadoces, amissam equorum sobolem re parauerunt, admissarijs ab Agrigentinis acceptis. Ad *Vettones.* mirabilem equorum alacritatem apud Vettones Hi *Equa vento concipientes.* spaniæ populos fabulosam esse opinor, quorũ ma tres ad Zephyrũ versę sine mare concipere dicunt. Sed vt consensu omnium gentium Romani mortales omnes singulis quibusq; virtutibus excelluerunt, sic etiam in equestri militia prę stiterunt, quam quidem tanti æstimarunt, vt alterum, ex tribus ciuitatis ordi nibus honoris gratia equestrem appellauerint. Et quum nono pòst Reges exactos anno, in maxima bel lorum difficultate Dictatorẽ primò creassent, cuius dicto omnes parerent, magistrum equitum ei adiece runt, vt ostenderent Dictatorem statuto quodam tẽ pore Regem esse, magistrum autem equitum militię ducem. Non igitur pigebit Reges ac Principes, qui a lios militari gloria anteire volunt, domitores orbis terrarum, & gentium nationumque omnium victo res imitari. Nemo enim potest virtutis laudem asse qui, & magnarum rerum compos esse, qui à Roma norum imitatione abhorret. Et ille se sciat viam im mortalis famæ affectare, qui illorum vestigia indefes *Roman. laus.* so animo terere studet. Parum enim Romanorũ pau citas aduersus Gallorum infinitam multitudinem va luisset, parum etiam eorum breuitas contra Germa norum proceritatem potuisset, parum eorum probi tas contra Aphrorum dolos, & artes Græcorum, nisi disciplina, vsu, exercitationeq; militari, virtute atque constantia mortales omnes præuertissent. Sed de equitandi exercitatione hactenus. Nunc autem de pedum pernicitate, & cursu pau- ca dicamus.

De

De cursu ac pedum pernicitate, & alÿs corporis exercitationibus, quæ ad Regem pertinent in re militari.

TIT. III.

ACHILLES, quem Homeri pręconio fortunatum exclamauit Alexander, quum illius sepulcrũ in Sigæo cerneret, heros fuit animi virtute, & corporis robore pręstantissimus. Is quum ab armis ocium erat, se ac socios suos omnes currendo statutum spacium exercebat, ut qui pro comperto duceret, currendi alacritatem plurimum rei bellicæ conducere.

Scribunt quidem cosmographi locum esse apud Panticapes, qui Nomades Gorgosque disterminant, quem cursum Achillis appellant, hoc est δρόμον ἀχίλλειον, in quo ludicrum certamen victoriæ celebrauit, & cursu longè alios oẽs præuertit. Piratica .n. classe Ponticum mare aliquandiu infestauerat: & vbi [illegible]tem pelagi, aut reflantes ventos cernebat, non faciebat socios ignauiã torpere. Hinc Homerus Achillem ποδώκεα, hoc est velocem pedibus sæpe appellabat. Nouerat siquidẽ vir ille fortissimus militare ociũ tumultuosum esse, & in ducis perniciem sæpenumero conspirare. Verè enim dicebat Cato senior: *Nihil agendo homines malè agere discunt.* Epaminundas Thebanus vir fuit omni virtute præstantissimus, omnesq; artes ac disciplinas calluit, quæ ad summum quemque Imperatorem pertinent. Is postquam adolescens palæstræ dare operam cœpit, non tam magnitudini virium inseruiens, quàm velocitati agilitatiq; corporis, illam quidem ad athletarum vsum, hanc autem ad belli vtilitatem existimans pertinere. Exercebatur igitur quotidie mane currendo desiliendoque, vesperi autem luctando: vt stans aliquando in [illegible] hostem contra se stantem complecti, locoque deturbare posset, vel terræ illidere, siue fugientem [illegible] cursuve assequi.

Ex Strabone li. 11. & Plin. lib. 4. cap. 12. ad fi.

[illegible]modica sit hæc currendi exercitatio, vt di-

gni-

gnitati, veletudini, ac saluti optimè consulatur. Meminisse enim debem⁹ Philippi Lysimachi fratris, qui quum nimio cursu contenderet, vt Alexandrum celeri equo deuectum assequeretur, spiritu præcluso cecidit, & inter regias manus, expirauit. Equidem dexteritatem quandam corporis in Principe requiro: non pernicitatem illorum Aethiopum qui Troglodytæ dicuntur, quos Herodotus serpentibus vesci ait, & mortalium omnium pernicissimis pedib. esse. Nec prodigiosas illas currendi ostentationes optarim, quales præstabat Canistius cursor Lacedæmonius, vel Philonides Magni Alexandri cursor, quos alacres adeò fuisse scribunt, vt alites potius quàm homines credi possint. Nec Ladas segnior habitus est, quem ita pedum pernicitate ac corporis leuitate præstitisse aiunt, vt quum per puluerem, vel arenam curreret, nulla pedum vestigia imprimeret. Polymnestor Milesius puer quum capras pasceret, leporem ludicro certamine assecutus dicitur. His omissis veram virorum fortium celeritatem quæramus. Alexander Macedo præter cæteros æquales suos currendi celeritate præstitit: & quum aliquando rogaretur à familiari quodam suo, num quid in stadio certare vellet Olympico, respondit: *Agerem id quidem quàm libentissimè, si mihi certamen cum Regibus esset, verùm si cum priuatis decernerem, iniqua admodum victoria esset.* Hæc magni Regis sententia docet Regi nullum corporis certamen esse debere, nisi aduersus Regem. Athletarum exercitationem libenter spectauit Alexander & victores dilexit, affecitque muneribus. Quocirca victo Dario, non paruam prædæ partem in Italiam ad Crotoniatas dono misit, ob gloriam decusque Phayli eorum conciuis, præclari fortissimiq; athletæ.

Herodotus li. 4. cui titulus est Melpomene, ad fi.

Alexandri Magni responsum.

Papyrius cursor, qui de Samnitibus sub iugum missis, & de recepta Luceria triumphauit, vir fuit omni bellica laude dignissimus, & animi virtute corporisque viribus peregregius, huic præcipua pedum pernicitas, honoris cognomentum dedit, dictusque est cursor, vicit enim currendo omnes ætatis suæ iuuenes. Et in re bellica, milites cursu ad omnes congressus

promptiores alacrioresq; accedunt. Nam vbi sensim & lento gradu inuadūt, facilè victoriā hosti præbent, & vt corpore languescunt, sic etiam animo torpent. Hoc quoque in vibrandis sudibus, iactandisq; hastis cernimus: procursu enim tela plurimum conijciuntur, multoq; grauius feriunt, quàm de loco firmo ac stabili missa: ex quo quidē paruo conatu mittuntur, plaga ipsa longè minor venit.

C. Cæsar in epistolis suis docuit, plagas valde fortius ex impetu adigi, virosq; ex incursu promptiores fieri: quandoquidem stantes ictum aduersarij expectare videntur, & ex segnitie quasi torpescere. Non frustrà igitur Romani veteres instituerunt, vt ineunte prælio signa vndiq; concurrerent, clamoremq; vniuersi extollerent. Eiusmodi enim rebus & hostes terreri, & suos incitari existimauerunt. *Plaga ex impetu fortiores.*

Pelopidas Thebanus palæstra & cursu summopere delectabatur, & omni exercitatione, quæ aliqua ex parte militarem vsum adiuuare posset. Marius quū septimum iniret consulatum, iamque maxima esset senectute, quotidie in campo cū adolescentib. exercebatur, agilitatemq; corporis ad arma tractanda & ad equitandum in tanta ætate (annum enim octogesimum agebat) omnibus ostēdebat. Ad cuius rei spectaculum complures concurrebant, non tam exercitium visuri, quàm vires ac robur grandæui consulis cum iuuenibus congredientis. Sic etiam Pompeius copias suas luctando, currendo, equitandoq; exercebat ad postremam vsque eius expeditionem, & promptè aderat præter ætatem ad omnes maximos labores. *Pelopidas.*

Quid de Sertorio loquar, qui toroso lacertosoq; corpore extitit, & ad robur, celeritatem, laborumq; omnium tolerantiam idoneo? Is nanque stabili ac pedestri pugnæ genere ab ineunte ætate assuetus, manum conserere, robore viribusque corporis cum quocunq; hoste certare semper erat paratus: & mōtes cursu scādere, aspera quæq; atque inuia saltu transire nunquam detractabat. Vnde missus contra eum Metellus, quò se verteret ignorabat, quum cerne- *Sertorius.*

Sertorius. xet Sertorium mirę celeritatis virum esse, miræq; fortitudinis, qui etiã varijs artib⁹ sibi insultaret: quocirca quum se non satis esse contra Sertorium putaret, collegam cum nouo exercitu à Senatu impetrauit, missusque est Pompeius, qui primo impetu à Sertorio fugatus, vix euasit. Equo enim deiectus, quum vulnus insuper accepisset, nulla alia ratione poterat effugere, nisi milites, qui eum inuaserant, capto equo, preciosis fulgentibusq; phaleris ephippijsq; ornato, inter se de præda decertassent: quod quidem quum cerneret Pompeius, celeri cursu elabitur, & sic à suis protegitur. Hac itaque experientia docemur, prudum celeritatem in re bellica non modò vtilitati, verumetiam saluti aliquando esse.

Triginta circiter puerorum millia delegerat Alexander ex varijs gentibus, quas vicerat, quorũ singulos oculis lustrare ac spectare voluit, deinde eos Grecarum literarũ doctrinis institui iussit, & omnib. militarib⁹ disciplinis Macedonico more exerceri, ac varijs armorum vsibus cõsuescere, quib⁹ & complures, eosq; probatissimos diuersarũ artium Præceptores adhibuit: vt hac manu consuetæ militiæ suæ addita, quod reliquum erat totius orbis terrarum subigeret: quod sanè & facere potuisse videbatur, nisi fuisset in ipso iuuentutis flore vita fraudatus.

Iam enim exoleuerant hi & eximiam virtutis indolem ostendebãt. Erant enim exercitatione promptissimi, & strenuam quandam corporis agilitatem præ se ferebant. At mors insperata consilium illius anteuertit. Annos enim tres & triginta natus, vno mense addito, diem obijt, vir præter omnem humanã potentiam, animi magnitudine præditus, quem non modò necessarij omnes, verùm Barbari etiam ipsi, quos paulò antè vicerat, luxerunt. Et Darij quoque Regis mater, quamuis è tanto fastigio cecciderat, & filium crudeliter peremptum audiuerat, amissaque etiam proprij corporis libertate in custodia seruabatur, tamen freta clementia indulgentiaq; victoris, in eam quidem vsque diem passa est viuere: audita verò Alexandri nece, mori destinauit, & sibi ipsi violentas

manus

matus attulit. Nec putandum est eam filio hostem prætulisse, sed filij pietatem atque indulgentiam in eo inuenisse, quem sibi hostem fore formidabat.

Sed ne extra metas sermo noster decurrat, Regem ac Principem sic educare atque instituere à teneris annis debemus, vt intelligat se ad animi fortitudinem, corporisque robur parari, non autem ad delicias, illecebras, ac voluptates, quibus animus effœminatur ac torpet, corpus verò languescit atq; omni ex parte eneruatur.

Incumbat igitur, vt primùm per ætatem licebit, rei militari, exēplo maioris Scipionis Aphricani, qui decimum septimum ætatis agens annum, perductus est in castra Cornelij Scipionis patris sui contra Annibalē, vt armis, & disciplinę militari consuesceret, in qua breui tempore adeò emicuit, vt quum primum pubesceret, patrem vulneratū apud Ticinum, & ab hostibus circumuētum equestri prælio seruauerit. Qua re te ciuica corona donatus extitit. Deinde quum quartum & vigesimum vix impleuisset annum, Proconsul in Hispaniam missus est, quum pater eius & patruus in eo bello cecidissent, & Hannibal Italiā penè omnem subegisset. Quinetiam Hannibal ipse quum decimum ætatis annum ageret, ab Hamilcare patre in Hispaniam, vt militiæ consuesceret, ductus est: & deinde mortuo Hasdrubale, qui Imperator Hamilcari successerat, militum omnium consensu Imperator ab exercitu declaratus est, quum sextum & vigesimum tunc annum vix impleuisset. Alexander autem sextumdecimum annum agens primam militiam exercuit: occupato enim Philippo in bello contra Bizantios, Megarenses spreta Alexandri ętate, qui rei Macedonicæ præerat, magnis contractis viribus defecerunt. Ille verò, vt iam ostenderet futuræ magnitudinis indolē, celeri contracta manu eos inuasit, & primò eos aperto marte fudit, mox autem vicit, & capta vrbe ciues omnes expulit, nouosq; colonos induxit. Quam rem Macedones adeò admirati sunt, vt iam Alexandrum Regem, Philippum verò Imperatorem appellarent.

Scipio maior.

Cor. Scipio.

Hannibal.

Hamilcar.

Cæsar sera militia pertæsus. Seræ autem militiæ Iulium Cæsarem pertæsum fuisse legimus, quum ingemuit visa magni Alexandri imagine apud Gades, quòd ad eam vsque ætatem nihil præclarū ipse egisset, qua ille magnam orbis partem subegisset. Proinde haud scio an tyronum exercitatio satis sit, quæ fiebat in ludo vel apud lanistas Romanis, vel Quinquertio illaque in Agone celebrabatur à Græcis πένταθλον dicta, quòd generibus quinque agonum certarent, pugilatu, iactu, cursu, saltu, luctatione: vt eorum nomina declarant, quæ sunt eiusmodi, δίσκος discus, δρόμος cursus, ἅλμα saltus, πάλη lucta, πυγμαχία, id est cæstum pugna pugilatiúve. Nam ad veram militiam capessendam alia quædam ratio habenda est, vbi in aciem descenditur, & & cum hoste concurritur. Illic enim puluis, æstus, sudor, sitis, clamor militaris, hostium incursus, timor, spes, & alia multa adeò animum perturbant ac distrahunt, vt vix illi ipsi, qui à teneris annis talia perpessi sunt, eadem perferre valeant. Quocirca veram militiam futuro Regi ab ineunte adolescentia tractandam esse duco.

Quinquertio, Penthathlon. Quinq. hæc certaminũ genera probãt iurecõsulti in l. solent. ff. de alea. & aleato.

Nec alienum erit externis bellis cum dignitate & gloria interesse, vt domi in pace & ocio viuatur, quo cõsilio ducti Vlysses, Menelaus, Theseus & Pirithous longinquas egere militias, adeò vt ad inferos vsq; penetrasse à fabulosa antiquitate dicantur. Hoc etiam declarasse videtur Ptolemæus Aegypti Rex, qui quũ summis laudibus efferretur à quibusdam, quòd milites quotidie bellicis laboribus exerceret, nec sineret illos per ignauiam ac desidiam tabescere. Tacete, inquit: nam quis Regem admiretur eum qui ad hanc vsq; ætatem quam nunc ago, nihil memoria dignum egerit, nec rebus à se gestis qualis sit ostenderit?

Pyrrhus. Sed quadam animi meditatione se effert Pyrrhus Epirotarũ Rex, qui disciplinam militarem solertissimè ac diligentissimè semper meditabatur, vt qui duceret ex omnibus artibus hanc vel maximè Regi cõuenire. In qua quidẽ tantã consecutus est laudem, vt omnibus ducibus Imperatoribusq; sui tẽporis præferretur: quod verum esse Antigonus docuit, qui in-

Antigonus de Pyrrho.

terroga-

terrogatus quis prȩstantissimus omnium ducum sibi videretur? respondit: *Pyrrhus, si ei ad senium vsque peruenire contigerit.* Imperatorias etiam artes omnes optimè calluit Philopœmen Achæorum Dux, qui per omnem ætatem suam semper ocium perosus est. *Philopœmen.*

Nandi vsum in re militari vtilem esse.
Tit. IV.

NANDI vsum non solum peditibus equitibusque perdiscendum esse pluribus exemplis monemur, sed etiam Regibus, Imperatoribus, Ducibusque. Non enim homini per naturam, vt plerisque animalibus, datus est, sed disciplina vsuque perficitur. Iulius Cæsar quum ad Alexandriam pugnans, irruente hostium multitudine, solus à suis in ponte destitutus, impetũ vlterius ferre non posset, & multis missilibus impeteretur, in mare se mersit, ac nando per ducentos passus ad proximam nauem euasit, elata læua, ne libelli, quos tenebat, perfunderentur, paludamentum verò mordicùs trahens, ne hostis spolio illo potiretur, vtque tutior aliquantulum à telis esset. *Nandi vsus.* *Iulius Cæsar nando liberatur. Oppius de bello Alexandrino.*

Campum Martium Romani, in quo iuuenes exercerentur, iuxta Tiberim elegerunt, in quẽ post gymnica certamina se mergerent, non modò, vt puluerẽ, sudorémve abluerent, & à lassitudine aquæ beneficio recrearentur, verùm vt nandi quoque vsum perdiscerent: cui non tantùm equites peditesq; consuescerent, sed etiam equi ipsi, qui longè aptius liberiùsque flumina traijciunt, si natare consueuerint, nec vndarum vorticibus facilè cedũt, nec terrentur aquarum impulsu. Multos enim in historijs legimus beneficio optimè nantis equi vitæ periculum euasisse, & è contrario nandi imperitia cõplures parua etiam altitudine impetúve aquarũ obrutos ac demersos. Nec mirandum id quidem est, vt primùm enim vmbilico tenus abluuntur, vix gradum figere possunt, vel rapacior e vnda vestigium subducente, vel lubricis saxis fallentibus. Atqui altior aliquantulũ aqua homi- *Campus Martius.*

nem eleuat, nec prætereuntes pedes pessum accip[...] Quo fit vt imperitorum plurimi desiderentur, p[...]ritorum verò perpauci.

Italorũ mos.

Nandi igitur scientia neutiquam prætermittend[...] est, etiam à Principibus, quibus & vsui & salu[...] plerumque esse potest. Ex antiqua Italorum discipli[...]na hoc etiam laudatur, infantes enim filios frigidissi[...]mis fluminibus abluebant, non modò vt frigoribus assuescerent, verùm etiam vt vsum nandi à primis an[...]nis ediscerent. Vnde Italus ille gloriabundus apud Virgilium ait:

Æneidos. 9.

Durum à stirpe genus natos ad flumina primùm
Deferimus, sæuoq; gelu duramus & vndis.

Horatius Cocles. Tit. Liu. de-ca. 1. lib 2. Valerius Maxim. li. 3. de forti. c. 1. Valerius Max. li. 3 de patientia.

Horatius Cocles beneficio nandi patriam seruauit, & ab hostium periculo euasit. Nam cùm Porsena Thuscorum Rex pro Tarquinijs recipiendis impro-uisum bellum Romanis inferret, & ad Ianiculũ per-uenisset, ne cum exercitu transiret Tiberim, ab Hora-tio prohibitus est: qui dum alij põtem sublicium re-scindunt, solus Hetruscos hostes sustinuit, ac deinde, scisso ponte, armatum se in fluuium misit, & enata-uit ad suos. Eodem quoque bello quum Mutius Scæ-uola ad feriendum Porsenam hostium castra pene-trasset, occisoq; scriba, quem Regem credebat, com-prehensus esset, & impositam incensis altaribus ma-num exuri pateretur, dixissetq; taliter animatos iuue-nes trecentos in Regem esse, illum admiratum ad pa-cem Romanis dandam inclinauit, acceptisq; obsidi-bus ab iniuria desistendum.

Chlœlia virgo. V. Ma. l. 3. de for. cap. 2.

Verùm inter obsides Chlœlia virgo quædam cum complurib. alijs virginibus erat, quæ solicita pro vir-ginitate ac pudicitia, clàm, deceptis custodibus fugę se ducem comitibus præbuit, traiectoq; Tiberi Ro-mam peruenit. Senatus verò eam & comites omnes violatæ fidei increpitas remisit. Porsena, re ordine intellecta, Chlœliam admiratus est, & eam muneribus affectam cũ comitibus suis Romam remisit: Romani verò tantę virtutis merito Chlœlię equestrem statuã in Via sacra posuerunt. Erat enin virgo insidẽs equo, qua ex re multi putauerũt illam equo fuisse transue-

ctam,

etiam, sed Dionysius Halicarnasseus (cui, quòd cum M. Varrone vixerit, magna fides adhibenda est,) scribit Chlœliam à Porsena Rege phalerato equo donatam fuisse, & exinde statuam meruisse equestrem.

Admirantur summopere historici virtutem ac robur Sertorij, eumq; omnium bellatorum pugnacissimũ fuisse affirmant, & alterum Hannibalem a Celtiberis appellatum. Eius prima militia sub Scipione fuit aduersus Cimbros, qui in Galliam transierant, in quo bello quum infœliciter pugnatum esset, Sertorius grauiter vulneratus equum amisit, & indutus thoraca, & scutum atque arma tenens, Rhodanum fluuiũ rapacissimum, qui inter Rheros Noricosq; fluit, per aduersos fluctus nando traiecit, & non sine magna hostium admiratione ad suos peruenit. *Sertorius.*

Hanc etiam laudem superiori Aphricano Silius Italicus, quum de eius indole loqueretur, his versibus tribuit: *Lib. 1.*

Ipse inter medios ventura ingentia laudis
Signa dabat, vibrare sudem, transmittere saltu
Murales fossas, vndosum frangere nando
Indutus thoraca vadum, spectacula tanta
Ante aciem virtutis erant: sæpe alite planta
Ilia perfossum, & campi per aperta volantem
Ipse pedes prævertit equum, sæpe ardnus idem
Castrorum spatium & saxo transmisit & hasta.

His pauculis versibus poeta hic peregregius omnes militares exercitationes complexus est, vt quisq; intelligere possit, inter castrenses industrias nandi peritiam præcipuam esse: qua quidem se carere iniquo animo ferebat Alexander. Et quum aliquando maximum flumen cum omni exercitu transmittere opus esset, paucos equitum ad tentandum vadum præmisit: cuius altitudo primùm summa equorum pectora adæquabat, mox vt in medium alueum ventum est, ceruice tenus equi abluebantur, tum milites omnes pauore torpebant, & nemo audebat in fluuium se mergere.

Hoc quum cerneret Alexander: *O me deterrimum,* *Alex. rex.*

inquit, *qui nunquam nare didicerim*: deinde confestim rapto incumbens clypeo audacter traiecit. Cuius exemplum alij secuti, partim nando, partim equitibus hærendo, partim autem sublatis in verticem sarcinis, hastisq; nitentes, pedibus transmisere, adeò vt ex tanto exercitu nihil præter pauculas sarcinulas desideratum sit, sed sic omnes madidi vndique in ripis aggeribusque fluminis expositi sunt, vt facilè exercitus omnis deleri potuisset, si pares hostium copiæ illum aduenietem excepissent. Scæuola vir admirandæ fortitudinis, ex eo scopulo, quem solus per integrum diem ab vniuersis Britannis defenderat, adueniente nocte in profundum pelagi se deiecit, duabus loricis & graui scuto onustus, & ad Cæsarem nando peruasit, à quo laudatus pro concione, & ex gregario milite Centurio factus vitis honore donatus est. Quanto etiam vsui fuerit nandi peritia in primo Punico bello, ex hoc videri potest.

Scæuola nandi peritia.

Vitis cēturionis gestamen.

Concitauerant Pœni classem remisq; impellebant eam, vt à Romana classe per fugam euaderent. Hoc quum cernerent complures Romani iuuenes, cuncti se è transtris in altum præcipitāt, & subitò adnantes magna vi hostiles naues in portum pellunt, retrahūtque, & hoc pacto Imperatori suo Luctatio capiendas paruo cum labore præbuerunt. Et hæc de nandi peritia satis.

De sagittandi vsu & alijs quibusdam exercitationibus rei bellicæ conducentibus.

Tit. V.

ALIAE sunt perutiles iuuenibus exercitationes corporis, quæ rei militari haud parum conducunt, vt arcum tendere, spiculaq; dirigere: qua in re nonnulli Principes præstiterunt, Domitianus Cæsar tanta sagittandi arte valuit, vt nonnunquam in pueri procul stantis dispassam dexterā sagittas tanta arte dirigeret, vt singulas per interualla digitorū innocuè mitteret, nec puerum læderet, nec à destinato signo discederet.

Vt Suetonius in eius vita scribit.

Prisci

Prisci sagittandi vsum numinibus etiam suis tradiderunt, vt Apollini, Dianæ, Cupidini: sed præcipuè Herculi, quem arcu Stymphalidas aues confecisse aiunt, & cõplures hostes peremisse. Et ex illius pharetra Troiana fata pendere fabulatus est Homerus, vt ostenderet sagittarios plurimum in re bellica valere: qua ex re Philoctetes (cui moriens Hercules illam dono dederat) accersiri ab Agamemnone inducitur, & honore ac præmijs affici, vt eius ope ad victoriam vteretur. *Dij sagittarij.*

Aethiopum Rex quidam, cuius nomen memoriæ proditum fuisse non memini, quum accepisset Cambysen Persarum Regem transmittere destinasse, magni rigoris arcum accepit, tractumque ad aurem vsq; nudis brachijs, exploratoribus Cambysis ostendit, & sagittam certo ictu magnisque viribus excussit: deinde vt illum dono Regi suo afferrent iussit, illi abeuntes arcum Cambysi obtulerunt: quem tentans Rex vix duobus digitis magno quidem conatu traxit: & quum alijs etiam præbuisset, nemo ex tanta multitudine inuentus est, qui illum vlterius trahere posset. Admiratus igitur Cambyses Aethiopum Regis vires, ab incepto destitit, & eum sibi magna beneuolentia conciliauit. *Cambyses.*

Hastam quoque vibrare, ex equo iaculari, ensem rotare, fundas excutere, sudem iacere inter militares exercitationes veteres scriptores posuerunt, & de eis præcepta tradiderunt: de quibus dicere consultò supersedeo: satis sit hæc potiora attigisse, ex quibus concludendum erit, Principum vitam ac victum ciues omnes imitari: qui si per desidiam torpebunt, ignauos quoque populos nutrient, & luxu, delicijsque profluentes: licentia enim ex diuturno ocio cõtrahitur: sin solertes & industrij erunt Principes, cunctos sibi subditos suorum morum sectatores imitatoresq; habebunt.

Multum vtilitatis Plato exercitationi tribuit, & quædam etiam precipit, quæ nostris temporibus abhorrenda detestabiliaque omnino essent. Cursu & equis mulieres vt certent iubet: & in luctatione, ia-

ctu lapidum, arcu, funda, & missilibus non viros solùm, sed etiam fœminas adhibet: Hæc in libris de Republica scribit. In libro autem sexto de legibus nudas puellas cum nudis iuuenibus in quibusdam tripudijs saltare permittit. Quid turpius in ganeis fieri posset? sed malæ consuetudini temporum suorum quædam indulget Plato, quę à dignitate tanti philosophi omnino aliena esse videntur.

Plato excusatus.

Licurgi institutum.

Ex Plutarcho in apophtheg. Laconicis.

Licurgum sic fecisse proditum est: qui virginum corpora cursibus, luctationibus, iactibusque discorum ac iaculorum exercuit, non modò vt robustiorem sobolem procrearent, verùm etiam vt aduersus pariendi nixus facilius repugnarent. Sed nostris mulieribus hæc neutiquam permittenda sunt, satis illis sit pudicitiam, pudoremque custodire, & honesta virorum præcepta seruare, à quibus nullam aliam luctationem quærimus, nisi contra illecebras ac voluptates, & contra immodicas delicias, quibus plerique adeò diffluunt, vt omnium domesticarum curarum obliuiscantur, & luxu immoderataque impensa rem omnem familiarem exhauriant. Pulchrè admodum Satyricus ille noster ait:

Iuuenalis.

Prodiga non sentit pereuntem fœmina censum.

Sed de militaribus exercitationibus hactenus.

Nunc verò pauca de venatione, quæ bello pacique communis esse videtur, dicemus: honestã enim voluptatem adiuuat, & corpori salubritatem affert.

De Venatione. TIT. VI.

Xenophon musa Attica.

XEnophon Socraticus vir fuit tanta dicendi suauitate, vt Musa Attica vulgò cognominaretur. Is in philosophia, & alijs bonarum artium studijs adeò excelluit, vt Platonis certamen non detrectauerit. Multa quoque librorum volumina reliquit: inter quæ, duo illa alterum de equestri disciplina, alterum autem de venatione. His enim duabus artibus præcipuè delectabatur, ac proinde Agesilao Lacedæmoniorũ Regi gratissimus fuit, & Cyrus iunior Persarũ Rex cũ summa bene-

beneuolentia complexus eſt. Nec mirum videri debet homines Græcos, qui ferè omnia in diſciplinam redegerunt, aliquam ſtatuiſſe doctrinam de humano cõmercio cũ equo & cane, quæ duo animalia omnium fidiſſima homini eſſe cernuntur, quorum alterũ cuſtodiæ ſemper ei excubat, noxia latratu prohibet ac pellit, & morſu in aduerſarios ſæuit. Alterum hominem verbis, eoque dorſo inſidẽte exultat, proque eo in hoſtem curſitat. Quocirca optimè nobis in hac re natura conſuluiſſe videtur, quæ equum laborum noſtrorum comitem atque adiutorem dederit, canem autem cuſtodem ac ſocium.

Canem vulgò cernimus pro Domino pugnare aduerſus latrones, ſicarios, graſſatores, homicidas, inſidiatores, fures & contra alias quaſcunque ſæuientes feras. Maſiniſſa Rex quum ſe hominum cuſtodiæ nõ crederet, canum cuſtodiæ permiſit, quorum latratu ſæpe latentium hoſtium inſidias euaſit, & venientes in ſe aduerſarios longè antè prædidicit, cauitque, & beneficio canum victor aliquando extitit.

Accepimus etiam hominem quendam, æſtiuo tẽpore in herba dormientem iuxta aſpidem, quæ eius otiam inſurgebat, à cane, qui illam abigere nequiret, expergefactum euaſiſſe, & ſic canis munere ab imminente mortifero morſu vitæ redditum.

Magnam docilitatem & tenaciſſimam memoriam in cane cernimus. Vlyſſes (vt Hom. ſcribit) quum ad Troianum bellum proficiſceretur, apud Eumerum ſubulcum canem reliquit, & cùm exactis varijs laboribus, & plurimis erroribus ac periculis ſuperatis, domum poſt vigeſimum annum redit, agnitus à cane extitit, & conſueta adulatione, ſolitoque gannitu exceptus. Nulli certè animali præter hominem, maior eſt memoria: itinera enim quanuis longa atque inuia canes diutius meminere, & hominibus ipſis memorãt. Veteres quoque iniurias poſt longum etiam tempus vlciſcuntur. *Canum memoria.*

Colophonij magno ſtudio canes rei bellicæ gratia inſtituebãt, àdeò vt illis quaſi cohortes quaſdam inſtruerent, quæ in prima acie certarent mira quadã

feroci-

ferocitate, nec vnquam prælium detrectarent. Hi in nocturnis congressibus sæpe victoriam eis præbebant. Scribunt etiam veteres Regem Garamantum per seditionem regno expulsum, à ducẽtis canibus, quos venationis gratia aluerat, fuisse restitutũ, cùm mira ferocitate contra repugnantes sæuirent, iterque per hostium cuneos patefacerent, donec eum tutum in regiam aulam sisterent. Et sic pulsis cæsisque hostibus diutius regnauit, deinde regnum moriens posteritati suę reliquit. In victoria illa nobili C. Marij contra Cymbros, canes inuenti sunt, qui postquam pro dominis diutius pugnarint, cecidissentq; illi in prælio, ab eorum cadaueribus nunquam abigi potuerint, sed eàdem mira sedulitate custodierint: & vt tutius illa à feris alitibusque defenderẽt, plaustris illic passim relictis intulerint, custodiasque inter se partitas vicissim magna cum diligentia obseruarint.

Canis exemplum memorabile.

Memoriæ etiam proditum est canem in Epiro fuisse, qui pro Domino in silua quadam ferociter contra latrones pugnauit. Sed quum ille tandem interemptus esset, percussores in vrbem vsque prosecutus est, & vnum ex eis agnitum in maximo hominum conuentu, laniatu latratuque adegit, vt scelus fateretur, & sic deprehensus pœnas dedit, & sceleris socios per tormenta indicauit, in quos etiam grauiter adnimaduersum extitit.

Cesellius à cane suo defensus.

Cesellius Vindex iureconsultus ętate sua eximius, quum è propinquo rure vesperi rediret, ab inimicis suis circumuentus, canis beneficio euasit, qui pro eo tandiu pugnauit, donec serui, qui è longinquo sequebantur eidem auxilium afferrent.

Lysimachi Regis canis.

Canum fides admiranda omnino esse cernitur. Lysimachi Regis canis, (cui nomen Hyrcani reddidit Duris) quem diutius in omnibus prælijs, venationibus, laboribus, periculisque comitem habuerat, quũ cerneret mortuum herum pyrę imponi, magno cum gemitu & vlulatu cunctis spectantibus accenso rogo se flammæ iniecit, & viuus cũ mortuo Domino cremari voluit. Idem etiam fecisse Hieronis Syracusanorum Regis canem Plinius testatur.

Scribunt quoque historici, Iasone Lycio interfe-

lo, tius canem cibum nunquam deinceps capere voluisse, & tandem post multos dies per inediā consumptum esse, adeò vt minus admiranda videantur illa, quæ à poëtis scribuntur de Erigone, quæ duce cane Imera dicta, cadauer Icari patris dolo interemptum inuenerit, iuxta proceram quandam arborem, de qua Erigone dolore percita collo pependit, & sic præcluso spiritu interijt. Canis autem quum dominæ mortem cerneret, cibo tandiu abstinuit, donec moreretur. Quum Romæ animaduersum esset in Titum Sabinum, eiusque familiam, iacerentque cadauera iugulatorum, vnius ex his canis ab heri cadauere nusquam abigi poterat, sed mœstos edebat vlulatus magna populi Romani corona circumstante, ex qua quum ei quidam cibum obiecisset, illum ad interemptum tulit, & deinde cadauere in Tiberim abiecto adnatauit canis, dominumque sustinere conabatur, admirantibus cūctis spectatam muti animalis fidem: vt Plinius vir doctissimus refert.

Fabula de Erigone.

Quid de canū docilitate dicemus? Imprimis quidem Dominum cognoscunt, eique amantissimè adulantur, eius quoque nutum diligenter obseruant, externos autem omnes odio habent, & ea discunt, quibus vix fides adhiberi possit, nisi ab illis qui ea viderint. Quanta eorum in venando alacritas, quanta solertia, quanta ad inuestigandum narium sagacitas? ventum, auram, aërem odore captant, longè venientem feram odoratu præsagiunt, ostendunt, lustrant, persequuntur vestigia, inquisitorem sensim antecedentes loro trahunt, cubicula ferarum rictu indicāt, vias inter se obseruant, alter alteri opitulatur, ducē in venatu sibi præficiunt, illum comitantur, illius nutum expectant, cui sine detractatione semper parent. Quin etiam nomina sua norunt, vocati adsunt. Cornuum signa progressui receptuique data quamprimum seruant: diuersa inter se munia obeunt, suos cognoscūt, quasi militari tessera inter se data. Alienos inuadunt, blanditias amant & quasi laudem affectant. Obiurgati increpitique emendantur. Quid quod eorum impetus & sæuitia mitigatur ab homine hu-

Canum docilitas.

Canū solertia in venando.

ne humi sedente, vel mollius eblandiente? Molossi Epirotarum gēs, qui sub Pyrrho Neoptolemo Achillis filio eiusque posteris extiterūt, venatione magna ex parte alebantur. Hi canes optimos ac ferocissimos summa diligentia exquisitos habuerunt, quorū tanta fama percrebuit, vt excellentes omnes venatici canes, Molossi appellarentur. Secundam laudē meruerunt Spartani, qui & Laconici à regione dicuntur. Hos Virgilius velocitate omnibus pręfert. Et Aristoteles quum dicit in omnibus animalibus fœminas molliores esse maribus præter vrsas & pardos; Laconicas tamen canes fœminas maribus prætulit.

Molossi.

Tertium locum tenuerunt Salaminij, qui & sagacissimi habiti sunt, & custodiæ idonei. Cydon quoq; Cretæ vrbs, optimos habuit canes, & magni nominis in venationibus apud Græcos poëtas. Melita insula, quæ Pachyno Siciliç promontorio imminet, canes habuit, Meliteos dictos, quorum nonnulli scriptores meminerunt, sed eorum laus non in venatione habetur, sed in gesticulationibus, & in lasciuiore ludo. Idcirco in delicijs à mulieribus & ociosis viris aluntur, vt Callimachus Elegiacis versibus cecinit.

Caspij ferocissimos habuerunt canes, quorum sæuitia in homines potius quàm in feras exercebatur, quando ab ineunte ætate humanis cadaueribus ali consueuerunt. Nullū enim genus humationis aut sepulturę magis probabant, quàm à canibus post interitum deuorari, ne cadauera putrefierent, & vermibus scaterent. Quisque igitur sibi pro familiari sepultura proprios canes domi alebat, quum opulentior erat. Tenuiores autem à publicis canib. vorabantur. Orchus Molossorum Rex vetustissimus, qui adiutore Ardeneo Proserpinam, quç è Sicilia in agrū Brutium iuxta Hipponem oppidum (quam deinde Vibonam Romani appellarunt) venerat, vt flores legeret, rapuit, canem habuit admirandæ magnitudinis, Cerberum nomine, qui Pirithoum lacerauit, animamq; efflasset, nisi ei Hercules pręsto affuisset: vnde Pirithous ab Hercule reuocatus ab inferis dicitur. Huius canis ferocitas adeò admiranda fuit, vt nō paruū argu-

Sepeliēdi mos apud Caspios.

Cerberus canis.

Pirithous ab Hercule ab inferis reuocatus cur dicatur.

argumentum poëtis præbuerit earum rerum, quas apud inferos esse fabulātur,& celebris famæ initium Molossis canibus dederit.

Sed venator, canis virtutem quærere debet, non genus aut patriam. Nam qui primi nobilitati sunt à propria virtute, non à patria aut à maioribus laudem meruerunt.

Indi mistum genus canum summopere laudant, proinde coitus tempore, fœminas canes in siluis ligant, vt ex tigribus concipiant. Primo & secundo fœtu nimis feroces gignunt, tertio autem idoneos educant. Idem è lupis Galli faciunt, ex quibus geniti greges optimè custodiunt. Hi quidem Lycisci dicuntur, & vulgo raui coloris sunt, & pili durissimi, latrant præter cæteros omnes: vnde pastor ille apud Virgilium ait, *multum latrante Lycisca.*

Virgilij versus explicatus.

Sed canes eo ferociores fiunt, quo contra sæuiores feras exercentur. Alexandro Magno, cùm Indiam peteret, Albaniæ Rex canem admirandæ magnitudinis dono dedit, cuius specie delectatus iussit ei dimitti vrsos primò, deinde apros, mox autem damas: ille verò quasi contemnens iacebat manebatque immotus. Tum Alexander segnitie tanti corporis offensus, illum interimi iussit. Hoc cùm Albano Regi percrebuisset, alterum ad eum misit, mandata addēs, ne in paruas illum emitteret feras, sed in leones, aut elephantos: nec rem distulit Alexander, sed dimissum leonem statim dilaceratum interemptumque à cane vidit. Tunc elephantum iussit induci, cuius spectaculo plurimum delectatus est. Nam primùm horrentibus villis, ingentem emisit latratum, mox in eum uicem assultans, contraque belluam se eleuans, hinc atque illinc artifici dimicatione infestans atque euitans, celeri quadam vertigine illum afflixit, cuius lapsus magno fragore terram concussit, cum ingenti plausu atque admiratione Alexandri, & omnium spectantium. Canes verò, qui ignauo pecori congredi consueuere, licet pernicitate præstent, sæuitiam tamen ferarum formidant.

Alexandro dati canes ab Albania Rege. Ex Pl. ca. 40. lib. 8.

Venatio claris Principibus semper fuit gratissima, & quasi

Venatio Principib. grata.

& quasi peculiaris quædam exercitatio, nec quidem immerito: speciē enim non paruam fortitudinis præ se fert, & similitudinem quandam cum re bellica tenet. Ducem præficit sibi venatio, cuius dicto omnes auscultant, hostem excursoribus prouocat, exploratores in speculis disponit, insidias abdit, apertū Martem simulat, diuortia quæ ad fugam patēt obseruat, per saltus & arua pedites præmittit, loca plana & aperta equitum alis præcingit, cornuum strepitu progressui receptuique canit, dat signa prædæ ac victoriæ, prædam aduentantem aut euadentem significat, moueri castra indicat, adeò vt concludendum sit, venationem bello ac pugnæ simillimam esse. Consuescunt nanque venatores niues, & æstus ferre, famem prædæ auiditate perferunt, equitando, currēdo, prosiliendo aduersum montem ascendendo, durioresq; fiunt, & feris congrediendo, animo quoque promptiores. In vetere Italica disciplina vsus venationis vel præcipuus fuit. Hoc apud Maronem gloriabundus Italus ille, de quo paulò ante dixi, ostendit, quum inquit:

Venatis rei bellicæ pulchrè comparatur.

Venatores.

Venatu inuigilant pueri, siluasq; fatigant.
Flectere ludus equos, & spicula tendere cornu.

Alexander Macedo vbi ab acie, & armis quies aliqua aderat, assidua venatione oblectabatur.

Nam leonē miræ magnitudinis (vt dictum est) quasi laborum Herculis æmulus, peremit, & præcipuam venatorū semper curam habuit, quod quidem multis ex rebus docuit, sed præsertim ex epistola, quam ad Peucetem vrsi morsu & vnguibus laceratum scripsit, in qua primò, quasi anxius de illius valetudine, monet eum, vt se certiorem reddat, quonam modo sese habeat, & si quis venatorum in vrsi congressu eū destituerit, vt desertor ille, quisquis fuerit, debitas pœnas luat. Non enim minore diligentia venationis disciplinam, quàm rei militaris curabat Rex ille maximi spiritus & animi peregregij.

Mithridates.

Mithridates verò Ponti Rex ille, qui cum Romanis sex & quadraginta annos varia fortuna bellum gessit, quum puer admodum patrem amisisset, vitā

solùm noto antidoto tutatus eſt, ſed venationis quoq; ſtudio. Altero enim venenum, quod ſibi quo-tutores diluebant, euaſit, altero autem inſidias: ...abat quidem ſe nimia venationis voluptate te-..., adeò vt reliqua omnia ſtudia contemptui ne-...que haberet. Annos igitur circiter ſeptem ne-que vrbis neque ruris tecto vſus eſt, ſed inter ſilua... errabundus vagabatur, & vt ſors ei præbebat occaſionem; diuerſis regionis montibus pernocta-... ignaris omnibus vbi locorum eſſet: ſicque quo-... feras curſu fugare atque inſequi conſueuit, & ... ferocioribus belluis etiam viribus cõgredi, qui-... quidem ſtudijs proditorum inſidias euaſit, & ... ad omnem laborum tolerantiam obdurauit: ...que vt animi etiam virtute omnes ætatis ſuæ Reges anteiuerit, & dignitate maieſtateque imperij ...os quoq; omnes adequauerit.

Meditationi maximarum rerum venationem ido-neam eſſe Plinium Secundum iuniorem teſtem ha-bemus, qui gloriabũdus ad Cor. Tac. ſcribit, ſe crebrò venationibus intereſſe: additque eiuſmodi verba, *Mirum eſt vt animus à cogitatione motuq; corporis excitetur. Iam vndique ſilua, & ſolitudo, ipſumq; illud ſilentium, quod venationi datur, magna cogitationis incitamenta ſunt: pro-inde quum venabere, licebit auctore me vt panarium & la-gunculam, ſic etiam pugilares feras: experieris enim Dianam non montibus magis quàm Mineruam inerrare.* Proinde L. Sylla poſtquam depoſita dictatura priuatam vitã degit, Cumas ad proprios agros profectus eſt, & venationi ac ſolitudini omni ſtudio indulſit. Pelo-pidas Thebanus, vir animi virtute, & corporis robo-re præcellens, primam militiæ ſuæ inſtitutionem à venationis meditatione accepit: in qua quum acerri-me verſaretur, dux aliorum venatorum habebatur, ... dicto omnes obſequebantur: ſed quum eo tempore Lacedæmonij Phebida Duce Thebarum arcem, quæ Cadmæa dicebatur, occupaſſent, & ami-... ſummam licentiam poteſtatemq; dediſſent, alterius factionis ciues partim cæſi, partim in exiliũ ...ſſent, inter quos Pelopidas exul factus, Athenas

Plinius ſecundus ad Cor. Tacitum.

se contulit: & quum venationem assiduè exerceret, semper de patriæ libertate, & de exigendis tyrannis cogitabat. Quocirca occasionem nactus, duodecim tantùm venatoribus (quibus consilium suum crediderat) comitatus, Athenis egreditur cũ venaticis canibus, retibus, venabulis, vestituque agresti, vt sæpenumero consueuerat. Et sic cuncti, vergente iã ad occasum sole, Thebas à nemine agniti ingrediuntur, inque ædes Caronis, à quo tempus didicerant, diuertunt. Pelopidas itaque certior factus quid facto opus esset, nocte intempesta domum egreditur, comitatus venatoribus suis, & paucis exulibus, & in ædes quasdam irruit, in quibus aduersariorum Principes affatim epulati, vino somnoque indulgebant. Quibus omnibus interfectis, se ac socios suos ab exilio & patriam à tyrannide liberauit. Viriatus verò Lusitanus primus ille in Hispania magnus Dux, qui cauendi peritia omnibus Imperatoribus ac Ducibus sui temporis prælatus est, qui Romanos quoque annos circiter decem vario marte fatigauit, quum pastor esset, militarem disciplinam ex sola venatione didicit, cui quidem diuturnam operam dedit: & à venatoribus Dux factus, quum nulla generis aut maiorum commendatione clarus esset, vniuersum Hispaniæ exercitum magna cum laude diutius duxit. Philopœmen etiam Achæorum Dux præclarissimus, quotiens ab armis ocium nactus esset, venationi operam dabat, vt qui opinaretur eam rei militaris comitem esse, & Regum, Imperatorum, Ducumque palæstram.

Viriatus Lusitanus ex pastore venator, ex venatore Imperator factus.

Philopœmen.

Persarum Reges, quorum maiestas augustior sanctiorq; habebatur, venatione etiam gloriabãtur: hoc cernimus ex inscriptione sepulchri Darij, quam eiusmodi fuisse Onesicritus scripsit, vt refert Strabo: *Amicus amicis fui, eques, & sagittator optimus venatores omnes superaui: & quæcunq; volui, facere potui.*

Darij epitaphium.

Pompeius quoque quum Numidiam victor peragraret, venationibus leonum & elephantorum aliquot diebus operam dedit, ne à Romanis armis feræ ac belluæ immunes ac feriatæ essent. Quanti venationem

nem fecerint Romani, quantumque eam ad bellicam disciplinam momenti habere, arbitrati sint, vel ex hoc cerni potest, quòd ferè post magnam aliquã partam victoriam populo spectaculum exhiberent innumerabili quadam impensa, in quo non modò nostrates feræ, sed & sæuæ immanesque belluæ lacerabantur, è transmarinis longinquisq; prouinciis acceritæ, quarum non solùm sæuitia terrori erat, verũ etiam truculentus aspectus, & horrendæ species nũquam aliàs in nostris regionibus visæ.

Leonum simul pugnam Romano populo spectandam dedit primus omnium Q. Scæuola Publij Scæuolæ filius, quum ædilis curulis esset, quæ quidẽ res ei non minus quàm paterna dignitas suffragata est ad populi gratiam promerendam. L. deinde Sylla, qui postea Dictator tanta sæuitia in Romanos ciues grassatus est, quanta in nullo hominum vnquam fuit, quum præturam gereret, centum iubatos leones in spectaculo exhibuit. *Ex Pl. 16.l.8.* *L. Sylla.*

Pompeius verò Magnus, quum Theatrum, quod propria impensa construxerat, mutuatus exemplar à Mitylenensi spectaculo, consecrauit, venationem exhibuit, in qua leones circiter quingenti lacerati sunt, & elephantes nonnulli quàm maximi, quod quidem spectaculum horrendum omnibus Italis visum est. Nunquam enim tantam euiscerationem ac carnificinam viderant. Præbuit etiam idem Pompeius in Circo maximo leones trecentos quindecim, Caius autem Cæsar quadringentos. *C. Cæsar.*

Marcus Antonius post Pharsalicam cladem admirandum spectaculum dedit, nunquam ante id temporis Romæ visum: leones enim iugo subactos ad currum iunxit, vt heroicis temporibus in Bacchi triumphis fieri solitum fabulantur.

Hanno illustris Carthaginensis primus omnium mortalium ausus est leonem manu tractare, & mansuetum ostendere, quo quidem ex facto exilio damnatus est, quando nõ nihil persuasurus hominib. esse videretur vir ille tam artificis ingenij, qui feris etiam belluis imperare potuerit.

Leonum venatio principio difficillima fuit. [illegible] enim venatores in ea lacerabātur, sed pastor [illegible] Getulus experientia docuit, maximam illam [illegible] vim in oculis constare, quorum lumine hebe[illegible] aut velato, ferocitas omnis decidit. Nam quum [illegible] pecore pugnaret, essetque inermis, & omni [illegible] dio atque auxilio destitutus, frendensque leo [illegible] prosiliret, fugam meditatus vestem qua [illegible] erat exuit, inque feræ caput obiecit: hæsit vesti[illegible] iuba circumuoluta oculosque leonis obuelau[illegible] mirum in modum torpescente feræ sæuitia, [illegible] pastor corripuit, & bellua nō insequente euasit. [illegible] fama peruasit non modò ad pastores, ac popul[illegible] nitimos, verùm ad arenarios quoque venatores, [illegible] hoc exemplo moniti, experientia didicerunt, [illegible] capite operto facilè vinci posse.

Sunt qui putent Lisymachum, qui leonem [illegible] lingua strāgulauit, vt diximus, prius in os eius [illegible] lum obiecisse, & sic luminibus belluæ obuela[illegible] ctorem euasisse. Præclara multa gessit Lisymach[illegible] sed nullo magis facinore gloriabatur, quàm [illegible] leonem victoria, vnde ad se venientibus legatis à De[illegible] metrio, quasi iactabundus pugnam enarrauit, [illegible] olim iussu Alexandri Regis cum leone ferocissi[illegible] commiserat, & cicatrices ostendit, quas ex vngui[illegible] feræ in brachijs cruribusque acceperat. Tunc riden[illegible] tes legati dixerunt. *Noster quoque Rex sæpe Lamia be[illegible] morsus in collo gestat*, ignauiam Demetrij carpen[illegible] qui Lamiam impudicā psaltriam adeò perditè am[illegible] bat, vt de illius cōgressu nō minus gloriaretur, quàm si in singulari certamine Amazonum Reginam pere[illegible] misset, aut leonem strauisset.

Lysimachus, de quo suprà.

Sed ad Romanā venationem redeo, in qua primò aut conducti ab exteris nationibus venatores certa[illegible] bant, aut sontes ad bestias damnati, vt fecit minor Aphricanus, qui incensa Carthagine, exemplo Pauli Aemilij patris ludos publicos præbuit, & transfugas ac fugitiuos omnes bestijs obiecit. Venabātur etiam serui complures libertatis spe proposita.

Scipio minor.

Venabantur serui spe libertatis.

Domitius Aenobarbus ædilis curulis quum vrsos centum

in Circum maximum populo spectandos ... ct, adiecit etiam totidem venatores Aethio- ... enim adhuc audebant Romani ciues belluis ... li. Atqui non diu pòst non modò ex plebe, ... patricijs, summaque nobilitate complures ... decernere ausi sunt: quod etiam Iuuenalis ... quum de Acilij filio loqueretur his verbis: *Ex Pl. ca. 36. lib. 8.*

... ergo nihil mi sero, quòd comminus ursos
... Numidas Albana nudus arena.

... cilis etiam habenda est aprorum venatio, sæ ... venatores decipiũt, inuaduntq;, vel excusso ... lo hominem deijciunt, & exporrectiore den- ... Sæpe etiam canes rotando lacerant, & præ ... n consuetos huic certamini, quique adhuc ... auere nesciunt. Inter Herculis labores, qui ... io tot poëtarum celebrantur, hic nõ infimus ... qui de Erymanti apro scribitur. Et hic heros, ... gloria nominatur, quique Deus presens ha- ..., & diuinos apud omnes gentes honores ... fama interempti apri carere noluit.

Theseum Athenienses scriptores multis in rebus ... mulum sectatoremq; Herculis faciunt, & in- ... preclara eius certamina, illud in primis memoriæ prodiderunt, quod cum Cromyonia porca, quam ... am vocabant, gestum est. Erat enim fera illa pu- ... ma, ac pene insuperabilis, & Cromyonium agrum, qui tunc Megarensium erat, mox autem Co- rinthiorum fuit, omni ex parte vastabat. Theseus eã ... manibus suis cum ingenti omnium spectantium ad- miratione peremit. Ex hac truculentissima fera na- tam referunt Calydonium aprum, de quo multa in fabulis Poëtarum scribuntur: qui demum à Meleagro Oenomai Calidoniæ Regis filio interem- ptus extitit. *Cromyonia sus.* *Aper Calydonius.*

Ida Phrygiæ silua (quam Homerus ferarum ma- trem appellat) truculẽtos etiam habuit apros, & illũ imprimis, quo cecidit Adonis puer ille formosissi- mus, quem dilexit Venus: cuius ex sanguine rosæ in- fectæ quum albæ antè essent, puniceæ (vt aiunt) fa- ctæ sunt: de hoc dixit poëta ille.

Testis qui niueum quondam percussit Adonim,
Venantem Idalio vertice durus aper.

Thusciam ferocissimos habere apros putabant veteres, & præcipuè in silua Ciminia, quæ erat eo tempore omnium Italarum siluarum maxima, & inuia, adeò vt bellum gerentibus Romanis cōtra Thuscos pro maximo quidem facinore habitum sit, quod Fabius consul C. Marij collega, vel alius quispiam (in ambiguo enim historia est) eam penetrare ausus fuerit, præsertim quum cauendam siluam illam esse Senatus cōsulibus per literas edixisset. Iter tamē primò tentauit Fabius inscijs omnibus, vno tantùm famulo comitatus. Quæ res quidem occasionem victoriæ populo Romano præbuit. Victi enim fuerunt Volscinenses, & Thuscorum omnium exercitus profligatus.

Thusci apri.

T. Liu. lib. 9. decad. 1.

Pugnaturi apri vel contra aliquam sui generis, vt sæpe Veneris gratia certare solent, vel contra canes ac venatores, costas atque cutem attritu fricationeque arborum obdurant, & luti quasi incrustatione quadam adeò se armant, vt neque dente, neque iaculo aut sagitta transfigi possint, & vix robusto, atque acutissimo venabulo adigi. Proinde incautum venatorem ictu nonnunquam fraudatum ruentémve dente excipiunt, figunt, lacerāt, & plerumq; etiam perimunt, nisi alter venator ei præsto adsit, qui feram irruentem feriat, vel saltem abigat. Idcirco bini semper venatores disponendi sunt, vt alter alteri opem ferat vbi opus fuerit, venator enim vbi in sylua solus fuerit, aut periclitatur, aut belluæ cedit, prædamque amittit.

India regionum omnium vastissima maximaque alit feras truculentissimas, & quasi pro miraculo quodam ab alijs gentibus habitas, in quibus quidem scribendis Græci scriptores fidem sibi ipsis abrogāt. Eam dicunt feros sues magnitudine & specie admirandos habere. Nam cubitales dentos geminos singuli habent ori exporrectos, quibus se ab omni vi atque impetu tueantur. Deinde in fronte duo cornua veluti vitulis exeunt, quibus ferocissimè sæuiunt, insuppor-

Ex Plin. c. 51. lib. 8.

supportabilesq; redduntur. Sed de India taceamus, de qua nullum tam impudens mendacium dicitur, quod teste aliquo eruditissimo scriptore careat. Deimacho & Megasteni, qui gesta Alexandri in India memoriæ tradiderunt, minus credendum Geographorum princeps Strabo asserit, vt qui ea affirment, quæ rerum omnium miracula longè præuertant, & præcipuè quũ serpentes draconesq; magnos adeò in India esse affirment, vt boues & ceruos cum cornibus solidos integrosq; deglutiant. *Ex Str. l.3. & Pl.ca.14. li.8.*

Aprorum venationem maiorem multò in Italia fecit ganearum macelliique ingluuies: diuersa enim fercula & magno precio condita ex hoc vno animali coqui, & fartores concinnabant. Quocirca Censorius Cato in orationibus quas pro emendandis moribus edidit, exprobrauit nimiam voraginem aprini calli, & exquisita gulæ irritamenta variosque sapores. Quinetiam in annalibus ignominia notatus est P. Seruilius Rullus, pater eius Rulli, qui in consulatu Ciceronis legem Agrariam promulgauit, quòd primus omnium Romanorum aprum in cœna apposuit integrum: cuius exemplum paruo tempore multi secuti sunt. Quod quidem quum indigno animo ferret Iuuenalis, ait. *Cato cẽsorius.* *De quo Plin.*

Quanta est gula, quæ sibi totos
Ponit apros, animal propter conuiuia natum.

Et L. Titius in suasione legis Fanniæ obiecit populo Romano, quòd porcum Troianum multi in conuiuio apponerent, quem quidem sic vocabant, quod sicut ex equo Troiano multi Principes subitò prosiliuerint, sic ex apposito apro diuersa animalia egrederentur, quasi grauidus multis animalibus fuerit, vt equus Troianus armatis militibus. *Ex Macro. c. 13. li. 3. satur. vbi Cincius non Titius legitur: alij. Cinitius quod fortasse verius est.*

Ceruorum verò venatio longè facilior habenda est, sunt.n. inermes, ac timidi, nullumque præsidium nisi in celeritate fugę habent. Proinde ceruæ filios, vt primùm prosilire incipiunt, saltu ac cursu exercent, fugamq; eos meditari edocẽt, & ex præruptis editisque rupib. saltũ ipsæ præmonstrant. Mares cerui maximis cornibus prægrauantur, quibus nonnunquam

ramis arborum deprehensi, à fuga prohibentur, & à canibus venatoribusq; opprimuntur.

Singulis annis ceruos cornua veris tempore amittere Plinius opinatur, & noua reparare, sed interim quasi mutili & inermes locis abditis foliuagis latere. Sunt tamen qui putent eos non singulis annis, sed quum nimium fuerint prægrauati, hoc modo cornua decutere. Serpentum cauernas perquirunt, ex quibus narium spiritu illos etiam inuitos extrahunt, eosque perimunt, & veneni vi cornua amittunt, ac mutatione totius corporis pilo, senectam exuunt, iuuentamque induunt & sic in multam ætatem viuunt.

Plin. c. 31. l. 8.

Sunt etiam cerui simplices admodum: vnde nunquam viso venatore stupent, & omnia quasi pro miraculo admirantur. Et viatores prætereuntes eminus sequuntur: & sæpe vi canum vrgente ad homines confugiunt. Mulcentur etiam cantu, sed magis pastorali fistula. Delectãtur multum aspectu, & præcipuè virginum, quibus iacentes se attrectari permittunt, & hinnuli illas sequuntur blandioribus vocibus allecti. Fugiunt cerui latratu canum audito, aura semper secunda vt vestigia cum ipsis abeant. Quum auriculas erigunt, acerrimo præstant auditu: quum verò remittunt, fiunt obtusi, & quasi surdi. Vita eorum (vt dixi) longa est, excedunt enim centesimum annũ. Captos dicunt Græci scriptores ceruos cum torquibus aureis, quos eis Alexander magnus adijci iusserat, suis nominibus inscriptos, longo tempore post illius Regis obitum.

Ceruorũ ætas.

Ceruas, Cicero ait libro secundo de Deorum natura, paulò ante partum perpurgare se herbula quadam quæ Seselis dicitur, adeò vt videantur vim quidam medicam intelligere. Plinius autem affirmat ceruos præmonstrasse Dictamum herbam extrahendis sagittis idoneam, cuius quidem pastu noxia illa spicula quamprimum è corpore deciderent. Locupletior verò testis Cicero dixit: *Capras in Creta feras, quum essent confixæ venenatis sagittis, herbam quærere, quæ Dictamnus dicitur: quam quum gustauissent, sagittas excidere dicunt è corpore.* Virgilius quoque in verborum elegantia,

Seselis.

Pl. c. 27. l. 8. & ca. 8. li. 25. ad Medium.

Lib. 2. de nat. deo.

Dictamnus.

& sermonis proprietate Ciceronis æmulus,hanc sententiam sequitur: inducit enim Venerem vulnerato Aeneæ hanc herbam afferentem, vbi ait:

Dictamnum genitrix Cretæa carpit ab Ida.

Deinde subdit.

Non illa feris incognita capris

Gramina,cùm tergo volucres hæsere sagittæ.

Quibus ex versibus facile est recognoscere verba & sententiam Ciceronis Maronem fuisse imitatum,vt plerisque etiam alijs in locis cernimus.

Verg.lib.12. Æneidos.

Sed ne extra calcem procurrat sermo, dicendum est ceruorum venationem non omnino ignauam esse: saltandi enim alacritate, & currendi pernicitate canes atque equos omnes longè præuertunt. Et nisi cursu ac siti enecti in fluuium merientur, nunquã eos canes assequuntur: at postquam se aqua affatim ingurgitant,nunquam euadunt, sed manifestæ prædæ exponuntur.Hercules itaq; qui nullius laudis expers esse vnquam voluit, inter præclara sua facinora hoc etiam connumerari passus est, quod aëripedem ceruum fixerit.Hic igitur heroum omnium fortissimus docere videtur, hanc etiam ceruorum venationem speciem aliquam virtutis in se habere.

Ceruorũm velocitas.

Omitto insidias,retia, casses, plagas & alia multa id genus,quę feris tenduntur per varios multiplicesque dolos, quibus quidem præda quæ capitur,vilior omnino atq; ignorabilior esse videtur: sicut enim in re bellica præstãtior victoria est,vbi collatis signis & aperto marte decernitur,quàm vbi hostes dolis atq; insidij capiũtur,sic etiam in venatione gratior præda est quæ canum hominumq; virtute cadit,quàm quæ laqueo aut alia fraude strangulatur. Illud enim ingenuæ nobilitatis esse cernitur,hoc autem ignauæ rusticitatis, illud fortitudinis speciem præ se fert, hoc autem auaritiæ.

Ferina dolis capta, ignobilior.

De aucupio, accipitrum natura, eorum generibus, & de aquilis

Tit. VII.

Finitimum venationi est aucupium, quod cum accipitrib. exercetur, hoc quidem temporibus nostris longè diligentius agitur, quàm priscis illis seculis, quibus aut prorsus ignotum fuit, aut paucis agnitum. Non enim hanc egregiam exercitationem tacuissent Græci scriptores, qui in minimis etiam rebus diligẽtissimi vel potius curiosissimi semper extiterunt, inueniunturq; eorum scripta, quibus docent quo sibilo, quáve fistula aues alliciuntur, quibusque decipiũtur dolis, & quibus rebus irretiuntur, quo etiam modo area concinnatur, quæ semina sparguntur, quo gestu, plagaque ex tugurijs obducuntur. Nec silent multa quæ leuiora admodum esse videntur. Proinde putandum est accipitrum vsum illis fuisse incognitum. Sic priscis quoque Latinis, qui illorum vestigia penè in omnibus sunt secuti, præsertim quum genus hoc aucupij mirificam quandam voluptatem, gratiam, iucunditatemque de se præbeat, & ingenti delectatione R[illegible], Principes, & ingenuos quosque viros perfundat. Habet quoque non dissimilem speciem a disciplina militari, disponit enim iuuenum comitatum, equitum quasi alas adijcit, indagatores cum sagacissimis canibus quasi milites leuis armaturæ præmittit, qui aues terrore excitent, & ad volatum compellant. Speculatores in montium verticibus statuit, qui volatum obseruent.

Aucupium.

Adsunt suo ordine qui elata sinistra manu accipitres ferant, aduersusq; volãtes alites artifici iactu eos dimittant. Alij surgentem è terra volucrem quamprimum rapiũt. Alij per apertum volantẽ inuadũt: alij in sublime sese efferentem, deinde singuli vocati, sibiloque allecti, ad notam proprij heri læuam redeunt.

Accipitrum mirabilis natura.

Accipitrum tam feram aëreamq; naturam quis nõ admiretur tam facilè hominum vsibus mansuescere! Cibum humanis manibus accipere, dominum agnoscere,

ſcere, vocemq; eius quamprimùm à ſublimi aëre audita ſequi, & vltro à ſumma illa libertate ad domini vincula redire, imperata faceſſere, & partam à ſe prædam, leuiterque libatam Domino largiri. Hæc & ſimilia multa hominibus ignaris ficta eſſe viderentur, & inter deſides atque oſcitantes reticenda, non autē inter ſolertes ac ſobrios. Atqui & vera ſunt hæc & multo maiora quàm his pauculis verbis à me referri poſſint. Proinde hoc genus aucupij nequaquam priſcis ſeculis notum fuiſſe arbitror, quum de eo nihil clarè nec Græcè nec Latinè ſcriptum inuenerim. Plinius tamen refert in Thraciæ parte ſuper Amphipolim homines atque accipitres ſocietate quadam aucupari, & illos ex harundinetis ac ſiluis aues excitare, accipitres autem ſuperuolantes deprimere illas captas aues, deinde aucupes cum illis partiri. Qua ex re ſuſpicari poſſumus initium, fortaſſe huius aucupij à Thracibus manaſſe, quod deinceps lōgo tempore auctū ad hunc peruenerit vſum, cui iam nihil adijci poſſe videatur. Et qui accipitres aluntatque inſtituunt, omnium miniſtrorum gratiſſimi ſunt Regibus ac Principibus ętate noſtra. Tempore tamen Martialis cernimus id genus aucupij iam aliqua ex parte in vſum quorundam tranſiuiſſe. Nam in diſtichis ſuis quum de accipitre loqueretur, ait:

Præda fuit volucrum, famulus nunc aucupis idem
Decipit, & captas non ſibi, mæret aues

Sed primus accipitrum vſus fuit, vt circumuolando per dolum aues in retia, quæ tecta arboribus erant, propellerēt, quæ quidem illi altius depreſſiúſve volantes vſu prædocti euadebant, aues autem irretitæ ab aucupibus capiebantur. Aegyptij & Aethiopes illi, qui (vt Diodorus Siculus ſcribit) pro literis imaginibus ac ſimulacris quibuſdam vtebantur, quum imperare volebant vt quippiam celeriter ageretur, accipitrem pingebant, quippe qui opinarentur hāc alitem pernicitatem plurimarum volucrum alacritate ſua præuertere. Accipitrū genera ſexdecim eſſe Plinius refert, ſed de his ſolùm pauca explicat, quæ Augures Romani literis commēdauerunt, vel quę in Hetruſa

Plin. cap. 8. lib. 10.

Aucupij initium.

Aucupes miniſtrorum omnium gratiſſimi.

Martialis.

Accipitrum primus vſus.

Diod lib. 4. ſtatim in principio.

Hieroglyphica nota apud Ægyptios pro literis.

Hetrusca disciplina lectitauerat. Notatque imprimis auxiliari accipitres noctuis repugnãtibus cõtra alias alites, bellumq; partiri, hoc quidem commercio quodam instinctuque naturali.

Plin. c. 8. l. 10

Sed accipitrum vsus ac natura, eorumq; diuersitas longè magis temporib' nostris aucupibus nota est, quam scriptoribus illis veteribus, qui ex illis solùm auguria captabant. Nostri enim eos è nidis quasi implumes abreptos nutriunt, tanto studio tantaq; diligentia, vt res admiranda esse videatur. Eorum nanq; secreta rimantur, declinant omnia quæ illis obesse possunt, sequuntur autem quæ illis prosunt. Cibos pro tempore tradunt experientia quadam naturali, quam longo vsu didicerunt. Præmoniti curant illorũ aduersam valetudinem magna solertia, & exquisitissimis quibusdam remedijs. Nec minore cura eis indulgent, quàm proprijs liberis. Abdunt illos hyeme caueis vimineis, vel intimis penetralibus domus, vt ab hyberna omni iniuria prohibeãtur. Quo quidem loci calidioribus cibis consoti, veterem plumam exuunt nouamque rursus induunt, & ex nouis alarũ pennis alacriorem volatum instaurant. Quinetiam quum nõnunquã ex nidis pullos accipere nequeũt, ex libero cœlo, quum iam adoleuerunt, captos, summa industria cicurant. Et quum cernant illorum ferocitatem magna ex parte ab oculorum acie manare, tenui acicula leniter palpebras consuunt, & aliquot diebus eos luminibus defraudant, donec mansuetiores reddantur, quib. deinde dissutis, galericulum capiti adigunt, quo oculos contegant, & in solo deinde aucupio dum in excitatam auem dimittunt, eos reuelãt, vt ex oculorum acie sumpta ferocitate in alitem sæuiant, eamque quamprimùm visam assequantur. Atqui hoc mirum admodum videri potest, quod audita voce sibilóve nutritoris, reuolant, & aërea libertate relicta, ad galerum, vincula, seruitutemq; redeunt. Benigniouesq; sunt in referenda gratia his, à quibus nutriuntur, quàm nonnulli hominũ, qui illis etiã, à quibus bona quotidie accipiunt, insidiantur.

Accipitrum educatio.

Nonnulla aucupiorum genera ipsæ rapaces alites,

quæ

quæ vngues aduncos habent, & incuruum rostrum, docuerunt, & præcipuè illæ quæ non cadaueribus, sed rapta præda vescuntur: cibum siquidem ex venatione vel aucupio assiduè captant, sed quum nimiũ senescunt rostro, & vnguibus nimis crescentibus inutiles rapinæ fiunt, paruoque tempore tabescunt, ac fame pereũnt. Sunt qui putent aquilas aucupij venationisq; commercium cum suis nutritoribus contrahere, vt quæ captas à se prædas cum illis partiantur, & præcipuè cum cernunt eos infirmos, aut imbecilliores esse. Exemplumq; etiam inducunt cuiusdam aquilæ à virgine pulcherrima educatæ apud Seston vrbem, quæ quidem permissa à puella libero cœlo, gratias quotidie ei referebat, aues enim primò, deinde venatus sedulò aggerebat. Atqui quum contigisset virginem mortuam efferri, gemebunda substitit aquila, postremò in accensum rogum se mittens cum puella simul conflagrauit. Huius rei testimoniũ affert Plinius, ne videatur res ficta, & sine auctore esse. Est species quædam aquilę quæ ab Homero νηττοφόνος ἀετὸς, à nostris autem Anataria dicitur, hæc aquaticas aues appetit. Proinde circa lacus & stagna versatur. Et quum circumuolat, vmbram suam è sublimi natantibus alitibus ostendit, illæ timore perçitæ, se mergunt rursus, atque iterum, donec fessæ ex parte emergant, qua minimè se videri putant, tunc eas aliis semotas cernens aquila, ex alto se vibrans inuadit, ac rapit. Nam vbi complures sũt, eas infestare nequit. Plangentes enim alis, aquam plurimam respergunt, oculosq; aquilæ hebefaciunt, vt nihil cernant. Et hac naturali disciplina aues illæ ceu ex instituto semper gregatim natant. Accidit etiam aliquando vt aquila raptæ anatis pondus quum tolerare nequeat, cum ea mergatur, obruaturque, & sic vnà ambæ pereant.

Aquila exẽplum mirabile cũ virgine.

Pl. ca. 5. li. 10.

Anataria aquila.

Ex Pli. cap. 3. lib. 10.

Est etiam ferocior aquila, quæ haliætus dicitur: hęc & piscatione & aucupio pascitur, sed dum aucupatur, alteram sui generis sociam accersit, & earum vna citima terræ circumuolat, radensq; tellurẽ raptat: altera autem per gyrũ superiora petens, sublime volãtes

Halialus.

tes alites intercipit. Hoc genus aquilę oculorum acie reliquas omnes antecellit. Nam nec conniuentibus, nec lachrymantibus oculis contra solis radios intue-

Claudian.

Huius rei rationem Claudianus non ignobilis poëta aperit, quum de ea alite loqueretur, nam hos versus inseruit.

Consulit ardentes radios, & luce magistra
Natorum vires ingeniumq; probat:
Degenerem refugo torsit qui lumine visum,
Vnguibus hunc saeuis ira paterna ferit.

cum reliquis versibus, qui ad hanc sententiam sequuntur.

Aquilis primus honor auium.
Aquilarum cũ quadrupedibus dimicatio.

Est etiam celebrata apud complures fama, hãc solam alitem à fulmine semper intactam inuiolatamq; extitisse: ideoq; Iouis satellitem, & fulminis ministram eandem esse poëtæ fabulantur. Aquilę igitur primus auium honos, & maximæ alitum omnium vires tribuuntur: adeò vt non solùm cum alijs omnibus alitibus, & paruis terræ animalibus, & cum capreis, leporibus, & damis, verùm etiam cum ceruis certet, quos primò quidem posteriore vngue per aduersa dorsi feriens in oculos inuolat, eosq; tam diu alis verberat, donec in rupes ceruos pręcipitet, perimatque.

Milui.
Ex *Pl. c. 10. lib. 10.*

Multa venatores & aucupes à rapacibus alitibus didicerunt, quæ deinde in vsum aucupij ac venationis redegerunt. Venatores quoque à lupis, vrsis, leonibus, pardis, peritiores fiunt, & ab alijs animalib⁹ quæ ex venatione aluntur.

Est etiam fama miluos artem gubernandi nauigia docuisse, monstrante natura ipsa caudæ flexus ad dirigendum per cœlum volatum, molemq; corporis leuandam. Quod deinde opus in mare translatum, nauigia omnia dirigit ad optatum cursum, & infestis contrarijsq; etiam vndarum fluctibus, eadem gubernat, & in portum salutis adigit. Sed de venatione, & aucupio hactenus dixisse satis sit.

De

De studio ac delectatione Agriculturæ.

Tit. VIII.

PHILOSOPHVS ille Socraticus Xenophon, qui venationis superiora præcepta nobis exorsus est, etiam quę nunc sequētur adiuuabit. Is quum præcepta rei familiaris traderet, agriculturam multis laudibus effert, eiusque exercitationem omnibus alijs præfert: eamque non modò patrifamilias præbet, & cuicunque ciuili viro tanquam rem vtilem ac pernecessariam, vt quæ vniuersum genus humanum nutriat, eandē etiā Regibus Principibusq; tradit. Asserit enim nihil tam dignū regali exercitatione, quàm studium bene colendi agri, non tantùm ad vsum necessariæ alimonię, fructuumq; percipiendorum, sed ad voluptatē iucūditatemq; humanæ vitæ, proinde rustico labori geometricā quandam industriam addit, quæ speciem ac delectationem potius adiuuet, quàm vtilitatē ac fructus augeat. Cyrum quoque Persarum Regem inducit quasi de se gloriantem apud Lysandrum Lacedæmonium virū illustrem atque acerrimum, quòd agrum scita dimensione, paribusq; ordinibus diligenter cōseruisset. Et quum Lacon ille arborum proceritatem admiraretur, tunc Rex ait: *Istarum arborum multa mea manu sata sunt*, exclamasseque tunc Lysandrum Xenophon dicit, dixisseque: *Rectè quidem Cyre beatum te esse omnes opinantur. Amplissima enim fortuna tua virtutem etiam coniunctam habes.* *Agricultura.* *Cyrus.* *Lysander.*

Hæc musa Attica adeò Ciceroni placuit, vt multa ex eius libris in vsum suum transtulerit, & eius œconomicum, seu de re familiari librum in Latinum eloquium conuertit: tametsi temporibus nostris nusquam appareat, & cū libris eius de Republica, de gloria, de consolatione, pluribusque alijs interijt, qui omnes desideriū nobis perpetuum reliquerunt. Multi alij Reges agris, pomarijs hortisq; delectati sunt, vt Adonis, vt Alcinous Corcyræ Rex, quorum rustici labores perpetuo Musarum præconio celebrantur. Semiramis Regina, vel alius quispiam Assyriorum *Xenophon musa Attica, cuius Oeconomicum Cicero vertit.* *Adonis.* *Alcinous.* *Assyriū Reges.*

rum Regũ(incerta enim historia est propter scripto-rum varietatem)agros intra vrbis mœnia, & hortos pensiles iuxta domesticos parietes excogitauit, tanta amœnitate,tantaque iucunditate, vt admirati scriptores rerum, eiusmodi opus inter mundi spectacula collocauerint. Veteres quidem Poëtæ nihil prius admirati fuerunt,quàm Hesperidum hortos,in quibus recensendis complures fabulas connectunt.

Epicurus hortorum magister.

Epicurus philosophus(vt quidam scribunt)hortos instituit, & hortorum magister honoris gratia cognominatus extitit.Viuebat enim Epicurus in horto Athenis cum amicis suis, quem moriēs deinde testamento legauit Hermacho Mitylenæo, qui eius ludo successit,& sic deinceps quibuscunq; successoribus suis qui ab eius nomine philosopharentur. Tarquinius etiam superbus hortulo suo domestico plurimum delectatus est,ex quo filij nūtio sæuum, ac sanguinariũ responsum dedit. Sed Romani veteres longè prius agrorum quàm hortorum curã habuerunt. Crescente deinde imperio, ac singulorũ opibus confluentibus,in extruendis hortis innumerabiles pecunias ad insaniam vsque impenderunt, quorum profusio exterorum Regum opulentias superauit.

Tarquinius superbus.

Non erit igitur alienum agrorum hortorumque exercitationem Regi quem instituimus permittere, & præsertim quòd vitam longiorem salubrioremq; ex ea assequetur,hilarius iucundiusq; viuet, & honesta semper voluptate fruetur. Proinde minus admirandum est veteres Poëtas Veneris voluptatis Deæ hortos dicatos consecratosque esse voluisse, quod etiam Plautus comicorum facetissimus testatur.

In Veneris tutela horti, quod Plautus, teste Plinio cõfirmat. Sic & Nævius: Coquos edit Neptunum, Venerem, Cererem.

De lusu pila, & de diuersis pilarum nominibus: Regesq; nonnullos studiosè pila lusisse.

TIT. IX.

ALIAS nonnullas Principum exercitationes, quæ virtutis speciem aliquam præ se ferunt, non omnino repudiandas esse censeo, & præcipuè in viridi iuuenta, in

qua

ocium summopere formidandum est. Princeps ociosius aut molestè degit, aut minus digna me. Reges itaque Principesque nonnullos legi studiosè admodum pila lusisse, & Mæcenatē in *De Mæcenate.* quis, qui antiqua Hetruscorum regū genere oriū-, omnes regias virtutes habuit. Nam non modò bellicæ gloria claruit, & sapientia consilioq; ex-, verùm in studijs quoque omnium bonarum disciplinarum emicuit, & ingenia temporum suo- adeò fouit, vt Musarum pater iure optimo pellari posset.

certè nisi Virgilium inopem, & patria eiectū be- *Virgilius.* hospitio accepisset, & opulētis donis ac mu- affecisset, caruissemus omnino Mantuanis car-, quæ Musam Latinā æmulā Smyrnæis plectris sederunt, vt Silius Poëta cecinit. Ea sanè iactura æ nostræ quàm maxima extitisset. Sumus enim vno cū Græcis in dubio certamine, & si Homero, *Homerus.* tanquā parēti, ætatis gratia aliqua ex parte cedimus, tamē alios omnes noster Maro antecellit. Sed Mæcenatem redeo, quem dico aptè admodum *Mæcenas pila lusit.* strennè pila lusisse, testemq; citabo Lyricorum no- summum Flaccum Horatium, qui & ipse ab opibus & dignitate honestatus est: & vt ei gra- referret, plerosque librorum suorum ad eum scripsit, dicit enim, quum Ariciæ diuertissent:

Lusum it Mæcenas, dormitum ego, Virgiliusq;: *Serm lib. 1. Saty. 5.*
Namque pila lippis inimicum, & ludere crudis.

Optimè etiam pila lusit Publius Scæuola vir gra- *Pila benè lusit Scæuola l. 6.* uissimus, & iureconsultorum omnium disertissimus. enim à forensi labore fessus esset, pila se aliquantu- instaurabat, vt refert Cicero. Lusit etiā pila stu- diosè admodū ex philosophis Lycon Troadensis, ad quam quidē fessus studijs sapientiæ confugiebat, tā- quam ad placidam auram post difficilem æstum atq; calorem, vt gratior deinde esset ad studia reditus.

Dionysius quoq; Syracusanus pila summopere de- *Diony. Syr.* lectatus est, sed homo ad sæuitiam natus etiam inter ludendum pusionem, quem vnicè adamabat, intere- mit, cuius facti adeò eum pœnituit, vt vix à seipso ma- abstinuerit.

n

PAGINATION INCORRECT

Sed quid immanissimum tyrannum memoro,
Regem virtute & rerum gestarum gloria omniũ
Alexan. pila lusor. ximum testem inducere possim? Lusit Alexander
la, & sępenumero quidẽ, quum militia, & rebus
ocij aliquid dabatur. Et cùm natura munificen
mus esset, & acto imperio liberalitatem benign
temque accumulasset, adiecissetq; iucunditatẽ qua
dam & alacritatem in donando, qua sola omnib.
tificari videbatur, inter ludendum quidem collu
res omnes aliquid petentes muneribus afficiebat.

Serapion. Quocirca Serapion adolescens modestus ac fac
tus, qui eam crebò ludere solebat, cùm nihil posce
nihil etiam vnquã dono ferret, hoc animaduerten
pilam ad alios omnes præterquam ad Regem mitte
bat: ac tũ dicente Alexãdro: *Quid ad alios pilam mitt
ad me autem nequaquam?* Non petis, inquit, hoc audit
Rex, leniter arrisit, & confestim munera quã maxim
ei afferri iussit, quib⁹ ille lętior factus, p̃ilam alacri
mittebat. Tum Alexander: *Planè vt video* (inquit)
ra gratiora sunt non petenti, quàm afflagitanti.

Cæsar. Lusit pila aliquando etiam Cæsar & singulis co
lusoribus suis centena sestertia numerari iussit, vni
L. Cæcilius. Cæcilio quinquagena tantùm: hic facetè: Num vn
manu ludo? Tum ridens Cęsar, numerum æquari i
peravit. Pilæ ludus apud veteres compluribus clari
Dorcatius. viris gratissimus fuit, adeò vt nõ puduerit Dorcati
Pila vnde dicta. Romanum poëtam nõ vulgarẽ de pilæ ludo prode
re, & diuerso carmine heroico p̃cepta tradere: cui
auctoritatem nonnulli sequentes, relicta Græca ori
gine putauerint pilã à pilis, quib⁹ densata esset, dic
Ait enim Dorcatius.

Pilarũ species plures. *Neu tu parce pilis viuacis condere cerui,*
Vncia donec erit geminæ super addita libræ.

Plures enim pilarum species erant, quarum aliæ pu
gno, aliæ expassa manu pulsabantur, aliæ verò calce
feriebantur, vel missæ in lusorem ex aduerso repulsa
bantur. Earum nomina ex diuersis lusionibus man
uerunt. Nam trigonalis pila dicitur à formæ specie.
Paganica à pagis, in quibus vsui erat, sicut rusticana à
rure. Conflatilis autem, quòd flatu, quò leuior esset,
im-

[illegible]retur. Hãc Martialis follē appellat, siue per simi[illegible]em (turget .n. vt follis) siue quòd presso folle [illegible]tur: vnde illud Persij Satyrici illius obscurioris, [illegible] *premis ventos*.

[illegible] nihil indecori in gestu præbet, sed speciem quan[illegible] potius ingenuā præ se ferre videtur. Nihil fictū, [illegible] simulatum in se habet, vt pleræq; aliæ lusiones, [illegible] quidē mendaces sunt, collusores fallere nitūtur [illegible] omnia simulando dissimulandoq; agunt. Præstat [illegible] quandam corporis agilitatem, dexteritatem-[illegible] & saltando ac currendo hominem exercet.

[illegible]irco dicendum erit pilæ ludum iuuenibus per[illegible]endum esse. Tales enim lusiones non indecoræ [illegible] dum fiunt relaxādi animi gratia, vt ad studia & [illegible]rias alacrior iucūdiorq; deinde sit reditus. Ari[illegible]teles laudat Anacharsis Scythę sententiā, qui dice[illegible]lebat, nō turpe esse aliquando modestis lusioni[illegible]bus oblectari, vt alacrior ad philosophiam fieret re[illegible]. Et idcirco liberi hominis Cicero esse ait aliquā[illegible] nihil agere. Atqui Scipio dicebat se repuerascere [illegible] relicta Republica apud Caietam conchulas [illegible]eret, & vmbilicos vnà cum Lælio amico suo.

Ludendum quandoque.

Sententia Anacharsis.

[illegible]equaquam fieri potest, vt semper in animi, cor[illegible]risve laboribus simus, est siquidem aliquando ces[illegible]dum, vt exinde industria gratior nobis fiat, nō erit [illegible] finis cessatio, quæ modici temporis est, sed ve[illegible] instauratio quædam ad laborem. Vitandę tamen [illegible] nequitiæ, & lubrica illa quæ odia hominum in[illegible]runt, qualibus delectabatur Ottho in adolescen[illegible]tia sua. Hic enim per vrbem vagabatur comitatus im[illegible]probis ac procacibus iuuenibus, & obuios quosque [illegible]rberibus cędebant, inualidos autem temulentósve [illegible]ptos, sagoque impositos in sublime iactabant.

Ottho.

[illegible]incipes Rerumpublicarum ludos populis præ[illegible]re consueuerunt, non modò vt victorias suas & [illegible]mam rerum gestarum diutius celebrarēt, verùm vt [illegible]dis peractis homines ad laborem & industriam [illegible]riores redirent, vt fecerunt Romani post exactos [illegible]ges, qui ludos plebeios ꝓ libertate instituerunt, vt [illegible]lebē ad munia militaria promptiorem redderent,

&vt eam ad futura quoque bella pro tuenda li-tate armarent.

Aleam & aleatores Regibus odio esse debere.

Tit. X.

ALEAM ludere non modò pernitiosum, verùm etiam detestabile omnino est. Quinetiam senatusconsulto (vt Paulus iureconsultus refert) vetitū est in pecuniam ludere, præterquam si quis certet hasta, vel pilo iaciendo, vel currendo, saltando, luctando, vel pugnando, quod virtutis causa fiat: qubus ex rebus etiā sponsionē facere licet: sed ex alijs, vbi ex virtute certamen non fit, non licet. Si verò seruus vel filius familiâs victus fuerit, patri vel Domino competit repetitio ab eo quod in alea lusum est.

Lusus auari omnes prohibiti.

Eiusmodi leges Romanorum in aleatores, docent quàm detestanda sit alea, quantoq; odio insectādi sint aleatores. Omnes in pecunia lusiones, ab ignaua auaritia, segniq; otio proficiscuntur, rem familiarem prodigunt ac profundunt, in iram insaniamq; impellunt: ab omni virtutis studio, omniq; liberali industria reuocant: consilia perturbant, mentis cogitationes hebefaciunt, vim, dolum, iniuriam, rapinam insinuant, latrocinia, furta, sacrilegia, homicidiaque persuadent. Et nonnunquam hominem in tantam desperationem inducunt, vt non modò alijs necem intendat, verùm etiam sibi violentas manus afferat.

Aleator.

Quid quòd aleator omnis semper anxius, semper querulus, iracundus, morosus, difficilis, mœstusq; degit? Victus pro damno mœret, quo se pacto redimat meditatur, vltionemq; affectat. Victor verò insanit, exultat, maioriq; lucro inhiat, seipsum torquet, alios autem omnes odio habet. Auet semper diuitias atq; opes, non vt illis perfruatur (nā in summa opulētia esurit semper ac sitit, & genium suum, domesticosque penates defraudat) sed vt illas cum collusoribus effundat, & aleæ insatiabilem voraginem expleat. Aleator nemini quicquam credit, nemoq; ei se aut sua permittere vnquam cupit.

Lex

...tulit apud Aegyptios ad hanc sententiam: *Lex Ægyptiorum, de aleatoribus.* ...omnibus accusare volentibus obnoxius esto. Qua ...lege declaratur, quàm suspecti sint omnibus ...ibus aleatores, quamq; proni ad singula quæ... flagitia ac scelera. Ex malo enim ludẽdi vsu quę ...per legem subiunguntur, eorumque delato... ...noxij à talione sunt, & odium omnium homi... ...currunt.

...igitur in pecunia ludet Princeps hic cui prę... ...damus, nec suos ludere sinet, si bene audire cũ... ...familiares rixas prohibere. Inter probra, scele... ...immanitates Neronis, hoc etiam notatur, quod *Nero.* ...genis sestertijs punctum bissenum aleam lu... ...Octauius verò Augustus omnium Cæsarum for *Octauius, fortunatissimus Imperatorũ.* ...mus habitus est: & postquam potitus est re... ...ciuiles virtutes modestè satis seruauit. Is tamen ...est, quòd nimis aleæ indulgeret. Quem qui... ...morem nũquam eum expiasse Suetonius re... ...Nam non modò iuuenis lusit, & infamiæ nota ...cruit: vnde in bello Siciliensi vulgato epigram... ...cessabatur, postquam bis classe victus naues ...Aliquãdo vt vincat, ludit assiduè aleam. Sed ...senex, & palàm quidem, & non solum Decem... ...ncase (quo licentius multorum exemplo ludere ...set) sed festis quoque & profestis diebus. Qua ...de re quasi gloriabundus literas ad filiã dedit, ...ibus eam certiorem faciebat, se plurimam pecu... ...uicisse. Atqui leuioribus etiam nequitijs dele... ...Octauius, ludebat enim nucibus cũ paruis *Octauij lenitas.* ...s, quos facie & vernacula garrulitate amabiles ...quirebat: cum quibus dum in balneo lauaretur, ...dicebat se cum suis pisciculis natare.

Reges iudicium de se quandoq; foris exquirant. Tit. XI.

HOc loco monendi sunt Principes, vt minima etiam quæque probra caueant, semperq; secum cogitent singulas quasque actiones suas ante ora oculosq; omniũ

ciuium obuersari, qui benefacta negligunt contemptuique habent: at ea quæ vel minimam probri suspitionem præ se ferre videntur, lynceis oculis contuentur, perpetuoque meminerunt, alijsque commemorant, rumores quoque semper augent, famamque instaurant, quò errata maiora esse credantur. Plerumq; homines qui clandestinis susurris mussitant, aut liberius in Principes oblatrant, multitudinis amatores esse perhibentur, & libertatis virtutisq; studiosi: qui verò Principũ facta efferunt, admirantúrve, aut adulatores habentur, aut spe, pollicitationibus, donisve corrupti. Hinc vetus prouerbium increbuit: Regium esse bene agere & male audire. Vnde ea laus optimis Principibus gratissima esse debet, cui vituperationi interdũ locus pateat, vbi res aliquæ perperam aguntur. Hac mente ductus Agesilaus Lacedæmoniorum Rex assiduè in propatulo & hominũ oculis versabatur, putãs suspectã vitam esse, & maledictis probrisq; obnoxiam, eam quæ in tenebris ageretur. Turpitudo enim lucem ac testem fugit, honestas autem lumen atq; arbitros amat. M. Antoninus Cæsar, qui etiã á studijs, sapientiæ laudẽ meruit, semper de se vera audire affectauit. Proinde ex suis nonnullos passim per vrbẽ mittebat, qui vulgi rumores colligerent: & ex illorũ relatis plerumque actiones suas mutabat in melius.

Prouer. ex Plutar. in apopht. Alexãdri ad fi.

Pli. l. 35. c. 10.

Apelles quoque pictor diligentissimus, operum suorum iudicem vulgum meliorem aliquando quã se ipsum esse putabat. Perfecta enim opera sua pro foribus in pergula quadam, quam illic in propatulo habebat, exponebat, latebatque clanculum, vt vitia quæ notarentur, emendaret. Sutor quidam quum transiret, deprehendit in crepidis vna intus pauciores fecisse ansas. Tum pictor id aduertens, verùm esse cognouit, & clàm noctu erratum emendauit. Postridie eius diei idẽ sutor pristina emendatione elatus, circa picturam cruris cauillari accepit. Tunc Apelles leuiter indignatus, sutorem monuit, *ne vltra crepidam* iudicaret. His exemplis monemur, vt de nobis ipsis judiciũ nonnunquam foris exquiramus. Nimia enim in nos ipsos indulgentia plerumque fallimur.

Plin lib. 10.

Idem-

Idemq; efficimus, quod oculi humani facere so-
lent, qui quum omnia circunspiciant, acuteq; intueã-
tur, se tamen ipsos non vident, seq; penitus ignorant.

De calculorum siue latronum ludo.
Tit. XII.

CALCVLORVM ludo, latronum siue latrunculorũ, nonnulli Principum etiã indulgent, vt qui illum putent similitudinẽ quandã verę pugnę, vel quasi bellicas insidias præ se ferre. Duas enim in partes discretus est, ex altera milites nostri, ex altera autem hostes decernere videntur. Cuius meminit Ouidius quum ait: *Latrunculorum ludus.*

Siue latrocinij sub imagine calculus ibit,
Fac pereat vitreo miles ab hoste tuus.

Fiebant enim eo tempore ex vitro. Hunc ludum sunt qui putent à Diomede inuentum ad tędium Troianę obsidionis euitandum: idcirco militibus obsidionarijs ab Imperatoribus concessum fuisse arbitrantur. *Diomedes.*

Mutium Scæuolam hoc genere lusionis delectatum fuisse legimus, quum à ciuili sapientia ei otium aderat. Hunc gemmarum ludum, vel gemmam appellari à nonnullis Latinis constat in adulationẽ Cn. Pompeij, vt quidam opinãtur, qui in tertio triũpho, quem de Piratis, Asia, Ponto, gentibus, Regibusque egit, alueum transtulit cum calculis tesserisq; ex duabus gemmis, latum tres pedes, longum pedes quatuor. Gemmei quoque erant calculi, diuerso inter se colore discreti. Hos secutus Martialis ait: *Ludus gemmarius.*

Insidiosorum si ludis bella latronum,
Gemmeus iste tibi miles & hostis erit.

Rex verò quem scribimus omni virtute præcellentẽ, ocio non abundat, desidiosam cessationem non quærit: idcirco ab eiusmodi lusionibus, quæ tempus in cassum terunt, omnino abstinere debet, ne rebus serijs opportunitatem interuertat. Est enim opportunitas occasio gerendorum, & optimum temporis spatium, quam εὐκαιρίαν Græci appellant.

Consuetudo vitæ cũ doctis viris, optima omni[um] exercitationum habenda est.

TIT. XIII.

DICENDVM igitur erit nullam in ocio h[o]nestiorem exercitationem esse posse q[uam] quæ crebris sermonibus, quotidie cu[m] optimis atque eruditis viris agitur. E[st] enim (vt Theognin poëtam dixisse Aristoteles mo[net]) *quædam virtutis exercitatio, cum bonis viris conversa[ri].* Et quidem in hoc Princeps priuatos omnes antece[l]lit. Priuati enim ex æqualib. suis quos possunt, eligu[nt], cum quibus versentur, & præcipuè cum illis congr[e]gantur, quorum studia suis similia esse cernunt, quo[rum]q; animi mutua inter se consuetudine oblecta[n]tur. Princeps autẽ omnes penè obsequio intentos h[a]bet, & studiosos admodum sui: nec quispiam est qu[i] non vltrò se ingerat, cupiatq; ei obtemperare, si eius opera vti velit: proinde optionẽ habet latissimam, & optimos ac probatissimos quosque eligere potest, quib. cũ assiduè versetur. Negligentior itaq; videre-tur, culpæq; obnoxius, si adulatores, scurras, aut im-probos, viris vrbanis ac probis anteferret. Verùm si eius regio non abundat doctis ac præclaris homin[ib]. aliunde accersiri iubeat. Vt enim diligens venator si in patria sua optimam canẽ non inuenerit, Epiroti-cam, aut Laconicã magna impensa magnaq; dilige[n]tia exquirit, sic Rex si regionis suæ idoneos indige-nas nõ habebit, toto orbe terrarũ perquisitos omn[i] studio omniq; largitione ac liberalitate conducet.

Theognidis sententia.

Similia,

Isocrates Regi suo prohibet, ne cum omnib. fami-liariter conuersetur. *Nimia enim familiaritas contempt[um] parit, raritas autem admirationem conciliat,* vt est in vete-ri sententia. Sed eos eligat, quos per virtutem amici-tia ac cõsuetudine sua dignos esse putauerit. Nec il-lis vtatur, quorũ congressu delectetur propter sermo nis festiuitatẽ, facilésve mores, sed illis, quorũ opera atq; cõsilio res magnas optimè gerere possit. Et hoc imprimis sibi persuadeat, se tali ingenio taliq; natu-ra ab omnib⁹ iudicari, quali præditi fuerint illi, quos assi-

consuetudine & amicitia coniunctos habebit. Nulla certè harmonia gratior, nulla consuetudo iucundior, nulla exercitatio vtilior ea, quæ quotidianis sermonibus cum prudentissimis atque doctissimis viris habetur, à quibus nunquam quisque discedit quin doctior euadat, vt Comicus ille ait. Hi de rebus diuinis piè sancteque disserent: superstitiones & aniles formidines ex animo euellent, verum Dei cultum veramq; religionem suadebunt, naturæ arcana, rerumq; edocebunt, ciuili sapientia imbuent, nihil incognitum aut obscurum esse permittent, eloquentia consilioque adiuuabunt, efficientque vt neminem decipiat, & à nemine decipiatur. Scita est enim Agesilai Regis sententia, *qui ait regiæ dignitati non astutiam, sed bonitatis excellentiam conuenire.* *Fructus ex doctorū virorū consuetudine.* *Rex nō sit astutus.*

De peregrinationis vtilitate, de Geographia, Cosmographia, & pictura mundi, ac regionum in quibus bellum geritur.

TIT. XIV.

VTILEM admodum exercitationem Regibus ac Principibus longinquam peregrinationem esse, pleriq; doctissimorum virorum arbitrantur: ex qua multa audiunt, multa discunt, multaque oculis cernunt, quæ nulla disciplina, nulloque doctore vnquam perdiscere possent. Testis adstipulatorque huius sententiæ imprimis Homerus inducitur, qui Vlyssem, quem Græcorum sapientissimum facit, à diuturna longinquaque peregrinatione præcipuè laudat, librumq; suum talibus orditur. *Peregrinatio Regi perutilis.* *Vlysses.*

ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον, &c, *1. Odiss.*

quod ita reddit Horatius in arte poëtica.

Dic mihi musa virum, capta post tempora Troiæ
Qui mores hominum multorum vidit, & vrbes.

quasi præferat Vlyssis errores, ac peregrinationem omnib. rebus, quas didicerat in decenali bello Troiano, in quo tot Reges ac Principes militauerant cum tanta diuersarum rerum varietate, tantaq; mutatione

fortunæ. Nec solùm Vlyssem vagum, ac peregrinum inducit Homerus, verùm maximos quosque Imperatores ac Duces. Nestor siquidē gloriatur, quòd cum Lapithis versatus fuerit: Menelaus autem iactabundus exultat, quod Cyprum, Phœniciam, Aegyptumque aduenerit, Thebas quoque viderit, quas centum clauderent portę, & singula quęque ducentos haberet custodes equis instructos: & quòd Aethiopiam etiam lustrauerit, Sidoniam, ac Libyam. Medea quoque quum arcem Corinthi conscendisset, nitebatur matronis illis, quæ arci ac templo præerant, persuadere, ne quippiam mali suspicarētur, vitióve sibi darent, quod longè à patria tandiu abesset, quando multi rem suam benè & honestè procul à patria gesserint, multi autem malè ac turpiter intra domesticos parietes victitauerint, improbatique ab omnibus fuerint. Sed illarum matronarum taciturnitas ostendit, fœminarum peregrinationem semper suspectam esse, & turpitudinis impudicitiæque indicium præferre. Vnde Tragici & Comici poëtæ peregrinam aduenamq; mulierem frequenter pro impudica ac turpi vsurpare solent. Noster autem Maro Mantuanus, qui Homericas Rhapsodias in omnibus æmulatur, quot regiones, quot portus, quot insulas euasisse ac superasse Aeneam suum facit, antequam fugientem (vt ait) Italiā prehēdere posset, vt incunabula Romani imperij ex profuga peregrinatione sua statueret.

Peregrina, pro meretrice: vt Terent.

Sed nunc ad historicorum exempla descendamus. Sosoosis omnium Aegyptiorum Regum excellentissimus, Araxiam, Libyam, Aethiopiam, & vniuersam Indiam ad Oceanum vsq; peragrauit, & Scythiam pone Tanaim fluuium, qui Europam ab Asia disterminat, quibus in locis & Colonias deduxit, atq; Obeliscos erexit, vt monumenta militiæ ac peregrinationis suæ perpetuò figeret.

Diog. Laërtius l. 2 in Archelai vita.

Refert etiam Laërtius Archelaum Cosmographū scripsisse Alexandrum Macedonem maximam terrarum orbis partem peragrasse, vt ea omnia edisceret, quæ ad optimam Regis disciplinam pertinerent: proinde Alexandrum sæpe gloriari solitum fuisse aiunt, se plu-

se plura oculis lustrasse quàm alij Reges vnquam animo & cogitatione attingere valuissent.

Ptolemæus priscus Aegypti Rex diutius peregrinatus fuisse dicitur, & ignotas quasdã regiones post eum peregrinantibus patefecisse. Primum enim omnium (vt Diod. tradit) Aethiopam ingressus est: ante eum siquidem nemo Græcorum in Aethiopiam transmiserat, neque Aegypti montes transcenderat. Adeò enim inuij ac difficiles esse putabantur, vt nemo iter per eos tentare auderet. *Diodorus Siculus lib. 4.*

Cambyses quoque Persarum Rex multa ex diuturna peregrinatione perdidicit, quæ deinde Cyrum filium edocuit, vt præclarè refert Xenophon in libris suis de puerili Cyri disciplina. Sed Cambyses quum in Meroëm vsque peragrasset, perspecta insulæ vtilitate (æris enim, ferri, argenti, aurique fodinas habebat) magnam vrbem in ea ædificauit in formam Persici clypei, vt peregrinationis suæ diuturnam memoriam statueret: & insulę atque vrbi nomen Meroë dedit à nomine sororis suæ illic mortuæ, cui templum struxit, & aram consecrauit.

Romani etiam omnium mortalium excellentissimi, habitabiles omnes orbis regiones quasi propriũ domicilium propriámve vrbem peragrabãt, & quicquid vspiam gentium terrarúmve cognitu dignum inueniebant, quamprimum literis commendabant, vel in patriam transferebant, si res eiusmodi esset, quæ è loco transferri posset, adeò vt non modò omnium gentium detracta armis spolia reportarent, verùm etiam disciplinas, mores, leges, instituta, artesque omnes acciperent, & in proprios lares deuectas paruo temporis curriculo longè meliores præstantioresque redderent: vt fecit M. Marcellus Imperator ille fortissimus, pugnacissimusque, qui ex Syracusana præda imagines, simulacra, ac signa quæque præstantissima Romam aduexit, nõ solùm ad triumphi pompam, sed ad vbis quoque ornamentum: nondum enim in Italia nota erat graphidis ars, & iucunda atq; admirabilis illa sculpturæ ratio, in qua deinceps plures artifices Romæ claruerunt. Simulacra *M. Marcellus.*

enim

enim in delubris dicata ad deuictam vsque Asiam (à qua omnis luxuria in vrbem irrepsit) lignea aut fictilia fuerant: sed aduecta postea vndique breui tempore adeò creuerunt, vt in M. Scauri ædilitate tria signorum millia producta fuisse scribantur. Repleuit vrbem signis L. Mummius deuicta Achaia. Luculli etiam multa inuexere. Fabius quoque Maximus capto per vim Tarento, æneam Herculis imaginem Lysippi opus sustulit, & in Capitolio consecrauit. Sic etiam complures alij Imperatores Romani effecerunt, qui signa omnia præclara Romam pertulerunt, vt vrbem non gentium imperio, sed optimis etiam quibusque artibus decorarent. Nec is sum, qui mihi persuadere possim, aliquem hominem perfectè sapere, qui parua aliqua ora, vel breuiore terræ angulo, vel vnis mœnibus delitescēs, reliquas mundi partes ignoret, nullos mortales præter indigenas suos norit, non externos aut consuetudines varias viderit, sed contentus sit his rebus, quę exiguo spatio natalis soli, paruiq; laris angustijs cernuntur: præsertim quū animus noster nunquam conquiescat, sed diuina humanaque omnia semper meditetur, pabuloque cogitationis alatur, nec diutius in eadem meditatione ac contemplatione persistat, sed noua continuè inquirens, vix notis veteribusque inuentis contentus esse possit: cui natura ipsa nocturnæ quietis tempore varias species, diuersaque simulacra subijciat, vt immortalis ipse atque diuinus, mortale terrenumque corpus dormire ac requiescere aliquandiu sinat, donec naturali quietè foueatur absitque à rebus agendis. Nec Claudiano poëtæ assentior, qui beatum illū esse statuit, qui nunquam à patrio solo pedem extulerit, sed in natiuo agello consenuerit. Atqui beatitudo puerorum hæc mihi esse videtur, qui (vt ait Cicero) *fœlicitatem ponunt in nihil agendo*. Claudiani versus eiusmodi sunt.

L. Mummius.

Non sapiens qui paruulum duntaxat spatium peterrauit.

A Claudiano dissensum, qui peregrinationē nō indicat esse necessariam.

Fœlix qui patrijs æuum transegit in agris,
Ipsa domus puerum quem videt, ipsa senem.
Qui baculo nitens in qua reptauit arena,
Vnius numerat secula longa casæ.

Hanc

Hinc etiam opinionem protulerat ante eum Lyricus noster peregregius, quum inquit:

Beatus ille qui procul negocijs
Vt prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fœnore.

Videtur tamẽ Horatij carminis alia esse sententia.

Sed his omissis ad peregrinationem redeo. Osiris Rex, quem Aegyptij quasi Deum venerantur, terrarũ orbem magna ex parte lustrauit: qua ex re adeò gloriabatur, vt in columna sepulchri sui inscribi iusserit: Osiris Rex sum, Saturni antiquior filius, qui nullum orbis locum reliqui, ad quem non penetrauerim, docens ea omnia, quæ pro humani generis vtilitate inueni: vt Diodorus Siculus scribit.

Democritus verò Abderites, quem Timon philosophus omnibus alijs sapientibus prætulit, magnum patrimonium in diuturnæ peregrinationis viatico impendit, vltra quidem octoginta iuges annos peregrinatus est, vt ipsemet in quadam epistola sua meminit. Ait enim, *Præter omnes homines ætatis meæ mundi regiones atq; vrbes vidi*. Neque hoc admirationi cuiquã esse debet, vixit siquidem Democritus annos centũ & octo, vt scripsit Hipparchus. Vbicunque enim gẽtium terrarúmve aliquid se discere posse arbitrabatur, illuc quamprimum proficiscebatur, ne quid relinqueret, quod vspiam ab homine disci posset. Perrexit siquidem Babylonem, & deinde in Aegyptum, vt à sacerdotibus illis Geometriam perciperet, & si qua etiam alia eum latebant. Magos in Perside, deinde Chaldæos adiuit, à quibus (vt Herodotus refert) Theologiam, & Astronomiam perdidicit. Habuerũt enim Chaldæi varias Astrologorum sectas, & secundum diuersas opiniones sortitæ sunt nomina à præceptoribus, vt Orcheni, Borsispeni: Celebriores omnium habiti sunt Ciden, Naburianus, Sudinus, & Seleucus, qui Chaldæus fuit, ex Seleucia eorum vrbe: hic per suam doctrinam notus fuit Græcis Latinisque mathematicis omnibus sui temporis. Traiecit etiam Democritus in Indiam, vt à Gymnosophistis propriam eorum disciplinam perdisceret, mox

Diodor. Siculus lib. 1.

in

in Aethiopiam, & vltra Rubrum mare transmisit, vt doctis quibusdam viris congrederetur. Sed quid ego Democritum memoro? quasi hic solus peregrinatus sit, quum doctissimos quosq; inueniam longinquas regiones discendi gratia adiuisse. Nec id abs re esse arbitror; profitentur enim sapientiæ studium, quæ philosophia dicitur, diuinarum humanarumque rerum peritiam. Proinde res humanæ perdiscendæ sunt ab eo, qui eruditus esse, & haberi cupit. Hæ quidem non in angusto quodam diuersorio inueniri possunt, sed ex diuersis locis varijsque hominibus indagari debent. Fieri enim potest, vt quispiam in suis penetralibus nonnulla quidem sciat: sed multa illa ac penè innumerabilia à compluribus ac diuersis percipienda sunt.

Peregrinantis Principis officium.

Quæret igitur in primis, & diligenter scrutabitur diuersorum hominum mores, varia ingenia, variasque naturas. Principum actiones solertissimè indagabit, vrbanas quoque ac ciuiles disciplinas secundum varias gentes intelliget. Perquiret omnia quæ ad cœlestium humanarumque rerum notitiam spectant. Non ignorabit res maritimas, quę quidem vsui hominum pernecessariæ admodum sunt. Scitè profecto veteri prouerbio dicitur: *Tuta est nauigatio illa, qua ex aliorum casibus discitur.* Animalium, arborum, plantarumque naturam non spernet. Quarum rerum peritiam tanti fecit Alexander, vt Aristoteli philosopho pereximio hanc solertiam demandauerit, vt perquisitis animalium seminumque naturis, de eis quam diligentissimè scriberet, iussitque vt quæcunque huic inquisitioni vsui essent, ei ab omnibus suppeditarentur. Peregit opus Aristoteles quinquaginta voluminibus, quorum nonnulla nostra etiam ætate leguntur, cum magna doctissimorum hominum admiratione. Hæc omnia & infinita alia, quæ ad rerum prudentiam pertinent, non in paruo, angustoque loco diuersoriove reperiuntur, sed per vniuersum terrarum orbem sagaci diligentia perquisita inueniuntur.

Ex Plin. c. 16. lib. 8.

Hic labor eorum cernitur, qui Cosmographi Geographive

[illegible]ire appellantur, quorum diligentia nos non parua ex parte à peregrinandi labore atque impendio liberauit. Horum primus auctor Homerus extitit, vt Hipparchus scripsit, qui poësim suam omni doctrinarũ genere refersit, & regiones omnes ad quas eo tẽpore penetrari poterat, magno studio magnoque ingenij acumine lustrauit, & singulas quasq; vrbes tanquam aliquo insigni flore versibus suis ornauit, & quasi varijs coloribus pinxit. Nec omnino expers peregrinationis fuit Homerus, quem in Aegyptum peruenisse non solum sacerdotum libri testantur, sed ipsius etiam scripta. Inducit enim Helenam potionem Telemacho, qui apud Menelaum diuertebat, præbuisse, qua mœroris sui è vestigio ille obliuisceretur, quam quidem à Polymnesta Thanis coniuge diluere didicisset. Solæ enim Diospolitanæ, hoc est Thebanæ mulieres, iram ac mœrorem potionib. sedare poterant, & obliuionem quandam malorum omnibus impetrare. Linus quoque & Musæus, qui circa Troiani belli tempora vixerũt, diutius quidem peregrinati sunt, & ab Aegyptijs Phœocibusque plurima didicerunt, eorumque disciplinam in plerisque imitati sunt. Homerum deinde in Geographia Alexander & Hecatæus Milesij ambo, & Eudoxus, qui vicinus illorum temporum extitit. Non diu pòst claruerunt Dicæarchus & Eratosthenes, qui cõplura scriptis superiorum etiam addiderunt, propter cognitionem rerum magni Alexandri, qui pluribus victorijs potitus, complures ignotas ante se prouincias lustrauit, & sic vberiorem multo scriptoribus materiam prębuit. Hecatęus qui primus omnium de situ orbis librum edidit, breuiter pauca scripsit, & notiores quasdam regiones atque vrbes attigit, occultiora autem loca ignorauit. Cui tamen gratiæ habendæ sunt, egit enim quod potuit, & breui quidem compendio posterorũ ingenia excitauit, & ad veriora quædam indaganda expergefecit. Nam Polybius deinde Megalopolitanus & Possidonius certiora tradiderunt propter recentes Romanorum victorias, qui plurimas gentes ac nationes subegerunt, quarum

Helena.

Hecatæus.

Polybius.

rum etiã nomina incognita ante ea tempora [illegible] no fuerant. Strabo verò Cretensis, vir plurimę le[illegible]nis, summa diligentia, vberiùque doctrina omnia c[illegible] plexus est, adeò vt consummato operi nihil ad[illegible] possit. Cæsaris enim Dictatoris & Octauij Aug[illegible] temporibus vixit, quibus imperantibus, vniuersæ [illegible]bis terrarum nationes ac gentes paruerũt Roma[illegible] quibus tum nihil incognitum esse poterat, vt qui o[illegible]mnibus gentibus populis ac nationibus imperare[illegible] Et ipse etiam Strabo Romæ degebat, & cum clari[illegible]mis doctissimisque viris versabatur, & vt in præcla[illegible] opere suo sæpe ipse testatur, longam peregrinatio[illegible]nem peregit. Aphricamque omnem, & pleraso[illegible] prouincias alias magno cum periculo peragrauit, [illegible] exinde certiora scriberet, & obscuriora quædam o[illegible]culorum fide perdisceret. Nec parũ adiumenti nobis præstitit Ptolomęus, qui admiranda quadam doctri[illegible]na non modò regiones orbis omnes, verùm singula pene vrbes ad cœli ambitum dimensus est. Polybius tamẽ longè ante eum dimensionem orbis terrarum per millia passuũ geometrica ratione cõputauerat: sic etiam Artemidorus, & ex Romanis Agrippa, ac etiam Nigidius Figulus: alij etiam Græcorum terras ad cœli ambitum digesserant per circulos, & vmbras pares. Diodorus quoque Siculus triginta anno[illegible] pus suũ se absumpsisse fatetur. Maiorem siquidẽ Europę atq; Asiæ partẽ se peragrasse refert, vt ex oculorum sensu certiora literis mãdaret. Sed Romanorum ciuium consuetudinem plurimum sibi profuisse [illegible]serit, cum quibus Romę diutius versatus est, & ab e[illegible] multa perdidicit, quando propter imperij magnitudinem per vniuersum terrarum orbem vagarentur.

De scriptis Strabonis.

Romæ fuit Strabo.

Diodor. Siculus quot annis opus suum absoluerit.

Dion Prusensis.

Dion verò Prusensis in libris suis de regno, non mediocriter gloriatur, quod annis pluribus quum patria exularet, extorris atque errabundus vagatus fuerit, & multas Græcorum ac Barbarorum terras mendici habitu obiuerit, panemq; à quibuscunque obuiis, quum viaticum ei non suppeteret, rogauerit. Addit etiam se plura didicisse, & præsertim à muliere quadam Eliensi, siue Arcade, quæ veram

Hercu-

populis historiam profitebatur, dicebatque se pastorum ac venatorũ hospitio frequenter vsum fuisse, in quo plura admiratione digna sæpenumero incidisse, ex quibus gratiam ac perutilem cognitionem accepisset, cùm secum semper pugilares deferret, & ea omnia stilo adnotaret, quæ agnitione aliqua digna ei esse viderentur. Inducit quoque hanc fœminam ac fanaticam anum loquentem, atque asserentem se fatidicam ac futurorũ præsciam à matre Deorum factam fuisse, profitebaturque multa illam disseruisse de diuina sapientia, & inspiratione, tradidisseque præcepta plurima, quę ad bene beateque viuendum pertinerent, & admiranda Herculis præcepta attulisse, quæ vtilitatem non mediocrem prę se ferrent, siue vera, siue ficta etiam essent.

Miscent autem Græcorum nonnulli fabulam historiæ quasi Gratias Musis, vt aiunt, attamen sibi ipsis fidem abrogant. Maior nanque (vt Strabo inquit) fides Homero & Hesiodo, qui de heroibus scripserũt, habetur, quàm Ctesiæ, Herodoto, & Hellanico, qui fabulam historiæ miscuerũt. Eos verò qui res Romanas scripserunt, eo verius locutos asserunt, quo plura loca oculis lustrarunt, quàm superiores, qui vel fabulati sunt vel adulationibus, vt gratiam Principum commendacio inirent, inseruierũt. Et præcipuè quum exercitus ill[?], de quibus sermonem faciũt, longè procul ab eis militauerint. Longinquitas nanque difficile admodum redargui potest: testibus enim & arbitris plerumque caret, & nullo adstipulatore conuincitur. Res autẽ Romanæ vniuersum terrarum orbem testem citare possunt. Vbicunque enim gentium, terrarum, locorúmve monumenta cernuntur, quæ Romanorum imperium, militumque virtutem in scriptis sculptisque marmoribus testantur, vt mirum iam videri possit, eadem tot exactis seculis non defecisse, & præcipuè quum nouis ædificijs, sacrisque ædibus quotidie nullo prohibente terantur, nouoque vsui cedant. Quinetiam sępe accidit, vt ruina, illuuione, terræ motu, hiatu, aut alia vi desidente terra, vetustissimæ imagines sculpturæque appareant & eruan-

Homero & Hesiodo maior fides quàm Ctesia & Herodoto, & Hellanico historicis.

tur, quæ mirificam quandam præ se speciem ferant, viuæque, atque spirantes esse videantur, adeò vt eadem ne minima quidem ex parte artifices nostri temporis imitari possint.

Ingenia prisca cur nostratibus præstabant.

Tuscul. 1.

Honos alit artes.

Romanæ res ab exteris diligentius quàm a Latinis scripta.

Tanto enim ingenia illius ætatis nostris seculis præstabant, vel (vt verius loquar) tanto diligentius artibus incumbebant, quanto maioribus præmiis & honoribus honestabantur. *Honos enim artes alit* (vt ait Cicero) *omnesq; incendimur ad studia gloria, iacentq; ea semper, quæ apud quosque improbantur.* Nonne etiam hoc admiratione dignum videri potest, omnes exterarum gentium nationumque scriptores, res Romanas longè maiore diligentia percensere, & pluribus laudibus efferre, quàm Romanos ipsos ac Latinos alios auctores? Nam Græci, quibus Romani imperium ademerant, quosque tot cladibus affecerant, & eorum vrbes diripuerant, atque euerterant, illorum laudes neutiquam conticuerunt, sed complura etiam memoriæ commendarunt, quæ à Latinis scriptoribus relicta interiissent. Quot præclarè facta atque dicta à Polybio, Appiano, Dionysio, Diodoro, Strabone, Plutarcho, alijsque compluribus referuntur, quæ à nostris prætermissa extincta essent, nisi illorum monumentis accenderentur? Viuunt igitur, & perpetuò victura sunt, consensu omnium doctissimorum virorum, virtutumq; diuturna exempla posteritati præbebunt.

Sed iam ad propositam rationem redeundum est, & hoc etiam cōcludendum, vtilem admodum iuuenibus esse longinquam peregrinationem, plurimamq; doctrinam, ac rerum experientiam præstare, & præsertim illis, qui alijs præfuturi sunt, quorum peritia multis mortalibus prodest, & eos ad bene beateque viuendum instituit, quod quidem proprium officij eius est, qui multitudinem regit. Est enim communis omnibus naturæ lex, vt doctiores minus institutos erudiant, & meliores deterioribus imperent, vt præclarè sentit Dionysius Halicarnasseus.

Doctiores rudib. imperāt.

Sed quoniam non omnes, quibus datum est vt imperent, tutè possunt longius euagari, & à patria diutius

tum aberrare, propter varia pericula, quæ per fortunam semper mortalibus imminent, optimum imprimis erit, (ne seipsos à tam vtili sapientia defraudent) vt scriptores orbis terrarum, quos Cosmographos Geographósve Græcis nominib⁹ appellamus, non modò lectitent, verùm etiam perdiscant, vt ea quæ oculis videre nequeunt, saltem animo & cogitatione complectantur. Inest siquidem in eis mirifica quædam doctrina iucunditate ac rerum varietate condita, quę lectorem neutiquam ociosum esse permittat. Quicquid enim admirandum, quicquid nouum aut inauditum vspiam gentium, terrarum, locorúmue extitit, ab illis sic dilucidè tractatur, ac si coram ante oculos poneretur.

Cosmographorũ Geographorúmq; lectio vtilissima.

Atqui expers omnino periculi disciplina illa habenda est, quæ ex libris discitur, vel ex picta cernitur tabella. Primus quidem (vt paulo antè dixi) qui de situ orbis scripsit, Hecatæus Milesius fuit, quem complures deinde imitati sunt, & quod ille breuiter in commentarium redegerat, longiore argumẽto amplificarunt, & non modò gẽtes, regiones, vrbes, maria, flumina, lacus, paludes, fontes, montes, animalia, arbores, virgulta, herbas, & cætera eiusmodi complexi sunt, verùm diuersos quoq; ritus ac mores singularum nationum, & varias hominum naturas, illustres quoque & præclaros viros virtute, armis, sapiẽtia, ingenio, doctrina, arte, industria, opere, vel sermone adijciunt. Et res præclarè gestas domi militiæve suis locis ostendunt, adeò vt ad ciuilẽ sapientiam nihil præstantius hac disciplina accedere possit.

Hecatæus primus de situ orbis scripsit.

Cosmographiæ commẽdatio.

Sed quum contemplatio rerum sine inspectione difficilis admodum esse videatur, (res enim oculis subiecta, longè clarius iudicium de se prębet, & sensus oculorum acerrimus est, & auditui alijsque sensibus præest) redigenda res fuit ad aspectum per quandam similitudinis speciem, vt notior fieret. Quando itaque non omnes possunt loca quæque lõginqua adire, & oculis ea intueri quæ ambiguitatẽ præbẽt, cogitauerunt viri doctissimi, & ingenio præstãtes descriptione ac pictura vtendũ esse, vt in parua

Pictura Principibus perquam vtilis.

tabella clarè illa ſpectanda traderent, quæ obſc[illegible] haberent cognitionem, vt multi periculo, labore, [illegible] que impenſa peregrinationis liberarentur, qui [illegible] nus commodè euagari poſſunt. Eſt ſiquidem [illegible] modi pictura iucunda omnibus, & vtilis admod[illegible] Regibus, Ducibus, atque Imperatoribus. Bellum [illegible] nim geſturi in prouincijs ignotis ea ex pictura [illegible] cunt, quæ nulla alia ratione tam facilè ſcire poſſen[illegible]

Anaximander, pictā tabulā Geographicam oſtendit primus.

Anaximander Mileſius Thaletis conciuis, ac pe[illegible] miliaris, primus omnium (vt refert Strabo) pictam [illegible] ſtendit tabulam, in qua ſitus orbis deſcriptus e[illegible] Fuerant tamen ante eum nonnulli, qui aliquas [illegible] notas deſcripſerant regiones, vt Regibus, Ducibus, Principibúſue obſequerentur.

Alexander.

Alexandrum, quem ex virtute magnum nuncupa[illegible] uerunt, vt nonnulli ſcriptores perhibent, ſumma d[illegible] ligentia ſcrutari ſolitum aiunt loca, in quibus bellu[illegible] eſſet geſturus, ſemperque eadem picta intueri volu[illegible] ſe, vt picturam illam legendo, ea dignoſceret, qu[illegible] cauenda, quæve adeunda eſſent.

Romani.

Romani etiam ide[illegible] facere conſueuerant, & regiones in quibus pugna[illegible] ri eſſent, antequam bellum decernerent, pictas oſt[illegible] dere. Ingruente enim Gallico tumultu, vel Sociali bello, pictam præbebant Italiam. Quod quidem

Varro lib. 1. de re agraria.

Varro teſtari videtur libro primo de re ruſtica. Indu[illegible] cit enim graues quoſdam ac ſapientes ciues de Re publica cogitantes, & de propulſando vel inferendo bello inter ſe ratiocinantes, ait ſiquidem: *Spectabant in pariete pictam Italiam.* Quibus ex verbis oſtendit fa[illegible] ciem figuramque regionis, in qua bellum geritur, prænoſcendam eſſe, ex qua cauendi inuadendique rationem Imperatores ac Duces facilè prædiſcunt, & exinde tutiores alacrioreſque facti, multo facilius victoriam nanciſcũtur.

Lib. 1. ad principium.

Eſt enim perpulchrum (vt Diodorus Siculus ait) ex aliorum erratis in melius vitam noſtram inſtituere: & non quid alij egerint, ſed quid acturi fuerint, nobis imitandum proponere. His igitur exemplis monendus eſt Rex, quem inſtituimus, vt peregrinetur aliquandiu, ſi tutò id agere poteſt, & per fortunam licebit. Coſmographorum ſcripta perlegat,

legat,

legat, & orbis terrarum descriptionem non negligat, sed cum Propertij Elegiographorum elegantissimi Arethusa dicat: *Propertius.*

Cogor & è tabula pictos ediscere mundos.

Quæ quidem res iucundissimam ei præbebit exercitationem, ciuilem disciplinam ornabit, & rei bellicæ plerisque in rebus vsui erit. Vix enim fieri potest, vt optimè exercitui imperare possit ille, qui huius disciplinæ omnino expers atque ignarus sit.

Cyrus Persarum Rex ille opulentissimus, præ doctrinæ huius ignorantia cum vniuerso exercitu suo interijt. Vicerat enim Crœsum Lydorum Regem & Babylonem, Asiam, orientalemque oram omnem in suam potestatem redegerat. Deinde per victoriam maiore ambitione elatus, Tomyridi Scytharum Reginæ bellum vltrò inferre instituit. Enimverò cùm illa facilè eum ab Oaxis fluminis transitu prohibere posset, vt transmitteret tamen permisit: quandoquidem arbitraretur se longè facilius posse hostem superare intra regni sui terminos ac fines, quàm extra, & præcipuè quum obiectu fluminis nullum effugium ei pateret. Cyrus verò Spargapisem vnicum viduæ Reginæ filium, qui cum tertia parte exercitus sibi obuiam venerat, simulata fuga peremit, nactus illum sine custodibus, & epulis, vino, somnoque indulgentem. Tomyris hac clade accepta, non tamen præ orbitatis mœrore muliebriter animum submisit, sed ita in vltionem succensa, exercitum quamprimùm reparauit, & magno impetu, summaque animi fortitudine Cyrum cum omnibus eius copijs in difficiles locorum angustias compulit, deinde illicò dispositis omni ex parte insidijs, improuisò hosti magna cum alacritate è montibus prosiliuit, & ducenta circiter Persarum millia cum Rege etiam ipso trucidauit, adeò vt ne nuncius quidem tantæ cladis euaserit, quod quidem vix aliàs in omni æuo auditum vnquam fuit.

Cyrus. *Crœsus.* *Tomyris.* *Oaxis.* *Spargapises.*

Sed si locorum peritiam Cyrus habuisset, fluuium neutiquam transmisisset, neque diuortiorum angustijs per errorem exercitum suum circunduci per-

misisset, cùm aditus omnes occupare potuisset, & effugia scientibus satis tuta paterent. Sed præclarè Strabo Cretēsis ait, eum venatorem optimè venationem instruere, qui planè norit qualis & quanta est silua in qua venatur. Et eum Imperatorem optimè castra disponere, insidias abdere, præsidia locare, iter dirigere, & hostem circumuenire, qui regionem ac loca omnes intelligit, & diuerticula cuncta planè callet. Agamemnonis exercitum dicit turpiter retulisse pedem, quum Mysiam per ignorantiam veluti agrum Troianum popularetur. Sibi ipsi, non hosti, imponit, quicunque in ignoto diuortio insidias locat. Ductores quoque classium & nauium gubernatores plerique plagarum, orarum, tractuumq; ignorantia decepti periclitantur, vel aliquid perperam agunt, cuius deinde quamprimum pœnitentia ducantur. Persæ quondam Salganeum gubernatorem suum iniuria iugulauerunt, vt qui arbitrarentur illum malè classis suæ cursum ex Malea ad Euripum direxisse. Simili etiam temeritate Aphricani Pelorum necauerunt, & ex illius sepulchro perpetua ignorantiæ suæ monumenta statuerunt, quasi existimantes angustiores quasdam maritimas traiectiones recurrentia freta esse, vel scopulosas Syrtes, & loca nauigijs neutiquam peruia. Omitto Thermopylarum angustias, quæ ex ignorantia Persarum diuturnam Leonidæ gloriam pepererunt. Omitto etiam Parthorum contra Crassum victoriam, quæ ex inscitia quoque regionis manauit, & innumerabilia alia exempla, quæ prætermittenda esse omnino duco, ne longior ambitiosiórve esse videar: satisque probatum esse arbitror, peregrinationem, Cosmographiam, & orbis regionumque picturam, Regibus, Ducibus, Imperatoribus, Principibusque omnibus non modò gratam ac iucundam, sed vtilem admodum ac necessariam esse. Nunc autem in sequenti volumine quædam, quæ his qui imperant, cauenda esse duco, referam, Deo Optimo Maximo beneuolente, pij lectores boni quæso consulant.

Strabo. *Persæ.* *Euripus.* *Cosmographi.* *Parasceue ad sequentem librum.*

QVARTI

QVARTI LIBRI PRAEFATIO, ad eundem.

ARISTOTELES Stagirites philo-
sophus tanti nominis, & in omnibus
reconditis etiam disciplinis eruditis-
simus, cùm à Rege Philippo puerum
Alexandrum in disciplinam accepis-
set, vt eum ad veram effigiem iusti
Principis formaret, vt ei nihil deesset quod ad officiũ
fortissimi ac magnanimi Regis pertineret, vtrasque
Homeri rapsodias ei perdiscendas prębuit, vt ex Ilia-
de quidem corporis vires, superbamque in hostem
iracundiam quandam sumeret: ex Odyssea verò ani-
mi virtutes eliceret, versutias calliditatesque hominũ
cauere disceret. Hos itaque Homeri libros tanta aui-
ditate edidicit Alexander, vt paruo tempore ad pa-
rem vsque tanti præceptoris eruditionem propè ac-
cederet, eosq; semper sub puluino habebat, horasq;
aliquot per noctem somno sibi eripiebat, vt cũ sum-
mo poëtarum aliquãdiu vigilaret. Quinetiam quum
ex Oricæo sinu nauigans ad Heliconem descendis-
set, vidit in templo Musarum tripodem tali epigram-
mate inscriptum:

Chalcide qui dubium cantu præuertit Homerum,
Hunc tripodem musis dedicat Hesiodus.

Hoc quum Rex animi excelsi lectitasset, comiter
subridens ait: *Hic agrestiu poeta rusticorum sententia Hom.*
prælatus est: sed si de eo Reges, Imperatores ac Duces iudi-
cium fecissent, illum quasi poetarum numen aurea corona
donassent, hic autem explosus ex theatro sibilis ac contu-
meliis extitisset. Vltos tamen Chalcidenses & Euboi-
cos omnes acceptam ab Homero iniuriam suspicari
possumus, & proinde minus æquam protulisse
sententiam. Nam quum eos quasi agrestes atque
ineptos irridere vellet, Euboicos scripsit ante-
riorem capitis partem detonsam habere, poste-

Aristoteles Alexandro Homeri perdiscendum prębuit.

Alex. Homeri li. sub pulmino seruabat.

riorem verò comatam, qua tonsura Curetas ve-
stissimi poëtarum vsos fuisse testantur. Quin verò
De Odyssea Homeri. ad Odysseam redeā) multa cauēda esse, multaque fu-
gienda in obeundis rebus humanis callido Princi-
doceet Homerus, vt in primis scrutetur eorū mores
cū quib. versatur, quorum maculas ac sordes dilige-
ter excutiat opus est, vt tantum cuiq; cōmittat, quā-
tū in eo fidei ac probitatis inuenerit. Sunt enim mul-
torum ingenia ad fallendum semper parata, & pre-
cipuè eorum qui in maximis domibus versantur: fi-
cta enim quadam comitate, & nugaci ac vano sermo-
ne veritatem obscurant, & diuturno quodam obse-
quio ad assentationem adulationemque educati esse
videntur, adeò vt ex multis, quę futili alloquio blate-
rant, vix veritas aliqua elici possit. Sunt etiā comple-
res q̃ cùm inopes sint, rēq; suā malè gesserint, opu-
tiores omnes odio habeant, & bene sibi consulentes
probris insectentur, optimis quibusq; inuideāt, ma-
los aūt extollant, quinetiā præsentib. reb. minus con-
tenti, nouas semper exoptāt, & quū fortunā suā ode-
rint, omnia quoq; in deterius mutari cupiant. Hi sunt
Cyclopes. Cyclopes illi, à quibus Vlyssem astu euasisse inducit
Homerus: q̃ in nihil agendo vitā beatā statuebant, ter-
ramq; optabāt, in qua fruges omni tēpore sine fossio-
ne aut aratro passim nascerētur, leges ac iura igno-
bāt, neminiq; parebāt, nisi luxui, ac voluptati, reliqua
Polyphemus. fortunæ casib. permittebant. Horū Principem Poly-
phemum nomine Mereotico vino in antro sopitum
excęcauit Vlysses, & se ac socios à mortis periculo li-
berauit. Hæ sunt Syrenes illæ Acheloi & Calliopes
Musæ filię, quarū carmine atq; concētu decepti nau-
tæ mergebantur, à quibus ceratis picatisve aurib. eua-
sit Vlysses: maledici scilicet assentatores, adulatores,
delatoresq; omnes, quorū blāditias, illecebras, nugas,
ac fallacias princeps summa prudentia, cautaq; ingenij
solertia vt caueat opus est, si tutè atq; quiete impera-
re vult, & innocentē neminē lædere. Sed iā me tem-
pus admonet, ne in exordiendo longior sim, verùm
ad propositam rationē redeam, & in sequenti volu-
mine ea referam, quæ Regi cauenda esse arbitror.

Virtu-

Virtutem ac veritatem sequatur Rex, non mentiatur, nec mendacium dicat, neque mentiri alios permittat.

TIT. I.

IVDICIVM omnium mortalium est (vt ait Oratorum maximus) fortunam quidem à Deo petendam esse, à se autem ipso sapientiam sumendam. Rex igitur, cui sceptra hominum, venerandaq; iura iura Iupiter indulsit (vt ait Homerus) in primis cogitare debet, se maximā inter mortales omnium fortunām nactum esse. Proinde ea omnia præstare debet, quæ sui muneris sunt, omniq; studio niti vt virtutem, plurimamq; sapientiā assequatur, vt dignitate à Deo accepta sanctissime iustissimeq; fungatur. *Est enim sapiētia diuinarum humanarumq; rerū scientia, cognitioq; quæ causa cuiusque rei sit: ex quo quidem fit, vt diuina imitetur, humana antē omnia virtute inferiora ducat.* Sapientiæ quidē obiectum est veritas, per quam immutata ea omnia dicuntur, quæ sunt, quæve fuerunt, & futura esse existimamus. *Ex Cic. Tuscul. lanarum q. lib. 4.*

Præclarè Socrates vir sapientissimus veritatem & virtutem idem esse dicebat. Sicut enim illa nec crescit nec minuitur, sic virtus semper eadem inuenitur. Et quia numeros suos habet, plena omni tempore ac perfecta exijt. *Veritas & virtus idem Socrati.*

Veritati omnia consonant, vt in fidibus & cantu fieri sentimus: in quibus si quid dissonat, harmonia omnis peruertitur. Sic veritas ipsa paruo nonnunquam iudicio ostenditur, nec diutius potest sub vanitatis inuolucro latere. Falsa enim veris concinnata semper se ipsa indicant.

Manifestæ autem turpitudinis est mentiri: sicut etiam temerariæ leuitatis mendacium dicere: sed alterum perfidiæ atque iniquitatis crimen ostendit, alterum verò ignauæ credulitatis. *Turpe mētiri.*

Non parua Cretensibus nota inusta est, quum Epimenidis poëtæ testimonio mendaces dicti sunt: mentiebantur siquidem, vt alios fallerent, suæ vtilitatis

Hom. Odis- sea 18. lib.

causa. Irus autem Ithacensis apud Homerum mend- cium plerunque dicit præ nimia quadam loquaci- te vanóve assensu.

Mendaces quidem ac vani homines animi levi- tem ostendunt, fidem veritati abrogant, & perpe- probris semper inhærent: bonus autem vir præ ani- virtute nunquã mentitur, cauebitque, ne aliorum va- nitates pro veris referat. *Iustitiæ autem munus est, ne- nem fallere: prudentiæ verò ne fallaris cauere.*

Pomponius Atticus veritatis studiosus.

Pomponius Atticus magnam veritatis laudem ha- buit, adeò vt eius comitas non sine seueritate esse- neque grauitas sine facilitate: qua quidem ex re o- mnes eum amabant, & verebantur simul. Veritat-

Corn. Nepos.

etiam laudem quàm maximam tulit Cornelius Ne- pos: ex qua quidem tãtum auctoritatis assecutus est, vt nemini suspectus esset.

Proinde Ciceronis, & Salustij amicitia ea integri- tate atque synceritate vsus est, vt quanquam illi mu- tuis simultatibus, & odijs inter se dissiderent, ipse ta- men neutri suspectus esset, & cum vtroqne sine alte- rius iniuria liberè versaretur.

Isocrates Regem suum monet, vt veritatem ante o- mnia colat, idque manifestè semper & indissimulat- agat. Adeò vt cuncti cognoscãt, iniurato potius Regi quàm priuatis omnib. iuratis fidem adhibendã esse.

Ignaui enim hominis est mentiri, & eius q. vel alios decipere vult, vel opinionẽ potius sequitur q̃ verita- tem. Hunc.n. vel timor cõpellit quæ vera sunt occul- tare, & simulando vel dissimulando legere, vel futi- lis aliqua species in mendacium inducit. Magnani- mus quidẽ verax est, & palàm amat palamque odit.

Herodotus in Clio.

Turpissimum fuit apud Persas mentiri, vt Herodo- tus scribit, & id serui potius quàm liberi hominis es- se videtur. Mentiuntur sæpenumero serui ne verberi- bus cędantur, sic etiam pueri mulierculæ: vir aut vera semper loqui debet, & non modò lingua, sed ne vul- tu, oculis nutúve mentiri. *Est enim vultus* (vt Cicero in Pisonem ait) *quasi tacitus quidam mentis sermo.*

Veritas cur temporis &

Temporis & memoriæ filiam veritatem esse scitè admodum poëtæ fabulantur, vt intelligamus men- dacium

...um diu celari non posse. Et hoc ex mendacio, *memoria fi-*
...ndaces lucrari ait Aristoteles, vt ipsis deinde verũ *lia.*
...centibus non credatur. *Mendacem memorem esse opor-*
...*te*, tritum est vetustate prouerbium. Quo quidem
...enditur veritate omnia congruere: quam etiam ex
...tate sermonis sæpe reserant mendaces ipsi, obli-
...eadem commentitiorum verborum, vanorumque
...mentorum. Fuerunt tamen ex philosophis quidã,
qui putauerunt licere Imperatoribus ac ducibus in *Mentiri an li-*
magnis periculis mentiri, non in perniciem alicuius, *ceat, disce ex*
sed pro multorum salute. Huic opinioni exemplum *Qu. lib. 11. c.*
esse potest Sertorius, qui temporibus difficillimis *1. ad finem.*
...tiebatur ad milites, vbi mendaciũ vsui esset. Pro-
inde literas commentitias pro veris legebat, som-
nia simulabat, & falsas religiones comminiscebatur,
vt militibus metum alicuius imminentis periculi de-
meret. Illi qui hanc sententiam tuentur, Chilonis il- *Chilo pro ami-*
lius, qui vnus è septem Græciæ sapientibus fuit, aucto- *co falsũ testi-*
ritate nituntur qui pro amici salute falsum testimo- *moniũ dixit.*
nium dixit. Sed si verum iudicare volumus, inuenie-
mus Chilonem in fine vitæ suæ dubitasse, an ex eo
mendacio reprehendi culparive posset. Nos igitur vt
calumniam fugiamus, rem hanc, in qua non medio-
criter hæsitamus, in medio relinquemus, contentiq;
erimus Græco prouerbio, quo dicitur, ψευδῶν ἀτραφά-
ξυ πλέαν εἶναι τὴν βυλήν, id est, mendaci Attraphaxi
plenum esse concilium.

Sunt etiam nonnulli inanis gloriæ adeò cupidi, vt
sibi ipsis mentiantur, seque nimium ament, & sine ri-
uali quidem, vt dicitur, hi de se omnia quæ dicuntur,
quamuis manifestè falsa sint, credunt, ficta pro veris
accipiunt. Alijs de se potius quàm sibi ipsis fidem
adhibent, & plerunque à se discedunt. Et dum alio-
rum iudicium sequuntur, suum ingenium fraudant.
Et in summa auaritia sumptuosi sunt, in summa au-
tem infamia gloriosi sua que dũtaxat admirãtur, alie-
na verò omnia despiciunt. Quinetiam cuncta existi-
mant, quæ de se ipsis prædicant, & cum summa ostẽ-
tatione iactant auditorib. ita persuaderi, vt vera illa,
& nulla ex parte ficta esse putent. Neque intelligunt
se iu-

se ludibrio contemptuique haberi, ac simili modo se irrideri, quo quidem apud Comicos Poetas miles gloriosus irridetur.

Ixionis fabula. Horum gratia quidam Græcorum putant Ixionis fabulam fictam esse à poëtis, qui aiunt illum pro Iunone Iouis coniuge, quam perditè adamabat, nubi se commiscuisse, & ex ea Centauros genuisse. *Centauri nubigenæ.* Inanes enim gloriæ cupidi, vanam virtutis imaginem amplectuntur, nihil tamen rectum, aut virtuti consonum agunt, sed ex arbitrio multitudinis pendent, Principesq; videri cupiunt, vanæq; quasi nubi incumbunt, quæ deinde eis monstra parit. Hos perosus Iuppiter fulminat, & in barathrum præcipitatos perpetuæ rotæ affigi iubet, instar Ixionis, de quo præclarè Ouidius.

Rota natura. *Voluitur Ixion, & se sequiturq; fugitq;.*

Rotæ naturam eleganter exprimit, quæ quo magis seipsam sequitur, tanto seipsum fugit. Sic etiam mendax quo magis veritati inniti videri vult, tanto magis ab ea abhorret & mendacium referat, suamq; vanitatem ostendit. Virum veræ gloriæ studiosum, iustum ac simplicem esse oportere ait Aeschylus poëta, & *Æschylus.* qui bonus esse quàm videri malit. Ventosi igitur illi contemnendi sunt & regia aula exigendi, & nullo munere nullaque dignitate honestandi: blanditijs enim, & puerili quadam indulgentia pelliciuntur. Mendacia de seipsis audire gaudent, & veritatem omnino formidant. Idcirco adulatoribus, assentatoribusque semper adhærent, illis auscultant, illisque fauent. Quorum consuetudo perniciosissima est, & præcipuè Regibus Principibusque, *quorum opes sæpius assentatores adulatoresq; euertunt quàm hostes*: vt sapienter ait Quintus Curtius: de quibus quidem pauca in præsentia referre non alienum esse censeo.

Adula-

Adulatores atque assentatores à Regibus exagitandos esse.

TIT. II.

ADVLATIO assentatioq; vitia sunt animi angusti, viri mendacis, ignaui, seruilis, futilis, abiecti. Manant enim à timore, nullamque beneuolentiam in se habent, vt Democritus testatur. Blandiuntur siquidem adulatores atque assentatores: quorum vita ignaua est, & vana mendacijq; plena. Hi placendi studio omnia laudant, etiam quæ minus penitiore animo probant, nihil refellere audent, nunquam cuiquam aduersantur, nemini molesti sunt, mendacia veris concinnant, simulando quoque ac dissimulando semper verum occultant: quos quidem Agesilaus optimus ille Lacedæmoniorum Rex, non secus aspernandos insectandosq; esse dicebat, quam propriæ vitæ insidiatores.

Adulatores.
Assentatores.
Etiam, si dixeris æstuo, sudant, vt de ijs Iuuenalis.

Maximi adulandi artifices habiti sunt Græci, qui non modò blando sermone, blandoque obsequio adulantur, & turpes quasque voluptates laudant, verum manus etiam in ora intendunt, vt fictum sermonem fictoque gestu adiuuent. In Græcos Satyrica licentia inuehitur Iuuenalis, & adulatoresq; assentatoresq; omnes faceto carminis morsu ad viuum vsq; lacerat. Hos etiam M. Cato ille, qui ad Vticam sibi violentas manus intulit, summo semper odio prosecutus est, vt teterrimos Reipublicæ hostes & bonorum omnium insectatores. Turpissimum enim esse arbitrabatur, blanditijs adulationibusq; imperitam multitudinem decipere, & nobilissima ac summa virtute ornata ingenia, quæ non ad gratiam ac voluptatem sua consilia referunt, sed ad virtutem & veritatē debitis honoribus fraudare. Cernimus enim sæpenumero multitudinem in illos suffragia conuertere, quos blanditijs & assentationibus molliores esse sentit, at grauiores seuerioresq; omnes spernere. Et hoc præcipuè effecit in tranquillo temporum cursu, verùm vbi seuior tēpestas aliqua inhorruit, tunc blan-

Græci adulatores.

ditias

ditias respuit, & iustitiam seueritatemq; complecti- tur. Tum quidē reflantibus ventis optimo guberna- tore opus esse cognoscit, quem tranquillo quietoq; æquore aspernabatur. Ad Fabium quem prælato ei Varrone viro vltimæ sortis, comitia spreuerant, res Romana rediit, pflligato miserabiliter exercitu apud Cannas: peremptoq; Paulo altero cōsule, ex qua qui- dem pugna euasisse, non paruæ laudis fuit: quando fugienti cum paucis Varroni, qui caussator malorum fuerat, à senatu obuiam itum est, gratiçq; ei peringē- tes actæ sunt, quòd post tantam cladem de Reipubl. salute non desperasset. Tum Fabius habenas rerum suscepit, quem paulò antè detrectatorem belli per contemptum criminati fuerant. Is tamen exhaustā omni ex parte Rēpublicam in integrum restituit, de quo præclārè Silius cecinit:

Vide Val. Maximum.

Silius.

At ni sacra seni vis impressumq; fuisset,
Sistere cunctando fortunam aduersa fouentem,
Vltima Dardanij transisset nominis ætas.

Isocrates.

Cum alijs versibus ad eandem sententiam. Isocra- tes vir sapientia & eloquentia peritissimus, affirmat nullam Principibus pestem adulatore perniciosio- rem esse: Regemque suum monet, vt omnes illos eui- tet ac caueat, qui quæcumq; fecerit aut dixit, laudat: illis autem auscultet atque obtemperet, qui eum mo- nere audent, & errata placidè ac sine contumelia ca- stigare. Hi enim amici sunt, vereque diligunt, illi au- tem assentatores atq; adulatores, qui mendacij pre- mium expectant.

Optimi quidem Principis est viris fide, prudentia, doctrinaque præstantibus, liberiorem quandam lo- quendi potestatem facere, vt in rebus arduis liberè ac sine timore consilium rectum afferant. Sapienter quidem Demetrius Phalereus Ptolemæum Regem monuit, vt libros illos legeret, in quibus præcepta Regibus ac ducibus traduntur: quādoquidem doctis- simi illi viri ea scriberent, quæ nemo vnquam Regi- bus Ducibúsve dicere auderet. Isocratis sententiam illam statuisse videtur Homerus, quum Agamemno- nem dicentem inducit, malle se decem Nestores, qui ei con-

Ex Plutar. in apophth.

ri consilio ac prudentia adessent, quàm totidem Aiaces atque Achilles, qui robore & armis certarent. Cũ illis siquidem se celerius, faciliusque Troiam capturum dictitabat. Antigonus Rex Zenoni Stoico literas dedit ad hanc sententiam: Ego fortunæ ac glorię magnitudine vitã tuam me antire existimo: disciplinæ verò sapientia & perfecta quadam fœlicitate longè præstantior es. Proinde oro vt ad me venias, discipulumq; habeas. Nam qui Regem edocet, vniuersum etiam populum, cui ille præest, instituit. Antigonus sanè cum iam tædio haberet, ignauam vanitatẽ adulatorum assentatorumq;, quibus regiæ omnes semper abundant, verum aliquando audire cupiebat. Idcirco Stoicum accersire nitebatur, quem in consilio haberet, & liberè loquentem audiret.

Lysimachus Philippidem Comicum amplexus.

Lysimachus quoq; Rex nullam aliam ob causam magis Philippidem Atheniensium Comicum poetã summa beneuolentia cõplexus est, nisi quòd ab adulatione & assentatione vir ille plurimum aberat, & vitæ probitate ac modestia præstabat, sic sine fallacia, vllaque malitia omnia ex libera animi sentẽtia loquebatur. Priscis illis seculis Comici poetæ multa cũ libertate vitia insectabantur, quorum Principes fuerunt Eupolis, Cratinus, & Aristophanes: hos deinde imitatus Lucilius mutatis numeris in heroicum carmen Latinæ Satyræ principium dedit: quod Horatius noster testatur.

Lib. de arte Poetica.

Sed ad adulatores redeo, quos omnino exigendos abigendosque à Principibus esse duco, & perpetuò ab eorum aspectu arcendos. Corrumpunt enim optimos mores, nam semper mentiuntur, & vitia pro virtutibus efferunt: virorumque laudem, quæ fomes ac præmium virtutis esse videtur, omni ex parte labefactant. Pulcherrimã iustissimamque fortitudinis mercedem auferunt, quam quis verã esse credat, aut studiosè affectabit, quũ cernat improbos laudari, & virtute præditos viros debitis laudis præmijs fraudari, & veritatem quoque mendacijs obscurari? Hoc verò mihi magis admirandum esse videtur, quòd illi ipsi maximè adulatores diligunt, quibus illi manifestius men-

mentiuntur. Age, quis seipsum adeò ignorat, vel sui ipsius adeò oblitus est, quum ignauissimus sit, illos æquo animo audiat, qui se fortissimũ prædicent, admirentur, & cunctis alijs preferant? Quo enim animo perpeti potest quispiam se Achillem vocari, quum Thersites manifestè sit? Nonne se irrideri, & ludibrio haberi cognoscit ille, qui quum pauper & inops sit, se beatum ac locupletem vocari audit? Ille de quo paulè antè dixi, Ithacensis mendicus, quem Homerus inducit nihil roboris habentem præter linguæ procacitatem, gaudebit se potentia Agamemnoni, fortitudine autem Aiaci æquari? Nonne etiam mulier illa leuissima ac turpissima sit & aspectu fœda, ab amatoribus, qui illius gratiam blandiendo ac mentiẽndo inire cupiunt, pulcherrima dici gaudeat, & quasi altera Helena, vel Hermione eius filia cunctis alijs mulieribus forma præferri? Viri autem graues & seueri, qui ficta ac simulata de se dici animaduerterunt, id ferũt iniquo animo, & adulatores illos odio habent, vt qui exprobrando ea laudent, quæ illis deesse manifestè cernant.

Laudabat coràm adolescens quidam Socratem in magna Atheniensium concione, & illum blando alloquio efferebat. Tum commotior aliquantulum Socrates exclamauit: *Mendax est hic adolesçẽs, & artificioso sermone mentitur.* Titus Flaminius aliquãdo, siue ioci, siue adulandi gratia, Philopœmen Achæorum ducẽ fortissimum, sed informem facie, coràm laudabat: O Philopœmẽ, quàm pulchras manus habes, pulchraque crura, sed vẽtrem quidem non habes. Ille autem id ægro animo ferebat, quippe qui putaret se & deformitate corporis & auaritiæ crimine, quo aliquantulum laborabat, blandis illis verbis irrideri.

T. Flaminius.

Atqui Regibus, Principibus, maximisq; viris quibusq; turpissimum est alijs quoq; adulari. Nam quo præstantiores sunt, eo turpiorem sibi ipsis infamiæ notam inurunt. Quum enim adulantur, mendaces ac vanos se esse fatentur, & id quidem manifestè. Prusias Bithiniæ Rex aliquãdo Romam venit, vt Senatui gratias ageret ob victoriã ex Mecedonibus partam.

Oppri-

Opprimebatur namque ab illis, & quasi iugum serui patiebatur: sed inter loquẽdum sæpius se libertum populi Romani esse professus est, vt qui nuper ex victoria libertate donatus esse videretur: & hęc quidem vox minus grata extitit grauissimis illis Senatoribus, & plærique omnes eum, vt manifestum adulatorem, contemptui habuerunt. Hæc eadẽ Barbarorum Regum adulatio effecit, vt lex in comune lata sit: *Ne cui Regi liceret iniussu Senatus Romam venire.* Lex Roman.

Dion Prusensis multò peius adulatores peccare censet, quàm falsos testes: quandoquidem illi blanditijs quem laudant corrumpunt, hi autem iudicem tantummodo decipiunt, non autem corrumpunt. Nonne maiore odio adulatores digni sunt, quòd homines ignauos vanosq; faciunt, & ex stultis insanos reddunt?

Athenienses priscis temporibus adulatores capitali supplicio ex veteribus legibus afficiebant. Legimus enim Timagoram adulatorẽ Darij ab illis publico cõsilio morte multatũ, ne vnius ciuis mollissimis blanditijs & Persica corruptione totam ciuitatem inficerent. Sed vt in peius semper res humanæ ruunt, ipsi ijdem Athenienses non longo tẽpore pòst blanditijs deliniti, assentatores adulatoresq; quàm maximi fecerunt, & his artibus vsi, remediũ apud Demetrium Regem inuenerũt. Nam quum in alios omnes, quibus imperabat, sæuissimus crudelissimusq; esset, in eos duntaxat semper placidus ac clementissimus extitit. Illorum nanque adulationibus pellectus, humanissimè in eos sedulò se gessit. Nouerãt enim Athenienses Regis animum languentem ac mollem, & blanditijs profluentem, atque omni ex parte illis obnoxium, proinde eum facilè effœminauerunt. Inter multa autem adulatonis exempla, hoc etiam temeritatis addiderunt. Promulgauerunt siquidem decretum his verbis scriptum. *Quodcunque Rex Demetrius iubet, id apud Deos sanctum, & apud homines iustum esto.* Decretum Demetrij. Hanc adulationem quamuis irrisio manifesta esset, ille non aspernabatur, de se enim omnia credebat, & se parem superis omnino esse arbitrabatur.

Hannibal afflictis Carthaginensium rebus, se ad Antiochum Syriæ Regem eo tempore potentissimum & Romano populo admodum infensum contulit, eique suasit, vt bellum Romanis inferret, exercitum in Italiam transmitteret, & Italici generis milites duceret, quibus solis victrix illa regio aliarum gentium superari posset. Nam si quis Romanos (inquit) in Italia lacessiuerit, eos opibus, viribus, armisq; suis vinci posse confidat. Extra Italiam autem Romanos à cladibus animum summere affirmat, adeò vt cum victo & iacente hoste bello periclitandum sit. Amnes enim neutiquam desiccari posse, nisi ab ipsis fontibus obstruantur. Hæc & his similia argumenta medium afferebat Hannibal, cui longa experientia Romanorum virtus nota erat. Etiam Regi consilia eiusmodi inhærebant, tantoq; ardore belli incedebatur, vt non tam de pugna, quàm de præmijs victoriæ cogitaret. Sed inuidia, quæ in magnis domibus semper alitur, iam in Hannibalem fremebat: nec deerat Antiocho bellum paranti, adulatorum blanda assentatio, à quibus quũ audiret quæ vellet, se facilè mulceri sinebat, & falli quoque æquo animo patiebatur. Itaque dum illis faciles aures præbet, relicta veris fortissimique Imperatoris sententia, vincitur, & amissa maxima exercitus parte, cogitur à Romanis pacem accipere, multatusq; magna regni parte, duras conditiones pacis pertulit. Tunc minus succedente euentu, Anthiochus adulatorũ vana promissa accusare cæpit, & Hannibalem non modò vt prudentem virum, fortissimumq; Imperatorem, verùm vt vatem diuinatoremque omnium, quæ euenerant, admiratur. Nouerat enim illos inuidia percitos, non tam Hannibalis consilium improbasse, quàm id egisse, ne ei victoriæ gloriam tribuerent, sed Antiochus deinde facetè dicere solebat, benignè secum à populo Romano actum esse, quòd modicis angustisq; regni terminis intra Tauri montis fauces clauderetur, grauiq; se cura esse liberatũ. Maxima enim imperia, magnæque opes summis molestijs obruuntur.

Inuidia in magnis domibus dominatur.

Paucis admodum Romanorum grata fuit adulatio,

quandoquidẽ viri graues maxima ex parte erant, & seueritatis quàm vanitatis studiosiores. Maior Africanus inclytum nomen magnamque dignitatem apud Hispanos assecutus est, adeò vt beneficijs cum magno populorum concursu Regem appellarent: verùm vir animi peregregij, eiusmodi adulationis blanditias contempsit, dixitq; maximum nomen Imperatoris esse, quo se milites sui appellarent: regium nomen, quod apud alias gentes summũ esset, Romanis intolerabile videri: sed si se putarent regium animum habere, id tacitè indicarent, & vana vsurpatione abstinerent. Qua quidem sentẽtia animi sui ingenuitatem declarauit, & Romanos ab adulatione vana alienos omnino esse docuit.

Imperatoris nomen maius regio.

Vnum tamen Romanum ciuem legimus huius lenitatis studiosum artificem fuisse, L. Vitellium, Vitellij illius patrem, qui postea Imperator fuit. Is admirandi fuit in adulando ingenij & primus omnium Iulium Cæsarem adorauit vt Deum, quum ex Syria redijsset, & barbaro ritu, non aliter Imperatorem adire ausus est. Primo enim velato capite se circumuoluit, deinde procubuit. Quæ quidem adoratio indigna viro Romano, & optimis quibusque ciuibus molesta extitit, & ipsi quoq; Cæsari minus grata, qui clarè intelligeret eiusmodi salutationem temerariam esse, & inuidiæ sibi plus quàm gratiæ parere posse. Erat enim Cæsar ipse propter animi excellentiam ab omni adulatione atque assentatione alienus. Quod quidem multis exemplis ostenditur, & in primis quum ex Alba Romam rediret: nam dum complures obuij eum sublatis vocibus Regem salutarent, indignatus ille exclamauit, dixitque: *non se Regem sed Cæsarem vocari.* Et quum honores quosdã humanis maiores ex senatusconsulto ei deferrentur, id iniquo animo tulit, dixitq;: Referte reliquis senatoribus, minuendos potius esse honores, qui mortalib⁹ exhibentur, quã augendos. Et quũ aliquando Lupercalia spectaret, consul Antonius laurea coronam Cæsari imponere voluit, at ille confestim eam reiecit: & quum rursus afferret, iussit in capitolium eam deferri,

Iuliũ Cæsarẽ Vitellius primus adorauit.

vt ostenderet Iouem Regem, non autem se co[illegible] nandum esse.

De quo Sueto nius in eius vita. Tiberius etiam Imperator adulationes summope[re] auersatus est. Et quum à quodam Dominus appe[lla]retur, palàm denunciauit, ne se amplius Domin[um c]ontumeliæ causa nominaret. Alium quoq; dicente[m sa]cras eius occupationes, laboriosas dicere coëgit. Se[d] ne longior hac in re esse videar, iam concludend[um] esse censeo, dicendumq; optimum quenque Prin[ci]pem eiusmodi genus hominum aspernari oporte[re], & vanos omnes, & leues, simulatores, dissimulator[es]que contemnere, veritatemq; cunctis in rebus seq[ui], quæ quidem facilè dignoscitur. Nam sicut veritati o[m]nia consonant, similiaq; inter se esse videntur: sic mendacio multa dissonant, dissimiliaq; inter se es[se] apparent, adeò vt facilè veritatis lucem ostenda[t]. *Veritatis definitio.* Non igitur perperam dixit ille, qui ait, *Veritatem e[sse] sermonem rectè inter se congruentem.*

Reges ea sequi debent, quæ maiestatem augent: de delatoribus, calumniatoribus, assentatoribus, & maledicis

Tit. III.

QVICVNQVE regno præest, ante omnia cogitare debet, quibus rebus, quibusque studijs regnum conseruetur: his meditatis, planeque agnitis declinare omnia ea debet, quæ nocitura sunt, quæve maiestatem augent. Qui enim agit quæ fugienda sunt, aut negligit quæ sunt agenda, pariter Regis dignitate decedit. Pari quidem culpa maiestatem diminuebat Sardanapalus, qui in grege scortorum latitans, per desidiam ac turpitudinem se Regem esse obliuiscebatur: & Dionysius Syracusanus, qui per iniuriam ac violentiam pleraque agens, omnia sibi licere arbitrabatur.

Seruatur imprimis regnum, si in eo nihil agitur quod iniustum indecensq; sit, non minus quàm si id

quod

quod iustum, rectum, decensq; sit seruetur. Idcirco primò videndum est, quid cauere, deinde quid agere debeat optimus Princeps, cui à summo Deo permissum est, vt populos regat, hominibusq; imperet: qua forma nulla maior, nullaque difficilior esse potest. Sequar igitur, quo ordine inchoaui, quæ fugienda sint, deinde dicam quæ sint agenda.

Delatoribus in primis non temere auscultandum esse censeo, fallunt enim sæpenumero. Et ea per calumniam deferunt, quæ nulla ex parte sunt vera, & Principes ad iniustitiam sæuitiamq; impellunt. Veritatem siquidem mendacijs velant, & pro veris falsa obtrudunt, adeò vt iustitia concinnatis vanitatibus periculo bonis plerumque sit, & ex inanitate verborum iudicium nonnunquam instituitur, ex quo multorum innocētium periculum perniciesq; exoritur, quod quidem verius latrocinium, quàm iudicium dici potest. *Delatoribus non auscultādum temerè.*

Periculosi maximè sunt delatores, quum in iudicem incidunt mitiorem, atque infirmiorem ad resistendum. Facilè enim blanditijs calumnijsque in alienam sententiam traducūtur omnes qui leues sunt, & animo angustiore: vt quisque etiam imbecillior est, facilius credit, & à propria sententia ác mēte decedit. Quemadmodum enim ægrotum corpus leuibus etiam offensis quassari solet, sic mollis, ac tener animus facilè huc atque illuc impellitur. Itaque fœminæ quàm mares, iuuenes quàm senes, ægroti quàm sani facilius credunt. Atqui inanis ipsa credulitas pro crimine, plerunq; haberi solet: & haud scio an non sit sententia illa Planci, quā per epistolā Ciceroni instituit persuadere, quum ait: *Credulitas quidem error est magis quàm culpa.* Sæpe enim homines temere credendo, in grauem incidunt culpam. Difficile tamen factu est, hominem inuenire, qui grauitatē seueritatemque vitæ cum facilitate ac comitate seruare possit. Omnes enim philosophi fatentur in elatione animi modestiā, in māsuetudine verò grauitatē naturaliter vix esse posse, sed si quis vtrunq; assequeretur, hunc dicemus diuinā illam harmoniam adeptū *Credulitas. Plancus ad Ciceronem.*

esse, qua Deum mundi molem gubernare putant, cuius vis ac potentia arte ac ratione mulcetur.

Molliores igitur illi qui facilè ex sententia decidunt, in illud Sophocleum incurrunt, quo dicitur: *Solum persuasio, præmia est ad scelus.* At quum deinde ex leui illa persuasione delinquimus, tunc facti nos pœnitentes, res tamen ipsa in integrum non redit. Integrum enim id dicimus, ex quo nihil deletum mutatumque à pristina forma est, sed ita permanet vt antè fuerat. Vnde Agatonis sententiam Aristoteles probat, qui negat diuinæ etiam potentiæ esse, infecta omnino reddere, quæ semel facta sunt.

Integrum.

Pœnitentia autem illa in viro excellenti turpis omnino habenda est. Nam (vt præclarè ait Cicero) *nihil turpius in sapiente est, quàm dicere, non putabam.* Verò temperamentum grauitatis, & mansuetudinis aliquando Romani facerent, collegam M. Catoni iuniori viro seuerissimo, ei qui deinde Vticensis dictus est, Marcellum dederunt, qui suapte natura vir adeò pronus ad gratiam erat, vt nihil cuiquam negare sciret, & sic duriorem illam Catonis mentem, cum nimia illa Marcelli facilitate temperarunt. Catonem tamen seniorem illum, qui nonagenarius Seruilium Galbam ad populi iudicium vocauit, mira fuisse temperantia scribunt, vt esset grauis cum lepore ac sale. Rarò quidem est eiusmodi homines inuenire. Sunt qui hunc Catonem persimilem Homerico Nestori faciant: sed seueritatem iucunditate condire, & grauitatem comitati coniũgere, magnum ac perdifficile videri solet.

Cic. off. lib. 1.

M. Cato Vticensis.

Cato, similis Homerico Nestori.

Delatores ab Regis auribus non prorsus exigendos.

Tit. IV.

Nero.

Nero Imperator dira crudelitate execrabilis, tantum delatoribus detulit, vt falsa etiam quę deferebant, pro liquidis ac cõpertis acciperet, & quamprimùm grauissimè sæuissimeque vlcisceretur, & ex minimis causis

malorum cumulum exaggerabat, & facta etiam dubia vi tormentorum vera videri adigebat. Carnifex, vincula, & cruentæ quæstiones, sine discrimine vllo ætatis vel dignitatis semper præstò aderant, & calumniatorum funestas voces expectabant, quibus Principis aures intentæ erant, nec excusantibus aut defendentibus vnquam patebant.

Non tamen hæc eo consilio dixi, vt affirmem delatores omnino à regio aspectu arcendos esse, nec illis verum dicentibus non credendum, sed cautè cum illis agendum esse duco. Incidunt enim plerunq; tẽpora, in quibus ea deferantur, quæ non modò vtilia, verum etiam salutaria Principibus futura sunt. Et certè si Iuli⁹ Cæsar delatorios libellos euestigio lectitasset, nec pre animi magnitudine contempsisset, opportunitatẽ sui interimendi cõiuratis non prebuisset, qui sub ficta specie vendicandæ libertatis, impijs armis nõ modo vrbem ipsam & Italiam omnem pessundarunt, verùm etiam vniuersum terrarum orbem miscuerunt, egeruntq; quod in senatu prudenter ac verè dicit Piso: *Quid gloriantur se vnum interemisse tyrannum, cùm plures pro vno nobis protulerunt.* Quod paulò pòst ex triumuiratu Antonij, Octauij, & Lepidi manifestè patuit, quorum sæuitia omnium tyrannorum immanitatem superauit.

Interdũ delatores admittendi.

Cæsar.

Piso.

Vera est prorsus Domitiani Cæsaris sententia illa, quum dicebat, *miseram esse Principum conditionem, quibus de coniuratione comperta non crederetur, nisi occisis.* Nec C. Cæsaris cognomento Caligulæ, mentem omni ex parte probo, qui dicebat se ideo delatoribus aures non adhibere, quòd nihil vnquam admisisset cur cuiquam inuisus esse posset. Cui veriorem Solonis vocem esse duco, qui dicere solebat in maximis rebus administrandis difficillimum factu omnino esse omnibus placere posse. Proinde illum laudo qui cùm alijs imperet, meminit se Principem esse, & inuidiæ calumnijsque multorum obnoxium, in quem ciues omnes ora obuertũt sua: nec tam benefacta laudant, quàm minus bellè acta vituperant, linguasq; in Principes sic vibrant, vt trilingues serpẽtes

Caligula dictum.

Solonis sententia.

Difficillimũ est omnibus placere.

esse videantur, & in eum solum omnia inuidiæ spicula dirigunt, vt sagittarij omnes in præfinitum signum intendunt. Vitellij autem Cæsaris ignauiam irridendam puto, cuius in animum tanta torpedo irrepserat, vt si Principem eum esse cæteri non meminissent, ipse planè oblitus fuisset.

Vitellij Cæsaris ignauia.

Sunt etiam qui minus prudenter illum à Iulio Cæsare dictum factumq; putent. Nam obsecrantibus amicis compluribus, vt satellitum præsidio corpus suum tueretur, & vltrò ad eam rem operam suam pollicentibus, id omnino recusauit, satius multo esse affirmans semel mori, quàm assiduo timore, iugiq; animi anxietate torqueri. Sed caueat sibi diligenter quicunque imperat, etiam si probitate atque omni virtute polleret. Nemo enim tam sanctus atque innocens esse potest, vt singulis quibusq; placeat, & ab omnibus optimus iudicetur. Impotentiam itaque potius animi, quàm sapientiam Tragica illa vox ostendere videtur, qua dicitur: *Melius est semel ruere, quam semper pendere.*

Iulij Cæsaris dictum.

Seneca.

Dionysij Syracusani nimis patulas delatoribus aures improbandas omnino esse arbitror. Non .n. sinebat illum neque per diem quieto vnquã esse animo, neque per nocte somnũ capere. Domesticorũ necessariorũ nemini se credebat: satellitibus barbaris ac seruis stipatus semper incedebat. Concionabatur exalta turri. Collum pilum candentibus iuglandium putaminibus adurebat: qua custodia nihil miserius dici aut excogitari potest.

Dionysius Syracusanus.

Cic. in 2. de officiis.

Sed vt nimiam fiduciam neutiquam probandam censeo, sic nimiam timiditatem abhorrendam.

Peripateticorum sanctam mediocritatem sectabimur: nec faciles nimiũ delatoribus erimus, nec difficiles nimiũ. Vt enim nimia facilitas illos ad calumniam inuitat, sic nimia difficultas à veritate absterret. Monendiq; imprimis erunt vt vera loquantur, & increpãdi admodum, si ambigua aut ficta comminiscantur. Princeps enim qui delatores vanos non coërcet, vltro eos ad nequitias impellit, vt Domitianus Cæsar dicere solebat, qui etiam fiscales calumnias magna calumniantium pœna retaliabat.

Peripatetici.

Domitianus Cæsar.

Calum-

Calumniatorum delatorumq; rationes perdiligenter timetur Princeps; talionis pœna calumniatoribus statuta.

TIT. V.

Isocrates delatores calumniatoresq; cōprimendos esse censuit, & falsò accusantibus talionis pœnam statuit, vt eam in seipsos vltionem formidarent quam in alios innocentes meditarentur. *Isocrates.*

Antiphilus pictor inuidia concitus, Apellem per calumniam Ptolomæo Aegypti Regi detulit, quòd apud Tyrum cum Theodecte in eū cōiurasset. Qua ex re præclarus ille artifex in carcerem coniectus est: sed rei veritate agnita, innocens inuentus è carcere educitur. Itaque periculi memor Apelles tabulam cum eiusmodi calumniæ argumento pinxit, vt Lucianus refert. *Vir quidam in solio sedebat, maximis auriculis arrectis, quales Midam Regem habuisse dicunt: huic adstant mulieres duæ, quarum altera ignorantia, altera suspicionis faciem præ se ferebat.* Et *ipsæ venienti contra se fœminæ, quæ Calumnia dicebatur, dexteram extendebant. Huius pulchritudo mortalium formas longè anteire videbatur, facie, ornatu, colore, admiranda erat, & sinistra manu accensam facem præferebat, dextera autem puerum crinibus prehensum trahebat, manus in cœlum tendentem, deumq; testantem. Hanc anteibat vir quidam toruis oculis, aspectu luridus, & macilentus, vt diu ægrotasse videretur, quem liuorem esse quispiam opinari posset, cui comites aderant fœminæ duæ, quarum altera Fraus, altera Proditio dicebatur: Ab his non longè aberat mulier quædam, mœsta admodum, & pānis obsita, quæ pœnitentia vocabatur. Hæc pudore ruboreq; perfusa, oculos auertebat, & aduenientem post se veritatem matronam grauem ac seueram valde verebatūr ac formidabat.* Argumentum huius pictæ tabellæ, & Apellis ingenium ostendit non modò picturæ fuisse idoneum, verùm etiam maximis meditationibus: & calumniæ naturam planè exprimit, quæ liuore ducta innocentē criminatur, ac deinde pœnitentia sceleris sui mœ-

Antiphilus, Apellis calūniator.

Apellis tabula in calumniatores.

Lucianus.

Midas.

ret, & ab luce veritatis abhorret. Erit igitur optimi Principis munus, veritatem omnibus in rebus diligenter indagare, & eam inuentam defendere. Est enim (vt pręclarè ait Pindarus, Lyricorum poëtarum elegantissimus) *virtutis maximum principium, veritatem diligenter tueri.*

Pindarus.

Ex Quint. c. 2. lib. 4.

Porrò vir prudens ac sagax ex malè congruentibus delatoris verbis sæpenumero veritatem elicit, & immemor mendax ex suo sermone deprehenditur. Hinc fluxit vetus illud prouerbium, *mendacem memorem esse oportet.* Vera est enim sententia illa innocentis Demetrij in Perseū fratrem, perperam eum Philippo patri deferentem, qui ait: *Cæcus criminandi cupiditas animus, dum omnia suspecta efficere vult, aliud ex alio confundit.* Quod quidem sentiens magnus Alexander, pulcherrimum de seipso spectaculū præbebat, cùm in capitali iudicio accusatorem audiebat, alteram siquidem aurem opposita manu obstruebat, vt illum ex gestu moneret, alteram indefessam atque integrā responsuro confestim reo præseruari. Nolim tamen quempiam existimare me duriorem ac difficiliorem Principem laudare, cùm planè nouerim, duram nimium acerbamque seueritatem non minus ciuitatem labefactare, quàm blandam ac mollem facilitatem. Sæpe enim fit vt vnius improbi supplicio multorum temeritas comprimatur. Sed vt extrema fugienda esse duco, sic (vt paulò antè dixit) mediocritatem complectendam esse statuo.

Alexäder accusatorem audiens, aurem alteram obstruebat.

Pœna vnius metus est multorum.

Princeps vanis delatorum vocibus non moueatur, regiumq; esse sciat, quum bene fecerit, malè audire. Tit. VI.

Cuibus placere studeat Rex, vt sapienter præcipit Bias Prienensis, sed id grauiter seuereque agat: ne nimia quadam indulgentia ac facilitate mollis, leuis atque inconstans esse videatur. Sequatur quoque eiusdem sapientis sententiam, qui præcipit vt in deliberando Princeps tardior cunctatiorque sit: in eo autē quod pruden-

prudenter elegit, constanter deinde perstet ac perseueret. Puerile enim est, & summæ leuitatis indiciũ, in sententia non persistere, ac facilè verbis permoueri. Tritum est enim vetustate prouerbium, *cunctanter consulendum esse, mox autem celeriter agendum.* Inter cætera Claudij Cæsaris vitæ probra plurima inconstantiæ deprehendebatur, tum quòd in cognoscendo ac decernendo mira animi varietate esset, tum quòd nunc circunspectus ac sagax videbatur, nunc verò inconsultus ac præceps, nonnunquam autem friuolus, & amenti persimilis, adeò vt sui dissimilior in dies fieri videretur. *Claudij Cæsaris inconstantia.*

Sunt etiam nonnulli alij calumniatores, qui rem non Principi aut Regi deferunt, sed disseminantes mordaces susurros, vt passim in vulgum prodeant, Principibus etiam ipsis æmuli obtrectatoresque esse videantur, & clanculum illos probris ac conuicijs incessant, vt eos inuisos populo reddant. Hi comprimendi, coërcendiq; sunt, & non leuiter puniendi, ne veneno suo multorum animos inficiant, qui deinde occasionem nacti in Principes sæuire audeant, vel saltem videndum est, vt etiam si velint, nocere nequeant: exemplo Octauij Augusti, qui ad Tiberium scripsit hæc verba: *Non indignari oportet, esse quenquam qui de me malè loquatur: satis est si hoc habemus, ne quis nobis malè facere possit.* Huius sententiam deinde quum imperaret Tiberius imitatus est, domestica disciplina perdoctus. Nam aduersus cõuicia maloŕq; rumores firmus ac patiens semper fuit, crebroque in familiari sermone iactabat, *in libera ciuitate mentẽ ac linguã liberã esse oportere.* Nero quoq; Imperator, qui ad sæuitiã immanitatẽq; natus videbatur, nihil ęquè patiẽter tulit, quàm conuicia & maledicta in se ipsum iactata. Quinetiam à Senatu grauioribus pœnis affici prohibuit, quos publicus vindex detulerat. *Calumniatores Principum grauiter puniendi.* *Augusti epistola ad Tiberium.* *Tiberij dictũ.* *Nero conuiciorũ patientissimus.*

Vespasianus etiam maledicta in se vibrata æquo animo pertulit, & Demetrium Cynicum in itinere obuium, ac neque assurgere, neq; se salutare dignantẽ, oblatrantemq; etiam nescio quid, satis habuit Canẽ appellare. Neq; enim memor aut vltor maledictorũ *Vespasianus.* *Demetrius Cynicus.*

vnquam

Titus humani generis delicia: Suetonius, Tacitus, Aurel. Victor.

vnquam extitit. Titus quoque eius filius, quem p[illegible] mansuetudine ac facilitate delitias humani gene[ris] appellabant, exemplo paterno non modò malè in se dicta tolerauit, sed duos etiam patricij generis iuue-nes conuictos de affectatione imperij pertulit, nihil-que amplius eos monuit, nisi vt desisterent, eos edo-cens imperia non nisi diuino fato dari.

Iulius Cæsar clementissimus.

Iulius verò Cæsar vt in omnes clementissimus ex-titit, sic etiam in illos qui contra se oblatrabant, quos quidem inhibere maluit, quàm vindicare. Nam acer-bè in se loquentibus satis habuit pro concione de-nunciare ne perseuerarent. Et Caij Memmij, cuius a-sperrimis orationibus non minore asperitate rescri-pserat, etiam suffragator mox in petitione consula-tus fuit. Et C. Caluo poëtæ post famosa epigramma-ta, de reconciliatione per amicos agenti, vltro ac prior scripsit, vt Suetonius testatur.

Epaminūdas. Plut. in apophtheg. scitū hoc Alex. magno tribuit.

Epaminundas quoque Thebanus, quem Cicero totius Græciæ Principem appellat, æquo semper ani-mo calumnias tulit, asserens fortitudinis ac magna-nimitatis esse maledicta contemnere.

Sapientis officium. Callisthenes. Ex Val. Ma. lib. 7. de sap. dict. & fact. De Regibus optime sentiendū & loquendum.

Inhibeat igitur exemplo Cæsaris male in se dicta optimus Princeps potius quàm vlciscatur, & optime agendo sciat malam omnem auditionem abolere. Regium est enim (vt ait Antisthenes) male audire, quum bene egeris. *Sapientis quidem viri officium* Ci-cero esse dixit, *ne quid stultè aut temerè contra Principes ac potentes dicat, aut faciat.* Et Aristoteles Callisthenē discipulum affinemque suū ad Alexandrum Regem profecturum sæpe monuit, vt de illo semper optime atque honestè loqueretur, neque aliorum silentium expectaret, sed linguæ suæ ipsemet taciturnita-tem indiceret.

Effrenatam maledicendi licentiã ciues coërceant.

TIT. VII.

QVI malè in Reges ac Principes dicunt, communi omnium odio digni sunt. Irri-tant nanque eos ad sæuitiam, & nonnun-quam ex mitibus acerbos reddunt. Dio-

nysius

nysius secundus principio non habebatur crudelis, sed quum ex desidia ac nimia luxuria saginam corporis, & oculorum lippitudinem contraxisset, malè a compluribus audiebat. Proinde quum putaret se contemptui, odioque haberi, in omne genus sæuitiæ, quasi truculentissima fera conuersus est. *Dionysius secundus, primò non crudelis.*

Sunt igitur qui in Principes oblatrant, ab omnibus modis comprimendi. Ac etiamsi malè in se dicta æquiore animo Principes ferrent, nihilominus in illos grauiter animaduertendũ est: ne paucorum improbitas latius serpat, & ad multorum perniciẽ euadat. *Maledici puniendi.*

Memnon, quum pro Dario Rege bellum aduersus Alexandrum gereret, audiuit stipendiarium militem quendam grauiter maledictis in Alexandrum obstrepere: qua ex re commotior factus, lanceam accepit, & percutiens illius caput, ait: *Equidem te nutrio vt pugnes contra Alexandrum, non autem vt conuiciis eum incesses.* ostenderet dux ille inclytus, etiam in hostẽ neutiquam maledicendum esse. Possunt enim Principes sententiam illam Zenonis vsurpare, qui quum criminaretur quòd malè in se dicta grauiore animo ferret, ait: *Si maledicta æquo animo tulero ne laudes quidẽ sentiã.* *Memnon. Ex Plut in apophtheg. ad Traianum* *Zeno.*

Phocion præclarus ille ciuis Atheniensis, quũ audiret Demosthenem Alexandrum Regem grauiter maledictis lacessere, *Noli* (inquit) *demens sanum leonem stimulare, & iuuenem, quem gloria & imperandi cupido incendit, in patriam prouocare, ne incendium maximũ in hanc amplissimam vrbem tua temeritate conflet.* Quis enim eos ciues audire potest, qui per imprudentiam & se & alios perditum ire pergunt? *Phocion Atheniensis.*

Romani summo odio prosecuti sunt maledicos, quod quidem ex hoc exemplo patet. Diligebant ciues omnes Næuium poëtam: illius ingenium admirabantur: & quũ fabulas ederet, magna cũ voluptate frequenter aderant. Is tamen maledicentiæ vitio laborabat, & in Principes ciuitatis plurimum oblatrabat. Hoc quum Romæ percrebuisset, à Triumuiris in carcerem coniectus est, & tandiu in custodia asseruatus, donec duas scripsit fabulas, Areolum, & Leontẽ, in quibus delicta sua, & petulantiam dictorum fassus est, *Næuius poëta.*

sus est, & probra omnia quibus multos læserat, deuit ac recantauit. Deinde poscente populo à Tribunis è carcere exemptus est, & pristinę libertati redditus. Simili consilio Athenienses Sositheum poëtam theatro exegerunt. Nam quum fabulam recitaret, in qua quorundam iuuenum, qui philosophiæ operam sub Cleanthe philosopho tunc magni nominis dabant, mentionem faceret, dixissetq́;: *Quos Cleanthis insania destruit*: adessetque philosophus, & eodem vultu perstaret, ac si in eum nihil diceret: commoti sunt omnes spectatores, & eiectum poëtam grauiter vlciscebantur. Tum Cleanthes indulgendum ei esse exclamauit, asserens, *iniquum omnino esse, Herculem ac Liberum patrem à poetis illudi, nec aliqua iracundia permoueri, se autem leui maledicto indignari.* Qua quidem voce populi furor compressus est, & Sositheus poëta scenæ redditus.

Sositheus.

Cleanthis sermo.

Optimè Magnesij Daphitam Grammaticum conciuem suum cruci affixerunt in Thorace monte sibi finitimo, quòd versib. suis Reges maledictis ac probris lacesseret, & præcipuè Lysimachum, quem vehementer formidabant, ne eiusmodi iniuria percitus iram suam in eos euomeret.

Daphitas grãmaticus cruci affixus.

Quæ quidem res multis alijs exemplo extitit, vt & famosis versibus abstinerent, & linguæ petulantiam coërcerẽt. Transiuit siquidem in prouerbium, quod quidem dicebat, *Caue à Thorace.*

Caue à Thorace, Prouerb.

Demosthenis in Philippum scripta, causam præbuerunt, vt summus ille orator ad supplicium posceretur: Et illa Ciceronis in Antonium, exitio auctori suo extiterunt. Sapienter igitur Pythagoras dicere solebat, Potentium iram ac tumentem indignationem non esse irritandam. Nocent etiam calumniatores plurimum optimis ac doctissimis viris, quorum vitam carpunt, benedicta deprauant, & honesta laudis præmia auferunt, ac posteritatis memoriam nonnunquam damnant.

Demosthenẽ scripta sua perdiderunt. Ciceronis Philippica, auctori suo exitium attulere.

Diotimus Stoicus infesto animo in Epicurum fuit, eiusq́ue famę semper acerrimè aduersabatur, calumnijsq́ue, ac maledictis eum vehementer insectabatur.

Diotimus Stoicus Epicuri inimicus.

Et

Et vt dictis maiorem fidem faceret, ac clariore argumento niti videretur, quinquaginta circiter turpes atque impudicas epistolas falso nomine, quasi ab Epicuro scriptas edidit, quæ quum ab æmulis atque obtrectatoribus circumferrentur, quamquam adulterinæ erant, bonis tamen nonnullis viris doctrinam Epicuri suspectam reddiderunt, & multis etiam causam præbuerunt, vt in illum scriberent, dicti falso ac commentitio illarum literarum testimonio, vt qui putarent se Epicurum ex sua ipsius sententia vincere.

Sed ne vltra metas curramus, vt dicitur, de adulatoribus, ac calumniatoribus hactenus dixisse satis sit. Nunc autem quoniam animus noster constat ratione & appetitu, velut homo ex animo & corpore, videndum erit vt animus munere suo optime fungatur. Est autem munus animi ratione benè vti, quod quidem tunc erit, quum cauerit quæ cauenda sunt, & ea egerit quæ secundum rationem fuerint: quod quidem nihil aliud erit, nisi ex virtute agere. Est enim virtus, perfecta & absoluta ratio, quam sapientis animus semper sequitur. Nos autem in hoc opere Regem ac Principem quem instituimus, ad verā sapientiam dirigimus. Euellamus itaque in primis, si possumus, ex eius animo non modò perturbationum omnium radices, sed & minutissimas quasq; fibras, quę quidem relictæ sensim repunt, & rediuiuæ pullulāt, ac tandiu crescunt, donec nos ad insaniam miseriam que rapiant. Atqui haud scio an satis sit eas lenire, vt Peripatetici dicunt. *Nam ex paucis reuidiuis seminibus*, vt medici aiunt, *pessimæ herbarum segetes renascuntur*, & malè etiam obrutum incendium, maximam nonnunquam flammam excitat.

Seramus ergo veræ virtutis semina, quæ quum deinde adoleuerint, paruo tempore nos ad veram fœlicitatē perducent. Principis enim virtus, nō vnius duntaxat viri est, verùm eiusdem boni complures etiā participes fiunt, & pleriq; etiā illius imitantur exemplum. Vera est enim Isocratis sententia, qui ait, *ciuitates penè omnes Principū suorū vitā æmulātur*. Et sicuti

ex

ex vnius priuati viri virtute fœlicitas ad eum solum manat, qui cũ virtute agit, sic rursus ex Principis exemplo fœlicitas in cõplures diffunditur. Maxima enim pars ciuilium institutionum in Principum moribus cernitur. Nam sicuti lex ciuitatis est forma, sic Princeps vitæ exemplar esse perhibetur.

De perturbationibus animi leniendis deinceps dicemus: Zenonemque & alios Stoicos hac in re præcipuè imitabimur, exemplo Ciceronis, qui ab illorum præceptis parum admodum discedit, diuertit tamen aliquando ad veteres Academicos, à quibus quidem Peripatetici magna ex parte fluunt: vt facilè dignoscamus Aristotelem tot iuges ac continuos annos Platonis fuisse discipulum, à quo verbis potius quàm mente discedit, per iocumne, an per calumniam, incertum.

Quot sint animi perturbationes, & quòd leniri aut euelli ex animis per solam virtutem possint. TIT. VIII.

Ex Cicero. Tusc. quæst. lib. 4. Animi quatuor affectiones.

PERTVRBATIONES animi, quas ex Zenonis sententia commotiones animi à recta ratione auersas definire possumus, vel ex veterum Academicorũ mente, affectiones animi rationi minus obtemperantes, vel irrationabiles & prętер naturam animi motus, vel appetitiones nimium abundãtes, præcipuè quatuor sunt, & ęqualiter bifariàm distributæ. Duę enim sunt ex opinione boni, quarum altera lætitia gestiens, & præter modũ elata opinione præsentis alicuius magni boni, rationi non obtemperat: altera quæ cupiditas, vel libido rectè dici potest: & est immoderata appetitio opinati alicuius magni boni rationi etiam repugnans. Quæ duo quidem genera bonorum opinione turbantur, vt duo reliqua metus & ægritudo malorum opinione commouentur. Sicut enim metus opinio est magni alicuius imminentis mali, sic ægritudo opinio est præsentis alicuius magni mali. Hi turbidi motus omni contentione, & remis velisque

(vt

(vt dicitur) fugiendi sunt, si volumus hoc quod datū est nobis vitæ, tranquillè placidéque traducere. Habet enim ardorem libido, leuitatem lætitia gestiens, humilitatem metus, ægritudo autem tabem, cruciatum, afflictionem, fœditatem.

Quæ singula animum perturbant, nec sinunt quietè viuere, quando à vera ratione discedunt: idcirco in sapientis animum non cadunt: proinde ab optimo Rege ac Principe longè aliena esse debent. Est enim libido appetitus vehemens contra rationem excitatus, vel cupiditas quædam effrenata: quæ vbicunque dominatur, adeo virtutes omnes perimit, vt nullum locum, nullúmue præsidium sanctissimæ etiam innocētiæ esse permittat, vt Crassus orator ille disertissimus dixit, & improbos probat, probos autem improbat. Sapienter quidem Diogenes Cynicus dicere solebat, *cupiditatem arcem esse omnium malorum*: cupiditati subiectæ species sunt eiusmodi, indigentia, ira, iracundia, excandescentia, odium, discordia, desiderium, amor. Hæc eadem libido, siue cupiditas (de nomine enim hoc loco non laboro, vtrunque enim probat dicendi ac sentiendi summus auctor M. Tullius) coërcenda est antequam passim diffundatur, & animum omni ex parte inuadat. Effrenatus siquidem cupiditate animus non facilè virtutis ac rationis habenis regitur. Auersatur enim honestos ac salutares mōnitus, vt ait Plato, & velut infrenis equus calcibus morsibúsque insultat, & sessorem excutit atque conturbat.

Libido. *Crassus.* *Diogenes Cynicus.* *Cupiditatis pedisequa.*

De indigentia siue auaritia, quam Græci ἔνδειαν vocant. TIT. IX.

INdigentia, quæ à plerisque Græcorum ἔνδεια dicitur, prima cupiditatis species esse perhibetur. Hanc Stoici dicunt esse libidinem quandam inexplebilem, vel cupiditatem immoderatam. Ea fit quum eo non potimur quod cupimus, incendimurque quasi frustrà, & ad illud inuitamur. Per hanc Plato auiditatem auaritiamque intelligit. Docet enim, ab eo qui diues

Indigentia, quid sit Stoicis. *Plato indigētiam auaritiam auiditatemq́; facit.*

affatim fieri vult, non cumulandam esse pecuniam sed sedandam cupiditatem, quandò nunquam liber ab inopia esse possit, qui nullum constituens cupiditati modum, semper diuitiarum ardore torretur. Scitè admodum Stoici dicere solebant: *Magnam indigentiam nasci, non ex inopia magna, sed ex magna copia, multis enim eget qui multa possidet.* Proinde minus habendum esse, vt minus desit. Cato verò senior multis se egere fatebatur, se tamen nihil cupere affirmabat: dicebat enim: *Si quid est quo vtar, vtor: si non est, ego sum cui per me ipsum vti ac frui liceat. Vitio mihi dant quidam quòd multo egeo: at ego illis, quòd nequeunt egere.* Illud quoque eleganter dicitur. *Auaritia studium pecuniæ habet, quàm nemo sapiens concupiuit, ea quasi malis venenis imbuta, corpus animumq; virilem effœminat: semper infinita est, atq; insaplebilis: quæ neq; copia neque inopia minuitur, ei enim tam desunt quæ habet, quàm quæ non habet.* Cui etiam nihil refert quantum habeat, quum multo plura sint quæ non habet. Nec vlla animi perturbatio est, quæ magis odium pariat his qui gubernant, quàm auaritia quæ omnes virtutes perimit eneruat, atq; obscuriores reddit, & imperia quoque sæpenumero euertit. Hoc docuit M. Cato in oratione, quam pro emendandis moribus ad Quirites habuit, quum inquit: *Luxuria & auaritia duæ pestes sunt, quæ omnia magna imperia euerterunt.* Hæc animi perturbatio non modò multitudinis odium in Principes concitat, verùm etiam nonnunquam subitam vltionem inuitat.

Ausonius: quis diues? qui nil cupiat. Quis pauper? Auarus.

Catonis dictū.

Sallustius de bello Catilin.

Catonis verū oraculum.

Achæus, Lydiæ Mæoniæque Rex, gentilitio auaritiæ crimine ardebat. Is crebra ac grauia populis tributa semper imperabat, in quibus exigendis sæuus, improbus, atque inexorabilis erat: verùm quum tantam iniuriam diutius populi ferre nequiret, nocturna tessera inter se data, subito hominum concursu illum cum omni familia trucidauerunt, & regia incensa, eius cadauer vnco tractum in Pactolum flumen demerserunt, vt auriferas aquas semper potaret.

Eiusmodi odium vt fugeret Darius Xerxis pater, quum tributa præsides taxare iussisset, Principes prouinciarum accersiuit, rogauitque num gra-

uixissent: respondentibus illis mediocriter se habere, statuit vt dimidium soluerent, ne qua auaritiæ suspicio ei obijci posset.

M. Crassus is qui apud Parthos nimiæ auiditatis pœnas dedit, plurimis virtutibus ornatus fuit, quas omnes solius auaritiæ sordibus obscurabat. Cui etiam hoc natura insitum fuit, vt in aliis cognosceret, quod in seipso ignorabat. Nam quum ipse auarissimus esset, grauiter tamen maledictis ac probris auaros omnes insectabatur, quasi cunctos homines sui similes odio haberet, sibiq; soli liceret auaro esse.

Auaritiam Aquilio duci Mithridates Ponti Rex exprobrasse videtur, quum ei capto aurum in os fudit. Sunt tamen qui putent illum eodem exemplo carpsisse Romanum populum, perinde ac fecit Iugurtha, qui Rempublicam Romanam venalem esse dixit, & citò perituram, si emptorem inueniret.

Apud Salustium de bello Iugurthin. & Orosium.

Cn. Pompeium, quem Magnum instar Alexandri cognominauerunt, summa beneuolentia Romani penè omnes complexi sunt, & humanis omnibus honoribus eum affecerunt: eius tamen patrem Pompeium Strabonem, qui in re militari nonnulla præclara facinora egit, & præcipuè contra Rhetos, qui Italiæ incumbentes Veronam crudeliter vastauerant, summo odio habuerunt, propter inexplebilem illius auaritiam, quæ quidem ei plus odij atque inuidiæ, quàm opum ac diuitiarum attulit.

Liberalitas summopere Principem commendat, quam Aristoteles mediocritatem circa pecunias esse statuit, cuius excessus prodigalitas sit, defectus autem auaritia. Hanc nõnulli veterum frugalitatem appellant, eamque plurimum laudant, quippe quæ id imprimis efficiat, vt superuacanearũ rerum appetitu ac cogitatione sublata, vtilem quandam mediocritatem sectetur. Hæc ἀφέλεια siue εὐτέλεια à Græcis dicta, maximam à doctissimis philosophis assecuta est laudem, vtque bonæ valetudinis parens sit, & inimica luxuriosis epulis, opiparisque mensis, aliena ab ebrietate, atque ab omni immodica libidine. Per hanc Cato senior non modò rem familiarem, sed

Liberalitas Principem commendat.
Cicero Tusc. 3. Hãc virtutẽ σωφροσύνην Græcè vocatam ait.

& publicam augeri ait. Quę quidem tanti fuit, vt per se sola hominem satis commendaret. Nam Piso frugi cognominatus est, quasi vir omni virtute accumulatus. Sed nos notiore verbo liberalitatem frequentius appellabimus. Quis non iure optimo Thessalum Scopam irriserit, qui ideò se fœlicē beatumq; haberi dicebat, quòd plurima possideret, quæ nec sibi nec suis vsui vnquam essent? Nec complures illas scenicas chlamydes, quas Lucullus quasi neglectas habebat, illum beatiorem fecisse arbitror, si habendi cupiditate & ambitione semper ardebat. Ignorata dominis suis bona, furibus potius atque expilatoribus prosunt, quàm illis ipsis.

Piso frugi.

Scopa Thessalus.

Est etiam quædam falsa species liberalitatis flagitiosa admodum, quum quispiam in summa auaritia sumptuosus est, vel per luxuriam profusus: qualem Piso Othonem fuisse criminatur, quum ait: *Fallunt illi, quibus Othonis luxuria speciem liberalitatis imponit. Perdere iste scit, donare nescit.* At virtus ipsa nihil prodigit, nihil sibi demit, nihiloque indiget. Nam vt corpori optima valetudine affecto non purpura, aut sumptuoso vestimento, nec aliquibus delicijs opus est: sic humana vita non exquisitis, sed vilibus copijs contenta erit.

Piso in Othonem.

Optimè Epicurus naturæ opes definitas parabilesque esse sentit, quum diuitiæ inanium opinionum infinitæ sint, & nunquam parari possint. Nec tamē is sum, qui contraria contrarijs medicorum more curari putem, vt auaritiam effusione emendem, sed sanctam illam Peripateticorum mediocritatem omni ex parte probandam esse censeo.

Priscis enim illis Romanorum seculis, quibus vitæ mores castigatiores erant, in pari turpitudine habebantur, & qui maiorum suorum facultates per luxum prodigebant, & qui paternas opes sine honesta causa subitò augebant. Vnde ipsi abundè de se glorianti in Senatu Syllæ quidam senator ait: *Quonam modo vir bonus esse potes, qui quum nihil à patre acceperis, tot diuitiis atque opibus tam paruo tempore affluas?* Et ex contrario Epicharmus Comicus ille Siculus in profusum

Mos apud Priscos.

sumac sumptuosum quendã ait: Nõ *benignus tu quidem, nec liberalis es, sed prodigentiæ morbo laboras.*

Præclarè Plato mediocritatem effert in libro tertio de Republica, his ferè verbis. *Pellenda sunt ex ciuitate diuitiæ, pellenda etiam paupertas: illæ enim delitias, otium, & ambitionem afferunt: hæc autem humilitatem, sordidum, & turpem quæstum.* Qua opinione ducti non nulli legumlatores leges statuerunt de æquando patrimonio inter ciues, quas deinde obliterari passi sunt, propter nimiam æqualitatis difficultatem: par enim tempore industrij rem suam augebant, desides autem ad nihilum redigebant. Et iniquum admodum videbatur rursus patrimonia partiri, & industriam desidiæ parem facere. Sic etiam æqualitas honorum, quæ *ἰσονομία* Græcè dicitur, vix per legem seruari posse visa est, quum alius per virtutem & industriam ad singula quæque munia idoneus esse videatur, alius autem per turpitudinem & socordiam ab omnibus Reipublicæ muneribus omnino excludendus sit. Remansit igitur res in medio, vt præmium, & pœna indicium virtutis ac culpæ facerent.

Platonis vitiba.

Prodigentia quidem in priuatis ciuibus pro luxu habetur, in Principibus autem pro magnanimitate ac beneficentia à plerisque laudari solet. C. Cæsari priuato profusionis vitio dabatur, quòd nimius in impẽsis esset, quodque antequam vllum inijsset magistratum, trecentorum talentorum æs alienum cõtraxisset. Vnde quum in Iberiam Prætor mitteretur, facetè ait: *Trecentis sibi talentis opus esse, vt nihil haberet:* hoc est, vt æs alienum solummodo persolueret. At postquam rerum potitus est, profusio ipsa nomen virtutis accepit, & benignitas, gratitudo, ac magnificentia nuncupata est. Nec id mirandum esse censeo, Reges enim ac Principes, quibus nihil deesse potest, non pecunias contrahere, sed illis liberaliter vti debet, & amicorum opes, ciuiumque beneuolentiam, suas putare diuitias, de quibus verè dixisse Martialis videtur, quum ait:

Prodigentia Cæsaris profusio.

Martialis lib.

Extra fortunam est, quicquid donatur amicis.
Quas dederis, solas semper habebis opes.

Hoc etiam locupletior testis probauit Alexan-
Nam quum omnia amicis elargiretur, & iam reg-
ferè omnes opes absumpsisset: *Quid tibi Rex super-*
inquit Perdica: cui Alexandet, *Spes*, ait. Tum Perdi-
Hæc nobis commilitonibus tuis etiam tecum commun-

Nitias. Nec Nitiæ ratio mihi placet, quanquam clarus re bellica apud Athenienses habitus est, qui vari- sumptibus ad voluptatem exquisitis, gratum ad- dum se populo reddebat: sed ad Iuliani Cæsaris sen- tentiam magis accedo, qui opum contemptor sem- per extitit, & virtutum ac veræ gloriæ affectator. I- dicere solebat: *Se liberum pectus habere, nec pudere Impe- ratorem, qui cuncta bona in animi cultu ponit, honestam paupertatem profiteri.*

Paupertas Imperatori probro non est.

Scipio verò maior quum accepisset liberalitatem ac magnificentiam suam à M. Catone in Senatu ex- probrari, ait pecuniæ rationem à quæstoribus repo- scendam esse, ab Imperatoribus autem rei bellicæ ra- tionem. Diuitias habendas esse dicebat Solon, non tamen per iniuriam quæsitas, sed honesta aliqua ra- tione partas. *Malè enim parta* (vt ait Cicero) *malè dila- buntur.* Demades Athen. orator, quem extempora- nea oratione etiam Demostheni prætulerũt, magnas diuitias turpiter ac per iniuriam quæsiuit, & eas quã primùm per luxuriam prodegit: in eo enim sola libi- do dominabatur, nullumq; modum sumptib. statue- bat. Euripides opes Capanæi laudat, dicitq; illum ex eis nunquam animo fuisse elatiorem, sed modestia vitæ se similem cuicunq; inopi semper gessisse.

Valerius, cui pietas in patriam Publico cognomẽ- tum dedit, non modò in comparandis diuitijs ab o- mni iniuria abfuit, verùm easdem in alendis suble- uandisq; pauperibus consumpsit, vt qui omnino du- ceret, quicquid humanis vsibus ex opulentijs super- esset, id omne beneficè benigneq; tenuioribus ero- gandum esse. Sic Thebanus Pelopidas, qui opulen- tissimus splendidissimusq; omnium ciuium suorum habitus est, amicis suis indigentibus opem semper afferebat, adeò vt sibi diuitias, non se diuitijs inser- uire ostenderet. Sed hæc de indigentia siue de auari- tia pti-

... prima cupiditatis ac libidinis specie satis, ne in ex... percensendis ambitiosor esse videar. Nunc ... ad reliquas species pergamus.

...ira, iracundia, excandescentia, odio, & discordia. TIT. X.

Secunda cupiditatis species ira dicitur, quam qui ex naturæ ratione exponunt, dicunt esse sanguinis feruorem, accẽsionemq; eius ad præcordia. Qui verò eius ... affectum definiunt, dicunt iram esse libidinem quã... siue cupiditatem puniendi eum, qui iniuria læ... videretur, vt Cicero Zenoni assentiens determi... ...t. Huic comes accedit iracundia, quæ ijsdem aucto... ...ibus est dispositio, siue cupiditas vlciscẽdi, tempus obseruans. Hæc quidem in habitu ac dispositione est, illa verò in actu ac feruore: vnde vna sine altera ...quando esse potest. Fit enim quandoque, vt qui... ...piam iracundus sit, & non iratus, & secus, vt sit iratus & non iracundus: quemadmodum potest es... ...aliquis ebriosus, & non ebrius, vel contrà ebrius, & non ebriosus. Huic tertia comes accedit excandescentia, quæ est ira nascens, & modico pòst tempore desistens, huius affectus est longè minor. Calor ... ille quamprimum deferuet ac decidit, & à ra... tione ipsa vincitur, Nam si persisteret, & diutius ma... neret, fieret odium, quod quidem (vt Cic. placet) est ira inueterata, vel (vt Zeno ait) est cupiditas quædam qua malè alicui optamus, cum vtilitate aliqua, vel prouentu nostro. Hanc cupiditatem comitatur discordia, quæ ex Ciceronis sententia est ira acerbior, intimo odio & corde concepta. Hac animi perturbatione quicunque ciuis laborat, inutilis est Reipublicæ, & in hominum cœtu importunus habetur. Dis... ...det siquidem ab alijs, nemini cedit, omnemque humanam societatem dirimit, Principum aulas perturbat, seditionibus ac partibus omnia inficit, hinc conspirationes coniurationesque oriuntur, hinc cædes, direptiones, veneficia, & pestes illæ teterrimæ, quæ status omnes publicos priuatosque labefacta-

Ira definitiones.

Tuscul. 3.

Excandescẽtia.

In Tusculan. lib. 4.

Discordia.

In coniurat. Catilin.

re ſolent. Criſpi quidem Saluſtij ſententia pro ſeculo habenda eſt, quum ait: *Concordia parua res creſcunt, diſcordia autem maxima dilabuntur.* Per hanc interitum omnibus humanis ſocietatibus parari ſcribit Xenophon. Et Plato in lib. de Repub. eam pluribus rationibus execratur. Hæc eſt diſcrepantia ac contentio illa, per quam vetuſtiſſimi poëtæ mũdana omnia diſſolui atque interimi putauerunt, quæ ἀληκτὼ ab illis dicitur, & primaria inter infernales furias habetur. Hi omnes affectus ſimilitudinem quandam inter ſe mutuam habent, vt alteri ſuccedat, ac ſi ab altero duceretur. Idcirco comprimendi ſunt antequam liberius vagentur, & nos ad inſaniam furoremq; compellant. Et imprimis ira, quæ quum ferocius excanduit, hominem præcipitem rapit, adeo vt ab inſano ac furioſo paululum quippiam abſit. Oculi, color, vultus, geſtus, vox, clamor, verba propè furentis atq; inſanientis hominis eſſe videntur, qui niſi quamprimùm ad ſe redeat, ad agnatos omnino atque affines (vecordium furioſorumque more) reijciendus erit.

Alecto, quid ſit.

Optimè Pythagoras Samius, q. taciturnitatis priuſquam ſermonis præcepta tradebat, diſcipulos ſuos monebat, ne quid vnquam per iram dicerent aut facerent. Vnde Archytas Tarentinus, vt præceptoris ſui monita ſequeretur, quum villico ſeruo, qui grauiter deliquerat, fortè ſuccenſeret, ait: *Punirem nunc te, niſi iratus eſſem.* Timebat enim ne ira percitus, ſanctam moderatamq; iuſtitiæ vltionem tranſgrederetur.

Architas. Plut. in apophtheg. dictũ hoc Charillo tribuit.

Hæc Pythagorica præcepta ſi tenuiſſet Eurylochus Pyrrhonis diſcipulus, nunquam ſumpto veru cum carnibus ſemiaſſis in fórum vſque coquum per iram perſecutus fuiſſet.

Nonnulli Reges Principéſve aliquando ira perciti ea efficiunt, quorum deinde pœnitentia ducti, vt infecta fierent, magno emerent. Per iram Clitum peremit Alexander, paternæ militiæ, ac ſuæ fidiſſimum ac certiſſimum comitem. Per iram etiam Dionyſius Syracuſanus dilectum à ſe puſionem, & in delicijs habitum pugione tranſegit, quorum vtrunq; adeò facti pœnituit, vt vix à ſeipſo manus abſtinuerit.

Periander

Periander Corinthius ira etiam accensus sub calcibus missam vxorem, quæ in vtero puerum habebat, interemit: deinde mentis compos factus, quum comperisset id à se per calumniam pellicum actum esse, rursus ira excanduit, & eas omnes igne cremari iussit. Filium quoque suum Lycophrona nomine prę matris interitu eiulantem abdicauit, & in Corcyram vsque relegauit.

Lysander Lacedæmonius iræ morumq; acerbitate, grauem ac terribilem potentiam tyrannidemque exercuit, adeò vt non immerito conciuis eius Etheocles dixisse videatur, quum ait, *bene actum cum Græcia esse, quòd duos Lisandros non protulerit.*

Idem de Sylla iure optimo dicere poterant Romani, cui præ ira ac ſęuitia nullus iucundior lusus ac iocus erat quàm cruor, quàm cædes, quàm vnci aç secures, & ante oculos ciuium trucidatio, qui (vt alia eius sæuitiæ, atque iracundiæ exempla omittam) Q. Lucretium Offellam (cuius opera Prænestinam vrbem ceperat, Marium consulem obsederat, finemque victoriæ adeptus fuerat) in foro ipso ense transfodit, nullam aliam ob causam, nisi quod consulatum peteret antequam Prætor extitisset. Quinetiam Syllæ ira, quæ vniuersam Italiam ciuili sanguine inundauerat, aliquãdo in auctorem suum pessimum virus euomuit. Nam quum in Puteolano rure grauiter ægrotaret Sylla, audissetque pecuniam pro reficiendo capitolio à Decurionibus cunctantius pensitari, præcipiti ira subitò excanduit, & immoderatæ vocis impetu ruptis pręcordijs, spiritum cruore mistum exhalauit: & qui per iræ impotentiam tot hominum millia peremerat, postremò seipsum perdidit.

Cassius quoq; impetuosus & iracundus extitit, & sæpius per iram quàm per auaritiam, qua etiam laborabat, à recto discessit. Aequior Sertorius, qui minimè omnium ducum se iracundiæ permisit.

Cato iunior non ab ira immunis omnino fuit, ad quam & si tardior erat, tandem commotus, implacabilis inexorabilisq; esse videbatur.

Claudius Cæsar quum sibi conscius esset, se per irę

& iracundiæ impetum sæpe peccare, vtcunq; excu- uit edicto, pollicitusq; est alteram perbreuem & in- noxiam futuram, alteram verò non iniustam. Qua quidem sententia declarauit improuisam illam mo- tionem se non posse ex tempore reprimere: quam quidem Peripatetici asserunt non esse in hominum potestate, illam verò aliquo iudicio confirmatã, non iniquam fore, sed quasi iustitiæ vltionem. Sed quo quisque à natura generosior est (vt ait Plato in libris de Republica) eo minus irascitur: hinc quidem esse ait, vt ad rationem percipiendam ille etiã promptior sit. Hoc manifestè in pueris cernitur, qui quũ iracun- di sunt, serò admodum rationis compotes fiunt, & ad studia literarum hebetiores existunt, & minus di- cto parent, minusq; imperata facessunt: Ad illam Pla- tonicam sententiam accedit Ouidius quum ait,

Quo quisque est maior, magis est placabilis ira
Et faciles motus mens generosa capit.

Stoici ab Aristotele dissentiunt.

Aristoteles sapientem dixit neq; ira, neque aliis per- turbationibus vacare, sed temperatè ac modicè com- moueri. Eisque mediocritatem quandam, quasi vir- tutis terminum ac limitem assignat: & iram fortitudi- nis comitem esse opinatur, & vtiliter quoque à natu- ra hominibus datam esse censet. Huic sententiæ ne- que Stoici, neque veteres Academici consentiunt. Dicunt enim sapiẽtem sine iræ perturbatione, ac sto- macho secundum rectam rationem agere posse, & virtutis munere fungi: putantq; has opiniones mori- bus nostris eblandiri, & illecebras communis vitæ es- se, quò facilius homines duriora illa relinquentes, in mitiorem hanc sententiam accedãt. Dicunt quoque pugnam rationis esse aduersus voluptatem, & alios turbidos animi motus, in qua quidem virtutis ac sa- pientiæ palæstra cernitur.

Epist. 1. ad fr. lib. 1.

Præclarè Cic. Q. fratrem suum, qui tum Asiæ præ- erat, monet, vt si vitare non potest, quin ab iracundia subitò eius animus occupetur, saltem vt se antè com paret, quotidieq; meditetur, resistendum esse iracun diæ, cumq; ea maximè animum moueat, tum diligen tissimè linguam continendam esse, quæ virtus non

multo

multo minor sit, quàm omnino non irasci, quũ illud, non solum grauitatis, verum nonnunquam lenitudinis esse possit, moderari verò & animo & orationi, quum sis iratus, aut etiam tacere, & tenere in sua potestate animi motum ac dolorem, & si non est perfectæ sapientiæ, tamen est non mediocris ingenij.

Hæc Ciceronis præcepta diligenter tenenda sunt, vt iracundiam comprimamus, ne in furorem deinde rapiamur, simusq; vel nobisipsis vel alijs iniurij. Certamus enim nonnullos, quos vulgo homines prudẽtiores, doctiorésve putant, quadam irę impotentia in seipsos etiam grauiter peccare. Inter Aeschylum, & Sophoclem poëtas fuit aliquando (vt solet) de poëtica contentio non mediocris, in qua iudicio omniũ qui aderant, Sophocles prælatus est. Hanc sententiã iniquo animo tulit Aeschylus, & adeò ira excanduit, vt amicorum omnium aspectum fugeret, & euestigio in Siciliam pergeret, & apud Gelam vrbem in modico quodam suburbano lateret, in quo paruo tempore mœrore ac tabe, quam per iram ac dolorem contraxerat, periit.

Æschyli mors, à Pl. c. 3. li. 10. & à Va. Max. l. 6. de morte nõ vul. aliter narratur.

Idem accidisse scribunt Calchanti auguri redeunti ex Troiano bello. Nam quum in Ioniam ad Colophonem peruenisset, iuxta lucum Clarij Apollinis, in certamen diuinandi cum Mopso etiam augure deuenit: à quo victus Calchas vehementi ira atque mœrore adeò excanduit, vt quamprimùm mortem obiuerit.

Calchas.

Antimachus Colophonius, & Niceratus Heracleotes adolescentes in poëtica clari, certatim inter se (vt moris est) Lysandri laudes versibus canebant, verùm quum Niceratus gratior Lysandro esset, ab eo Antimacho prælatus est, & aurea corona donatus, tametsi tacito doctissimorum hominum qui aderant iudicio ille longè inferior in poëmate extitisset. Antimachus mirũ in modum ira ac dolore concitus exarsit, tamenq; aboleuit, & iam à Musis discedere easque abdicare destinabat. Aderat Plato, & ingenium Antimachi admiratus placido eum sermone mitiorẽ placatioremq; reddidit, ac Musis conciliauit, docens corrupti animi cæcitate, non verò iudicio Niceratum ei fuisse

fuisse prælatum. Quibus ex verbis Antimachus compos sui factus, iram euomuit, & ad Musas rediji, atque in præclarum poëtam euasit.

Accidit etiam sæpenumero, vt implacabilis ira eorum qui præsunt, quiq; alijs imperāt, subditos in desperationem compellat: quippe qui nullam gratiam nullamq; æquitatem, aut veniam sperare possint.

Succensuerat aliquando populus Romanus Ptolemæo Cyprio Regi, quòd minus imperio obtemperaret, minusq; mandatis obsequeretur. Mittitur illuc cū imperio M. Cato, quem paulò antè dixi hominē fuisse durum, iræq; immedicabilis: cuius aduentum qui accepisset Rex, desperata omni hominis clementia mortiferum veneni poculum exhausit: quo nuncio accepto, Cato iter maturandum censuit, Cyprumq; quamprimùm se contulit, & quod per iram vlcisci nequiuerat, per auaritiam est vltus. Nam contractis regijs opibus, regiaq; supellectile, omnia auctioni exposuit, pecuniamque à licitatoribus acceptam ad numerum circiter septem millium talentorum Romam peruexit. Qua quidem ex re varij rumores orti sunt, alij iram ac nimiam seueritatem Catonis accusantibus, alijs auaritiam, seu immoderatam quandam parsimoniam increpantibus: nonnullis etiam factum probantibus. Si mitior quispiam illuc perrexisset, veniam gratiamq; clementissimi populi non desperasset Ptolemæus, neque sibi mortem consciuisset, quæ sine Romanorum inuidia nequaquam esse potuit. Regium enim nomen sacrosanctū apud omnes gentes semper extitit, & intactum, atque inuiolatū. Tunc primùm Cyprus stipendiaria populo Romano facta est, insula clarissima & duabus vrbibus nobilitata, Salamina, & Papho, quarum altera Iouis delubro, altera Veneris templo insignis habebatur: illic enim Venerem pelago emersam fuisse, quum concha deueheretur, poëtæ fabulantur.

Cyprus primò Rom. facta stipendiaria.

Pachitas quoque Atheniensis, cuius ductu & auspicio Lesbos subacta extitit, à bello victor rediens, gestarum rerum rationem vt redderet poscebatur, quam quum reddidisset, & quid acceptum impen-

sum-

[illegible] esset, non ſatis liquidò conueniret, ſeueritatem odiumque in ſe iudicum, & inimicorum calumnias adeò formidauit, vt nullo expectato iudicio ſe ipſum gladio transfegerit.

Ira igitur quum liberius vagatur, nulliſq; rationis habenis regitur, ægritudo quædam quaſi immedicabilis fit, & in odium (vt dixit) conuertitur, quod quidem pertinacius humanis animis inſidet, cogitq; eos [illegible] illas atque execrabiles vltiones, & ad fraternas acies, alternaq; bella prophanis decertata odijs, [illegible] Statius, & ad tragicas illas nonnũquam da[illegible] quibus ſolem aufugiſſe, atque aciem auertiſſe [illegible]atur. Proinde videndum eſt, vt iræ feruor quã primùm extinguatur, inueteratus enim odium fit, & magna cum difficultate ſedatur.

Odium ab ira manare eleganter docuit Maro, quum [illegible]

[illegible] aliter iuſtæ quibus eſt Mezentius ira, Æneid. 10.
[illegible] vbi eſt animus ſtricto concurrere ferro.

Quum illum odio eſſe vſitatius dicere potuiſſet. Odium veterem iram eſſe, non modò ex M. Tullij definitione, & ex Stoicorum ſentẽtia dicere poſſumus, ſed & ex Græci verbi, vnde (vt arbitror) ducitur, imprecatione, ſiquidem ὀδυνάομαι per iram dolere ſignificat: Et ὀδύνη dolor eſt vehementior, & præcipue qui ex iracundia manat, & diutius torquet. Decet igitur Principem ab odio ſemper vacuum eſſe, vt animi tanquillitate perpetuò fruatur, nec ſemper vindictæ tempus expectet.

Chilo vnus ex inclytis Græciæ ſapientibus, duas odij & amoris affectiones intra modũ coërcuit. Ait enim: *Hactenus ames velim, tanquam aliquando oſurus: & hactenus oderis, tanquam fortaſſe deinceps amaturus.* Chilo. Ama tanquã oſurus.

Sed de ira, iracundia, excandeſcentia, diſcordia, & odio ſatis. Nunc autem de amore ac deſiderio dicamus, quæ duæ ſpecies perturbationum ſuperioribus adduntur, & inconſtantes animos plurimum vexant.

De

De amoris affectu, & de philosophorum ac poëtarum super eo opinionibus.

Tit. XI.

Amor furor diuinus.

AMOREM maximum affectum esse multis argumentis ostendere possumus, & Platonis quoque auctoritate probare, qui inter quatuor species diuini furoris eum connumerat: quarum vnamquamque diuino alicui Numini subijcit, vt ostendat easdem præter naturalem potentiam aliquid maius, & quasi diuinius agere. Harum primam vaticinium appellat, eique Apollinem præficit. Secundam mysterium, cui Bacchum. Tertiam poësim, cui Musas. Quartam amorem, cui Venerem

Quatuor species diuini furoris.

His furoribus & diuinari, & futura multa præuideri posse autumat Lacydes: & nonnulli noui Academici dixerunt, Amorem esse diuinum mysterium ad excitationem conseruationemque iuuenum datum mortalibus, exemploque ostendunt. Dicunt enim Ariadnes amorem Theseum à maximo periculo liberasse, eumque clarum, industrium, solertemq; reddidisse. Eodemque pastu Medeæ amorem Iasonem virtutibus illustrasse, & eum victoriæ compotem reddidisse. Addunt quoque amorem quasi inuentorem quendam extitisse plurimarũ artium, cuius rei exemplum eiusmodi ponere possumus. Scribũt vetustissimi artem illã figuralem (quam σχηματικὴν Græci appellant: quamq; Praxiteles matrem statuariæ, sculpturæ ac cælaturæ esse dixit, vt qui quamuis in omnibus præstaret, nihil tamen vnquam fecerit antequam finxerit) amoris beneficio fuisse inuentam. Affirmant enim Debutadem Sicyonium eam Corinthi inuenisse filiæ opera, quæ quum sponsi amore teneretur, & ille in militiam profecturus esset, vt desiderio eius minus tabesceret, & ex simulacro amoris solatium caperet, vmbram ex amati sponsi facie ad lucernam in pariete lineis circunscripsisse, sumpto ex igne extincto carbone. Pater autem eius rei nouitatem admiratus, lineas argilla impressit, primamque formam fecit

diceret enim figulus) & cum cæteris fictilibus duratum igne concoxit: res ex similitudine admiranda omnibus visa est, & proinde Veneri consecrata diutius in templo mansit. Huius puellæ exemplum cōplures præstantissimæ fœminæ priscis seculis imitatæ sunt, quæ virorum desiderium pictis imaginibus mollitæ, facilius eorum reditum expectauerunt, vt de Laodamia Protesilai vxore veteres poëtæ testantur. Sed ad amorem redeo.

Stoici amaturum sapientem dicunt, & præcipuè iuuenes illos, qui cùm famæ venustate indolem per egregiam habent, & acumine ingenij pollent, qua speciem futuræ virtutis, non formā, aut ætatis mol liciem beneuolentia complectantur. Qua in re admi rari se summopere ait Cicero, quòd nemo formosum senem aut informem adolescentem diligebat, deinde quasi coactus in hanc sentētiam accedat, addens: *Sit sane sapientis amor, vt dicitis (non enim repugno) cum modo sit sine solicitudine & suspirio.*

Forma species futura virtutis.

Addunt præterea iidem philosophi amorem conatum esse amicitiæ, firmamentumq; beneuolentię, quod quidem ex formæ venustate, non ex amplexu corporis proficiscatur. Dicunt etenim Thrasonidem eiusdem disciplinæ philosophum pereximium, quum in potestate haberet pusionem quem vnicè adamaret, semper abstinuisse, ne malè audiret, odioque haberetur.

Amorem amicitiæ esse vinculum Chrysippus in libro de amore scripsit, neque illum vitio dandū esse æstimat, quandoquidem pulchritudo virtutis sit flos. Verius tamen (vt mihi videtur) Socrates pulchritudinem definiuit, qui eam modici temporis tyrannidem esse dixit. Theophrastus verò tacitam deceptionem. Sed hanc Stoicorum sentētiam non statuit Zeno, quanquam eorum Princeps habetur, dicit tamen amorem esse inexplebilem quandam libidinem ingenuam se per placidam pulchritudinem. Addit etiam amorem in præstantis ingenij viros non cadere, quippe qui studio industriæq; insidietur.

Peripatetici autem quum amicitiam definiant esse æqui-

PAGINATION INCORRECT

æquitatem reciprocæ beneuolentiæ, eiusdem tres species esse dicunt, necessitudinem, hospitalitatem, amatoriam. Huius tertiæ principatum delectationem tenere aiunt, quæ per aspectum pulchritudinis percipitur. Quicunque enim aspectu non delectatur, nequaquã amare potest. Cùm deinde hic amor mutuis beneficijs, & studio virtutis innititur, plerunque in optimam amicitiam euadit, quæ etiam discedente forma remanet.

Amor. Venustas quidem gratissimum naturæ munus habetur. Ego autem is sum, qui cum illis sentiam, qui amorem dicunt insatiabilem cupiditatem ac libidinem esse, qua quum primùm potiti, expletiq; sumus, in pœnitentiam quandam incidimus, quæ quamprimum decidit, rursusq; animus libidine accenditur, idq; facere quærimus, quod quum fecerimus, iterum fecisse pœniteat.

Demostenes. Lais. *Ex Aulo Gel ca.8.l.1. vbi pretium noctis centum sestertia esse dicit.* Hæc est illa Demosthenis vox, qui excitatus Laidis meretricis forma, quum audiuisset dimidium talentum pretium noctis esse: Ego (inquit) *pœnitere tanti non emo.* Sed illam venustatem, quam modo dixi gratissimum naturæ munus haberi, sunt qui putent nequaquam optandam esse, tum quòd eius flosculus, quàm breuissimus sit, tum quòd pauci eo ad virtutẽ vti queant, quando prima illa ætas mollis admodum sit, facileque decipiatur. Plures enim sunt qui pueros in illecebras propellant, quàm qui ad eos ad bonam (vt aiunt) frugem redigant. Non erit igitur admirandum Tragicum illum dixisse: *Raru forma viris, secula prospice, impunita fuit.* Et fabulæ Bellerophõtis & Hippolyti manifestis exemplis rem indicant. *Bellerophon*

Alcmena. Nunc autem ad institutum redeo. Amorem inexplebilẽm esse cupiditatem docet fabula illa, qua inducitur Iupiter in concubitu Alcmenæ noctem triplicasse, cùm vna in eo neutiquam libidinis ardorem sedauisset. Nec etiam admirandum est, Iouem tã longæ noctis concubitum aureo poculo, quod lyrici Græci Charchesium vocant, Plautus autem pateram appellat, redemisse, quum tripla illa nox triplex etiam munus exigeret. Quid dicemus etiam quòd

qui

qui amat, perpetuo igne torretur, nunquam quiescit, & contrarijs animi perturbationibus semper agitatur? Audi adolescentem illum apud Plautum de motis difficultatibus eiulãtem. *Lactor, crucior, agitor, stimulor, versor, in amoris rota miser examinor, feror, distrahor, diripior, vbi non sum, ibi sum, ibi est animus.* *Plautinus Alcesimarchus in Cistellaria.*

Audi ardentem Tibullum:

Ah ego ne tales possem sentire labores,
Quàm mallem in gelidis montibus esse lapis?
Stare vel insanis cautes obnoxia ventis,
Naufraga quam vasti tunderet vnda maris.

Et infœlicissimum omnium animalium amatorẽ esse declarat Propertius, quum ait: *Propertius, lib. 2 elegia 18. de exclusione.*

Durius in terris nihil est quod viuat amante:
Nec, modò si sapias, quod minus esse velis.

Et amoris curæ amatores non ipsa in morte relinquunt, vt ait Virgilius.

Audi etiã quam medicinam adhibeant huic insano furori vetustissimi Poëtę, dicunt enim Leucaten editam pręruptamq; petrã in Leucadia esse, in qua Apollinis phanum cernitur: illic etiam præcipitem saltum esse aiunt, qui ad sedandos amores plurimũ valet. Ex quo Cephalum primùm saltasse tradunt, quum amore Pterolæ Degoneti filiæ impatienter arderet. *Cephalus.*

Menandro autem Gætæ videtur Sappho Lesbia Phaonis desiderio perculsa omniũ prima desiluisse, qui ad hanc sententiam eiusmodi versus protulit. *Sappho.*

Præruptam nacta transitu petram,
Cupidinis æstro percita, è summo præceps ruit,
Ex animi tui sententia, Rex imperiose.

Quibus exemplis facilè intelligere possumus amorẽ potius ex stultis insanos facere, quàm in animum sapientis cadere. Quid insanius esse potest, quàm à seipso discedere, nec secum habitare, sed in alieno corpore degere? Miseram dicimus seruorum conditionem, quoniam ex dominorum imperio omnia agãt, miserior est eorum qui amant. Herum namque longè magis importunum habent, quàm seruitia, quæ à Dominis aluntur, vt viuant, vtq; in officio atque opere persistent, non autem vt præcipitentur ad mortem. *Amantium miseria.*

Plato. Plato dicebat *animũ eius, qui amore tenetur, in suo corpore mori, in alieno autẽ viuere.* Sunt qui hanc sententiam Catonis esse putẽt, quoniã ipse eandẽ crebris sermonibus vsurpabat. *Menander.* Menãder poëta doctissimus, nõ iniuria Cupidinẽ imperiosum regẽ appellat, quandoquidẽ homines nonnunquã in interitum præcipitat, vel ad ea quæ turpiora ac perniciosiora sunt morte.

Atqui vt taceã infinita illa, quæ in fabulis scribuntur, quæque etiam in scenis ac theatris quotidie aguntur, ne videar commentitium quicquam aut fictũ referre, *L. Flaminius Valer. Maxi. lib. 2 de censoria nota. ca. 3.* L. Quintius Flaminius quum cõsul esset, in Gallia Placentinam quandã meretricẽ tam vesano amore exarsit, vt illius imperio vnũ ex captiuis securi percuti iusserit, in quem Cato grauiter inuectus est, & Censoria nota eum inussit.

Sed vt grauiora quædam recenseam, compellit sæpe amor ad perfidiam, proditionémque manifestã. *Tarentini.* Tarentini à Romanis ad Hannibalem defecerant, qui præsidio vrbis Brutios milites reliquerat, horũ præfectus vrbanam quandam puellam impatienter ardebat, *Q. Fabius.* cuius frater cum Q. Fabio, qui consul vrbem obsidebat, militabat. Certior huius amoris factus Fabius, iuuenem accersiri iussit, egitque vt clàm sororẽ adiret, & de proditione cum ea ageret, illa negocio suscepto, amatorem ad se vocatum in facinus hortatur: qui Veneris illecebris pellectus, conditionẽ non renuit, & in sequenti nocte ea parte, qua cum Brutiis custodibus sibi cõmissis excubabat, Romanos milites accepit. Et hoc pacto Fabius sine vulnere ac sanguine ex amatoria causa Tarẽtina vrbe potitus est, *Tarentũ Venus expugnauit.* quam quidẽ militibus diripiendã præbuit: cuius præda adeò opulenta extitit, vt cum Syracusanis manubiis adæquaretur.

L. Catilina filium suum interemit. Sall. in bello Catilin. & Val. Max. Lucius Catilina vir scelere notior quàm virtute, rebus gestis, aut vllo maiorum splendore, adeò amore Aureliæ Orestillę insaniuit, vt filiũ, quem ex alia vxore susceperat, adolescentẽ indolis peregregiæ, necauerit, quum eius nuptias illa viuo filio recusaret.

Publius quoque Clodius tam insani furoris fuit, vt tres sorores suas ante nuptias stuprauerit, nec deinde dubita-

abbstiterit sacra deæ Bonæ polluere, quæ per noctē celebrantur à mulieribus, nec cuiquam virorum interesse licebat. Nam quum pro populo sacrum Bonę deæ fieret apud Iulium Cæsarem (cuius vxorē Pompeiam ille impatienter amabat,) fœminea veste indutus, primò inter mulieres latuit, deinde quū per ædes erraret, rogatus ab ancilla Aureliæ matris Cæsaris quid quæreret? Auram Pompeiæ pedisequam se quærere respondit, verùm illa ex voce virum esse cognoscens, exclamauit, mulieres excitæ concurrūt, portas claudunt, domum scrutantur, & Clodium latentem in quodam cubiculo deprehendunt. Fit reus Clodius de pollutis sacris, & de sororum incestu accusatur. Sed corruptis iudicibus per lenocinij flagitium, iudicium euasit. Matronarum namque & ingenuorum puerorum noctes magno emptæ, pretium turpitudinis iudicibus extiterunt.

Diodes Pisistrati filius, qui ei in tyrannide successerat, ex amatoria causa vitam atque imperium amisit. Nam quum nobilem quandam virginem Atheniensem adamaret, & eam per vim stuprasset, à fratre puellæ crudeliter trucidatus perijt. *Diodes.*

Laodice autem Mithridatis Regis soror ac coniux, tam impiè in adulterij amores exarsit, vt redeunti ex longa militia viro, quasi illum festis epulis lætoque conuiuio acciperet, venenū miscuerit, à quo ex consuetudine noti antidoti vix euasit.

Semiramis regina tanti nominis, quæ virtute ac rebus gestis Reges omnes Assyrios præuertit, vidua cùm esset, amoris illecebris ꝑllecta, eos ex militibus suis eligebat, quos forma & robore præstantiores esse cernebat, & eosdem aliquandiu in delitijs habitos tandem necabat, ne stuprum secum admissum alijs proderent. *Semiramis.*

Ariarates Cappadociæ Rex, supremum diem obiēs sex virilis sexus filios sup̄stites sibi reliquit, quos ex vxore Laodice genuerat: verùm illa metuens ne ab administratione regni adulter suus: quē perditè amabat, à filijs ꝓhiberetur, quinq; ex illis parricidali poculo necauit. Vnum qui adhuc à nutritoribus aleba- *Ariarates.*

tur, à materno furore ac diro scelere cognatorum custodia eripuit. Qui deinde matri (quæ paruo tempore pòst concursu totius populi propter nimiã seuitiam trucidata est) successit in regno, & regiam sobolem iam propè per scelus extinctam propria virtute instaurauit.

L. Pedanius. L. Pedanium Secundum vrbis præfectum scribit Cornelius Tacitus à proprio seruo fuisse interfectum, qui ei admodum infensus erat amore cuiusdam exoleti, quum nec Dominum quidem amoris sui riualem, atque obtrectatorem perferre posset.

Pausanias. Quinetiam Pausanias Lacedæmoniorum Dux, qui Mardonium Medum vicit, ab Argilio adolescente, cuius insano amore tenebatur, accusatus quòd Græciam Persarum Regi prodere vellet, turpissimam mortem subiuit: & non modò vitam amisit ex amatoria causa, verùm quæsitæ laudis gloriam perpetuo dedecore obscurauit.

Sed vt hæc tam tetra scelera omittam, compellit plerunque amor ad ea flagitia, quæ aut turpia sunt aut dignitatem diminuúnt.

L. Vitellius. L. Vitellius, à quo Vitellius Cæsar natus est, vir innocens & industrius, amore tamen libertinæ adeò insaniuit, vt infamis haberetur. Illius nanque saliuis melle commistis quotidie palàm arterias, & fauces pro remedio fouebat: qua ex re omnibus ludibrio habebatur.

Galba. Turpis verò Galba, qui in exoletos semper exarsit: quorum nonnullos palàm arctissimis complexibus osculisq́; excipiebat, & quum confestim vt vellerentur imperasset, seducebat.

Plut. in vita Alcibiadis. Alcibiades patria eiectus, grato hospitio ab Agide Lacedæmoniorum rege acceptus est: verùm ille ingrato animo in reginam vnicam illius coniugem exarsit, quæ quidem Timæa nomine dicebatur, & eam in suam voluntatem pellexit, ex qua etiam Leotychidem genuit filium: vnde etiam gloriabundus exultabat Alcibiades, quòd quum Atheniensis esset filium suscepisset, qui aliquando apud Lacedæmonios regnaturus esset.

Phi-

Philippus Macedo non multum honori ac dignitati suæ consuluit, quum Larissen saltatricem tã perdite adamauerit, vt fabulam de se populis traderet. Ex ea quidem genuit Arideum filium, qui post Alexandrum aliquadiu regnauit. Nec etiam infamiæ nocuit Philippus, quum Attali sororem (repudiata Olympiade Alexandri matre propter adulterij suspicionem) duxit vxorem. *Philippus.*

Ipse quoq; Alexander odium non paruum Macedonum contraxit, quum post maximas victorias Rhoxanem barbaram, & modicis ortam natalibus, virginem tamen conspicuæ formæ, vt primùm eam in conuiuio conspicatus est, ita subito amore exarsit, vt eam vxorem duxerit, nullo amicorum in consilio adhibito, quum tot opulentissimas Regum filias sibi vltro oblatas respuisset. Fuit autem Rhoxane Bactriana Oxyartis filia, & inexpugnabili illa Petra, quam per proditionem inuasit Alexãder, cuius altitudo stadiorum quindecim fuisse dicitur, ambitus verò octoginta, in cuius vertice planicies feracissima erat, quæ ex omnibus fructibus quingentos homines aleret.

Vecordiæ etiam esse docti veteres putauerũt, propriis vxoribus nimis ardẽter indulgere, vt Demetrius faciebat, qui vxorum voluptatibus adeò se permisit, vt Regum omnium intemperantissimus esse videretur. Sed huic incontinentiæ furorem etiam addidit, quum victo fugatoq; Ptolemæo Aegypti Rege, Lamiam canendi modulandique peritissimam præter alias omnes impatientius arsit.

Turpe etiam fuit Cleomeni Lacedæmoniorum Regi, quòd vxorem tam perditè adamauerit, vt plerumq; ingruentibus maximis periculis clàm ab exercitu noctu discederet, & magnis itineribus Spartam concederet, vt vxorem, cuius desyderio deperibat, complecteretur. Maiorem tamen in coniugem amor libertatem habere videtur, qui sine suspitione & obiectatione omni ex parte esse debet, & iræ iracũdiæque omnino expers. Quod quidem vt ostenderent vetustissimi, Iunoni (quam matrimonii deã putabãt) qui sacrificarent, hostiæ fel adimebant, & iuxta aram

infodiebant, ſignificantes coniugium amoris ac ſuauitatis plenum eſſe debere, & bile, ſtomacho, ira, iracundia, atque omni amaritudine vacare. Eſt enim fel iracundiæ ſedes, vt inſpectores naturæ docent. Et Plinius affirmat, nihil aliud eſſe fel quàm purgamentū peſſimi ſanguinis. Docet quoq; nonnullos homines inuentos eſſe, qui ſine felle ſunt, quorum valetudo firmior, & vita longior fuerit, vulgoque aiunt eiuſmodi homines pacatiores placidioréſque eſſe, & ſine omni mala malitia.

Fel quid.

Aſſyriorum Reges.

Sed ad amorem redeo. Aſſyriorem reges nõ neiure optimo ludibrio contemptuiq; habiti ſunt: quòd Nini iunioris exemplo reſponſa omnibus per internuncios darent, & ſegni ocio in fœminarū turba ſeneſcerent, quaſi nihil fœlicius putarēt, quàm in ſcortorum grege deſidere? M. verò Antonius nimium amoribus indulſit, & animi corporiſq; virtutes effœminauit, & adeò inſanæ mentis in Cleopatram præcipuè extitit, vt Octauiam vxorem, Octauij Cæſaris ſororem, quę cum mira beneuolentía complectebatur, neglexerit, quū illa Romæ palā exclamaret, turpe admodum eſſe duos Romanos Imperatores bello concurrere, alterum amoris gratia, alterum quòd ſororis pellicem ferre non poſſet: verùm quum ad arma ventum eſſet, ſicuti cauſa iuſtior in Octauio, ita & belli fortuna ſuperior fuit. Vincitur Antonius & tertiam imperij totius orbis terrarū partem amittit, vitamque ſibi ipſi affert conſcius inſanæ turpitudinis ſuæ.

M. Antonius.

Claudius Cæſar.

Claudius quoque Cæſar ad furorem vſq; vxorius fuit, adeoq; ei indulſit, vt quaſi addictus, nō ſe vt Principem, ſed vt miniſtrum egerit. Harū enim ſtudio honores, imperia, exercitus, munera, impunitateſq; elargiebatur, per quas quidem ad priſtinam vecordiā redijt. Nam adoleſcēs adeò ęqualibus ſuis irriſioni fuit, vt in conuiuijs, comeſſationibúsve, olearum palmularumq; oſſibus ab illis crebro inceſſeretur.

Mithridates.

Mithridates quoque, quē paulò antè diximus infidam Laodicem ſororem ac coniugem habuiſſe, Hipſicrateam aliam deinde vxorem ſic impatienter amauit, vt ſine ea in militiam proficiſci neutiquā in magnis

qui etiam periculis voluerit, passusq; est illam tonsa coma & virili habitu armis & laboribus militaribus assuescere, & obdurare, ne puncto quidem tempo ris ab eo illa discederet.

Hic amoris affectus non modo animum ægritudi ne perturbat, verùm etiam corpus ægrotatione nõ nunquam afficit, quod quidem faceto ac iucundo cavillo ostendit Antigonus Rex. Nam quũ accepis set Demetrium filium languentem in lecto iacere, ad eum visendũ ac salutandum (vt moris est) accessit, & quum ante fores cubiculi esset, scortũ formosissimi oris (cuius amore filium teneri rumor erat) offendit, eum ingrediẽs Antigonus postquam eum salutauit, *& vt bona spe fortiq; animo esset*, dixit, ægroti brachium attrectauit, vt venarum arteriarúmve intentionem, motus ac remissionem scrutaretur. At *Demetrius melius se habere*, ait, *quandoquidem paulò antè febris disces sisset*. Hic molliter arridẽs Rex: *Verum* (inquit) *ais ô fili, quum eam pro foribus cubiculi inueni.* *Antigoni facetum cavillũ in Demetriũ.*

Hoc loco nequaquam tacenda mihi esse videtur admiranda quædã Seleuci Syriæ Regis in filiũ indul gentia, quæ quidem eiusmodi fuit. Mortua Antiochi matre Seleucus Stratonicem Demetrij Macedonum Regis filiam virginem, ætate integra & forma conspi cua duxit, quũ ipse iam senior esset, hanc quum quo tidie cerneret adolescens filius, miro amore ardebat, sed pudore cohibitus rem tacito silentio premebat. Atqui vt in amore dici solet, *Seleucus.*

Quoq; magis tegitur, tanto magis æstuat ignis.

quum nemini secretum suum credit, nec ratione ali qua cupiditatem hanc à pectore amoliri potest, in graues febres, subitamque ægrotationem incidit: nec vllis remedijs curari poterat, sed in dies grauius se habebat: per inediam mori destinauerat, potius quàm morbi causam palã faceret. Erasistratus medi cus per eximius, qui eius curationi præerat, quũ subi tam accessionẽ remissionémve febriũ fieri cerneret, ex aduentu discessuq; Stratonices, quæ crebro ad il lum visendũ viro comitata accedebat, animaduertit iu uenẽ nouercæ amore tabescere: non tamen audebat

rem adeò indignam, ac tanti periculi, sic temere Regi aperire, sed illum seductum flēs hortatur, vt forti animo perferat, si quid filio acciderit, quãdo ille desiderio rei ardeat, qua quum potiri nequeat, prorsus deficiat. Tum Seleucus miserabiliter mœrens adiurat nihil tam arduū esse, quod pro vnici filij adolescentis salute agere detrectet. Hic medicus: Frustra, inquit, niteris: amor nanque vxoris meæ hunc perimit, quā ad eum diuertere neutiquam viuus patiar. Tum pater flens atq; eiulans, quum medico nullis pollicitationibus persuadere posset, vt eius vxor filio suo morigeraretur, exclamat: *Vtinam saltem Stratonicem meam adamaret* Enimuero, Erasistratus ait, *rem tenes, istuc quidem est quod huc vsque tacui, ne iram tuam in me prouocarem. Nunc autem quando tu ipse dixisti, non est amplius dissimulandū: tute filio, si libet, moribundo adesse poteris.* Hinc effectum est, vt filio dilectam cōiugem Seleucus abdicaret. Et sic saluti atque incolumitati redditus est, qui nullis alijs remedijs euadere poterat. Nuptię Stratonices & Antiochi ingenti apparatu, & celebri concursu Principum ac pupulorum celebratæ sunt, omnesq; admirabantur Regē tam properè delitias connubij sui filio abdicasse, & illam ex Regina Regis nurum fieri æquo animo pertulisse.

Scipio. Nullam amoris veniam Masinissæ amico indulsit Scipio. Nam quum illius præcipuè opera Syphacē Numidiæ Regem & Hasdrubalem vicisset, illorumq; castra expugnasset, in Sophonisbam Syphacis vxorē Hasdrubalis filiam captiuam Masinissa subito amore exarsit, vxoremq; eam duxit: hoc quum Scipioni percrebuisset, vocatum ad se Masinissam grauiter obiurgauit, docuitq; ex Romano iure id neutiquam licere. Qua increpatione permotus Rex venenum amatæ coniugi misit, nuncians ei, si honori ac dignitati suæ rectè consultum vellet, neque in triumphum duci, id poculum hauriret: Illa verò impauida venenū exhausit, asserens id gratum sibi munus esse missum à nouo coniuge, & his dictis subitò enecta cecidit.

Lucanus quidam. Indulgentius in Lucanum quendam cohortis ductorem, virū strenuum ac fortē egit Fabius Maximus, Nam

Nam quum accepiſſet illum ancillæ cuiuſdam amore perculſum, noctе è caſtris magno cum periculo exire ſolitum, vt congreſſu illius mulierculæ potiretur, dimiſſis quibuſdam qui illam ad ſe ducerent, eam in tabernaculo ſuo abdidit, Lucanumque accerſiri iuſſit, eumque blando ſermone appellans, ait: *Egiſti contra leges: ſed quia fortis in bello ſemper extitiſti, compenſanda eſt virtus tua clementia noſtra*, & eductæ mulieris dexteram tenens dexteræ admirantis iuuenis iunxit, dicens: *Hæc deinceps apud te manebit. Tu autem operam nobis longè diligentius fortiusq; nauabis.*

Inimicitiæ quoque quàm maximæ tum inter riuales, tum etiam inter alios quorum intereſt, ex amatoria cauſa oriuntur. Ariſtides & Themiſtocles clariſſimi Athenienſes ciues, & virtute ac rebus geſtis celebres, diutius ſimultates inter ſe miro odio, non ſine Reipublicæ incommodo exercuerunt, quarum quidem cauſa ex amoris contentione manauit. Steſiliam enim Chiam forma præſtantiſſimam adamabant mutua inter ſe obtrectatione atque inuidia. Et poſtquam illius venuſtas, ætate defloruit, nullam ſimul conciliationem inueterati odij vnquam egerunt, ſed contentiones mutuas omnibus in rebus ſemper exercuerunt. *Ariſtides. Themiſtocles. Steſilia Chia.*

Non paruam quoque odij ac ſimultatis cauſam Catoni in Cæſarem præbuit Seruiliæ amor, qui malè diſſimulatus, tunc clarè patuit: quum in Senatu de ſupplicijs coniuratorum cum Catilina, inter eos eſſet diſceptatio. Nam Cæſari perlatæ literæ ſunt, quas ille clanculum lectitabat. Tū exclamans Cato, literas palàm legendas popoſcit, putabat enim illas ab aliquo coniuratorum miſſas eſſe. Tum Cęſar eas legendas Catoni tradidit, erant enim à Seruilia eius ſorore amatoriè ſcriptæ, quæ Cæſari noctem pollicebantur: quas quum legiſſet Cato, confeſtim eas in Cæſarem reiecit, dicens: *En temulente accipe*: & ad inſtitutū ſermonem redijt. *Seruilia Catonis ſoror. Cæſaris & Catonis mutua odia.*

Nec etiam tacendum eſt, & multos Imperatores ac duces, & ſeipſos, & exercitus quoque ſuos cupiditatum illecebris perdidiſſe. Semiramis in pro-

prium filium vesano amore exarsit, qui exhorrēs maternum concubitum, eam necasse creditur. Et quæ virtute & rebus gestis non modò Reginas, sed & Reges omnes qui ante eam fuerant superauerat, hac amoris turpitudine laudem suam perpetuo probro obscurauit. Quàm admiranda autem fuerit eius gloria, vel hoc exemplo indicari potest. Defecerat ab ea aliquando Babylon vrbs opulentissima, & Assyriæ regionis caput, quam ipsamet mortuo Nino marito suo condiderat, cuius vrbis muri inter septem mundi spectacula numerantur. Huius defectionis nūncius, eam capitis comam offendit componentem, & quum altera pars crinium adhuc soluta esset, ea sic relicta sumptis armis, & omni exercitu per præconem imperato, Babylonem perrexit, nihil eiusmodi ciuibus illic adhuc suspicantibus, & tanto impetu tantaque celeritate vrbis oppugnationem aggressa est, vt deditionem fusis lachrymis ab ea mœsti ciues impetrauerint. Et quum multa humana atque diuina munera conciliandæ causa Reginæ persoluissent Babylonij, statuā ei in medio fori, eodem habitu quo venerat, erexerunt, vt tantæ virtutis ac celeritatis gloria perpetuis monumentis celebraretur.

Pœni quum in Campania hybernarent, virtutis robur venereis delicijs deleniti magna ex parte amiserunt, vt non frustrà vulgò diceretur, Capuam Pœnis alteras fuisse Cannas. Ipse quoque Hannibal eorum dux, qui scientia rei militaris, rebus gestis, & militarium virtutum laude exteros omnes Imperatores præcelluit, in Salapia Apuliæ oppido (vt plerique scribunt) puellæ cuiusdam amore captus, magnam roboris sui partem eneruauit, qua quidem ex re calumnijs scriptorum patuit.

Annibal.

Alexander.

Nec à conuicijs innoxius Alexander extitit, quum Thaidis blanditijs pellectus Persepolim vrbem pulcherrimam atque opulentissimam incendit, & præsertim quum à plerisque visus fuerit per vrbem discurrere, & faces circunferre, quas magnis ædibus submitteret, quæ eo facilius cremabantur, quo cedro, cyparisso abieteque omnia concamerata erant: vnde ipsa

ipsa quoque Thais gloriabatur, exultabatque, quòd Thespiæ, Platearum Athenarumque antiquum vlta fuisset incendium.

Amauit etiam Alexander victo Dario Barsinen captiuam, ex qua deinde susceptum filium Herculem vocauit. Minuit etiam aliqua ex parte victoriæ suæ gloriam, quam consecutus fuerat, quum montes Dædalos superauerat. Nam Cleophitis reginæ regnum inuaserat, quod nemo Ducum aut Imperatorum vsque ad heroum tempora ante eum attigerat: sed quũ illa muliebri astu se illi dedidisset, amoris illecebris, concubituque Alexandri regnum redemit, blanditiisque id assecuta est, quod nullis viribus aut armis vnquam assequi potuisset: filiumque ab eo genitum Alexandrum vocauit, qui deinde imperium Indorũ tenuit. Et tamẽ turpem adeò infamiæ notam subiuit, vt quandiu vixit, semper regia pellex vulgò non Regina diceretur.

Q. Curtius.

Nec dissimili exemplo fuit Thalestris Amazonum Regina, quæ quum ad Alexandrũ in Hircaniam peruenisset, indissimulatè ait, nullam aliam ob rem illuc accessisse, nisi vt cum Rege futuram sobolem communicaret, dignamque se esse existimare, quæ Alexandro filios procrearet, & se regni sui hæredes filias recepturam, mares autem patri reddituram. Alexander conditionem non recusauit, & eam aliquot diebus retentam, in delicijs habitam, ac regijs muneribus affectam, domum remisit.

Thalestris: de qua Q. Curtius, & Iustinus.

Donec visa est vterum implesse, vt scribit Iustinus.

Ab hac quidẽ amoris perturbatione pauci ex magnis etiam viris immunes innoxijque omni ex parte euaserunt: facilius namq; est castitatis ac continentię præcepta alijs præscribere, quàm sibi ipsi. Et præcipuè quũ prima illa pubertatis ætas, quæ magis à Venere incessitur, infirma sit, & vix vllis rationis habenis coërceri possit. Litera enim illa Pythagorica facilem ac procliuem semitam ad libidinem ostendit, ad virtutẽ autẽ arduam ac perdifficilẽ. Eleganter Maro ait:

Litera Pythagora, id est y.

Facilis descensus Auerni.
Sed reuocare gradum, superasq; euadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est.

Lælium

Lælij castitas. *Iulianus Cæsar castus.*

Lælium Scipionis amicum scribunt nullo veneris congressu, nisi propriæ vxoris vsum in omni vita vnquam fuisse. Et Iulianum Cæsarem Ammianus Marcellinus scribit ita castitate enituisse, vt post amissam coniugem nihil vnquam venereum, quod à familiaribus sciri potuerit, admiserit. Et certè maximũ constantiæ munus est, ab amoris illecebris omni ætatis tempore abstinere: quòd siquis est qui id assecutus fuerit, iure optimo id dicere potest, quod Sophoclem Tragicũ dixisse Plato refert, qui quum à familiari suo quodam rogaretur, ecquid adhuc quũ grandis admodum natu esset, fœminis congrederetur: *Dij meliora*, inquit, *libenter enim ab amore tanquam a crudeli, & importuno domino effugi.*

Sophoclis responsum.

Cato maior. Cato maior vir tantæ constantiæ, tantæque seueritatis, non immunem se in multam vsque ætatem à Venere seruauit. Nam & mulierculam quandam senex dilexit, & in illius congressu deprehensus à filio, iniquo animo tulit, adeóque indoluit, vt Salonis clientis sui hominis plebeij atque abiecti (cupidinis adhuc impatiens) virginem filiam vxorem duxerit. Excusabat se tamẽ id egisse maioris sobolis propagandæ gratia, quod quidem etiam assecutus est, ex ea namque genuit Catonem filium, qui à materno genere Saloninus cognominatus fuit, à quo natus est Cato qui ad Vticam sibi mortem consciuit, vir tanti nominis.

Cato Saloninus.

Pisistratus. Idem quoque fecerat Pisistratus Atheniensium Tyrannus, qui mortua vxore, ex qua tres virilis sobolis filios habebat, rustici cuiusdã filiam virginẽ Chimonasam nomine dilectam à se prius coniugem duxit, eadem (vt dicebat) ratione, vt alios etiam filios gigneret: sed causam præbuit æmulo poëtæ, vt multa in eum illoto ore latraret.

Hæc tamen & similia multa animo cogitãti occurrebat mihi videndum esse, ne nimis angustis terminis Principum animos circumscribere nitar, & dum duriora quædam extorquere conor, faciliora multa perdam. Non enim sapientem nunc illum fingimus, quem nusquam inuentum doctissimi philosophorum

Principis institutio.

rum affirmant, sed eum qui vspiam sit, vel aliquando fuerit, qui virtute affluat, vitia exhorreat, summa prudẽtia versetur in rebus humanis, bene omnibus consulat, miro sit ingenio, sciat ignoscere, æquitate quadam duriora emendet, rectè ac verè iudicet, paucorum discrimine vitia multorum cohibeat, sit sine sæuitia ac crudelitate seuerus, ferro minitetur potius quàm feriat.

Hunc igitur si quærimus, opus omnino erit vt ei aliquid de moribus nostris cõcedamus, cogitemúsque illum hominem esse, nihilque humani ab eo alienum esse putemus, vt scitè de ipso comœdus ille ait. Quòd si Stoici qui sapientem suum in abdito Mineruæ recessu enutriunt, & in porticibus vmbraculisque disserendo audiendóque molliter exercent, amaturum esse concedunt: quid nobis cum rege ac principe agendum erit, quem in luxu ac delicijs educamus, & ex maximis exercitationibus, & quasi militari tabernaculo in aciem ac puluerem deducimus? Certè ei amoris veniam dabimus, sed nõ eius quem cognatum amicitiæ esse dicunt, quem Zeno in libris suis de educandis pueris permittit, & eundem docere etiam asseruit.

Terentius in Heautontim.

Regi venereus amor conceditur.

Amantes puerorum ingenium Lycurgus nõ spernendos esse ait, vt qui illorum indolem ad virtutem excitent: amatores autem formæ execratur, & iure optimo. Quis enim Teij Anacreontis Lyrici poëtæ peregregij amores tulerit, qui grandis etiam natu dilecti pueri Batylli duritiam carminibus fleuit, & à Vulcano pateram poposcit, in qua non cœlestis cursus, aut sydera cælata essent, sed Bacchus, Cupido, & Batyllus, quos pariter deos esse arbitraretur? Quis Græcos illos audire potest, qui scribunt Pindarum fœliciter obijsse, quòd in gremio amati à se pueri nonagenarius spiritũ emiserit, quasi suauissimo somno consopitus. Tolerabilior habẽdus fuisset Xenophõ, si venia aliqua adolescentiæ danda esset, nam turpes etiam amores suos lusit, dixitque: Si iussu Iouis necessarium esset vt oculis sic captus essem, vt vel solũ Cliniam amatum puerum cernerem, & ad reliqua omnia

Anacreon lasciuus.

Pindari mors.

PAGINATION INCORRECT

omnia cæcus essem, vel reliqua omnia viderem, Cliniam autem neutiquam intueri possem, eligerem solius Cliniæ potius aspectum, & ab omnium rerum forma fraudari contemnerem. Sed maior deinde factus, relicta hac turpitudine muliebres amores concupiuit, edoctus à magistro suo Socrate, vt opinor, qui admirationi fuit vniuersæ Græciæ, quòd ab Alcibiade omnium formosissimo abstinuerit.

Clinia puer.

Socrates Xenophōtis præceptor.

Noster quoq; Afranius, qui in Togatis suis plurimum excelluit, famam vel ex hoc suam obscuriorem reddidit, quod argumenta fabularum suarum fœdis puerorum amoribus inquinauit, fassus proprio testimonio turpissimos vitæ suæ mores.

Nunc verò ad propositam rationē redeo. Abhorret quidem eiusmodi amor ab omni humanitate, aduersatur naturæ, & castum sermonē formidat: de quo quum aliquando quempiam verba facientem audisset Socrates, caput suum pallio obuelauit, nec antea reuelauit, quam ille sermo desitus extitit. Quis enim amor hic esse potest, aut quandiu manere, quem vna ex parte voluptas, altera autem vtilitas conciliat, & nullo communi pignore retinetur? In suum enim sexum quasi monstrum aliquod turpissimum insanit.

Sed ab illoto sermone discedamus, & in primis cū Rege statuamus, vt sic temperanter ac modestè se gerat, vt habenam rationis nunquā amittat, & Aristippi Socratici sententiam sequatur, qui nequaquam erubuit, quum ei esset obiectum, quòd Laida haberet, *Habeo enim* (ait) *Laida, verùm enimverò à Laide non habeor.* Quo exemplo per epistolam ad L. Papiriū Pætū se tuetur Cic. quum in eo conuiuio cœnasset, in quo Cytheris notæ famę ac pudicitię mulier accubuisset.

Aristippi dictum.

Cic. lib. 9. epistol. ad Patū.

Virginum amorem tolerabiliorem esse ducimus, & præcipuè si illæ vxores poscerentur. Proci enim minore odio digni habendi sunt, minusq; alienas domos dedecore iniuriaq; afficiunt. Nam adulteri maximam hominum inuidiam contrahunt, & non modò eos quos iniuria lacessunt, in se vltores prouocāt, verùm maritos penè omnes, qui eandem contumeliam atque iniuriam formidant.

Persæ

Persę seueri criminum vltores, ideò capitali pœna in adulteros animaduertebant, quod dicerent illos sanctam ac naturalem connubij amicitiam perimere. Hinc Troiæ incendium, & Priameiæ domus excidiū, quo nihil miserabilius à poëtis decantatur. Hinc etiā innumerabiles cædes, quas passim in omnib⁹ populis quotidie cernimus. Optimè atque eleganter pinxit Helenam Zeuxis, sed arroganter ac temerè inscripsit, nō turpe fuisse Græcos ac Troianos diuturnum bellum, & durissimos labores pertulisse pro tali coniuge, cuius facies cœlestes Deas æquaret. *Helena.*

Nullum odium ciues duriore animaduersione vlciscuntur, quàm illud quod pro stupris adulterijsq; fœminarum contrahitur: id quidem nulla obliuione vnquam aboleri potest: testes mihi sunt Locrenses, quos primos inter Italos Zeleuco Pythagorico eorum ciue auctore legibus scriptis vsos Græci scriptores referunt. Hi Dionysium tyrannum à Syracusanis eiectum grato hospitio acceperūt: ille ingenij sui immanitatem in eos etiam exercuit, qui hāc præter cæteras omnes iniquo animo pertulerunt. Nam formæ pulchritudine præstantes fœminas, cōuiuium simulans, in vnum cogebat locum, easq; nudari compulsas, inter se vel pila ludere iubebat, vel è sublimi loco iactas columbas integris alis arripere, vel missa vltro citroque sandalia tollere, & rursus in alias mittere, præmiaque statuebat celerius imprudentiusq; id agentibus. Sed quum iterum à factiosis ac turbulentis quibusdam ciuibus in Siculorum tyrannidem reuocaretur, malè dissimulatum odium Locrenses euomuerūt, cæsisq; ad vnum vsq; militib⁹ omnibus quos præsidio vrbis Dionysius reliquerat, excussoq; omni seruitutis iugo, pristinam libertatem suam vendicauerunt. Vxorem quoq; ac liberos illius in carcerem coniectos, nullo auro, nullisq; pollicitationibus conditionibúsve redimi permiserunt, sed duram obsidionem passi, agrum omnem, & opulentas pecore ac frugibus villas diripi permiserunt, & domicilia tectaque omnia subiectis flammis incendi, deinde odium, quod in patrem contraxerant, *Locrensiū in Dionysij tyranni familiā durissima vltio.*

Locrenses.

xerant, in miseras illius filias exercuerunt, quas passim ad plebis libidinem exposuerunt, deinde omnes in pyram coniunctas igne cremauerunt cum matre etiam, & paruulis filijs duobus. Ossa quoque in puluerem redacta, ne ad sepulturam deposcerentur, in mare demerserunt, vlti turpitudinis dedecus perpetuo ac memorabili crudelitatis exemplo.

Principis amor. Sed iam concludendum erit Principis amores absque libidine (si fieri potest) esse oportere, & sine alicuius iniuria, soloque aspectu venustatis ac formæ delectari, nullis cupiditatis illecebris excitari, nulloque ardore torreri. Cupiditas enim cupiditate accenditur, quę nisi per continentiam superetur, nunquam sedatur, sed latius serpens, in insaniam furoremque conuertitur. Hæc est illa sitis, quæ bibendo magis magisque incendit. Illuc enim Græcum illud prouerbium spectat, quo dicitur, si aqua fauces exiccat, quid iam optare oportet?

Continens igitur sit Princeps, nihilque corporeis voluptatibus illectus præter rationem agat, legitimo connubio contẽtus sit, cuius fide atq; amicitia nulla maior nullaq; iucũdior inter mortales esse cernitur: sitq; per affinitatem potẽtior, quum sui similẽ vxorẽ ducit, nec posteritatem suam materni generis nota obscuriorem reddit. Filij quoque, integri fratres, non dimidij erunt, quum ex vtroque parente germani fuerint. Iucunditas verò illa quæ ex solo oculorum sensu manat, nihil turpitudinis habet, sed dulci contemplationis pabulo animũ perfundit, & virtutes potius studio hominum excitat, quã voluptate eneruet. Hinc ars ipsa, quæ perfectæ naturæ imitatrix habetur, picturam inuenit, vt formæ specie sine iniuria ac probro delectaremur, & quæ ante oculos semper habere non possumus, per imaginis similitudinem aspiceremus.

Cypron insulam opulentissimam veneri dicatam esse poëtæ fabulantur, dicuntque eam è mari illuc emersisse, & Paphias mulieres præ maxima decoris ac pulchritudinis specie eidem comites faciũt. Hanc *Pygmalion.* insulam priscis seculis inuasit Pygmalion Cilicum Princeps,

Princeps, vir ſanè virtute & animi præſtantia excellens, ac rebus etiam geſtis non obſcurus. Hic quum ciuiliter modeſteque imperaret, libidinem laſciuiáq; mulierum neutiquam cohibere poterat. Omnibus enim penè hominibus, poteſtatem ſui corporis vulgò permittebant, vt quæ Veneri ſe dicatas eſſe profiterentur. Idcirco vir animi peregregij vitam cælibē ducere inſtituit, ſed ne omnino amoris expers eſſet, vtq; amoliretur à ſe omnes, qui ei rem vxoriam ſuaderent, ex candido ebore muliebrem imaginem venuſtate præcellentem clariſſimi artificis manibus quondam ſibi fieri curauit, & eam pulcherrimè ac ſplendidè ornatā in intimis ædium penetralibus, ac ſi Regina eſſet, clam omnibus collocauit. Ciues cūcti putabant eum illam in delitijs habere, vel eius eſſe cōiugem, vt quæ viua intuentibus eſſe videretur. Pygmalion autem ex ſola contemplatione honeſtos amores meditabatur, contentus ſimulacri ſpecie, ne laſciuis illis mulieribus compelleretur congredi, vel ſexum fœminarum odiſſe videretur. Quo quidem exemplo docemur fictos etiam amores ſola cogitatione ſine cupiditatis illecebris, & ſine aliqua turpitudine iuuenum animis blādiri poſſe, & eos ab omni turpitudine vendicare. Simile commentum fuiſſe arbitrandū eſt Numæ Pompilij, qui quum cælibem vitam agere inſtituiſſet, & ab re vxoria abhorreret, finxit ſe diuinum meruiſſe connubium, & Egeriæ nymphæ commiſceri. *Vide Val. Ma. & Titum Liuium.*

De affectu deſiderij & verbi ipſius ſignificatione. TIT. XII.

DEſiderium Stoici amoris comitē faciunt, dicuntq; illud eſſe immoderatam quandam cupiditatem rei affectatæ. Vnde vetus illa ſententia orta eſt: *Acceleratio deſideranti pro mora habetur.* Cicero autem deſiderium dicit eſſe libidinem eius videndi qui nondū adſit. Hinc quærulæ illæ lamentationes Penelopes, quæ exemplo Homeri inducuntur à poëtis, & toties reuoluta, retextáq; tela ſpatioſam vt noctē falleret, & *Tuſcul. 4.*

nensi clade, duæ matres, quum inter alios filiorum cædem audiuissent, miserabiliter fleuerunt, verùm quum illi insperatò comparuissent, immoderata lætitia matres filios complexantes vitæ spiritum emiserunt, & quod desiderium facere nequiuit, gaudiũ effecit. Et hæc satis ad primum genus eorum, quæ bonorum opinione perturbant.

De lætitia gestientis, seu voluptatis, immoderatave lætitiæ affectu. TIT. XIII.

Lætitia gestiens.

ALterum genus eorum quæ ex opinione boni animum perturbant, lætitia gestiẽs à Cicerone dicitur, quam etiam voluptatem licet appellare. Stoici voluptatem dicunt esse sublationem quandam animi sine ratione, opinantis se magno aliquo bono frui. Lætitia autem erit optima recens alicuius præsentis boni, in quo efferri rectum esse videatur: vel, vt Aulus Gellius ait: *Lætitia est exultatio quædam animi gaudio efferuentior euentu rerum expetitarum.* Hanc alienam esse à sapiẽte, *cui licere dicit vt gaudeat, non autem vt lætetur:* quando gaudere sit animo placidè constanterque moueri cũ ratione, lætari autem sine ratione & intemperanter. Addit etiam gestum lætitiæ Cicerò, vt leuitatis affectum magis exprimat. Est enim gestire, sensum corporis gestu indicare: quod magis mutorum animalium est, quàm hominum; vnde cõstat translationem hanc à pecudibus ad homines factam esse. Nimia quædam lætitia (vt modò dixi) hominẽ subitò strangulat. Quod Chilonis Lacedemonij exemplo ostenditur, qui Pisis amplexatus filium, qui in Olympico certamine coronatus fuerat, defunctus creditur ex immodica lætitia, & senij imbecillitate.

Sapientis non est lætari.

Voluptatem Cicero aduersam rationi ex Stoicorum sententia semper facit: vnde in libris suis frequẽter inducit virtutem cum voluptate pugnantem.

Definitionem eius mitioribus aliquantum verbis ponit, quàm Stoici: dicit enim in libro secundo de finibus bonorum & malorum eiusmodi verba: *Voluptas*

tus est per quam sensus accipiens mouetur, & iucunditate quadam perfunditur. Et rursus paulò pòst ait: *Voluptas est iucundus motus in sensu.*

Aristoteles autem duas voluptatis species facit, vnam fieri dicit ex rebus honestis, alteram autem ex turpibus: nec fieri posse ait, vt quispiã iusti voluptatem accipiat, nisi iustus sit. Crantor verò Solensis, cui Sextus empiricus adstipulator accedit, dicit primos actionum nostrarum locos virtuti dandos esse, secundos bonæ valetudini, tertios honestæ voluptati, quartos autem diuitijs. *Lib. 10. ethi. cap. 3. ad fi.* *Crantoris quadrinium.*

Latini qui castigatè locuti sunt, affectum illum in rebus honestis qui aliquid cum ratione optat, voluptatem appellãt: voluptatem autem à ratione semotam intelligunt, proinde eam in rebus turpibus tantùm accipiunt. Voluptatis nomen apud Græcos nihil turpitudinis præ se ferre videtur, dicitur enim ἡδονὴ cuius origo à dulcedine, ac iucunditate trahitur. Idcirco ab illis in vtraque significatione accipitur. Minus igitur mirandum est Græcos philosophos tam in turpibus quàm etiam in rebus honestis voluptatis nomen vsurpasse. Latini nomen illud nobis magis suspectum reddunt, si vera est veterum quorundam grammaticorum expositio: dicunt enim voluptatẽ dici à Veneris ministra, quæ Volupe siue Volupia dicebatur. Peripateticã illam iucunditatem Regibus Principibúsque permittendam esse duco, nihil enim turpitudinis in se habet: & ratione quadam ducitur. Et frui rebus honestis omnibus licet. Illa verò omnino exhorrenda est, quam Plato malorum omnium pabulum esse dicit. Optimam siquidem indolem perimit, virtutem animi corporisq; frangit atq; eneruat, ingenium hebefacit, consilium eripit & honesta omnia obscuriora reddit. Campanæ voluptates longè magis Annibali, quam inuiæ Alpes, hostium exercitus, & ciuium suorum simultates obfuerunt. Huic lætitiæ seu voluptati comites accedunt maleuolentia, delectatio, oblectatio, insultatio, iactatio, effusio, & ambitio: de singulis igitur nunc sigillatim Deo beneuolente (vt dicitur) tractabimus. *Voluptas. Ci. de fi. bo. & ma. li. 2. ἡδονὴν dicit esse iucundũ motũ quo sensus hiant.* *Volupe, siue Volupia.* *Volupt. malorum pabulum fugienda.* *Voluptates Campanæ.*

De maleuolentia. Tit. XIV.

Maleuolent.

PRima huius voluptatis seu lætitiæ gestientis species est maleuolentia, quæ semper alieno malo lætatur. Cernimus enim in quibusdam hominibus quandam naturę prauitatem, vt duri semper, torui, immites, inflexibiles, inexorabilesque esse videantur, nunquam alieno bono gaudeant, sed malè omnibus esse cupiant, neminem æquo animo ferre possint. Et potius eorum quos ignorant (si vnquam fuerint) laudes audiunt, quàm eorum à quibus plurimis beneficijs quotidie afficiuntur. Eiusmodi viri fuerunt imprimis Diogenes Cynicus, Pyrrho Philosophus, Heraclitus Physicus, & Timon Atheniensis, qui in odium vniuersi generis humani nati esse videntur.

Maleuoli.

Qui maleuoli homines fuerint.

Coriolanus.

Cn. Martius, qui deinde ob quæsitam victoriam Coriolanus dictus est, nullo mansuetudinis studio, nulla facilitate in hominum consuetudine versabatur & multis erat aduersus, nemini in concione aut communi alloquio cedebat, durus erat semper ac pertinax, & multitudinem omnem odio habere videbatur. Sic quanquam fortitudine & iustitia pollebat, tamen repulsam tulit prælatis ei competitorib' genere ac virtute longè inferioribus. Eam tamen mitiùs ferre debuit, nec tam crudeliter in patriam sæuire. Nulla enim causa esse potest, qua quispiam iure optimo possit patriæ succensere. Odium ciuium sua culpa contraxerat, quum multitudinem nullo obsequio mulceret, nullis blanditijs deleniret, sed eam fastu ac pertinacia aspernaretur, quæ sæpius facilitate, gratia, ac precibus flectitur, quàm duritia, odio, atque minis. Cogitare enim debebat non tam eos à multitudine præferri, qui genere ac virtute excellunt, quàm negligi eos, qui nec populum rogandum, nec multitudinem mulcendam colendamque esse censent.

Tit. Liu. dec. 1. lib. 2.

Phocion etiam Atheniensis nihil in omni vita popularis gratiæ causa dixit vnquam, aut fecit, & sæpenumero plebi acerrimè ac contumeliosè aduersatus est:

est: proinde minimè admirandum est, si eam aliquando infestam habuit: nullis etiam facilitatis studijs ad Rempublicam accessit.

L.Crassus Crassi illius auus, qui cum filio & omni exercitu à Parthis trucidatus fuit, quem semel risisse in omni eius vita Cicero testatus est (luctibus enim alienis gaudebat) inexorabilis, durus, peruicax, crudelisque admodum erat, & sola tristitia ac seueritate popularis. *L.Crassus in omni vita semel risit.*

Catonem increpabat Cicero, iniquumque esse dicebat ciuē vnū repugnare his rebus, quas vniuersus populus statuisset, proinde cedendum tempori esse monebat. *Non enim rebus tempora, sed res temporibus deseruiunt*, vt Dionysius Halicarnasseus ait. Insani quidem hominis est pertinaciter populo insistere, & vltro se periculis obiectare. *De fin. bon. & mal. l. 5. ad fi. & Plut. 19. lib. 7.*

Accusant etiam historici Catonem & Scipionem, quòd post Pharsalicam victoriam Cæsari cedere noluerint, quodque reparato bello tot viros in Libya & in Hispania perdiderint, sine spe aliqua reparandæ Reipublicæ, quum multo satius fuisset illos ad meliora tempora reseruare: sine pertinacia enim bene consulendum Reipub. fuit etiam in aduersa fortuna. *Pertinacia Catonis & Scipionis minoris.*

Laudant omnes maiorem Aphricanum: qui æmulis suis cedere maluit, & perpetuum exilium vltro subire, quàm pertinacia & colluctatione sua ciuitatem labefactare. *Tempori enim cedere, & necessitati parere, semper sapientis viri esse habitum:* Cicero ad Marcellum scribit. Huiusmodi pertinaciam execratur Plato, & eam comitem solitudinis esse affirmat, vt qui arbitraretur hominum societatem comiter iucundeque esse colendam, & contra multitudinem non semper esse obluctandum. *Scipio Aphricanus maior.* *Pertinacia, solitudinis comes.*

C.Cęsar cognomēto Caligula Imperator pertinax nimis inexorabilis fuit, & maleuolētia quadā ac malignitate aduersus omne genus hominū grassabatur. Is vultū natura toruū, tetrum, atque horridum, de industria etiam efferebat, illum ad spectaculum componens in omnium hominum formidinem ac terrorem. Timeri enim volebat, non autem amari. *Caligula vultu toruo.*

Eiusmodi igitur maleuolentiam & austeritatem Principes omnes cauere debent. Vera etenim est Biantis sententia, & pro oraculo habenda, qua Principi præcipit, vt omnibus ciuibus placere studeat, idque multum gratiæ parere ait: contrà autem fastū & superbiam, odium inuidiamque contrahere. Sapienter Antigonus Rex dicere solebat, *beneuolentiam sibi videri optimum regni fundamentum, verissimumque rerum omnium præsidium.*

Biantis sententia.

Antigoni sapienter dictū.

Decet siquidem Principem ideò mansuetum esse, vt dicere solebat Chilo Lacedæmonius, vt hi cū quibus versatur, non tam eius sæuitiam metuant formidéntve, quàm seueritatem vereantur atq; obseruent.

Chilo.

Quod si natura durior austeriórve sit, arte & industria mitior fiat exemplo Sertorij, qui quum ingenio suo morosior violentiorq; esset, facilem placidumq; in rebus agendis arte & industria se exhibebat, affectum animi pro tempore simulans atq; dissimulans, qui saepe commilitonibus suis dicere solebat, studiosam sedulitatem omnia vincere, & opportunitatem optimum esse auxilium eorum, qui illam sumere sciunt: qui autem intempestiuè agunt, vel occasionē amittunt, raro voti compotes fieri, quandoquidem se fortunæ omnino permittunt, quo nihil amentius fieri possit, vt Marius senex ille peritissimus Imperator dicere solebat. Concludendum igitur erit, angusti animi esse alieno malo lætari, & præcipuè quum nemo possit fortunam suam in consilio habere. Cernimus nanque nonnullos alienis calamitatibus lætari, & miseris quibusque illudere, qui secundis rebus suis nimium exultant, & præsenti fœlicitati nimium credunt: qui paulo pòst versa fortunæ rota (vt dicitur) in maximas calamitates incidunt: vt qui alios modò contemnebant, ludibrio mox alijs sint. Opportunè itaque Varro satyram illam suam inscripsit: *Nescis quid serus vesper vehat.* Et hæc satis de maleuolentia illa quæ alieno malo letatur. Nunc autem ad reliquas species pergamus.

Sertorius simulator.

Nescis quid serus vesper vehat.

De-

De delectatione nimia quæ per aures accipitur. Tit. XV.

SEQVITVR delectatio illa quæ per auriũ sensum in animum nostrum obrepit, & eum nimia quadam iucunditate perfundit. Hanc Stoici dicunt esse voluptatem quandam suauitate auditus animum delenientem, quæ quidem vtiliter (nisi depravetur) à natura omnibus penè animalib⁹ data esse videtur ad animos permulcendos, & ad vitæ incommoda toleranda, laboresque facilius subeundos. Per hanc siquidem luctũ & lachrymas abstergimus, dolorum laborumque aliquantulum obliuiscimur. Tabesceremus enim desiderio ac mœrore, nisi diuturnitate temporis dolor ille cũ delectatione aliqua minueretur ac molliretur. *Delectatio. Ex Cic. Tusc.ul. 4.*

Etenim vt homines omittam, qui cantu, tibijs, fidibus, carmine, atq; omni musica ratione delectantur, & mirifica quadam suauitate perfunduntur: nonne aues ipsæ concentu & dulci vocum varietate seipsas, quasi enutriũt, & nos omnes incredibili quadam delectatione permulcẽt? Quibus benigna omnium parens natura omnes Musices modos, omnemq; harmoniam diuinitus tribuisse videtur. Lusciniam quis non admiratur? & præcipuè quum cernimus tantam vocem in tam paruo atque exiguo corpusculo, tam suauem, tamque modulatam concinentiam, vt non querula aut garrula præ desiderio aut amore (vt poëtæ opinantur) sed ducta ad numerum harmonia esse videatur. Doctissimi veteres putauerunt lusciniã perfectæ musices scientiam non solùm natura, sed etiam disciplina quadam habere, vt altera alteram doceat, quod & Plinius noster affirmat, & Thusci aruspices dictitarunt, cuius cãtum efficacissimam auspicij prognosticique vim habere dicebant. Eam etiam Acredulam appellabant: hinc est versus ille Ciceronis. *Luscinia. Ex Plin. c. 29. lib. 10. Acredula, Luscinia.*

Et matutinos exercet Acredula cantus.

Futuri præsciam hanc auem esse, vel ex hoc Græci Augures putauerunt, quòd in Stesichori ore infantis in cunis iacentis suauiter cecinit. Id quidem auspicium *Luscinia in Stesichori infantis ore cecinit.*

præsagiuit lactentem illum infantem poëtam præclarum futurum esse.

Sunt etiam aliæ cantu præter cæteras commendabiles, de quibus dicere supersedeo, inter quas est *Alauda.* Alauda, cantu, & auspicio adeo Romanis grata, vt vni legioni nomen dare meruerit, quæ Alauda dicta est, *Philip. 1.* vt Cicero in Antonium testatur. Sed de cantu satis in superioribus diximus, vbi de regia musica disseruimus: & de delectatione, vbi etiam de adulatoribus assentatoribusque tractauimus. Proinde concludendum est, aures Principis delectationem accipere debere rerum honestarum. Nam qui turpia libenti animo audit, is se turpem esse manifestè arguit.

De oblectatione. Tit. XVI.

Oblectatio. DELECTATIONEM comitatur oblectatio, quam latius per omnes sensus fusam esse arbitrantur. Oblectationē enim Stoici esse dicunt inductionem inclinationēque quandam animi ad voluptatē leniter emollientem, hæc nisi rationis habenis cohibeatur, facilè hominem ignauum ac stupidum reddit, & cogitione solius voluptatis delenitum. Est enim mollities quędam, quam in Scytharum Regibus fuisse Aristoteles arbitratur, qui ait eos gentili quadam consuetudine quasi effœminatos ab omni virilitate secessisse.

Sardanapalus. Eiusmodi fuisse scribunt Sardanapalum vltimum Assyriorum Regem, quem Arbactus Medorum pręfectus compulit, vt se ac diuitias suas pyræ impositas incendio deleret, indignatus quòd eum cui tot millia hominum parerent, purpuram nentem inter scortorum greges inuenisset. Hic oblectatione assidua adeò animum perfuderat, vt ne puncto quidem temporis voluptatis sensu carere posset. Is vnius sibi sepulchrum constituit in Anchiala vrbe, & literis Assyrijs inscribi fecit, vt Strabo refert, testemq; Chærilum *Strabo geogra. lib. 14.* poëtam inducit: *Sardanapalus Anacyndaraxis filius Anchialam & Tarsum vna die condidit. Ede, bibe, lude: &* *Chærilus.*

Quum te mortalem noris, præsentibus exple

Deli-

Delicijs animum: post mortem nulla voluptas,
Nanque ego sum puluis, qui nuper tanta tenebam.
Hæc habeo, quæ edi, quæq; exaturata libido
Hausit, at illa manent multa & præclara relicta:
Hoc sapiens vitæ mortalibus est documentum.

In has literas (vt ait Cicero) quum aliquando incidisset Aristoteles, substitit, partemq; primam Epitaphij quum legisset, ait: *Ecquid aliud in bouis, non in Regis sepulchro scripsisset?* Deinde quũ posteriores versus legeret, risit, dixitq;: *Hic ea se mortuum habere dicit, quæ ne viuus quidem habuit, nisi quandiu deglutiebat.* *Tusc. 5.*

Reges quoque cuiusdã Asiæ partis fuisse legimus, qui nequaquam permittebant virgines aliquas nuptui dari, nisi prius singulas quasque parens earum ad eos sibi ducerent, vt quascunque vellent stuprarent, & sic floribus delibatis, vt desponderentur permittebant: nec audebant proci vxorem aliquam poscere, nisi eam quam comperissent à Regibus veniam nuptiarum impetrasse. Tollenda est igitur hæc obiectatio ex animis nostris, manat enim ex mala consuetudine, quæ nisi radicitus euellatur, hominem tandem in insaniam vecordiámve rapit. *Reges Asiæ virginũ flores primi carpebant. Nuptiarum venia impetrabatur in Asia.*

De insultatione. Tit. XVII.

Hvic speciei proxima est insultatio, quæ est gestiens quædã lætitia ex alienis malis; (vt ait Cicero) hæc præ se fert nimiam atque insolentem lætitiam quandã. Satis est enim hostẽ vincere, victo autem insultare, aut illudere, ab omni humanitate alienum est. Hectorem interemit Achilles: id quod virtuti ac laudi eius accessit: sed quum illius cadauer circum mœnia quadrigis raptauit, victoq; tam superbè insultauit, turpiter egisse videtur, & victoriam aliqua ex parte labefactasse. *Insultatio. Hector. Achilles.*

Sylla quoque pulcherrimam victoriam suam dira atque inhumana crudelitate fœdauit: cui non satis fuit viuis hostibus illudere, nisi mortuorum etiam ossa è sepulchris canino more eruta in fluuiũ mergi iuberet, vt de Marij cadauere fecit. Proinde moriens se cremari testamento cauit, ne idẽ ab hoste ludibriũ *Sylla.*

post

post interitum pateretur. Sed longè præclarius (vt etiam in alijs omnibus) egit Iulius Cæsar, qui afferentem sibi quempiã magni Pompeij caput, exhorruit, & scelus execratus oculos auertit, lachrymasq; etiam effudit, quum illius annulum cerneret, in cuius gemma Pompeij facies cernebatur. Achillam quoque & Photinum illius percussores iugulauit, victo Ptolemeo Rege compulsoque ad mortem. Nam cùm profligatum à Cæsare exercitum suum cerneret Ptolemæus, e castris se in fugam proripuit, & quum vrgẽte hoste profugeret ad maris littus, in propinquam nauim à suis exceptus est: sed multitudine eorũ qui adnatabant ingruẽte, nauigio demerso perijt, & hoc pacto permissæ proditionis pœnas dedit infœlix Rex in primo adolescen[illegible] flore, dum nimis obtemperat pessimorum satellitum consilijs.

Iul. Cæsar. Ex Plut. in vita Põpeij magni ad fi. Vel leo ensifer, vt ait Pl. Achillas & Photinus Põp. interfectores.

Magnus quoque Alexander sicuti bello terribilis, sic parta victoria clementissimus semper extitit: nam quum vidisset Darium à proprijs famulis interemptum, grauiter ingemuit, & Bessum illius percussorem crudeli supplicio affecit. Darij quoque corpus dempta sibiipsi regia chlamyde, qua tunc indutus erat, ornauit, & ad illius matrem perferri iussit.

Darius à famulis suis interemptus.

Hannibal quoque Marcelli fortissimi hostis cadauer splendidè ornatum cremari iussit, & reliquijs in argentea vrna positis auream coronam imposuit, curauitq; vt ad filium mitterentur.

Hannibal.

Antonius, Bruti, quem vicerat, & ad mortem compulerat, cadauer purpureo paludamento suo inuolui iussit, & illius cineres Romam ad Seruiliam eius matrem, & ad vxorem Portiam perferri iussit. Huius etiam virtutis non expers fuit Agesilaus Rex: nam sicut in bello accerrimus pugnator extitit, sic post victoriam mitissimus fuit. Hi omnes dum ab hac animi perturbatione abfuerunt, laudi fortitudinis, clementiæ gloriam addiderunt, & perpetuam famam longè amplius accumulauerunt.

Antonius, Bruti cadauer.

Agesilaus.

De iactatione, seu iactantia.
Tit. XVIII.

EST deinde alia species huic non dissimilis, quæ iactatio dicitur, *& est lætitia gestiens* (vt ait Cicero) *se insolentius efferens*, hæc etiam aliena est à sapientibus & illustribus viris: reddit enim eos non modò tumidos & inflatos, verùm etiam omnibus ridiculos. Qui enim seipsum iactat, & gesta sua laudat atque admiratur, similis militi glorioso esse videtur, qui cum irrisione omnium auditur. Gloria sequi debet rectè facta, quẽadmodum vmbra corpus, non autem appeti. Qui enim gloriam appetit vmbram ac nebulam captare videtur. Qui verò præclara facinora sua laudibus effert, non animi virtute ea egisse videtur, sed affectatæ gloriæ auiditate, nec ea prędicare quia fecerit, sed fecisse vt prædicaret. Quinetiam quod magnificum alio referente esset, vanescit ac inglorium fit referente eo qui egit. Liuidiores illi, qui cùm benefacta destruere nequeunt, iactantiam insimulant, lacessuntq; eum qui de se loquitur. Et sic minora fiunt, quæ pręclara ac splendida ex aliorum laude extitissent. Nimis seipsum amat, qui de se ipso prædicat: Aliorum laudem expectet, qui honestè ac splẽdidè egit. Nam virtus ipsa, sola consciẽtia rectè factorum contenta est. Qua etiam in re cauendum erit, ne nostra nimium nosipsos delectent. Ad hanc sentẽtiam notum illum dicitur. *Amatores de forma iudicare non possunt.* Qua etiam in re nonnulli poëtarum carpuntur, quòd sua nimis laudent. Cicero hoc affirmat, quum ait: *nemo vnquam poeta neque orator fuit, qui quenquam meliorem se ipso arbitraretur.* Sic etiam præclari quidam artifices factitarunt.

Iactantior aliquando habitus est Zeuxis, & præcipuè in ea tabula qua Athletam pinxit, opus adeò cõsummatum, vt admirationi omnibus esset: sed nimiũ sibiipsi placuisse visus est artifex, quum versum illum subscripsit, quo significauit inuisurum potius aliquẽ pictorem, quàm imitaturum. De oratoribus, & poëtis

Iactatio.
Tuscul. 4.
Gloria cupidi.
Amatores de forma non rectè iudicant.
Cic. lib. 5. Tusc. quæst.
Suum cuique in poetica pulchrum.
Zeuxis.

Epistola ad Lucceium. tis sentire videtur Cicero, quum dixit: *videndū esse ut verecundiores nobis sint pracones Gymnicorum ludorum, qui quum cateris coronas imposuerunt victoribus, eorumq; nomina magna voce pronunciauerunt, quum ipsi ante ludorum missionem etiam corona donentur, alium praconem adhibent, ne sua voce se ipsi victores esse pradicent.*

Summæ leuitatis, & pusilli etiam ingenij est, pro secundo rerū successu seipsum extollere, quasi fortunā in consilio habuerit, certusq; sit eam nūquam in posterum aduersam fore: qua iactantia in Sertorium vsus est Metellus. Paululū enim quippiam in pugna aliquando superior, ita gloriabūdus exultauit, vt Imperatorem se appellari permiserit, & serta capiti suo imposuerit, conuiuia in veste triumphali celebrauerit, ac Victoriæ Deæ trophæa erexerit, quibus pro rebus irrisioni omnibus erat, quum nulla ex parte Sertorio, nec virtute nec rebus gestis conferri posset. *Metellus. Sertorius.*

Pompeius Magni Pompei filius iactantior etiam habitus est. Nam quum bis vna æstate in re nautica superior emicuisset, se Neptuni filium nuncupari voluit, Imperatorum paludamentum ex purpureo colore in cæruleum mutauit, quali Deum illum amiciri fabulantur.

Catonis maioris iactantia. Cato senior ab æmulis suis iactantiæ etiam notatus est, & præcipuè quum ausus est palàm dicere, *longè maiora Catoni populum Romanum, quàm Catonem populo Romano debere.* Insectabantur etiam, & ex eius scriptis illum incessebant, dixerat enim in quadā oratione seipsum laudare nō minus turpe esse, quàm vituperare. Qua ex re verum esse ostenditur quod Cicero ait: *Difficile esse in longa oratione non aliquando aliquid ita dicere, vt sibi ipse orator non conueniat.*

Didymo viro doctissimo quandoq; accidisse compertum est, vt quum historiæ cuidam illuderet, & ei tanquam vanæ repugnaret, ipsius proferretur liber, qui eam ad eandem sententiam continebat. Proinde monemur, vt in dicendo ac scribendo cautiores simus, ne nostro argumento vincamur. *Quin. l. 1. c. 8.*

Di

De effusione seu prodigalitate.

TIT. XIX.

SEQVITVR nunc alia perturbationis species, quæ ἀσωτία à Græcis, à nostris autem effusio dicitur: hanc dissolutionem remissionemque virtutis esse Stoici definiunt: hæc sumptuosa omnia appetit, delicijs profluit, libidine insultat, nihil ratione metitur, aliena cupit, sua profundit, cupiditatibus ardet, pudorem ac pudicitiam respuit, diuina humanaque commiscet, nullaque moderationis habena cohibetur. Eiusmodi viros Cicero Catilinam, Antonium & Verrem fuisse testatur. *Effusio.* *Catilina.* *Antonius.*

Hanc nimiam licentiam Græci scriptores in Alcibiade fuisse memorant: eamque viri tyrannidem affectantis indicium esse ciues Athenienses opinabantur. Vnde Aristophanes poëta palàm in eum exclamabat: *Leonem in Republica non esse alendum: alioqui si alatur, illius libidini fore seruiendum.* Poëtæ tales viros discinctos appellant, quasi solutos & incompositos. Hinc illud Persij: *Verres.* *Discincti.*

Non pudet ad morem discincti viuere nactæ?

Hoc tractum est à Veneris zona, quæ cestos dicitur, qua discincta compellebat in turpes amores quoscunque volebat. Homerus scribit hac zona cõpulsum Iouem fuisse in amorem Iunonis sororis suæ, quam deinde vxorem duxit: hunc imitatus Martialis ait:

Sume Cytheriaco medicatum nectare ceston:
Vssit amatorem balteus iste Iouem.

Remansit apud nos hoc verbum, vt incesti dicerentur, qui consanguineas affinésve corrumperent, & incestæ nuptiæ, quæ cum illis contrahuntur, qui agnatione aut cognatione necessarij inter se sunt.

Hanc effusionem sunt qui luxuriam appellent, & homines ea affectos luxuriosos: sicut enim luxata membra atque ossa dicimus, quæ ex suis sedibus atque articulis exturbantur, sic luxuriosos homines eos, qui à ratione ac virtute extruduntur.

Nihil igitur magis alienum à Principe esse potest hac

procorum improbitatem à se amoliretur. Hac animi perturbatione cōcita Sappho, quum absentis Phaonis desiderium vlterius ferre nequiret, ex prærupto scopulo mittit se præcipitē, & cupidineis pennis sustineri poscit. Hic affectus summæ leuitatis, ac vecordię molliores animos imbecillioresq; mētes inuadit ac frāgit. Vnde senex ille apud Terentiū, qui præ filij desiderio se ipsum punit, dū in agro se nimium exerceret, obiurganti vicino respondit: *Decreui tantisper me minus iniuriæ meo gnato facere, dum fiam miser*, quasi præ desiderio non liceret ei voluptatē vlla frui, sed labore atque ærumna desiderium suum leniret.

Mulieres sanè se destitutas desertasq; esse mœrent, donec eos quos desiderant, charosque habent, viderint: & illos, dum absunt perditos aut mortuos semper putant: hinc ortus est sermo ille, quem plerumq; historici vsurpare solent, vt desideratos, interemptos deperditósue dicant. Hic desiderij affectus desiderata omnia longè pluris facit, quàm faciebat quum illis fruebatur. Bona enim nostra tunc chariora nobis fieri videntur, quum deficiunt, vel cum illis caremus. Plerique enim hoc ingenio sumus, vt non antè bona nostra dignoscamus, quam cum ea funditus amittimus, vt est in veteri sententia. Vina item tum suauiora esse videntur, quum iam exhausta pocula nos deserunt, & serotini fructus iucundiores suauioresque sunt, quàm præcoces.

Desiderati in bello interempti.

Tusc. 5. ad finem.

Ex Gellio c. 11. lib. 3 noct. atti.

Homerus cæcus fuit, vt Cic. testatur, & ipsemet in hymno ad Apollinem cecinit, fideleq; de seipso perhibet testimonium. Tunc omnes eum neglectui habebant, nec patriam aliquam inuenire poterat, quæ eum alere vellet, quū verò diem obijt, charior ex desiderio factus est. Etenim ciuitates complures, ac populi excellentissimi de illius origine decertant: Colophonij ciuem suum illum esse dicunt, Chij suum iudicant, Salaminij repetunt, Smyrnæi tanquam Deo eidem delubrum intra mœnia dedicant. Argiui, Itacenses, & Athenienses vt suum sibi deposcunt, & rhapsodias eiusdem diligenter perquisitas consuunt, quas canente auctore despexerant, mœrentque ingenium

genium illud tunc defecisse, quum illas conderet, idque etiam instaurari (si fieri posset) vehementer desiderarent.

Eiusmodi desiderium in minoribus etiam artibus contingit. Inchoauerat Apelles alteram Venerem superaturus illam, quã Cois prius fecerat: verùm quum partem operis, faciem quidem ac pectus perfecisset relictis imperfectis alijs lineamentis, immatura morte decessit. Atqui id opus inchoatum maiorem admirationem reliquit, quàm illud quod antè perfecerat. Nulli enim artifices vnquam inuẽti sunt, qui ad præscriptam Apellis cogitationem operi succederent. Proinde omnes homines manus illas desiderabant, quæ dum Deam pingerent, perierant.

Nonnunquam etiam imperfectæ tabulæ maiorem artificibus famam præ desiderio præbuere, quàm perfectę, vt inchoatę Tyndaridę Nicomacho, imperfecta Medea Timomacho, & antedicta Venus Apelli. Nam commendationem maximè allicit, & desiderium plurimùm auget, quum cogitamus illos tunc defecisse, quum opera illa perficerent, nec inueniri posse amplius qui eadem ad præscripta lineamenta consummaret. Sed ad propositum ordinem redeo.

Poëtæ desideriũ pro mœrore ac fletu sæpenumero ponunt, vt est illud Horatij quum Virgilium consolatur miserabiliter flentem pro morte Quintilij: *Desiderare.*

Quis desiderio sit pudor, aut modus
Tam chari capitis, præcipe lugubres
Cantus Melpomene.

Atticus quoque apud Ciceronem desiderare pro lugere ac deflere posuit, his verbis: *Dixeram principio de Republica vt sileremus. Nam si isto modo volumus singulas res desiderare, non modo querendi, sed ne lugendi quidem finem reperiemus.* *Atticus Ciceronianus.*

Vacabit hac perturbatione vir fortis, qualem Principem hunc nostrum esse volumus, quem ad omnem fortunam æquo animo tolerandam perferendamq; instituimus. Minorem tñ affectũ esse desiderij ac mœroris quàm subiti gaudij insperatæq; lętitię, hoc exẽplo Romani veteres probarunt. Nuntiata enim Can- *Ex Plin. c. 53. lib. 7.*

ſet, nec Italiam, quòd ea pelleretur, ſed à primo cogitauit omnes terras, omnia maria mouere, Reges barbaros incitare, gentes feras in Italiam adducere, exercitus cõficere maximos. Genus illud Syllani regni iampridem appetitur. Et rurſus in alia quadam ad eundem epiſtola ait: *Quorum vtriq; ſemper patriæ ſalus & dignitas poſterior ſua dominatione & & domeſticis commodis fuit.*

Scribunt hiſtorici Cæſari proficiſcenti in Hiſpaniã, comites caſtellum iuxta Alpes oſtendiſſe effœti ac macilenti ſoli, paucorum atque inopum habitatorũ, rogaſſeq; per Iouem, ecquid putaret ambitioſos illic eſſe, qui de principatu certarent? Quibus Cæſarẽ ſeriò reſpondiſſe: *Malem equidem illuc primus quàm Romæ ſecundus eſſe.* Et certè ſi rectè iudicare volumus, miſeri quodammodo habẽdi ſunt ambitioſi homines: multitudini enim inſeruiũt, & magiſtratus, quos per ambitum conſequuntur, titulo tenus quaſi ex commentario gerunt.

Sapienter quidem Homerus Regem Agamemnonem ſortem Principum conquerentem inducit, ad hanc ferme ſentẽtiam: *vitæ noſtræ dominam multitudinẽ ſortiti ſumus, turbæq; omnino inſeruire cogimur.* Quem fructum tandem ex tot tantisq; laboribus aſſecutus eſt Agamemnon? vt poſt victoriam tam difficilem, tamque longi temporis, quum ad proprios penates remeaſſet, ab adultero per vxorem necaretur. Quem etiam victor orbis terrarum Cæſar? vt potitus rerum per proditionem ab his confoderetur, quos ab interitu liberauerat, & honoribus ac gloria affecerat?

Agamemnon de regia ſorte conqueritur.

Præclarè maior Aphricanus, qui vt ambitionem fugeret, Linterni maluit voluntarium exilium ſubire, quàm Romæ ambitioſè certare, & quum ſenatus populusque Romanus ſubacta Carthagine vellet eum exquiſitis honoribus ac præmijs afficere, omnia recuſauit, aſſerens ſe æquo iure cum reliquis conciuib. ſuis viuere velle. Pernitioſi ſunt apud Principes, & in omni libera ciuitate, qui inter ſe ambitioſi ſunt, ac de honorum curſu certãt. Imprimis enim ciuitates partibus inficiunt, & ea plerumq; ſuadent, vt contra obtrectatores loquantur, quibus vel Reſpub. ipſa grauiter offendatur.

Certa-

Certabant inter se ambitione & odio Aristides & Themistocles omnium Atheniensium ciuium tunc præclarissimi, & semper in contrarias sententias nitebantur: proinde quum aliquando Senatus dimitteretur rebus omnibus infectis, propter eorum altercationem, exclamauit Themistocles: nisi me & illum in barathrum deieceritis, Respublica Atheniensium nunquam salua esse poterit. *Aristides & Themistocles ambitiosi.*

Theophrastus vt in viris detestatur ambitionem, sic eã in adolescentibus qui literarum studijs indulgent, laudat, putatq; id gloriæ certamen, fomentum, & quasi calcar virtutis esse, fieriq; etiam pueros putat longè prõptiores alacrioresq;, si prudenter moderateq; laudentur. Nimiam tamen laudationem inutilem omnino esse arbitratur, quippe quæ ex manifesta licentia illos ad vecordiam insaniamq; compellat. *Ambitio adolescentũ literaria est virtutu calcar. Virtus laudata crescit.*

Hoc tandem cogitare debemus, ambitionem animi esse affectum, & nimiam quandam honoris ac gloriæ appetentiam atq; auiditatem, quæ si ratione comprimitur, minus nocet. Sin verò ad actum perducitur, fit longè deterior, & tunc ambitus dicitur, & in profusionem, prodigentiam, insaniamq; facilè collabitur, ciuitatesque plurimum perturbat. Quocirca à legumlatoribus ambitus grauibus pœnis coërcetur, quippe qui Rempublicam sæpe labefactare solet. Tollit enim virtutis præmium: & deteriores semper melioribus præfert. Hęc de ambitione satis. Nunc autem de duobus alijs generibus perturbationum, quæ ex opinione mali oriuntur, deinceps in sequenti volumine dicendum erit. *Ambitus.*

QVINTI LIBRI PRAEFATIO, AD EVNDEM.

Socratei.

NObile præceptum Socratis philosophorum omnium sanctissimi illud fuit ad Alcibiadem, quum ait, nihil expetendum in vita humana esse, nisi quod cum virtute & honestate coniunctum esset. Nihil enim bonum esse potest, nisi quod honestum sit, nihilq; malum, nisi quod turpe. Quinetiã cùm idem philosophus prouocat ad comparationem formæ Critobulum adolescentulum admirandæ pulchritudinis, sed suspectæ pudicitiæ, non id agit, vt attritam senis faciẽ præferat speciosissimo ephebo, sed vt per iocum illum à famosa consuetudine reuocet, & ad virtutem redigat, eiq; persuadeat fortunæ ac corporis bona irrita omni ex parte ac vana esse, nisi cum virtute atque honestate coniuncta fuerint. Vnde eleganter Musonius philosophus dixit: *Quum quippiam pulchrum per laborem feceris, labor ille quamprimùm recedit, benefactum autem perpetuò remanet. Quum verò turpe aliquid per voluptatem admiseris, voluptas illa citò abit, nequiter autem commissum neutiquam recedit, sed indelebili stigmate inhæret.* Hęc est fœlicitatis descriptio, quam paucis verbis M. Tullius expressit, ait enim: *Ex depulsione mali, & adeptione boni vitam beatam consequimur.* Hæc doctissimorũ philosophorum præcepta me admonent, vt quũ iusti imperij effigiẽ scripturus sim, nihil prætermittam ꝙ ad officium optimi atque moderati Principis pertineat. Proinde q̃ depellenda sint mala, quæq; cauẽda fugiendaq; sint, ex instituto ordine prius absoluemus, vt deinde q̃ adipiscenda adeũdaq; erunt, vberiore oratione differamus, vt quũ tibi suppetant omnia quæ ad dignitatem summi ducis pertinent, quæq; ad spem futuri regni spectant, ea illustrium virorũ exemplis probata cernas, & ab eruditissimis scriptoribus lite-

literis commendata. Nihil superiori Aphricano decrat, quod ad maximi Imperatoris laudem attineret: attamē Cyri pædiā nunquam è manibus dimittebat, gloriabaturque etiam se eam lectitando contriuisse, vt qui summopere lætaretur, ex magno Rege cōsilia sua rebus dubijs recognoscere, & quæ strenuè gessèrat, non carere magnorum Regum atque Imperatorum auctoritate. Constat enim sapientia non modò ex libris ac disciplinis bonarū artium, quæ nobis imaginem pòtius ac figuram quandā sapientiæ præstāt, quàm veram eius speciem, ac præcipuam formam, sed & ex electione, actu, atque habitu ipso clarissimarum actionū. Quis citharœdum illum probaret, qui tacito cordis iudicio citharisticā optimè calleret, & tamen nec voce caneret, nec plectro citharam percuteret? Opportunè admodum Socrates ad adolescentem illum taciturnum ait: *Loquere vt te videam*: quando eum neque formæ præstantia, neque ex lineamentis corporis cernere se posse arbitraretur, sed ex verbis, ac sermone ipso, qui index animi, & ad omnes actiones præuius. Absoluamus igitur in sequenti volumine, quæ vitanda, quæq; fugienda atq; exigenda sunt, vt promptiores alacrioresq; simus ad ea capessenda, quæ adeunda ac perpetuò tenenda erunt, quæq; nos Deo Optimo Maximo conciliant, & ad veram ac perpetuam fœlicitatem perducunt.

De metu & ægritudine, quæ animum nostrum opinione magni alicuius mali perturbant.

TIT. I.

DVo reliqua perturbationum genera supersunt, quæ animū opinione mali perturbant: metus scilicet, & ęgritudo. Nam *metus* (vt Cicero ex sententia Stoicorum definit) *est opinio impendentis mali, quod intolerabile esse videatur.* Quē à motu quodam animi dictum putat Varro, quum id quod malum casurum putat fugit mens, & motu quodam concutitur corpus. *Metus.*
Ægritudo autē est opinio recens mali pśentis, vel est *Aegritudo.*

cōtractio animi aduersante ratione, vt ait Apollodorus. Metus has habet species, Pigritiam, Pudorem, Terrorem, Timorem, Pauorem, Exanimationē, Conturbationem, Formidinem. Prima omnium virtutū, quæ ad Reges pertinent, fortitudo habetur. Ignauia igitur, formido, & similia, quæ huic opponuntur, longè à Regibus Principibúsve aliena sunt. Omnis enim regendi vis in animi fortitudine ac magnitudine ponenda est, in quadam contemptione ac despicientia rerum humanarū, quam deinde virtutes reliquæ facilè comitantur. Sicut enim saxa & scopuli vndas retundunt, ita Regis animus aduersa omnia frangere debet, & semper in sua virtute persistere.

Species Metus.

Horatius.

Ad hanc sententiam poëtæ Martem adamantina tunica indutum fingunt, vt ostendant Reges atque Imperatores immotæ mentis esse oportere. Non tamen dicam Principem, aut sapientem ipsum, si vspiam inuenitur, nunquam aliquo metu turbari. Hominis enim vis atque prudentia in subitis ac manifestis periculis nequaquam sibiipsi satis consistit, sed in primo illo impetu commouetur: neque est quispiam tam firmi ac constantis animi, quin improuisa coruscatione ac tonitru aliquantulū nō concutiatur. Quamprimùm verò se colligit, tum naturæ ratio, & animi virtus eum firmat & metum omnem frangit. Causa autem intellecta ac penitus cognita docet id non esse timendum, qui si in metu persisteret, ignauior atque imbecillior esset. A Cicerone dicitur, & id quidem verè, plus in metuendo mali esse, quàm in ipso illo quod timetur.

Pl. l. 15. c. 30.

Vnde & Armigerum Iouis dici.

Meticulosior infirmiorque habetur Tiberius Cæsar, quando tonitrua & fulgura adeò formidabat, vt coronæ lauri semper vteretur, & vbique pellem marini vituli circunferret pro remedio contra fulgura. Dicunt enim qui secreta naturæ rimantur, ex volatilib' solam aquilam à fulgoribus intactam esse atq; innoxiam, ex piscibus marinum vitulum, ex arboribus fructibusque solam laurum, reliqua omnia fulgoribus obnoxia esse multis exemplis testantur, & fulmina Hetrusco ritu à veteribus procurari, ac sacrificijs expiari

plari solita manifestũ est. Atque (vt ad Tiberium redeam) in minima quaque tempestatis suspicione vel alta penetralia quærebat, vel in abditum concameratumque locum se receptabat.

Plin. c.30. lib. 15. c.3. lib. 10. in finem.

Stoici, quibus veteres Academici consentiũt, tres bonas affectiones siue mediocritates esse affirmant, gaudium, voluntatem, cautionem: vt sit gaudiũ, quasi rationabilis quędam placida & constans iucunditas, vel voluptas (nisi nomen hoc omnino nobis suspectum est) dolori contraria.

Plin. c.55. l.2.

Voluntas autẽ sit appetitio cum ratione cupiditati aduersa. Cautio verò, declinatio à malo cum ratione, similiter metui opponitur. Voluntati addebant quasi socias, beneuolentiam, placiditatem, lenitatem, dilectionem. Gaudio iũcunditatem, lætitiam, æquanimitatem. Cautioni autem verecundiam, castitatem.

Cauebit igitur Rex ne metuat. Eius enim animus quietus esse debet, atq; omni perturbatione vacuus. Hac opinione ductus Socrates putabat fortitudinẽ esse scientiam quandam seu peritiam cauendi. Annibal ad præuidenda cauendaque pericula præter omnes alios exteros duces semper paratissimus habitus est, nec minus in secundis aduersa, quam in aduersis secũda meditabatur. Proinde nullo metu perculsus vnquam opportunitatem rerum agendarum amisit. At contra Nicias Atheniensis, quamuis rebus gestis illustris habebatur, tamen timoris nota non caruit, & quum minus feliciter aliquãdo pugnasset, culpam omnes in eum referebant, qui cum timore percitus, minima quæque caueret, temporis occasionem (quæ gerendorum omnium domina est) præterfluere sinebat.

Quæcunque per ignauiam ac metum à Principibus committũtur, perpetuo dedecori eis sunt, & hostium conuiciis calumniisque semper obnoxia. In primo Mutinensi prælio Octauium relicto paludamento atq; equo fugam arripuisse irrisit exprobauitque Antonius, & post biduũ tãdem cum apparuisse. In prima quoq; Philippensi pugna sic effecit: in qua exut⁹ castris vix ad Ant. cornu fuga euasit. Prin-

cipio huius certaminis quidam Octauium ab exercitu suo abfuisse scribũt, quòd monitum se inter quietem diceret, vt diem illum diligenter caueret, idque eum excusasse in quadam epistola sua testantur. Valerius tamen Maximus Romanæ historiæ vastissimũ pelagus, ac togatæ facundiæ receptaculum, scribit Octauium lectica perlatum, prælio interfuisse monitu Artorij medici, qui ei dixerat, sibi per quietem apparuisse Mineruam, imperasseque vt pugnæ interesset, contempta aduersa valetudine, cuius dicto statim obtemperauit Octauius. Adiecit etiam hoc probri in eum Antonius, quòd nauali bello ad Siciliam ne rectis quidem oculis instructam aciem vnquam contueri potuerit, sed supinum oculis in cœlũ intentis eum retulit iacuisse, nec prius surrexisse, quàm M. Agrippa, *superatæ sunt hostium naues*, dixisset. Magna tamen vis consuetudinis est. Iuuenis adhuc Octauius, & Græcis disciplinis potius quàm militaribus artib. institutus, infirmior esse videbatur. At postquã rebus bellicis assueuit, Antonium, qui primò contemptui fuerat, superauit, & ad mortem voluntariam cõpulit. Incertum an propria animi virtute id egerit Octauius, an magno Cæsaris genio adiutus, siue ignauia, vecordiáve Antonij, qui Cleopatræ amoribus delenitus vel potius amatorijs venenis potus, virtutem animi perdidit, & corporis vires eneruauit,

Val. Max. laus.

Adiuuat etiam animi ac corporis vires domestica persuasio. Cimbri enim & Celtiberi adeò à metu absunt, vt in acie mori gaudio exultent, lamẽtentur autẽ in morbo, quasi turpiter perituri. Tradunt scriptores, in bello Cantabrico matres proprios filios necasse prius quàm eos Romanis captos permitterent, inuentumq; esse puerum, qui fratres suos, qui in vinculis iacebant, iugulauerit patris iussu, qui ei etiam ferrum præbuerat. Spartanæ quoque mulieres exituros in militiam filios monebãt, vt aut viui cum armis in conspectum earum redirent, aut mortui cum armis referrentur.

Cimbri & Celtiberi metus expertes.

Spartanæ mulieres.

Perseum Polybius scribit adeò meticulosum fuisse, vt quum prælium cum Paulo Aemilio inire instituisset,

misset, simulato Herculis sacrificio in vrbem proximam profugerit: adeò enim molli & imbecillo erat animo, vt ne oculis quidem hostium aciem aspicere posset. Magni quidem momenti est in prælio ré ante oculos sui Principis agere, à quo & præmium virtutis sperare potest, & pœnam ignauiæ formidare. Vt enim nautæ omnes, etiam qui in prora assident, mentem atque oculos assiduè in puppim, vbi gubernator clauum dirigit, intendunt, illiusque nutum obseruant, sic bellatores Ducum Imperatorumque vultũ intuentur, non modò vt dicto pareant, & mandata celeriter exequãtur, verumetiam vt ex eo animi præsentiam hauriant promptioresque reddantur.

Primum victoriæ indicium, fiducia Principum habetur, quorum exemplum fortes omnes sequuntur, & ignauiores quoque promptiores fiunt. Alexander hostium fortunam audacia, vires autem fortitudine & gloriæ studio superare nitebatur. Proinde crebris sermonibus dicere solebat, nihil fortibus indomitũ esse, & nihil timidis satis munitum. Huius Regis vel solius virtus sæpenumero succumbentem ad victoriam erexit, & victores etiam hostes profligauit.

At contrà Põpeius in pugna Pharsalica, vt primùm militum suorum conuersionem ex puluere cõspicatus est, animo collapsus in tabernaculum relicta acie penetrauit, nulloque Imperatoris officio functus, quum ingruentes hostes cerneret, fugam corripuit: Cæsar autem qui ad omnem rei bellicę vsum semper promptus aderat, nactus temporis opportunitatem, quã sedulò sequebatur, victoria potitus est. Magno enim animo & erecto quibuscunque in rebus erat Cæsar, & non modò inimicis, sed ne fortunę quidem succumbebat, multaque facilia ex difficillimis animi magnitudine reddebat, cuius etiam constantia in rebus aduersis ac propè afflictis cernebatur. Hic qui tot & tanta bella gessit, bis tantùm ancipiti fortuna dimicauit: semel ad Dyrrachium, vbi pulsus, non instante Pompeio, negauit illum scire vincere: iterum in Hispania contra iuniorem Pompeium, quum eius exercitus adeò timore trepidaret, vt pugnam detre-

ctaret, nec sustineret impetum, sed iam hosti cederet: & tunc discurrens per medias acies exclamauit. *Si nihil pudoris est, corripite me, & in manus puerorum tradite.* Deinde e manu cuiusdam obuij militis scutum arripuit, & in globum partim vitauit, partim clypeo excepit, & tādiu restitit, donec milites pudore ac verecundia perciti, non modò eum tutati sunt, verùm hostilem quoque exercitum profligarūt, in qua quidem pugna triginta hostium millia ceciderunt, ex Cæsaris autem circiter quingenti desiderati sunt. Atqui si animum aliqua ex parte submisisset Cæsar, & vitam (de consciscenda enim sibi morte cogitauerat) & imperium, & rerum gestarum gloriam protinus amisisset. Alexander quoq; aliquando illuc peruenerat, vnde recipi nisi victor, vel cū magna exercitus sui clade non posset. Suadebat tum ei Parmenio, vt noctu, ac clanculum hosti congrederetur. Tum Alexander: *Latronum*, ait, *ac furum istuc consilium est, quorum votum est fallere. Proinde palam & aperto marte dimicare cum hoste certum est. Nolo enim tenebras atq; insidias gloriæ meæ obesse. Idcirco malo me fortunæ meæ pœniteat, quàm victoriæ pudeat.* Tum iussit vt omnes corpora curarent. Postridie autem exercitum produxit, & tanta omnium alacritate pugnauit, vt prostrata omni hostili manu victor euaserit. Irrisioni omnibus fuit pluribus in locis ignauia Xerxis, cuius exercitus præ innumerabili multitudine maxima queq; flumina hauriebat, montes æquabat, & maria pontib⁹ sternebat, & præcipuè in ea nauali pugna contra Græcos, quam præfectis suis delegauit, & ipse Rex spectator certaminis vt esset, in littore desedit, cum quibusdam leuibus nauiculis ad capessendam fugam idoneis: Aderat in eo prælio Artemisia Hallicarnassi Regina, quæ Xerxi auxilio venerat, & inter fortissimos belli Duces acerrimè certabat, adeo vt in Rege muliebris timor cerneretur, in Regina autem virilis fortitudo. Sed iam ad species quæ metum comitantur, accedamus.

Alexander.

De

De pigritia. TIT. II.

PRima quidem species quæ metui subest pigritia dicitur, quam Cicero metum cōsequentis laboris esse definiuit, huic opponitur industria. Quocirca idem auctor ait: *Demosthenem iniquo animo tulisse, si quando opificum antelucana industria vinceretur.* Hæc Demosthenis industria tantùm potuit, vt eum præstantissimum omnium oratorum reddiderit: quem Græci dicunt parum admodum natura & ingenio valuisse, omniaque labore & diligentia perfecisse. Extemporanea tamen oratione non dicebat, nec prouocatus in concione respondebat, nisi rem de qua dicturus erat, nocturna lucubratione meditatus fuisset. Proinde Pytheas orator eius conciuis dicere solebat, *Demosthenis argumenta lucernam olere.* Quinetiam quum pro seipso causa aliquando ex tempore apud Athenienses esset dicenda, suscepit eius patrocinium Demades, qui extemporanea oratione magis quàm præmeditata excellebat: natura enim & ingenio omnes alios oratores præuertebat, studio tamen & industria à Demosthene vincebatur. Fit enim nonnunquā, vt industrij homines eos vincant, qui ingenij bonis præstabant, diligentia enim ea suppeditat, quæ per naturam desunt. Acuti autem contrà freti ingenij viribus, desidiosi, pigri, ignauique plerunque sunt, dum nimium naturæ bonis confidunt. *Cic. in Tusc.*

Nimia tamen in scribendo diligentia, non omnino laudem meretur, ea siquidem stilum non modò retardat atque moratur, verùm etiam sermonem obscuriorem reddit. Affectatio illa verborum, & aucupiū syllabarum (vt dicebant veteres) minus grata grauibus viris esse solet. Hoc in Antonio increpabat Octauius, qui dicebat illum ea scribere, quæ homines admirarentur potius, quam intelligerent. Huius successor Tiberius nimia etiam verborum affectatione, & sententiarum quadam morositate quæcunque scribebat adeò obscurabat, vt ex tempore quū diceret, præstantior, quàm si dedita opera, haberetur. *Affectatio verborum.* *Vt scribit Suetonius.*

Sed

Sed vt industria ac diligētia Principum res omnes adiuuat, sic inertia, pigritia, negligentia omnia euertit, & indecora reddit. Pallas apud Homerum hoc docere videtur, quum Agamemnonem increpans ait, *Non oportere virum, cui populi sunt curæ, tota nocte quiescere.* Huius sententiæ æmulus Silius Italicus Mercurium inducit Hannibalem excitantem his verbis:

Lib. 4. Puni.

Turpe duci totam somno consumere noctem.

Corrector Libyæ Octauius Capreas pro Inarime cum Neapolitanis commutauit, vt illuc curandæ valetudinis gratia secederet. Aedificauerat enim in ea insula splendidas ædes, quibus pro honesto diuersorio post magnam rerum satietatem aliquando vtebatur. At Tiberius eadem insula malè vsus est, illuc enim vt per pigritiam ac negligentiam insaniret, accedebat. Et quum vrbem egrederetur, edicto cauebat, ne quis se interpellaret. Præmittebat etiā ex suis aliquot, qui obuios omnes ex itinere arcerēt, ne quis eum obiter adiret; vt Capreas ingressus, omnes imperij curas abdicaret. Et sic Armeniam à Parthis occupari, Mæsiam à Dacis ac Sarmatis, Galliam à Germanis magno cum dedecore ac discrimine totius imperij vastari neglexit. Quò quidem loci, secreti licētiam nactus, malè dissimulata animi vitia patefecit; & cum Pomponio, Flacco, & L. Pisone noctē & continuum biduum epulando potandoque consumpsit: & alteri Syriam prouinciam, alteri præfecturam vrbis, e uestigio dedit, iucundissimos illos, & omnium horarum amicos esse affirmans. Delectabatur vel maximè ea insula, quòd septa omni ex parte esset præruptis atque altis rupibus, & vno tantum paruoque littore adiretur. Quinetiam in ea carnificinam (qua vnicè delectabatur) facilius exercebat. Nam quoscunque oderat, in mare post longa & exquisita tormenta præcipitari iubebat, eosque contis ac remis excipiebant nautæ, lacerabant, ac trucidabant, ne quis aliquo casu euadere posset.

Inarime Straboni li. 6. Pli. c. 6 li. 3. Pithecusa dicta.

Demetrius Macedónum Rex principio regni sui piger habebatur, durus, ac morosus, ignauo enim silentio, & solitario ocio lætabatur. Idcirco difficilem se ad-

se adeuntibus præstabat. Quod quidem Macedonibus eo molestius erat, quod Philippo Regi assueuerant, qui perfacilis in audiendo fuerat, patebatque semper aditus omnibus, qui eum adire volebãt. Contigit ergo aliquando aniculam quandam eum non occupatum nactam, vt se placidè audiret, rogasse. Tũ Rex commotior aliquantulum, sibi non esse audiendi ocium respondit. At illa defixis in eum oculis: *Non igitur regnes*, exclamat, *si audire piget*, hic Demetrius substitit, & mitior factus, eam longo silentio audiuit, quam deinde opera nauata placido alloquio dimisit. Post autem tacitus secum aniculæ verba animo reuoluens, mentem mutauit, & ex difficillimo perfacilem deinceps se & benignum omnibus præbuit, adeò vt magnam diei partem audiendo respondendoq; non sine fructu, atque oblectatione exigeret.

Principes tamen non importunè adeundos esse, neq; à negocijs interpellandos docet Cicero ad Brutum scribens, his verbis: *Nam quemadmodum coràm qui ad nos intempestiuè adeunt, molesti sæpe sunt, sic epistolæ offendunt non suo loco redditæ.* *Cic. ad Brut.*

Videndum quoque est ne Principes nimis delicati sint, néve sibi nimis indulgeant. Cn. Pompeius (qui & Magnus Alexandri instar dictus est) omnibus honoribus à Senatu populoque Romano affectus, insolẽtior habitus est in Hipsæum virum magnæ nobilitatis, & eidem beneuolentia coniunctum. Nam quum reus habitus esset, ad pedes illius egredientis è balneo se prostrauit, eius implorans patrocinium. Tum Pompeius commotior factus hominem cõculcauit, exclamansque inquit: *Nihil aliud agit, nisi vt cœnam meam tardius remoretur.* *Cn. Pompeius.*

Homerus quum pigritiam desidiamque irridere vellet, Phæacas inducit, qui cessando per inertiã degunt, quasi summum bonum in nihil agendo ponãt. Illis agros assignat, qui nullius fossionis aut sementis egẽt, sed vltrò naturales fructus gignunt, quib. abundanter perpetuò aluntur. Et ne tenui etiam cogitatione fatigentur, rerum curam omnem mulieribus tribuit. Eius versus ad hanc sententiam vertuntur.

Omnia

hac animi perturbatione, per eam siquidem dissoluitur ac remittitur omnis virtus, quando in rebus agendis nihil pensi habeat, vt apud vetustissimos diceba-*Iuuenalis.* tur, de qua conuenienter apud Satyricũ illud dicitur:

Inguinis aut capitis quæ sint discrimina nescit.

Qua qui frangitur, ab omni ratione atque humanitate alienus dici potest: dissolutus fingitur ille El-*Elpenor.* penor Vlyssis socius, quem cum porcis grunniuis-*Vlysses.* se poëtæ fabulantur, quem etiam ebrium apud Circen inducit Homerus, & præcipitem per gradus scalarum prolapsum interijsse. Similis huic apud Roma-*Fabius.* nos habitus est Fabius ille, qui à deuorato patrimo-*Gurges.* nio Gurges appellatus fuit: & Apicius etiam, qui quũ *Apicius.* opes plurimas ingurgitasset, nec vlterius quod effunderet haberet, inopiam ac durum victũ metuens, sibi ipsi mortem consciuit. Et de hac perturbatione satis.

De ambitione atque ambitu.

Tit. XX.

Ambitio. AMBITIO superioribus speciebus accedit, quam Græci oratores φιλοτιμίαν appellant. Eamque dicunt esse honorum ac gloriæ immodicam appetitionem, siue opinionem vehementem inhærentem & penitus insitam animo, tanquam valde sit expetenda. Hanc Euripides execratur vt pessimum in ciuitate numen. Testes sint apud Romanos Sylla, Cinna, Carbo, Marius, Pompeius, Cæsar, & alij cõplures, quorum ambitione multo plures Romanorum ciuium ceciderunt, quàm in propagatione imperij totius orbis terrarum. Nam quum L. Sylla per ambitionẽ venustus, faustus, fœlix, in marmoribus scribi studet, nefandã tabulam illam suspendit, per quam circiter octoginta millia hominũ proscribuntur, damnantur, trucidãturque. Tot capita etiam illustrium virorum venalia proponuntur, & auro argentoque licitantur. Et victor ille Sylla fortunæ miserorum ciuium illudebat. Nam deferenti Lucretio caput Marij iunioris, dixit, iuuentam Consulis irridens: *Remigem prius esse oportuit,*

fuit, quàm gubernatorem. Et quum secundam proscriptionem, in qua quingenta ciuium nomina inscripta erant, rursus posuisset, L. Lollius nihil sibi metuens eam inspexit, & quum fortè nomen suum lectitasset, subito timore concitus, caput adoperuit, & è foro se proripuit: sed ex gestu agnitus à quibusdam Syllæ satellibus, miserabiliter trucidatus est, resq; etiam ludibrio Syllæ fuit, quòd Lollius sui ipsius iudex fuerit.

Eo igitur tempore iam indoles peregregia, & maximæ virtutis spes M. Catonis iuuenis emicuit. Nam quartumdecimum tunc agens annum quum à Sarpedone pedagogo in ædes Syllæ deduceretur, quæ parum admodum à carnificina differebant, cerneretq; tot capita fortissimorum virorum ad Syllam perferri, & eos qui aderant, clam misereri, nec audere quempiam etiam clanculum mussitare, rogauit Sarpedonẽ cur tam funestum virum nemo interficeret? tum respondente illo Syllam omnibus formidini terroriq; esse: *Vtinam mihi gladium dares* (inquit) *vt vel solus patriam à seuo dominatu liberarem.* *Ex Valer. Maxim. li. 3. de indole.*

Audi Cornelij Taciti rationem, vnde oriatur, & quorsum euadat ambitio, planè intelliges: *Vetus iam pridem insita mortalibus potentiæ cupido cum imperij magnitudine adoleuit, erupitq;. Nam rebus modicis æqualitas facilè habebatur, sed vbi subacto orbe, & æmulis vrbibus Regibusve excisis, regias opes concupiscere vacuum fuit, prima inter patres plebemq; certamina exarsere, modò turbulenti tribuni, modò consules præualidi; & in vrbe ac foro tentamenta ciuilium bellorum: mox è plebe infima C. Marius, & sæuissimus omnium nobilium L. Sylla victam armis libertatem in dominationem verterunt: post quos Cn. Pompeius ciuis occultior, non melior, & nunquam postea nisi de principatu quæsitum.* Hinc etiam illud Lucani poëtæ dicitur. *Cor. Taciti verba.* *C. Marius; L. Sylla.*

Impatiensq; loci fortuna secundi,
Nec quenquam iam ferre potest Cæsárve priorem,
Pompeiúsve parem.

Audi Ciceronis sententiam, quum de Cæsaris & Pompeij ambitione ad Atticum scriberet: *Dominatio quæsita ab vtroq; est, non id actum, beata & honesta ciuitas vt esset: nec verò ille vrbem reliquit, quòd eam tueri non pos-*

Omnia per sese nullo nascuntur aratro:
Non fora, non causas agitant, non sancta senatus
Iura, sed in celsis habitantes montibus antra,
Et puer, & magnis de rebus iudicat vxor.

Hæc pigritię ignauiæq; species deterrima habenda est, quando & virtuti aduersatur, & singulis quibusque artibus obest, & quoniam minimam quamque curam formidat, à veteribus incuria dicitur, à Græcis autem, ἀφροντισία id est sine cura.

Inertes desidesque populos quosdam inducit Herodotus Halicarnasseus, quos lotophagos appellat. hi per ignauiam solum ex loti baccis victitãt, ex quibus panem & reliqua, quæ esui potuique sunt, conficiunt. Lotus enim baccas fert paulò maiores lentisco, palmarum sapore, ac suauitate. Harum edulijs qui cunque vescuntur, cibos alios omnes odio habent: & inuitati semel hospites nunquam ab eis discedunt, sed reliquarum rerum omnium obliuiscuntur, viuuntq; cũ indigenis feriati semper, nihil agendo: quod socijs quibusdam suis accidisse Vlysses conqueritur apud Homerum. Lotus arbor aquatica est, & lignum idoneum tibijs habet: quocirca lotum pro tibia apud quosdam poëtas legimus. Herodotus verò aliam loti speciem ad Nilum nasci refert, virgulta scilicet quædam ex illius inundatione passim per campos ad similitudinem liliorum, ex quibus veluti papauera quædam oriuntur esui gratissima, quæ in sole siccata, & deinde in puluerem contusa, optimum exhibent panem. Horum radicem suauissimam esse dicit, quæ obliuionem discedendi hospitibus præbeat.

Vt Pl. scribit.

Hoc contra ignauos ac desides à poëtis fictum esse creditur, vt ostendant pigritiam atque ignauiam quasi contagiosam quandam esse luem, quæ homines vecordes eneruatosque reddat. Alimenta necessaria, & diuitiæ ipsæ naturales, quæ ex fructuum vbertate proueniunt, homines (vbi plurimum abundant) desides ignauosque reddunt, vt sunt Sabæi, quorum terra fœlicissima habetur: gignit enim thus, myrrham, cinamonum, balsamum, calamum, ac pal-

palmulas odoratas ad omnes penè vitæ vsus gratissimas, ad quos quidem vltro mercatores commeant, & aurum argentumque pro annuis fructibus pensitant, quo fit vt illi opulentissimi sint sine labore aut industria aliqua, & omni lauta supellectile affluunt. At Nabathæi, qui ab eis non multum absunt, inopes sunt: sterilem enim regionem colunt, & ideò solertes atque industrij sunt, & rei iusticæ omni studio ac diligentia insudant. Proinde apud eos qui rem familiarem minuit, publicè multatur, qui verò auget, honore afficitur.

De pudore. TIT. III.

Secunda species, pudor dicitur, quem metum ignominiæ esse definiunt Stoici, vel iustæ reprehensionis timorem, vt Aulus Gellius scribit. Hunc *optimum cupiditatum moderatorem* Cicero appellat, quum recti honestique studio tenetur. Et primis quidem ætatibus valde addecet, optimæque indolis signum præbet, intimo enim sanguini animus reuerentia quadam affectus mergitur, & faciem rubore perfundit. His adolescentibus Cato maior se delectari aiebat, qui minima quæque errata metuentes, etiam in rectè factis erubescerent, non autem illis qui pallescerent. Illud quidem ingenui pudoris indicium esse, hoc autem impudentiæ, aut vecordiæ. Idem sentire visus est Diogenes Cynicus. Nam quum adolescentem quendam alloqueretur, cerneretque eum rubore perfusum. Confide inquit, *color enim iste virtutis est index.* Hunc affectum quidam castigatius loquentes verecundiam appellant, vt ambiguitatem verborum fugiant, & pro virtute semper eam ponant, quum pudor etiam in malefactis quandoque dicatur, verecundia autem recti honestique rationem habeat. Quicunque enim malos rumores metuit, is verecundus habetur: qui verò non metuit, impudens. Pudor quoque ex honoris studio plerumq; manat, vt Aristoteles etiam testatur, qui quum nimius est, animum perturbat. Et sic etiam verecundia, quæ

Pudoris definitiones.

Cato maior.

Diogenis Cynici verbum.

Verecundia & pudoris differentia

Dictus pudor metaphoricè, sicut auertitur sensus à putidis vt vult Scalig.

nisi moderetur, rectas quoque actiones euertit. Proinde vt hoc loco quum mediocritatem prætergrediũtur, inter animi perturbationes ponimus, quãdo vehementiores fuerint: sic inter virtutes ponemus quum extrema fugerint, mitioresque aderunt. Sed & pudet, verbum tam ad reuerentiam honestarum rerum, quàm ad pudorem turpium refertur: distertq; à verbo piget, quum pudere ad decus, pigere autem ad laborem doloremque pertineat. Sunt etiam qui pudorem à pudicitia secernant, & illum verborum, hanc autem actionum esse existiment. Et ad hanc sententiam verba illa Ciceronis interpretãtur, quum in Antonium inquit: *Tu quidem pudorem cum pudicitia simul amisisti.*

Pudere & Pigere, quod differant.

De terrore. TIT. IV.

Terroris definitio.

COmes huic est terror, quem Stoici dicũt metum esse ex insuetæ alicuius rei imagine proficiscentem. Ex Ciceronis verò sententia, terror est metus concutiens, ex quo fit vt pudorem rubor, terrorem pallor, & dentium crepitus consequatur. Possumus putare huius verbi originem, si per nostros grammaticos liceret, Græcam esse mutatis additisve quibusdam literis: τρεῖν siquidem pauere ac timere significabat, cum corporis tremore, palloreque faciei. Hic affectus virum fortem ac constantem nunquam perturbare debet. Etenim semper paratus vir fortis ad tolerandum grauia & aspera quæque esse debet.

Fortis.

Aristoteles quidem affirmat illum propriè fortem dici, cui honesta mors nequaquam terrori est, & qui ad omnia quæ illam afferunt, sine terrore adest. Eam in bello gloriosam esse ait, quod testantur honores à ciuibus Regibusq; constituti his, qui forti animo in prælijs mortem oppetunt.

Solonis lex.

Solon quoque legem tulit, vt qui in bello occubuissent, præmijs honoribusq; honestarentur, & eorum filij publicè alerentur, instituerenturq;. Et ex senatusconsulto Romanorũ legatis qui à Fidenatibus occisi

[illegible]cisi sunt, quoniam ob Rempublicam occubuerãt, statuæ pro rostris positæ fuerunt. Sed ratio ipsa est, quæ vitam diligere, & mortem non timere nos docet. Fortis enim viri est mortem contemnere, non autem odisse vitam. Qui enim belluarum more in perniciem non necessariam ruit, is temerarius & audax, non fortis & magnanimus habendus est. Timidus enim & ignauus est ille, qui quum non oportet, mori desiderat. Sic ex contrario timidus etiam erit, qui honestam opportunamque mortem refugit.

Non perterruit armato exercitu quo mœnia vrbemque obsidebat, nec horribili vultu suo quo omnibus mortem minabatur, Sylla Quintum Mutium Scæuolam augurem, quum à Senatu efflagitaret vt Marius hostis iudicaretur: qui perterritis omnibus patribus, solus dicere ausus est: Non permittam, Sylla, studio longioris senectutis, vt Marium patriæ hostẽ iudicem, à quo vrbs nostra & omnis Italia seruata est. Ea enim mente erat Mutius (quam ei virtus & ratio persuadebat) vt nihil in vita nobis præstandum putaret præter culpam, qua quum vacamus, nihil esse posse quod nos perterreat, aut quod pertimescendum sit. Idcirco humana omnia æquo animo ac moderatè ab eo ferenda sunt, qui à culpa alienus est.

Virtus quoque illorum qui forti animo in bello ceciderunt, magnam laudem ac gloriam apud hostes etiam ipsos habet. Ignauia verò si fortunata est, tamẽ ignominia nunquam carpere potest. Sed quid aliquando terror in re bellica facere possit, vnico exemplo abundè docendum putaui. Q. Fabius dictator, diutius cunctando, victoria exultantem Hannibalem frustratus fuerat, donec eum in agrum Calenum cum omni exercitu traxerat, inque campum Stellatem, est enim locus inuijs montibus, altisque fluminibus circumseptus. Et Fabius Calliculam Casilinumque montes valido militum præsidio munierat. Quibus quidem rebus effectum videbatur, vt Punicus exercitus circumuẽtus, aut difficili fuga opprimeretur, aut inopia commeatus deficeret: ni Punico ingenio virtus Ducis adiuta, nouum inauditũque

commentum meditata fuisset. Agnito enim periculo, duo circiter boũ millia (quæ ex pristina præda habebat) opportuno noctis silẽtio adduci iubet, & cornibus singulorum, sarmentorũ fasces præligari atque incendi: boues ignis flammam ægrè ferentes, ad nota montiũ diuortia cursu euadunt, quos instructus suo ordine Punicus exercitus paulatim sequebatur. Romani milites, qui præsidio montium aderant, nouitate rei perterriti, ex opportunis locis discessere, & Fabius Punicam fraudem metuens, suos intra vallum continuit. Et sic Hannibal incolumis omni exercitu euasit, quum Romani nouæ rei facie territi locũ deseruerunt. Hæc itaque res manè quum deinde illuxisset, omnibus ludibrio risuique fuit, nec parum de Fabij Maximi laude detraxit.

Hannibalis commentum de cornibus boum accendendis.

De timore vel præmolestia. TIT. V.

PROXIMVS huic perturbationi accedit timor, quẽ Stoici dicunt esse metum imminentis aut appropinquantis alicuius magni mali. Verbi quidem origo (vt arbitror) Græca est, *τιμὴ* enim pœnam & cruciatum significat, *ὀρος* autem vltionẽ. Sunt etiam qui timorem, quoniam antecedit effectum, præmolestiam appellant, quandoquidem metus ille ante animũ molestia afficit quàm mali quippiam accidat. Angusti autem abiectique animi est, mortis timore (quæ propter varios fortunę casus, & imbecillitatem humanæ conditionis semper nobis imminet) vitæ commodis frui, sicut & diuitijs non vti amittendi timore, quia fluxæ & labiles sunt, & positæ in fortunæ potestate. Eadem infirmitas debilitasque animi efficeret, vt re optata, etiam si adesset, perfrui non liberet, quod amittendi timore semper soliciti essemus.

Fortis autem vir, qualem Principem nostrum describimus, vtramque fortunam æquo animo semper fert, nec prosperis rebus extollitur, nec aduersis dimittitur, mortem verò non timet. *Stultitia est enim* (vt ait Stoicus noster) *ea timere, quæ vitare non possis.* Atqui conditio illa perferẽda est, quæ communis est omnibus

bus vt veteres dicere solebant. Rectè apud Ciceronẽ ille ait, *mortem calcem esse, ad quem quum decursum sit, nihil amplius extimescendum est*

Sunt etiam philosophi qui affirment mortem hominibus vtiliter à natura datam esse: & sententiam hanc tueantur pluribus argumentis, quę quidem persequi nequaquam huius loci esset. Alij dicũt mortem diuinum munus esse mortalibus, nituntur; id numinis iudicio comprobare. Cleobis & Biton fratres matrem habebant quæ sacerdotio Iunonis addicta erat, & quum iam solemne sacrum appeteret, quo plaustro illa (vt moris erat) deueheretur, deficientibus in via iumentis, filij iugum subierunt, matremque in templum statuto tempore conuexerũt. Quæ ritè sacrificio peracto Deam deprecata est, vt filijs suis pro tanta pietate tribueret munus, quòd dij hominibus optimum præbere possent: Postridie verò eius diei, quum obdormiuissent adolescentes, ambo in cubiculo mortui inuenti sunt. Quo quidem deæ iudicio omnes clarè intellexerunt, mortem optimum esse munus quod hominibus à dijs dari possit. *Tuscul. 1.* *Mors quid.* *Ex Cicero Tusc. 1.*

Sed ad institutum sermonem redeamus. Fortis vir mortem non metuet, & bene agendo præsentibus fruetur, nec præ timore illis parcet, quod cariturus eis aliquando sit. Non tamen hæc eo consilio dico, vt Principem nostrum à futuri præmeditatione immunem esse velim. Nam & si à timore & solicitudine eum vendicare studeo, paratum tamen animo ad omnem fortunæ impetum munitumque esse cupio, vt idem agat, quòd Theseus de seipso apud Euripidem dicebat, cuius & sententiam probat Cicero, & versibus eiusmodi eam conuertit: *Futuras mecum commentabar miserias, aut mortem acerbam, aut exilij mæstam fugam, aut semper aliquam molem meditabar mali, vt si qua inuecta diritas casu foret, ne me imparatum cura laceraret repens.* *Tuscul. 3.*

Panætius libro secundo de officijs ait, *fortis ac prudentis viri consilia cogitationesque semper paratas esse debere contra fortunæ impetus, contraq; insidias iniquorum, vt* *Panætius l. 2. de officijs.*

quasi brachia & manus prætendant, ne qua res aduersa aut repentina incursio nos imparatos improtectosq; offendat. Sed suauis Peripateticorum consuetudo, & benigna Musarum alimonia nos edocet, vt sanctam in rebus omnibus mediocritatem seruemus, & quod parum vel nimium sit, semper abijciamus.

Optimè mihi videtur diuina natura consuluisse rebus humanis, quæ nobis futurorum ignorationem præbuit, quorum præscientiam si haberemus, aut nihil omnino ageremus, freti spe futurorũ bonorum, aut mœrore & luctu perpetuo cruciaremur perciti timore malorum. Quæ vita fuisset Priamo, si ab ineunte ætate sua sciuisset quos euentus senectutis esset habiturus? Hæc igitur fatorum ignoratio magis intentos virtuti nos efficit, & minus anxios timore imminentium malorum. Tolleretur etiam nobis omnis spes, quæ ex futurorum bonorum opinione pendet, quam quidem Simonides poëta Reginam hominum esse putat. Nõnulli philosophorum spem dicunt dulcissimam esse omnium passionum: sed Aristoteles, spem vigilantium insomnium esse existimat. Putandum tamen est hunc grauissimum philosophum de ea spe loqui voluisse, quam vano iudicio homines sibi fingunt sine ratione aut aliqua cõiectura futuri euentus. Hæc verius hallucinatio dici potest quàm spes, quæ quidem à tarditate quadam & animi stupore plerumque potius nascitur, quàm ab acumine aliquo ingenij, siue à bona confidentia. Hallucinantes enim vigiles somniare aliquando videmur: sed si rectè agimus, & cum ratione ac virtute incedimus, tunc spes illa hominum Regina verè iudicari poterit: ratione enim, non futili vanitate nititur, & ad speratum euentum sæpe perducit. Multa amicis largiebatur Alexander, cui Perdicas: *Quid tibi relinquis ô bone* Rex, inquit, *si omnia prodigis*: Tum ille, *Spem*, ait, *mihi reseruo*. Putabat siquidẽ Alexander nihil ei deesse posse, qui per virtutis officium benignus esset, & per virtutem omnia se assecuturũ speraret. Ad hanc sententiam accessisse videtur Parmenion etiam quum dixit. *Et hæc quidem spes nobis quoq; tecum communis futura est.*

Spes, Regina hominum.

De

De pauore. TIT. VI.

PAuor deinde sequitur, cui comitem exanimationẽ Cicero adhibet: & est (vt ipse ait) subitus metus, quem sequitur stupor mentis, hæsitatio linguæ & ab opere cessatio. Hunc affectum Virgilius exprimere videtur, quum ait.

Obstupui, steteruntq; comæ, & vox faucibus hæsit. *Æneid. 2.*

Et illud.

At subitus miseræ calor ossa reliquit,
Excussi manibus radij, reuolutaq; pensa. *Æneid. 9.*

quum de Euriali matre loqueretur,

Nec alienum est putare huius verbi originem Græcam esse: *παύομαι* enim cessare facio significat, *ἀναπαύομαι* cesso, ac subitò quiesco: quod in pauore fieri solet. Possumus etiam putare pauorem à vicinitate Latini verbi manare: dicimus namque prisco verbo pauire, quod cooperire significat: vnde & pauimentum nomen accipit, quòd opere tectorio, puro, vermiculato, incrustato, seu marmoreo stratum sit. Cernimus enim in magno pauore ac metu fœminas, pueros, & molliores quosdam, oculos ac faciem velare, caputque cooperire. Hoc in maximo luctu & mœrore fieri solet. *Non videtur hoc significare: vide Festum.*

Timanthes in immolanda Iphigenia id ex pictura docuit, tristem enim pinxerat Calchantem, tristiorem Vlyssem, tristissimum autem Menelaum: consumptis verò affectibus, quos penicillo exprimere poterat, Agamemnonis caput obuelauit, vt omnes quem possent maximum mœrorem in virginis patre cogitarent. Obscuritatem & solitudinem luctus quærit, vt vulgò dici solet. Præclarè Q. Curtius dixit: *Optimi miserias ferunt, qui abscondunt. Nec vlla tam familiaris est infelicibus patria, quàm solitudo* Et Cæcilius ille latinorum comicorum Princeps (vt ait Nigidius) dixit: *Is miser est, qui ærumnam suam nescit occultare.* M. Crassus re malè gesta in Parthos, desperata omni salute, postquam vidit filij caput ab hostibus hastæ præfixum circumferri, & exercitum omni ex parte turbatum

passim trucidari, in abditum obscurumq; locum penetrauit, donec auaritiæ, temeritatis atque ambitionis suæ, omnisq; fœditatis pœnas lueret.

Brutus quoque desperatis afflictisque rebus, qui cerneret Antonij exercitum victoria exultantem, solus in edito quodam saxo aliquandiu sedit, versuque Hom. Iouem malorum omnium causam præbuisse asserebat, vt ait Plutarchus: vel vt Latinorum quidam scribunt, Homerus versu conquestus est ad hanc sententiam.

Sed me parca tenax, Latonaq; obruit infans.

Apollo enim in Philippensi acie ab Antonio pro tessera militari contra Brutum datus fuerat. Mox verò Brutus in penitiorem locum se abdidit, vbi mortem sibi intulit, extremaq; verba ad hanc sententiam protulit. Iustos atque optimos viros iniqui perdunt. Sed de pauore hactenus.

De conturbatione. TIT. VII.

Conturbatio. NVnc verò conturbatio sequitur, quæ (vt Cicero definit) est metus excutiens cogitata, omnia turbida & ambigua reddit, mentemque in varias cogitationes distrahit. Stoici autem dicunt conturbationem metum esse angustiorem animum facientem, & difficultatem in rebus gerendis præstantem. Hac animi perturbatione vacare debent quammaximè Reges ac Principes omnes: est enim fortitudini omnino aduersa, cuius officia in rebus omnibus præstare debent.

Exercitui quoque qui præest, vnus in se habet omnium vires. Nam si verum est quod Epicrates de re militari disserens scripsit: Exercitus quasi animal quoddam est homini persimile: cuius caput sit Imperator, acies instructa pectus ac thorax, pedites manus, equites autem pedes: consequens erit, vt sicut in corpore conturbato commotoque capite membra reliqua nullum officium præstare possunt, sic *Imperatoris exercitum officium.* perturbato Imperatore exercitus omnis fluctuat, periclitatur, ac perit, expositusque fortunæ est, veluti naui restantibus ventis contrarijs, si gubernator ab

officio

officio suo cessat, nec clauum pro fluctuum motu forti animo huc atque illuc versat impellitque. Nullum constantis ducis aut fortissimi militis munus omittat oportet, ille qui rei bellicæ præest. Occurset timentibus, retineat cedentes, adsit fortibus spe, consilio, manu, nutu, voce, hostibus semper insignis sit, suis autem conspicuus appareat, & ardore præsentiaque animi in omne opus feratur. Flagrantes oculos circumuoluat, truci voce increpet, & nunc minacibus, nunc blandis verbis milites appellet, vt magis è re esse arbitrabitur. At quum à pugna ocium erit, arma paret Imperator oportet, alloquatur exercitum, militem ferat, in ore vulgi agat, rumores hauriat, præterita, instantia, futura, pari diligentia meditetur, secreta vmbracula fugiat, in propatulo atque aperto vescatur, literas diligenter legat, nuntios audiat, neq; illos nimio terrore perturbet. Ignaui enim Imperatoris est nolle aduersa audire, & nuntijs adeò perturbari, vt à ratione discedat. Magnæ verò constantię est aduersis nuntijs non commoueri conturbarique, & animi affectum subitumque motum ex vultu non prodere, Hinc istud Virgilij documentum:

Officium veri ducis militaris.

Æneid. 1.

Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.

Expedit enim vt simulent ac dissimulent Imperatores nonnunquam, quum res exigit (quamuis vtrumque contra veritatem sit) & tum maximè quum maius periculum ac damnum ex veritate, quàm ex mēdacio oriretur. Hoc ipse Cicero manifestè concedere videtur, quum ait: *Itaque nunquam diffitebor multa me vt ad affectum bonorum consiliorum venirem, & simulasse inuitum, & dissimulasse cum dolore.*

Tigranes Armeniæ Rex, qui se Regem Regum nō inscribi iniquo animo ferebat, infirmior visus est quū vix auditu perferre posset Romanos in se exercitum mittere: proinde primum nuntium qui aduentum Luculli ei nunciauit securi percuti iussit: qua ex re effectum est vt cæteri omnes propriæ saluti consuluerint, & properantem hostem miro silentio transire permiserint.

Aderant Regi assentatores, qui hostiū paucitatem

se contemnere simulabant, Regemque illuc insaniæ compulerunt, vt quum exercitum inimicum cerneret, per ludibrium diceret: Hi si legati veniũt, permulti quidem sunt, sin verò hostes, perquàm pauci. Romani autem re ipsa docuerunt peritiam paucitatem longe pluris faciundam esse, quàm imperitam multarum gentium colluuionem.

Constantius Tigrane egit Darius, quum bellum contra se gereret Alexander, aduersa enim omnia sibi nunciari semper æquo animo pertulit, & quum Eunuchus quidam transfuga mortem vxoris (quam vnicè diligebat) ei nunciare vellet, & facie ac sermone trepidaret, neque præ timore mussitare auderet, *Vultus* (inquit) *nescio quid ingentis mali præfert: sed caue miseri hominis auribus parcas.* Est enim sæpe calamitosis consolationis non parua pars, sortem fortunamque suam quamprimùm cognoscere. Et hæc de conturbatione satis.

De formidine & somnijs, insomnijsq́ue.

Tit. VIII.

Formido quid sit Varroni.

HVIC speciei finitima esse videtur formido, quam M. Varro interpretari nititur. Dicit enim quum animus vehementius commouetur, adeò vt à seipso abeat, foràsque feratur, tunc formido dicitur. Alij quoque veterum formidinem dici putant à calore illo qui faciẽ nostram inuadit ex sensu illo rerum formidolosarũ. Foruum siquidem apud priscos calidum significabat: vnde & fornaces dicuntur, & forcipes fabrorum, quod foruum hoc est calidum ferrum capiant: hinc etiam formam & formosum trahi arbitrantur veteres grammatici, propter ætatis calorem, vel quia rubor qui faciem perfundit, a calore manat, & formam honestiorem pulchrioremque reddit. Cicero autem *formidinem dicit esse metum permanentem.* Hinc formidolosus ille dicitur, qui præ animi vecordia minima quæque formidat, nunquam securus conquiescit, paruoque motu concutitur, nihil tutum cautúmve esse putat, à seipso suisq; cõsilijs sæpe discedit, nec sibi ipsi

Teste Festo, Isidoro & alijs.

Formidolosus.

bi ipsi satis constat: modò acerbus & minax, modò mitis & remissus, modò audax & ferox, modò ignauus ac mollis esse apparet.

Formidolosissimi omnium mortalium habiti sunt (vt Herodotus scribit) Garamantes, qui habitant vltra Nasamones, hi omnia formidant, & omnium hominum commercium aspectumque fugiunt, & quū arma habeant, nec alios lacessere, nec sibi illatam vim repulsare, aut seipsos tutari ac defendere audent. Formidolosus in somnijs sæpe concutitur, & præsertim si scelestum aut immane aliquod facinus admisit, qualem Orestem poëtæ inducuut, qui maternis furijs inter quietem agitabatur. *Garamantes, omniū formidolisissimi.*

Nero quoque postquā matrem suam acerbius corrigentem petulantiam, libidinem, luxuriam, auaritiā, crudelitatemq; suam peremit, inter dormiendum (vt ipsemet fatebatur) materna specie commouebatur, afficiebaturq; nonnunquam verberibus, & accensis furiarum facibus vrebatur.

C. verò Cæsar cognomento Caligula excitabatur noctu insomnijs, nec vltra tres somnos quiescebat, nec placida vnquam quiete, sed pauida semper, & miris quibusdam imaginibus vexabatur. Conscientia enim anteactæ vitæ semper eum torquebat, vixque sinebat eum paululum quippiam oculos in somnum inclinare. *Suetonius in Caligula.*

Sed hæc formidinis species virum bonum ac fortem non perturbat, verùm noxios quosdam aut vecordes, ac molliores. Hac opinione ductus Theodorus Byzantius, & nonnulli alij philosophi senserunt simulacra & nocturnas apparitiones sapientibus nunquam apparuisse, sed pueris, mulierculis, vecordibus, atque ægrotis, qui per imbecillitatem animi aut corporis assidua formidine quatiuntur, & inanes, vanas, atq; ab omni veritate alienas opiniones amentia quadam ducti sibi persuadent, & ea putant videre per hallucinationis speciem, quæ non vident, quæq; etiam nusquam sunt: & eadem inter credulos ac meticulosos narrant, qui illis pari dementia tantam adhibent fidem, vt se ea quoque cum illis vnà vidisse *Theodorus Byzantius.*

autument. Hi sunt lemures, hi lares, hæ larue de quibus inter se fabulantur, & stultitiæ insaniam addunt. Hæc est etiam repentina inter quietem turbatio, quę ἐφιάλτης Græcè dicitur: & ille Incubus, quem Latini quidam dormientibus incubare aiunt. Non me latet Platonem in Symposio scripsisse, medias quasdam potestates esse inter summum ęthera & infimas terras in illo aëris spacio, per quas & desideria nostra & merita ad Deum perferantur, à quibus etiam (vt ipse ait) omnes præsagiorum species regantur, præsintq; insomnijs, augurijs, & vaticinijs. Sed hęc ad hanc disputationem nihil attinent, & aliud tempus exigunt, sunt enim abdita nimis, & obscurioris cuiusdam lucubrationis.

Incubus. *Plato.*

Ægroti insomniis agitãtur. Aegroti prę imbecillitate ac formidine plurimum insomnijs vexantur, & quæ tunc magis timent, putãt se videre. Vitellius Cæsar ignauia voluptateq; torpebat, ventri, somno, gulęque adeò indulgebat, vt contentus hortorũ vmbraculis, obliuisceretur se Imperatorem esse. Is aliquando retulit visum sibi per quietẽ iuuenem procerũ admodum in cœlum attolli: quasi putaret se post mortem indigetem futurum. Verius certè fuisset ei somnium, si se vulneribus cõfici inter quietem vidisset, atq; excarnificari, insuper & vnco in Tiberim trahi. Atqui is qui per ludibrium dicere solebat occisum hostem optimè olere, optimũ odorem hostibus suis de seipso præbuit.

Vitellius Cæsar oblitus se Imperatorem esse.

Galba. Certius monitus fuit Galba, qui per quietem vidit fortunam Tusculanã toruo aspectu in se iratam, querentemq;, monile (quo antè eam donauerat) Veneri se consecrasse, minantemq; se erepturam quæ ei dedisset. Nam paulò post ad lacum Curtium à militibus Othonis confossus iugulatusque interijt.

Tiberius. Et Tiberius Cæsar vidit per quietem Apollinem miræ artis aduectum ei è Syracusis, quem in Bibliotheca noui templi consecrare destinauerat, nõ posse ab eo dedicari dicentem. Sed quis hoc miretur, Deũ nolle à pollutis impijsque manibus consecrari, sed malle vt illę pœnas luerent scelerum suorum, vt turpi interitu expientur tetra facinora?

At Principes virtute præstantes, & optimè Deo conciliati, sæpe dormientes ea cernunt quæ & vera sunt, & rebus quæ geruntur, pernecessaria: relictis enim corporis actionibus, animus noster, qui semper viget indefesso motu, rationes colligit quibus vera dignoscit, præcipuè quum in imum descendit, sic diuinus ipse diuinare, & futura præuidere atque prædicere videtur. Tūc quidem verum est quod Lucullus de Sylla didicisse testabatur: Nihil certius, nihilque credi dignius, quàm quod per insomnium fuerit præmonstratum, & præcipuè Regibus, Imperatoribus, Ducibus, summisque viris.

Agamemnonē inducit Hom. in consilio Græcorū quę inter quietem viderit de belli ordine narrantem, & Nestorem virum sapientia & consilio summum dicentem in rebus ad statum publicum pertinentibus regio insomnio, credendum omnino esse.

Quum Ptolemæus Alexandri frater in prælio telo venenato ictus esset, eoq; vulnere summo cum dolore moreretur, Alexander ei assidens somno repentè est consopitus. Tum secundum quietem visus est ei draco is, quē mater Olympias alebat, radiculam ore ferre, & simul dicere quo illa loco nasceretur, eius esse vim tantam, vt Ptolemęum facilè sanaret. Quum Alexander experrectus narrasset amicis somnium, misit qui illam radiculam quærerent, qua inuenta & Ptolemæus sanatus dicitur, & multi milites qui erant eodem genere teli vulnerati. Ptolomæi fratris saluti optimè consuluit Alexander, quum his quæ per quietem viderat, credidit. Pessimè autem sibi ipsi cauit, quum somnijs fidem abrogauit. Etenim dormienti imago aliqua apparuit, monuitque vt iuuenis qui eum aditurus foret, mortiferum poculum vitaret, cuius faciem per similitudinē sibi ostensam non nouerat: ac paruo tempore interiecto Cassander ad eum peruenit, cuius nocturnam faciem sibi ostensam cognouit: & quum rogasset cuiusnam filius esset, respondissetque ille, Antipatri, longè magis paternæ amicitiæ quàm somnio credens Alexander, illum grato animo in familiā accepit, eidemque

Ptolomæus Alexandri frater.

que curam sui corporis permisit verùm quum ille insolentior factus plura à Rege peteret quàm æqui erat, nec semper voti compos fieret, indignatione permotus, venenatũ poculum miscuit, quo enectus perijt omnium Rex excellentissimus in flore ætatis suæ & in medio cursur victoriæ totius orbis terrarũ. Illa de Ptolemæo refert Cicero & complures Græci scriptores vera esse testantũr.

Cic.l.2.de diuinatione ad fi. Idem etiam scribit, & Silenum Celiumque, Græcum vnum, alterum Latinum testes inducit, Hannibali, quum Saguntum expugnasset, visum esse in somnijs à Ioue se in consilium Deorum vocari, quò quũ venisset, Iouem imperasse vt Italiæ bellum inferret, ducemque ei vnum è consilio datum, quo in exercitu vteretur. Tum ducem illum præcepisse ne respiceret: illum autem id diutius facere non potuisse, elatumque cupiditate respexisse. Tum visam belluam vastam & immanem circumplicatam serpentibus quacunque incederet, omnia arbusta, virgulta tectaque peruertere, & eum admiratum quæsiuisse, de Deo quodnam illud esset belluæ monstrum? & Deum respondisse vastitatem esse Italiæ, præcepisseq; vt pergeret protinus, quid retro à tergo fieret ne laboret.

Marius septimùm consul contra Syllam designatus, affectus senio, longo exilio fessus, erroribus, egestate, carcere, periculisq; vexatus, iam animum submiserat, & mentis agitatione ac imbecillitate adeò turbabatur, vt vix somnũ capere posset, tametsi liberi patris cantharo & largioribus meri poculis plusculũ se inuitaret. Proinde horribilioribus quibusdam in somnijs terrebatur. Visus est enim secundum quietẽ hominem audire crebrò dicentem: *Dura sunt cubilia leonis*: hæc ex formidine quadam & senili ignauia manabant. Nam quum animi virtutes, & corporis vires, quibus Imperatores omnes ac duces sui temporis anteiuit extabant, faciliora præsagia inter dormiendum ei obueniebant.

Cassius Parmensis quum ad Actium promontoriũ Ant. (cuius partes forti animo secutus fuerat) ab Octauio victum cerneret, ignauior factus est, & Athe-

*n*as profugit, quo loci quum victoris vltionem formidaret, nocturnis insomnijs agitabatur, & malũ Genium tristi vultu mœstoque aspectu noctu sibi apparentem cernebat, quoad satellitibus Octauij illuc missis capite truncatus est. Imbecilliores enim sæpenumero quæ magis timent, inter quietem cernunt, fortiores autem quæ magis sperant.

Quidem autem tam alto somno demerguntur, vt inter quietem ambulent, neque aliquo motu corporis expergefiant, vt de Theone Tithoreo Stoico philosopho scribit Laërtius, & de seruo Periclis Atheniensis, quem refert dormiétem per somnum etiam tectum incedere solitum.

De ægritudine. TIT. IX.

DIxi bifariam quatuor animi perturbationes æqualiter distributas esse, duas ex opinione boni, quarum altera lætitia gestiēs sit, altera autem cupiditas, quæ rectè etiã libido dicitur: duas verò reliquas turbari opinione mali, quarum vna sit metus, altera ægritudo. Treis superiores absolui, earumque singulas species tractaui. Restat nunc quarta, de qua in præsentia dicendum putaui. Aegritudo (vt Cicero definit) *est opinio recens mali præsentis, in quod demitti contrahiq; animum rectum esse videatur.* Secernit eã ab ægrotatione, ne qua sit in verbis ambiguitas: vt sit ægritudo animi vexatio, ægrotatio autem corporis. Aegritudinem Stoici dolorem appellant, & eum voluptati opponunt, dicuntq; dolorem esse irrationabilem animi contractionem. *Ægritudo.*

Eius siue ægritudinis, siue doloris (de verbo enim non contẽdo) species sunt complures, misericordia, inuidia, æmulatio, obtrectatio, solicitudo, molestia, afflictatio, desperatio. De singulis quibusque nunc aliquid dicendum erit, vt his expositis ad morales ciuilesque virtutes facilius descendere possimus.

De

De misericordia.
Tit. X.

Misericordia. Harum specierũ prima est misericordia, quæ animi ægritudo dicitur esse, suscepta ex alterius miseria iniuria laborantis, vt Zeno Stoicus opinatur. Cicero autem dicit, *misericordiam esse ægritudinem ex alterius rebus aduersis iniuria laborantis susceptam*. Quæri à plerisq; solet, cadátne hic affectus in sapientẽ virum? Stoici negant, vt qui putent illũ nulla animi commotione teneri, quũ ei satis sit culpa vacare, iniquũ esse asserentes, sapientem alienam culpã luere, vel alieno incommodo torqueri, quum ne suo quidẽ aliqua ex parte moueatur.

Addunt etiam hanc partitionem dicentes. Eorum omnium quæ sunt, alia bona esse, alia mala, alia autem neutra. Bona quidem ea quę per virtutem fiunt, vt per prudentiam, iustitiam, foritudinem, temperantiam. Mala verò his opposita vitia, quæ per temeritatem, ignauiam, iniustitiam, intemperantiamque committuntur, & semper per sese nobis obsunt. Neutra autem quæ neque prosunt, neque obsunt, quibus & benè & malè vti possumus, quandò in medio relicta sunt, neque honesta neque turpia dici possunt, neque bona neq; mala haberi. Hæc à Cicerone proposita vel reiecta appellantur, à quibusdam verò alijs productiones, vel relationes dicũtur, quòd suis momentis dignoscãtur. Prodesse enim dicunt Stoici monere aut habere secundum virtutem: nocere autem contrà monere aut habere secundum vitium. At Peripatetici, qui plura moribus nostris indulgent, finẽ ponunt virtutis vsum, fœlicitatem verò plenitudinem quandam ex triplici bono constantem animi, corporis, & fortunæ.

Virtutem ad beatam vitam non satis esse, sed egere bonis corporis externis. Miserum & infœlicem esse sapientem, si doloribus corporis, & inopia afficitur, & eiusmodi malis. Vitia autem ad miseriam & infœlicitatem sufficere aiunt, tametsi quis omnibus corporis ac fortunæ bonis affluat: quibus ex rebus con-

concludunt, sapiētem non perturbationibus omnino vacare, sed modicè ac tēperatè perturbari. Et hāc commotionē mediocritatem appellant, eamq; inter virtutes collocant. Inhumanum enim esse videtur, in aduersis amicorum ac necessariorum casibus non aliqua misericordia moueri, etiāsi hi casus ad nos nihil pertinere videatur. Natura siquidē id nobis præscribit. Cernimus enim bruta animalia non mediocriter commoueri quum intuentur aliquod sui generis verberibus aut aliquo dolore affectum. Sic etiam exhorrent cadauera animalium sui generis, quasi interitū illorum aliqua misericordia prosequantur.

Nos igitur hoc loco Peripateticos magis sequemur & præcipè quū his accedant etiā veteres Academici, qui Platonem philosophorū summū autorē habent, censusq; sapientem ipsum misericordia commoueri, non tamē miserabiliter, aut muliebriter, sed vt decet virū fortem ac prudentem, & eum maximè quem humana tangunt. Quinetiam quibuscunque rebus poterit miseros ab iniuria prohibebit, illatamque etiam propulsabit, atq; vlciscetur: & hoc quidē optimi Principis officium erit, in quibus verò id facere non poterit æqui, boni clementisq; viri munere fungetur, aderit, consilio, opitulabitur adiuuabit.

Nulla procul dubio officia, potiora sunt, nec quæ magis Principē commendent, quàm ea quæ per clementiam, æquitatem, beneficentiam, mansuetudinē, misericordiamque exhibentur. Rectè itaque Græci misericordiam ipsam ἐλεημοσύνην appellant, & amoris beneuolentiæque iudicium esse putant. Aequum est enim sic in aduersis amicorum rebus angi, vt in prosperis lætari. Verus siquidem amicus vtriusque fortunæ se participem præstat. Hanc misericordiam Athenienses non modò pro virtute habuerunt, verum etiam pro numine coluerunt, eique templum & aram erexerunt. *Misericordiā Athenienses pro numine habuerunt.*

Altera cui ἔλεος apud Græcos est nomē, mœstior miserabiliorque esse videtur, & à mollitie olei (vnde nomen ducit) affectum aliqua ex parte trahit: proinde minus decet fortem virum, & à Principis grauitate *Altera species misericordiæ.*

tate longè aliena est. Hanc veteres, qui castigatius lo- cuti sunt, miserationem appellauerunt, illam autem misericordiam, & ex hac miserari, sicut ex altera mi- sereri dicebant. Sed alterum pro altero autores sæpe vsurpant. Illa prior viri fortis est, hæc autē mollioris.

Miseratio.

Est etiam tertiū misericordiæ genus, quod ex me- moria præteriti doloris nostri, vel alterius cuiusque proficiscitur, cum quadam suaui delectatione. Nam postquam dolorem, laborem vel aliquod periculum superauimus, secura recordatio delectationē habet, quod Maronis musa pollicetur, quum ait:

Æneid. 1.

Forsan & hæc olim meminisse iuuabit.

Et tritum est illud ex Euripide:

Dulce est meminisse malorum.

Epistolarum fam. l. 5. epist. 12. & de fin. bon. & ma. li. 2.

Sic etiam iucunda est misericordia in præteritis alio- rum casibus. Quem enim nostrum (vt scribit Cicero ad Lucilium) moriens ille Epaminundas apud Man- tineam, non cum quadam miseratione delectat, qui tum deniq; sibi auelli iubet spiculum, posteaquam ei percunctanti dictum est clypeum esse saluum, vt etiam in vulneris dolore æquo animo cum laude moreretur.

Isocrates Regi suo præcipit, vt delicta non culpæ magnitudine, sed clementia misericordiaque deme- tiatur, quū regiū omnino nō sit acerbè crudelitérve in eos qui sontes habentur, animaduertere, sed con- silio & sapientia eis mederi, vt deinceps culpam po- tius vitent, rationis memores, quàm ex sæuitia formi dent. Boni enim medici est vnguentum potius adhi- bere, quàm ferrum. Arcagatus Peloponesiacus, qui primus chirurgus Romam venit (vt Plinius scribit) gratus fuit omnibus ciuibus, adeò vt ei ex senatuscō- sulto ius Quiritium datum sit, & taberna in compi- to Acilio empta. Verùm quum immisericors ex vsu quodam medendi iam factus esset, à sęuitia secandi atque vrendi vulnerarius & carnifex dicebatur, & o- mnibus contemptui neglectuique extitit.

Arcagathus. Plin. lib. 29. in cap. 1.

Cauendum igitur erit ne longo vltionis vsu in sæ- uitiam incidamus, dum misericordiæ affectum vitare studemus. Sed quanti facienda sit misericordia in

Prin-

Principe, docuit Cicero, quum pro Rege Deiotaro diceret his verbis: *Nō debeo C. Cæsar (quod fieri solet in tā ti periculis) tentare, quomodo dicendo misericordiam tuam commouere possim, nihil opus est. Occurrere enim solet ipsa supplicibus & calamitosis, nullius oratione euocata.* Ci. pro Deiotaro Rege ad fi.

Facilitate, ac clementia (vt in superioribus etiam dictum est) Principes omnes anteiuit Cæsar: verè enim vulgò dicebant, nihil eum magis obliuisci quàm iniuriarum. Cornelio Fagitæ (à quo captus per insidias nocturnas, quum ægrotus lateret, magno se redemerat ne duceretur ad Syllam) non modò pepercit, verùm nunquam noceri ei permisit. Facilè etiam Atheniensibus, à quibus multis iniurijs affectus fuerat, veniam dedit, dixitque: Viri Athenienses, sæpe vestra culpa ad interitum prolapsos maiorum vestrorum gloria erexit. C. Cæs. misericordia. C. Fagita.

Clemens etiam & humana respiciens fuisse visus est Alexander, Darij enim coniugem, (qua nulla forma pulchritudine eo tēpore præstantior habita est) & virgines regias adeò sanctè habuit, vt non modò ab eis abstinuerit, verùm neutiquam pertulerit fœminis vllis captiuis quemquā audere vim afferre. Proinde eunuchus transfuga roganti Dario an vxoris pudicitiam violasset Alexander? Deos testes inuocans, & corpus suum quæstioni offerens, respondit, castè sanctéq; habitam esse Reginam. Tum Darius capite velato diu fleuit, deinde ad cœlum manus tendens: *Dij patrij* (inquit) *primum mihi stabilite regnum, deinde si de me iam transactum est, precor ne quis potius Asiæ Rex sit, quàm iste tam iustus hostis, & misericors victor.* Iure igitur laudandus est hic affectus, si pro misericorde victore etiam hostis victus Deos oratos facit. Alexandri Clementia.

Philippus Macedo dicere solebat: *Oportere regem semper meminisse se hominem esse, & per misericordiam se similem Deo fieri.* Titus Vespasiani filius quum post patrem imperaret, duos Patricij generis iuuenes cōuictos de affectatione imperij, clementia misericordiaque motus liberauit, & ad alterius matrem, quæ ruri præ mœrore diuersabatur, properantes nuntios misit, qui anxiæ fœminæ nuntiarent filium saluum esse.

Huius Principis mores tantùm ad promerendem omnium gratiam valuerunt, vt amor ac delitiæ humani generis diceretur.

Antonius Pius. Antonius Cæsar cognomento Pius, misericordia & clementia plurimum præstitit, adeò vt solus omnium Cæsarum sine ciuili sanguine regnauerit.

Et de misericordiæ affectu satis.

De inuidia. TIT. XI.

SECVNDVS ægritudinis affectus est, & omnium quidem pessimus, inuidia, quæ mœret alieno bono, & lætatur alieno malo: de qua verè ac prudenter ait Cn. Manlius contra Furium, & Aemilium: *Cæca est inuidia, Patres conscripti, nec quicquam aliud scit quam detrectare virtutes, corrumpere honores, ac præmia earum.* Verum est etiam quòd à veterib. vsurpatur: *Inuidia quasi ignis superiora semper atq; altiora petit, & in caput consilij atque in ducē ipsum sæpenumero euadit.* *Tit. L. 1. de. 6. 4. li. 8.* Quotus enim quisq; tantam fœlicitatē nactus est, vt possit inuidiā superare! Quinetiam quantū potentiæ vnicuiq; accedit, tantū inuidiæ in eum crescit. Sapienter, quamuis non satis emunctè, Theodolus dixit: *fugiendā esse inuidiam multorū, & insidias eorū, qui nos odio habēt, semper esse cauēdas.*

Inuidia quid. *Tusc. quæst. lib. 4* Inuidiam Zeno dicit esse animi ægritudinem susceptam propter alterius res secundas quæ nihil noceant inuidenti. Rectè itaque Antisthenes ad hanc *Tusc. 3. & 4.* sententiā dicere solebat: *Sicuti rubigo ferrum, sic inuidia inuidos abrodit.* Cicero eam ab inuidentia secernit, dicitque inuidentiam solùm illius esse, qui inuidet, inuidiam autem non in eo qui inuidet solùm, sed etiam in eo cui inuidetur. Hæc in domibus Principum maximè alitur, & pestis familiaris atque domestica dicitur, sæuitque semper in homines ingenio ac virtute præstantes, quasi rabiosa ac truculētissima fera, illos insimulat, criminatur, mordet, lacerat, perdit, nec vlla ex parte finit eorum res prosperas augeri. Testis mihi sit ciuitas Athenarum, (ne recentiora dicam, quæ sine mœrore à me referri nequeunt) illa

nullum

nullum vnquam paulo clariorem ciuem perferre potuit, quem non necauerit, aut ad vim sibiipsi inferēdam compulerit, vel saltē in exilium eiecerit bonisque omnibus multauerit. Inuidia sanctissimum innocentissimumq; omnium philosophorum Socratem peremit, qui extingui maluit, quam Lysiæ oratione incolumis esse, quum diceret illam viro graui neutiquam conuenire, tāquam si quis ei calceos Sicyonis præberet, qui quanquam pedibus apti essent, tamen à grauitate ac dignitate viri longè alieni esse viderentur. Et cùm mortiferum cicutæ poculum à carnifice accepisset, exclamauissetq; Xanthippe eius coniux, innocentem illum periturum: *Quid ergo*, inquit Socrates, *nocenti mihi mori satius esse duxisti?*

Quid de alijs clarissimis Atheniensibus loquar? quorum res præclarè domi militiæq; gestæ non trophæi aut triumphi gloriam attulerunt, sed miseri exilij pœnam exhibuerunt? Themistocles postquā nauali pugna Xerxem vicit, & patriam atq; vniuersam Græciam à Barbarorum imperio liberauit inuidiæ cessit, & decennali exilio multatus extitit. Excusabāt id factum Athenienses, dicebantq; hoc se ideò egisse, vt animum illius comprimerent, ne gloria ac potentia elatior Themistocles popularem æquitatem mensuramq; excederet: permiseruntq; vt Timocreō Rhodius poëta famosum carmē in illum circumferret, quo illum auaritiæ, iniustitiæ, improbitatis, violatæ fidei, proditæ hospitalitatis criminaretur.

Themistoclis exilium.

Timocreon poeta.

Aristides quoque vir virtute, & rerū gestarum gloria illustris, & iustitiæ merito iustus cognominatus, patria etiam, quam seruauerat, auxerat, & tanto splēdore affecerat, eiectus est: & quum vrbem egrederetur, non diras execrationes aut imprecationes in ciuem effudit, vt apud Tragicos fieri solet, sed manus ad cœlum tendens, Deum Optimum Maximum orauit, Atheniensibus ita in posterum omnia fauste fœliciterq; succederent, vt Aristidis deinceps memoria omnibus excideret.

Aristides testaceis suffragijs patria exactus.

Hoc commune omnis multitudinis vitium esse cernitur, vt magnos ac virtute præstantes viros plerum-

que inuidia prosequatur: ignauos autem ac timidos dignitate ac gloria afficiat. Hos enim quorum prudentiam imitari posse confidit, diligit: illos verò quorum sapientiam neutiquam attingere posse sperat, & si tacito iudicio admiratur, liuore tamen atque inuidia insectatur. Quocirca in seditione discordiaq; ciuili plerunque cernimus honores ac dignitates maximas ignauis potius quàm fortibus præberi. Inuidia tamen in Regibus ac Principibus minus potest, quàm in minoribus ac priuatis. Ipsi enim partes non habent quibus æmulentur, & alia ex parte minores eis minus inuident, quorum sublimitatem nequaquam sperare possunt. Nemesim Deam, quæ contra inuidiam atque superbiam colebatur, Theologi vetustissimi, q. de sacris ritib. scripserunt, *Solis potentiam esse putauerunt, cuius quidem eiusmodi natura sit, vt illustria quæque obscuret, conspectuiq; auferat, obscura verò illuminet, & oculis vt fulgentia offerat.* Eodem modo inuidia subliniora euertere nititur, & humiliora extollere conatur: quinetiam in miseros atque inopes non sæuit, sed in diuites ac fortunatos. Et prius seipsam cruciat, quàm in eos quibus inuidet grassetur: alieno enim bono mœret. Facetè Bion Boristenites inuido cuidam subtristi ait; *Nescio equidem vtrum tibi mali aliquid, aut alteri boni quippiam contigerit, quod te tristem video.* Sed hæc de inuidia satis, complura enim de ea in libris de Rep. scripsisse memini.

Reges inuidia rarò torquentur.

Nemesis.

Bion.

Lepidũ scomma in inuidum.

De æmulatione. Tit. XII.

Æmulatio.

Finitima hinc accedit æmulatio, quæ (vt Cicero definit) *est ægritudo animi, quòd alius potiatur ea re, quam tu concupiueris, tu autem ipse careas.* Hæc cum inuidia affinitate quadam tenetur. Mœret etiam alieno bono, & quia id concupiuerit, iniquo animo fert, alium ante se eiusdem boni fuisse compotem. Proinde aut eripere nititur, aut aliqua ex parte minuere, aut gloriã ipsam sibi vendicare. Hic affectus nonnunquã magnos viros inuadit, qui dum alienæ virtuti aut rebus gestis æmu-

æmulantur, alienam laudem obſcuriorem reddunt, vt famam ſuam amplificent.

Bocchus Mauritaniæ Rex Iugurtham, qui ſuæ fidei ſe commiſerat, Mario conſuli, vt ſe populo Romano conciliaret, prodidit: verũ L. Sylla legatus miſſus à conſule eum duxit, ſed laudem totam magna cupiditate ſibi adeò affectauit, vt non ſolùm ſibi partę gloriam vendicaret, ſed etiam in ſignatorio annulo traditionem illam ſculptam ad oſtentationem ſibi præferret. Ex quo quidem principio teterrimæ inimicitiæ inter Marium & Syllam ortæ ſunt, cum interitu tot clariſſimorum virorum, & clade tot exercituum, ac labe totius Reipublicæ. *Bocchus. L. Sylla æmulatio & Marij.*

Lucullus quoque Mithridatis copias ferro fameque afflixerat, regnoque Pontico eum expulerat, & rurſus à Tygrane Armeniæ Rege adiutum magna victoria ſuperauerat: his tamen præclaris geſtis quum æmularetur Pompeius, per ambitionem obtinuit, vt Lucullo (qui iam bellum fecerat) reuocato, ſuccederet in bello, quod quidem deinde paruo labore confecit, & Tigranem ad deditionem, Mithridatem autem ad venenum compulit. Lucullus verò quum audiſſet Pompeij aduentum, ait illũ accedere ad ſimulachra vmbraſque belli expugnandas, vt ſæpius aliâs conſueuerat, qui olim Sertorij, Bruti, Spartaci bellis, quaſi vultur alienæ prædæ cadaueriue aduolaſſet: quum Craſſus & Metellus & Lepidus bella illa magna virtute iam affeciſſent. Proinde non admirāriſi gloriam ſuam, cui æmularetur, niteretur extenuare. vt defugatis victiſque à ſe Armenijs Ponticiſque triumphum duceret. Aemulatus eſt etiam Craſſus Pompeio magni cognomen. Nam quum illi quidam dixiſſet, aderit Pompeius magnus: ſubridens, quantus, inquit. *Lucullus in Mithridatem & Tigranem. Pompeij ambitio. Craſſi æmulatio.*

Eſt etiam nonnunquam æmulatio eiuſdem rei ſtudium ex imitatione quadam hac ſimilitudine, non autem ex ſimultate & inuidia, vt quum dicimus Theſeum geſta Herculis æmulatum fuiſſe: tunc non vituperanda eſt æmulatio, ſed laudanda, ſi virtutes, bonas artes, rectaſq; actiones imitatur. Hac opinio- *Aemulatio altera ſpecies.*

ne ductus Cicero quum apud Cæsarem pro M.Marcelli restitutione oraret, dixit illum æmulum atque imitatorem studiorum suorum extitisse. Eiusmodi æmulatio non modò in studijs bonarum artium perutilis est, sed etiam Regibus Imperatoribusque pernecessaria. Præbet enim quasi exemplar quoddam agendæ vitæ, regendique imperij. Nam sicut Aristoteles Platonem præceptorem suum, & veterem Academiam sibi ad imitandum proposuit, vt in mediocritate virtutem poneret, sicut Cicero in dicendo Demosthenem, cuius dicendi virtutes imitaretur, & Virgilius Homerum, Plautus Epicharmum Siculum, Gallus Euphoriona Calcidensem Elegiarum poëtam, cuius in Bucolicis meminit Virgilius, sic Reges, Imperatores, ac duces efficere debent, vt in pace quasi virtutum æmuli Euagoram, Agesilaum, Numam imitentur: in bello autem Camillum, Scipionẽ, Cæsarem, Alexandrum, ac præclarissimos alios quosque: quorum quidem æmulatio quasi optimi exemplaris instar illos ad perfectæ laudis ac gloriæ cumulum perducet. Nec verò admirandũ est æmulationis nomen ambiguum esse: αἱμύλος enim apud Græcos (vnde originem ducit) astutum, varium, & blandum sermone significat, & αἱμυλία dicendi facundiam.

Aristoteles Platon discipulus.

Reges quos debeant imitari. Elegans comparatio.

Cornelius Nepos in vita Pomponij Attici huius affectus proprietatem eleganter ostendit, cuius verba ponenda esse censui, vt res ipsa clarius intelligatur. *Pomponius vtebatur intimè Quinto Hortensio, qui his temporibus principatum eloquentiæ tenebat, vt intelligi non posset, vter eum plus diligeret, Cicero, an Hortensius: & id quod erat diffi illimum efficiebat, vt inter quos tanta laudis esset æmulatio, nulla intercederet obtrectatio, essetque talium virorum quasi copula.* Quibus ex verbis colligemus æmulationem quum transit in obtrectationem, facilè ex ea in odium, simultatem, inimicitiasque ac certamen prolabi posse, ex quo deinde ad vulnera necemque procurritur: hinc illud Maronis de Miseno Aeolide tubicine:

Cornelius Nepos.

Pomponius.

Sed tum fortè caua dum personat æquora concha
Demens, & cantu vocat in certamina diuos,

Æneidos sexto.

Aemu-

Aemulum exceptum Triton (si credere dignum est)
Inter saxa virum spumosa immerserat vnda.

Aemulatio nonnunquam compellit ad maiorũ prouocationem, vnde in fabulis scribunt poëtæ Marsyam Celenum ab Apolline superatum, Scythico flagello grauiter fuisse cęsum. Et Thamyram Odrysium à Musis, quas ad citharæ certamen prouocauerat, nõ modò victum, sed excæcatum quoq; fuisse, illiusque citharam in Barulam fluuium abiectam, eumq; per irrisionem deinceps Barulam fuisse cognominatum. *Marsyas.* *Thamiras.* Hęc æmulatio nisi rationis habenis regatur, exultat, ac liberius vagatur, & similitudinem quam sequi videbatur, in simultatem cõuertit, detractat officium, lędi alterius aduersatur, detrahit, insidiatur, tunc in alium incidit affectum longè deteriorem, fitque obtrectatio, de qua nunc à nobis dicendum venit. *Similitudo in simultatem versa.*

De obtrectatione. Tit. XIII.

Obtrectatio (vt Zeno definit) est animi ęgritudo ex eo manans quòd adsit alteri, quod ipse etiam habeat. Hac perturbatos animos vicissim inter se habuisse Ciceronem & Hortensium multi putabant: de eloquẽtiæ enim laude æmulatio quædam inter eos esse videbatur, quã simulando dissimulandoq; tegebãt. Nã Cicero illum miris effert laudibus, quum dicit: *Hortensius memoria tanta fuit, quantam in nullo cognouisse me arbitror, vt quæ secũ commentatus esset, ea sine scripto verbis iisdem redderet, quibus cogitauisset.* Et rursus alio loco: *Ipse mihi Hortensium, sibi me ille anteferebat.* *Obtrectatio.* *De claris oratoribus.* *Hortensius.*

At quum illium obitum deploraret, ait: *Dolorem mortis Hortensij, quòd non (vt plerique putabant) aduersarium, aut obtrectatorem laudum mearum, sed socium potius & consortẽ gloriosi laboris amiseram.* Quibus quidem testimonijs clarè apparet, hos duos præclarissimos oratores nulla inter se obtrectatione laborasse, sed suaui studiorum commercio fuisse coniunctos.

Indissimulata verò obtrectatio fuit inter Ciceronem & Salustium: Nam maledictis & probris diutius inter se certauerunt, alterque alterum ad vi[illegible]

lacerauit. Quinetiam repudiatam à Cic. Terentiam duxit Salustius, vt familiari testimonio illũ grauius lacesseret, & hac noua iniuria inueteratum odiũ magis exarsit, & plagam, quæ nondum cicatricem obduxerat, rursus exulcerauit. Malè enim obrutum incendium, paruo etiam vento facilè inflammatur.

Demosthenis & Eschinis mutua obtrectatio.

Durior quoque obtrectatio inter Demosthenem & Aeschinem fuit, vt eorum orationes inter se vicissim certantes indicant, quibus alter in alterum vehementer inuehitur. Sic etiã inter Demadem & eundẽ Demosthenem magna fuit obtrectatio, duris enim cauillis & probris palàm certabant: vt quum Demades aliquando in Demosthenem dixisset: *Meam sus tua Minernam docet*? tum ille: *At ista*, inquit, *Minerua tua nuper in adulterio deprehensa fuit*.

Minerua Demadis in adulterio deprehensa.

Tusc. 4. Zelotypia.

Obtrectationem esse Cicero ait, quã intelligi Zelotypiam velit, & in definitione cum Zenone conuenit, eamque ait ægritudinem esse, quòd alter potiatur eo quod ipse quoque habeat, complures tamen poëtarum Zelotypiam solùm in re amatoria ponunt, obtrectationem autem generaliter in omni mala æmulatione atque inuidia, detractatione. Nam ζηλοῦν amare & imitari significat, τύπ@- autem formam & figuram, inde verbum dicitur ζηλοτυπεῖν à quo ζηλοτυπία fit, quasi inuidentia quædam sub amoris figura concepta. Sic Iuuenalis Aeneam iuuenem zelotypo prælatum Hyarbæ appellat, vt qui amatoriam obtrectationem pro Carthaginensium regina inter eos fuisse putet. Oratores verò qui castigatius locuti sunt, vt Græcum verbum fugiant, pro zelotypia obtrectationem aut æmulationem vsurpant. Eiusmodi ægritudines animum Principis neutiquam perturbare debet. Nullam enim similitudinem cum priuatis ciuibus habet, cum quibus per simultatem contendat, & amicos nunquam, si rectè sapere vult, ad parem sibi vsque dignitatem prouehet, sed ita cum illis aget, vt neque plus velint quàm per eum illis tribuatur, nec si velint, assequi possint, & pari iure cum reliquis ciuibus parique iudicio censeantur.

Nullius porrò magis interest, quàm Principis, amicorum

eorum improbitatem, ac petulantiam coërcere. Eorum nanque licentia odium, simultatem, exitiumque in ipsos etiam plerumque parit. Non suiipsius odio Philippus à Pausania interemptus est, sed quod Attali turpitudinem ac petulantiam non vindicauerit, verùm illum excellentiore militia extulerit, & Pausaniam conquerentem varijs frustrationibus illuserit. Iram ergo qua in aduersarium tumuerat, in Regem ipsum euomuit, & occasionem nactus vltionem ab eo exegit, quam ab Attalo nunquã exigere poterat.

Pausanias iuuenis Philippum ius sibi reddere negligentem interemit.

Rectius C. Martius in simili causa egit, qui consul sororis suæ filium C. Lusium nomine, militum Tribunum à Cælio Plotio manipulario milite iure cæsum pronunciauit, quoniam eum de stupro compellare ausus fuerat.

Causam etiam amatoriam non habebit Princeps: nam aut permissis amoribus vtetur, aut si vspiam vagabitur, abstinebunt alij id appetere, quod ipse concupiscat, nec quispiam aquam deducere aut deriuare audebit, quum metuerit ne ab vniuerso flumine obruatur. Et de obtrectatione satis.

Plut. in Mario & Va. Ma. l. 6 Tit. de pudi. Quintil. l. 3. cap. 11.

De angore. TIT. XIV.

ANgor nunc sequitur in cuius definitione Zeno & Cicero conueniunt: dicunt enim *angorem animi ægritudinem esse prementem.* Nonnulli qui de verborum significatione scribunt, asserunt angorem esse animi vel corporis cruciatum, dicique à verbo Græco putant. ἄγχω siquidem idem quod strangulo significat, inde ἀγχὸν strangulatio Latinis dicitur. Festus Pompeius putat hinc trahi anginam, quæ faucium dolorẽ significat, Plautumque comicorum facetissimum hoc verbo vsum dicit, vbi ait: In anginam ego nũc me velim verti, vt veneficæ illi aniculę fauces prendam, atque enecem scelestam simulatricem. Cornelius autem Celsus vir summa doctrina, summaque eloquentia, in libris quos de medicina scripsit, ait: *Nostri anginam vocant, apud Græcos nomen prout species est. Nam συνάγχη*

Angor. Tusc. 4.

Festus Pomp. de verb. signi. Angina. Philolaches adolescens. Plautus in mostellaria. Corn Celsus cap 4. lib. 4.

In li. de Fato. *Socrates bardus Zopyrus dictus.*

pernoscere profitebatur, Socratem stupidum, bardumque (vt Ciceronis verbo vtar) & à virtute omnino alienum esse dicebat, quòd is iugula concaua nō haberet, sed obstructas eas partes atque obturatas esse dicebat: hoc quum audiuissent qui aderant, Zopyrum irridebant. Tum Socrates: *Vera*, inquit, *loquitur, huiusmodi tamen naturæ mala omnia sapientiæ studijs exuidam*, Non igitur errauit Iuuenalis, quum ait:

Sat. 10. in fi.

> *Nullum numen abest, si sit sapientia: sed nos*
> *Te facimus fortuna Deam, cæloq; locamus.*

Tristitia.

Tristitia Principibus inutilis & indecora est; odit enim hominum cœtus, sermones fugit, comitatus vitat, optat solitudinem, se ipsam cruciat, semperque iecur torret, vt dicebant veteres. Inter Pythagorica symbola, quæ apud amicos crebris sermonibus vsurpabat, hoc in primis erat, *cor non esse edendum*: cuius quidem sensus erat, tristitia animum non esse excruciandum.

Cor non edendum: symbolum Pythagoricorum.

Myson Cheneus solus quādoq; ridebat, alioqui tristis. Ex Diogen. Laert. lib. 1.

Myson Cheneus, quem nōnulli inter septem Græciæ sapientes connumerauerunt, tristis adeò erat, vt odio mortales omnes habere diceretur. Is solus aliquando ridebat, quum in conuentu hominum semper tristis esset. Tum ex notis eius quispiam, qui clàm viderat eum ridentem, ait: *Sed nunc in solitudine Myson cur rides? quia* (inquit) *solus sum.* Quo quidem responso indicauit tristes omnes soliuagos esse, & nullum hominum congressum aspectúmve ferre posse.

Hæc est aquila illa quàm poëtæ fingunt cor Promethei semper tundere, religati in Caucaso monte: tristis scilicet & alta cogitatio, quam in sydcrum contemplatione sedulò impendebat. Fuit enim Prometheus vir doctissimus, idcircò eum primò hominem figulari rota ex luto finxisse fabulantur, quia illum abductum à terrena cogitatione ad cœlestium rerum agnitionem erexit. Sed quia cura curam ex se gignit, & cogitatio cogitationem parit, fingitur contusum cor eius renasci, sicque perpetuò reparari, & nunquam deficere.

Homo ex luto primus factus.

Tristior illa ac profunda meditatio solitudinem silentiumque quærit duce natura, quæ duo cogitationum

tionum nostrarum receptacula nobis præbuit, vnum in cerebro, alterum verò in corde. Sed illud cerebri tumultuosum & inquietū est, confluunt illuc omnes corporis sensus, & exteriora omnia quę obijciuntur, nuntiāt: proinde cerebrum nunquam placidè quiescit. Cor autem quietum magis est, & abditum, minus enim à sensibus vexatur. Mens igitur nostra (quam sæpe dixi ita dominatum corporis tenere, constitutam in summo capite, quasi corporis arce, vt Deus in ipso cœlo) si quando in aliquam grauiorem incidit cogitationem, tunc videtur quasi confugere ad cor, & tanquam ad secretum quietumque penetrale secedere, vt verum ac rectum consilium eliciat ac proferat. Sic nos quoque mentis exemplo quanto magis cogitationi intenti sumus, eo abditiorem altioremque locum quærimus, ne ea videamus quæ animum perturbant, néve audiamus quæ circunsonant aut circunstrepunt.

Hac igitur meditatione inducti veteres tristitiam in bonam nonnunquam accipiūt partem, & pro grauitate quadam ac prudentia ponunt: vnde Lucilius & Varro *tristes ac seueros philosophos* appellant, & Cicero *iudicem tristem*, & seuerum dixit. Sic etiam Terentius: *Tristis seueritas inest in vultu, atq; in verbis fides.* Relinquat igitur Princeps illam duram atque amaram tristitiam, tanquam rem perniciosam, & truculētam: hæc autem mitior non indecora erit, sed potius dignitatem augebit, si tempori ac loco conueniet. *Tristitiam in bonam partē.*

De mærore. Tit. XVI.

MOEROR huic superiori non est dissimilis, sed eam magna ex parte comitatur, illius tamen affectus magis perseuerat. Cicero *mærorem ægritudinem flebilem esse dicit, hæc à compluribus Græcorum κατήφεια dicitur.* Latini autore Varrone putant mœrorem Latinam esse dictionem, & à marcesco deduci, quoniam mœrore corpus marcescat, tabescatque. Inde etiam macros dictos putant. Videretur fortasse durior hęc expositi- *Mæror.*

positio, sed tantum Varroni tribuo, vt sola autoritate sua me frangat. Si verò cuipiam non faceret satis, nō alienum forsitan putandum esset mœrorem Græcam habere originem, & vel à μείρομαι dici, quòd in sortem accipere significat. Sæpe enim quæ aduersa accidũt, fortunę sortique tribuimus, vel ab ἥμαρμαι, quod fato accipere designat, εἱμαρμένη siquidem pro fato, sorte, portionéve ponitur. Quæ ambiguitas dubiam reliquit scripturam. Nàm Mœrorem (vt ex veterib. codicibus cerni licet) alij per œ, alij per æ diphthongum scripserunt. Vtra harum opinionum vera sit, parum refert, vtraque tamen suos adstipulatores habet, nos neutram affirmamus, sed rem in medio relinquimus, ne dum alios sequimur, in aliorum inuidiam incurramus: hi autem quibus neutra harum opinionum placet, æquo animo pauca hæc verba ferãt, & nos tentando lusisse putent.

Verum etymō. Est enim diuturna tristitia, & quasi fatalis, à μοῖρα.

Hæc flebilis ægritudo à viro forti omnino aliena est, molitiem enim animi ostendit, virtutem eneruat, & hominem languidiorem reddit. Pueri apud Lacedęmonios per superstitionem quandam ad aram loris grauiter cædebantur, vt consuescerent sine mœrore ac lachryma plagas ferre, virtutique obdurarentur, vixq́ue vnquam inuẽti sunt aliqui molliores, qui flerent, aliquóve modo ingemiscerent: sed si quis lachrymulam effudisset, aut leuiter admodum ingemuisset, ita deinde ab ęqualibus irridebatur, vt quam primùm vltro aram conscenderet vt rursus cæderetur, quod quidem etiam Cicero verum fuisse testatur. Id enim efficiebant, vt virtutis indolem ostenderent, ne paruo dolore eam amisisse viderentur. Quæ consuetudo tantum valuit, vt Lacedæmonij omniũ Græcorum fortissimi euaserint: & Spartiatæ quamuis pauci & inopes essent, maximum tamen imperiũ propagauerint, & opulentissimas vrbes ac regiones subegerint. Sparta, quæ totius Laconicæ prouinciæ principatũ tenebat, Hecatompolis dicębatur, quòd tunc centenis vrbibus imperaret, & singulis quibusq́ue annis à numero vrbium centum boues immolabat, & idcirco eiusmodi sacrificium Hecatombe dicebatur

Cic. in Tusc.

Sparta Hecatompolis.

tebatur. Et qum Antigonus Macedonum Rex tandem eos superasset, non modò viri, verùm etiam mulieres & paruuli fortunæ mutationem forti animo pertulere. Nemo enim iam in acie saluti suæ pepercit, nulla fœmina amissum coniugem aut filium fleuit, senes filiorum mortē laudabant, patribus in acie cæsis filij gratulabantur, omnesque reliqui vicem suam dolebant, quòd non etiam ipsi pro patriæ libertate cecidissent.

Ciceroni tantæ excellentiæ viro, & qui tam præclarū facinus pro Republica gesserat, vitio datū est, quòd vocatus in iudicium à Clodio, vt qui Lentulū & Cethegum iniussu Senatus supplicio affici iussisset adeò animum demiserit, vt mutata veste flens ac miserabiliter mœrens ad singulos quosque obuios se prosterneret, & quū eius oratio in alienis casibus semper enituerit, in seipso defendendo in tam illustri causa siluerit, & muliebriter conuersus in mœrorem ac fletum, misericordiam, quam iure optimo assecutus fuisset in risum hominum ludibriumq; conuertit. Nec fuit res parui momenti mœror hic Ciceronis. Eum namq; sordidatum millia circiter hominū viginti veste mutata comitabantur, tum in primis vniuersus equestris ordo, tum nonnulli senatorum filij: nihil tamē animum Ciceronis magis fregit, quàm subita in eum Pompeij mutatio, cuius arbitrio tam multa in Republica non sine multorum ciuium inuidia gesserat, de eo optimè meritus nunc destitutus fuit, quum magis ope, consilio, auxilioque eius indigebat. Hoc primum ingrati animi argumentum fuit. Extremo enim in periculo constitutus Cicero, vt à Pompeio auxilium peteret, rectà illius domum proficiscebatur, & quum iam vestibulum ingredi vellet, clausis per seruos ianuis exturbatus extrususque extitit, ipse autem Pompeius per posticum egrediens hominem amicum destituit, ac per contemptum frustratus est. Huius iniuriæ meminisse videtur Cicero, quum ad Atticum scribens ait: *Laudas, quia obliuisci me scripsi antefacta & dicta nostri amici, ego verò ita facio: quin ea ipsa quæ à te cōmemorantur, secus*

Cic. à Clodio in ius vocatus animum despondet.

ab

ab eo in meipsum facta esse non memini. Tanto plus apud me valere beneficij gratiam, quàm iniuriæ dolorem volui. Sed magnus hic per virtutem cognominatus, ingratior aliquando, ac negligentior in rebus amicorum habitus fuit, vt qui excusaret se maximis Reipublicæ negocijs impeditum non posse amicorum causis adesse, quæ tamen ratio eum à multorum, qui de eo optimè meriti erant, inuidia liberare non potuit.

Demosthenes molli animo. Demosthenes quoque non fortior Cicerone fuit, quum causam suam apud Atheniēses dixit: præ mœrore enim adeò animo decidit, vt exilium potius subire statuerit, quàm in iudicium descendere, & veniā implorare, quā tamen animo impetrasset, tātę dignitatis ac gratiæ apud Athenienses erat. Nunc autem (vt redeat sermo vnde defluxit) concludendum erit, magnos ac fortes viros eiusmodi ægritudine nō perturbari, sed infirmitatem humani generis æquo animo ferre, semperque opinari debere terrena omnia virtute longè inferiora esse.

De luctu. TIT. XVII.

Luctus. Tuscul. 4. Acerba ætas metaphoricè à pomis immaturis. LVctus huic speciei succedit, de quo paucis disserendum erit. Luctum Cicero esse dicit ægritudinem ex eius acerbo interitu conceptam, qui nobis charus fuerit. Hac in primis definitione monemur, luctuosius nobis perire eos qui ætate acerba occidunt, quàm eos qui matura ac miti post multos exactos annos decedunt. Illos enim lugere nostro incommodo detrimentoq; possumus, istos autem nequaquam: functi enim sunt officio vitę, & defecti corporis animique viribus decidunt, vt poma quæ ex suis ramis concocta, ac vieta sponte sua cadunt, nulla externa vi excutiente, sed à natura ipsa relicta, vt nouis cedant. Proinde illorum occasum opportunum non luctu, lachrymis, aut misericordia prosequamur, sed laude ac gratulatione, ne aut nimium nos ipsos amare videamur, aut fœlicitati illorum inuidere.

In legibus decemuiralibus (quas duodecim tabulas

bulas appellant) non modò viris, ſed etiam mulieribus eiulatus fletuſque funebris prohibitus eſt. Ingemiſcere tamen nonnunquam etiam viro conceſſum Cicero ait, ſed id quidem perrarò. Ingemiſcere apud priſcos miſerabilem quandam vocem è pectore mittere ſignificauit, ſine eiulatu & lachrymis, quum quis ex ſuſpirio oſtendit ſe deſiderio eius qui obierit eſſe affectum. Hoc verbum originem Græcam videtur habere: eſt enim γέμω plenus ſum, & γεμίζω impleo. Vaſa enim oris anguſti quum ad ſummum vſque implentur, vocem quandam gracilem quaſi gemitum emittūt: hinc tranſlatio fit ad gemitum: niſi durior fortaſſe videbitur Virgilius, qui cauernas gemitum dediſſe ait: Et Cicero, *Athletas in iactandis ceſtibus*, ait, *ingemiſcere, non quòd doleant, animóve ſuccumbant, ſed quod cum gemitu plaga venit maior*: Sed ad propoſitam rationem redeo.

Duodecim tabularum leges decemvirales.

Ingemiſcere.

In Tuſcul.

Eorum interitus, quorum vita clariſſima fuit, & mors ſplēdida, omni luctu careat oportet: fama enim & gloria rerum geſtarum omnes lachrymas ab oculis abſtergere, & diuturna eorum memoria omnibus conſolationem afferre debet.

Præterea non ſunt grauiter ferēdi caſus, quos nullo cōſilio vincere aut vitare poſſumus: & ex aliorum euētu cogitare debemus, nihil noui nobis accidiſſe, nihilque prҫter conditionem mortalium. Nihil enim præcipuè dolendum eſt in eo quod accidit vniuerſis. Leuat ſiquidem dolorem communis quaſi legis & humanæ conditionis recordatio, vt ait Cicero. Fieri tamen non poteſt, vt triſte deſiderium ex eorum morte quos diliximus, aliquandiu in nobis non remaneat, quod quidem leniendum virtute animi eſt, memoria officiorum, ac rectarum actionum quas illi egerunt. Nam ſiquis ſenſus de his quæ à nobis geruntur, his qui obierunt remanet, certè nihil libentius ſentiunt, quàm ſuam memoriam à nobis celebrari, maximaſque gratias illis habent, qui præclara ſua geſta nulla obliuione obliterari ſinunt, ſed eadem hominibus legenda atque audienda tradunt, vt quaſi viui eſſe videantur, & in cœtu hominum

quotidie versari. Sic enim viri fortes laudis studio honestam mortem vitæ etiam præferunt, quid assecuti esse viderentur, si ijsdem terminis, quibus vita, etiam memoriæ famæque gloria finiretur? Certè futuræ laudis species quasi calcar esse videtur ad omnes præclaras actiones.

Sed age quid mœrendo aut lugendo assequimur, nisi vt leuiores esse videamur, & corpore habituque indecori? Quis hominem flentem ac sordidatum nô iure optimo irriserit? Quis eiulantem aut lugentem non contempserit? Lugeo (vt opinor) etiam Græcam habet originem, est enim λιγαίνω, strideo.

Quid viro indecentius stridore atq; vlulatu querulo? Inofficiosum tamē prorsus videretur, acerbam mortem eorum, qui necessitudine aut beneuolentia nobis coniuncti sunt non dolere, & suisque deque ferre, vt nonnulli veterum dicebant, quod se indifferenter habere significat, vt A. Gellius ostendit: hoc quidem Stoicis placet, ἀδιαφορεῖν enim id significat, quod solius sapientis esse affirmant. Sed nos prudentis animi esse ducimus, æquo animo aduersa omnia tolerare, & modestè admodum se gerere, ne aut luctu nostro indecoro videamur molliter nimis nos amare, aut omnino non dolendo necessarios nostros negligere atque contemnere. Et illuc spectare videtur (vt opinor) quod apud Terentium ex prisca consuetudine dicitur: *Eius mortem tam fert familiariter: quid si ipse amasset? quid mihi faciet patri?* Donatus tamen grammaticus grauis atque eruditus familiariter, grauiter exposuit, quòd quæ familiaria nobis sunt, grauia animo nostro esse videantur, sed hic potius ad comicam vim, quàm ad sapientiæ studium respexit.

A. Gellius c. 9. lib. 16.

In Andria.

Placet tamen animi affectum alijs potius signis ostendere, quàm mœrore, eiulatu ac luctu, ne indecentiam nostram lachrymarum situ & squallore ostendamus.

Alexander Magnus à virtute dictus, Hephæstionis amici sui mortem graui animo tulit, sed nese pannosum, sordidatum, ac luctuosum ostenderet,

equo-

equorum iubas tonderi ad cutem vsque iussit, & turrium pinnas, ac murorum propugnacula exturbari, vt mœnia etiam ipsa desiderio Hephæstionis amici sui affecta esse viderentur.

Obiecerunt vt indignum æmuli obtrectatores M. Catoni iuniori, quod mortem Cepionis fratris sui molestius ægriusque tulerit, quàm par fuerat, aut virum seuerum ac grauem, & in studijs Stoicæ sapientiæ eruditum decebat, quodque non solum luctu, planctu, & eiulatu modum ac limitem sapientis viri transgressus fuerit, verùm profusione quadam, ac nimia funeris impensa. Exquisitis enim odoribus vaporibusque, & vestibus preciosis, quibus adopertum illius cadauer crematetur, modesti moderatique hominis terminos excessisse nimium visus est. Erexit quoque ei in foro Emæorum sepulchrum ex Thasio marmore, cuius impensa fuerit octo circiter talentorum.

Crassum verò laudibus efferunt, qui forti animo tulit cędem filij sui viri clarissimi, cui nupta erat Cornelia Scipionis filia, quam deinde Magnus Pompeius duxit, erat enim puella non modò forma ac gratia præcellens, verùm etiam eloquentia ac doctrina eruditissima. Nam quum filij caput abscissum, hastæque præfixum à Parthis circunferri cerneret Crassus, & eo spectaculo Romanorum amicos, qui in exercitu erant perterrefieri ac consternari, magna voce exclamauit: *Meus est hic priuatus dolor milites, mea calamitas, meúsque luctus: publica verò salus, & Reipublicæ gloria in salute vestra posita est. Quod si qua orbati semiserratio vos tangit, hanc in vlciscendis hostibus ostendite.* Hæc quidem vox non paruum fortitudinis exemplar præbuit, sed inclinante fortuna difficile admodum est rem labantem sistere. *Cornelia.*

Laudant veteres Lacænam illam, quæ quum accepisset filium fortiter in prælio dimicantem cecidisse, nullum mœroris aut luctus signum dedit, sed Dijs gratias habere se ait, quòd eiusmodi filium peperisset, qui pro patriæ salute non dubitasset occumbere. *De quadam Lacæna.*

Anaxagora dictum. Sapientem etiam Anaxagoram probant, qui nunciãti sibi filij mortem ait: *Sciebam me genuisse mortalē.*

Xenophon quoque Atheniensis quum coronatus de more sacrificaret, filium Gryllum nomine in prælio apud Mantineã corruisse accepit, quo nuncio cõmotus coronam deposuit, sed certior deinde factus illum forti animo pugnantem occubuisse, coronam euestigio accepit, & quasi Deo pro honesta filij morte gratias ageret, rem diuinam facere perrexit.

Horatius Puluillus. Horatius quoque Puluillus quum Ioui ædem in capitolio pontifex consecraret, eique nunciatum esset filium occidisse, nihilo commotior factus in dedicatione perstitit, nec vultum à publica religione ad priuatum dolorem flexit, ne patris magis quam pontificis partes egisse videretur.

Quibus exemplis concludere possumus, prudentem ac grauem virum luctu neutiquam perturbari, sed mortem eorum quos charos hãbet, leniter dolere, & præcipuè si fuerit honesta, vel potius gloriosa. Acerba tamen durior est. Audi Plinium secundum, & intelliges quam mortem opinetur acerbam dici. *Plinius secundus in epist.* *Mihi autem videtur acerba semper & immatura esse mors eorum, qui immortale aliquid parant. Nam qui voluptatibus dediti quasi in diem viuunt, viuendi causas quotidie finiunt. Qui verò posteros cogitant, & memoriam sui operis ostendunt, his nulla mors non immatura est, vt quæ semper inchoatum aliquid abrumpat.*

De ærumna. TIT. XVIII.

NVnc sequitur ærumna, quam dicunt ægritudinem esse laboriosam. Cic. in libris suis de finibus bonorum & malorum eiusmodi verba protulit. *Lib 2. Ærumna.* *Sic enim maiores nostros labores non fugiendos, tristissimo tamen verbo ærumnas (vt video) nominauerunt.* Sed ærumnæ & per diminutionem ærumnulæ, furcillę sunt, quibus sarcinę *Festus in voce ærumnulæ.* releuantur, quarum vsum quia C. Marius in re militari primus militibus suis dedit, muli Mariani postea dictæ sunt, quorum onera ærumnis illis subleuabantur.

tur. Sic deinde per similitudinem quandam veteres onerosos grauesque labores ærumnas appellauerũt. Huius verbi origo Græca esse inuenitur, est enim αἴρω apprehendere, tollere, vincere.

Labores igitur quos animi virtute vincere, tolerare, & nulla ex parte detrectare debemus, ærumnarum nomine nuncupabant, vt ostenderẽt functiones quæ ad dignitatem pertinent, quęq́ue ad multorum exemplum, aut ad publicam vtilitatem spectant, nunquam fugiendas esse, alijsq; ablegandas. Nullus enim dolor nullumque periculum esse debet, quod pro cõmuni salute communique libertate fugiendum aut deprecandum sit. Nec omnino putandum est, eorum qui cum imperio sunt, labores minores esse, quàm eorum qui priuatam vitam domi militiæúe agunt. Nihil enim difficilius esse potest (vt sæpe iam diximus) quàm bene imperare: adeò vt non insulsè dixisse videatur Tiberius Cæsar, quum ait: *Nescitis quanta bellua sit imperium.* *Labores & molestia Magistratuum.* *Dictum Tyberij.*

Et ad inimicos sæpe dicebat se lupum auribus tenere. Regem quendam fuisse Valerius scribit (cuius nomen memoriæ non prodidit, nec me alibi vnquã legere memini) qui traditum sibi diadema priusquã capiti imponeret, retentum diu cõsiderarit, tandemque dixerit: O *nobilem magis quàm fœlicem pannum, quem si quis penitus cognoscat, quàm multis solicitudinibus, periculis, & miserijs sit refertus, ne humi quidem iacentem tollere vellet.* *Lib. 7. de sap. dict. & fa. c. 3.*

Prisci Reges ante vsum diadematis paruas quasdã gerebant hastas, & eas pro sacris venerabantur, quæ sceptra à Græcis dicta inueniuntur. Sed gloriæ studium, & imperij amplitudo labores illos multo quàm sunt minores videri facit. Hoc Scipio ipse Aphricanus manifestè declarauit. Nam quum legeret Xenophontis libros de Cyri institutione, locum illum inprimis laudauit, in quo diceret labores non esse graues nec Imperatori, nec militi, quando ipse honor labores leuiores faceret Imperatorum. Hanc sententiam secutus etiam videtur Sothares Atheniensis, vir doctus & grauis. Nam quum Miltiades pro par- *Prisci Reges hastis pro diademate vtebantur.*

ta victoria coronam in Senatu peteret, obstitit Sothares, & palàm exclamauit:

O Miltiades, quum solus de barbaris victoriam consequutus, tunc te solum coronari æquum erit. Sed haud scio an tota illa bellica laus tanti sit, vt innumerabiles illas ærumnas compensare possit, & præcipuè quum cogitamus, ei qui exercitui præest, non satis esse consilio adesse, & in appellandis cohortandisque militibus, alijsque functionibus optimi ducis munere fungi, nisi etiam in pugna vbi opus fuerit, gregarij militis officium præstet. Quid Hannibali defuerit, quod ad magnum ducem summumque Imperatorem pertineat, nõ intelligo. Audi Liuium hominem Italum Romana ciuitate donatum, & extero ac barbaro duci nulla necessitudine conciliatum, intelliges quanti laboris sit bene militibus imperare. *Hannibal*, inquit is, *plurimum audaciæ erat ad pericula capessenda, plurimum consilij inter ipsa pericula. Nullo labore aut corpus fatigari, aut animus vinci poterat. Caloris ac frigoris patientia par, cibi potionisq; desiderio naturali, non voluptate modus finitus, vigiliarũ somniq; nec die nec nocte discriminata tempora. Id quod gerendis rebus superesset, quieti datum, ea neque molli strato, neque silentio accersita, multi sæpe militari sagulo opertum humi iacentem inter custodias stationesq; militum conspexerunt. Equitum peditumq; idem longè primus erat, Princeps prælium inibat, vltimus conserto prælio excedebat, vestitus nihil inter æquales excellens, arma atque equi conspiciebantur.*

Dec. 3. l. 1.

Hannibalis vita, & mores.

Hæc Liuij verba ostendunt quæ & quantæ sint ærumnę laboresque eorum qui exercitum ducunt. Ex his autẽ quid lucratus fuerit hic Punicus Imperator omnium exterorum præstantissimus, non intelligo, nisi lucro ei appono inuidiam, exilium, suorum cædem, inopiam, venenum. Hæc si cum gloria conferimus, dura etiam & aspera esse videbuntur, adeò vt vix satis cum gloria compensari atque adæquari possint.

Magnus quoque Imperator fuerat Hamilcar eius pater, præclaras res gesserat: sed dum fortunam inconsultius quam prudẽtius sequitur, ab Hispanis per insi-

inſidias occiditur. Cuſſus gener, qui ei in imperio ſucceſſit, Haſdrubal, à ſeruo cuiuſdam Hiſpani indignam domini mortem vlciſcentis cæſus eſt. Principes quoque & Reges qui in pace & ocio degunt, non ab ærumnis laboribuſque omni ex parte immunes ſunt.

Omitto quæ in rebus bellicis Cæſar egit, in quibus mortales omnes antecelluit: at poſtquam rerum potitus eſt, nullum functionis aut officij in quenquam genus vnquam publicè priuatímve omiſit. Ius aſſiduè, laborioſiſſimè, ſtudioſiſſimeque dixit, amicos ſemper ſumma indulgentia ac facilitate tractauit, omnibus aderat, neque tempori neque labori parcēs, quæ quidem res maximè ciuium animos conciliat, vt negligentia alienat, ingratique animi iudicium præbet. Quum dies dicta eſſet cuidam veterano militi, is Octauium Auguſtum rogauit vt ſibi adeſſet. Tum Auguſtus illum cauſidico cuidam commendauit, vel quod rebus arduis compluribus eſſet intentus, vel vt tædium defenſionis vitaret. Tum miles commotior aliquantulum, exclamauit: *Non ego te periclitante in Actiaco certamine vicarium quæſiui, ſed pro te ipſe certaui*, cicatriceſque oſtendit. Erubuit Octauius, militiſque cauſam diligenter defendit, ne ingratior negligentiórve eſſe videretur, aut per deſidiam laborem effugere.

Maximam laudem tulit Mithridates Ponti Rex, qui pro Leonico acerrimo defenſore ſalutis ſuæ, à Rhodijs nauali pugna capto omnes hoſtiū captiuos, qui complures numero erant, permutauit, tanti referendæ gratiæ munus faciendum eſſe ſtatuit.

Boni igitur Principis erit ęrumnas tolerare, & nullum honeſtum laborem detrectare, nec per ignauiā committere, vt nimis delicatus eſſe videatur. Moderatè tamen animi corporiſque labores ferendi ſunt, ne nimia quadam intentione inepti, & quaſi inſani eſſe videamur, ludibriumque de nobis alijs præbeamus: quod docere videtur Perſius cùm ait:

Non ego curo Sat. 3.
Eſſe quod Arceſilas ærumnoſiq; Solones,
Obſtipo capite, & figentes lumine terram.

dicunt, dum vix spiritus trahitur. Consequens igitur esse videtur angorem animi, ægritudinem corporis, cruciatum transferri. Nam sicut ex hac ægrotatione corpus corruit, membra languescunt, sic etiam animus angore perturbatus deficit, & omnia virtutis officia deserit. Videmus enim nonnullos quũ quippiam durioris nuncij accipiunt, ita animo angi, atq; dimitti, vt vbi sint loci, vix satis sciant, vixq; suffraginibus regãtur, sed tremiscunt, labascunt, desidunt, & frigido sudore perluuntur. Legimus etiam quosdam repentino angore adeò consternatos, vt perierint. P. Rutilius quum leui quodam morbo teneretur, nũciata fratris in petitione consulatus repulsa, illico vitæ spiritum emisit. Diodorus sophista dialecticen profitebatur, in qua se omnium præstantissimum esse iactabat, & in disserendo nemini cedere. Clarus etiam in eadem disciplina habebatur Stilpo Megarensis, contigit ergo vt aliquando in arduam inciderent disceptationẽ, magna confidentia loquebatur Diodorus, sed Stilpo breui quadam interrogatione quæstiunculã per iocum ei protulit, cui quum nequaquam respondere posset Diodorus, obticuit & præcipiti quodam angore ex pudore correptus obijt. Augustissimi itaque animi viros tangit hic affectus, & eos qui fortunæ casibus minus resistere didicerunt. Reges autẽ ac Principes qui ingenitam quandam fortitudinem à natura ipsa habent, (*fortes enim fortibus creantur*, vt ait Horatius) longè minus angore turbantur. Additur deinde consuetudo magnorum virorum, cum quib. assiduè versantur, & maximarum rerum actiones meditationesq; quotidie accidũt, quæ eas ab omni parua atq; humili cura vendicant, & fortes intrepidosque etiam in rebus arduis ac difficillimis reddunt. Omitto fatalem illam infusionem, qua diuinitus cõcessum est vt alijs hominib. imperent, vt Mœonius vates cecinit, & Hesiod. diuinę prolis assertor retulit, quũ dixit.

Ex Plin. cap. 29. lib. 7.

Diodorus sophista.

Stilpo Megarensis.

Horatius.

Hesiodus.

Indigetes diui fato summi Iouis hi sunt,
Quondam homines, modò cum superis humana tuentes,
Largi, ac magnifici, Regum ius hinc quoq; nacti.

De

PAGINATION INCORRECT

De tristitia, & atra bili.

Tit. XV.

Tristitia huic proxima accedit, quæ (vt ait Cicero) *est ægritudo permanens altius animo insita, atque inhærens*: hęc magis animos eorum perturbat, quorum corpora terrenã magis naturam attingũt. Idcirco quidam putant tristitiam dici à terræ statione, quasi terrestitiam. Atræ quoque bili, quam μελαγχολίαν Grçci appellant, valde obnoxia habetur, & nonnunquam tantæ potentiæ est, vt hominem in insaniam conuertat. Vnde illud Plauti: *Delirat vxor atra bili percita*. Aristoteles ait eos omnes qui atra bili tenentur, non modò animo sed etiam corpore vexari, semperque medicina egere vt qui abrodantur assiduè, vehementer appetant, multum sumant, parum concoquant. Addit quoque eos altas habere cogitationes, & ingenio plurimum præstare. Hoc cùm aliquando legeret Cicero, subridens ait, *se tardiorem esse æquo animo ferre, dũmodo ab hac naturæ specie omnino abesset*. Nec id iniuria dixit vir dicendi ac sentiẽdi Latinorum omnium excellentissimus. Sunt enim taliter affecti homines ad inuidiam proni, & ad mœrorem, fraudem, auaritiam, ignauiam, desidendo enim ac nihil agendo oblectãtur. Hos astronomi Saturno subijciunt, scilicet syderi ignauo, nocuo, & hominum generi infesto.

Cic. Tuscul. quæst. l. 4.

Arist. in proble. sectione 3. quæst.

Tusc. 1.

Cic. dictum.

C. Cæsar aliquãdo in corona familiarium suorum liberius iocabatur, proprius illuc accessit vir quidam hilari vultu, sed præpingui, robusto, ac procero corpore, tum quispiam eorum qui in corona aderant, eũ monuit, vt submissius loqueretur, hominemque caueret, tum leniter arridens Cæsar dixit, non tales viros esse cauendos, sed macilentos ac tristes, & nutu Brutum ac Cassium ostendit. Ratio tamen & prudentia, natiuam astrorum naturæque inclinationem non modò mutare ac cohibere valet, verùm etiam omni ex parte abolere.

Cæsar.

Ex Plut. in apophth. Romanorum.

Zopyrus, qui naturæ rationem hominumque mores ex corporis habitu, oculis, vultu, fronteque se peritissimum

Zopyrus physiognomus.

Vnde notum est vetustate prouerbium: *Nihil agit qui omnia satagit*: quod quamuis ad corporis actiones potius pertinere videatur, tamen ad animum etiam transferri potest. Et hæc de ærumna satis.

De lamentatione. TIT. XIX.

Lamentatio huic proxima accedit, de qua pauca dicēda sunt, est enim aliena à summis quibusque viris, vixque pueris mulierculisq; aliquando permittitur. Cicero lamentationem esse dicit ægritudinem cum eiulatu. Nec decipiant nos poëtæ, qui heroas quos appellant, inducunt miserabiliter eiulantes, & ea nonnunquam dicentes atque agentes, in quibus nihil omnino à fatuis ac furiosis differre videantur. Hom. Bellerophontem mœstis lamentationibus eiulantem facit, & errantem in campis Aleis, fugientemque hominum vestigia, vt licentius cor suum ederet. Quid tragicis lamentationibus mollius? Quid magis effœminatum, in quibus mihi risum captare videntur, potius quàm misericordiam inire?

Tusc. 4. *Lamentationes Heroum apud poetas.*

Tragica lamentationes.

Refugêre oculi, corpus macie extabuit.

Et paulò post:

Barba pædore horrida, atq; intonsa
Infuscat pectus illuuie scabrum.

Ex veteri poeta, apud Cic. in Tuscul. quæstion.

Hæc quum in theatris recitabantur, & miserabilib. vocibus decantabantur, molliores animo ad lachrymas excitabant, viri autem graues eadem contemptui ludibrioque habebant.

Octauius Augustus ludis actionibusque theatralibus frequenter accedebat, spectabatque horas complures, aliquando autem totos dies intentus aderat nihilq; aliud interea agebat, admirātibus autem quibusdam respondebat, se id agere vitādi rumoris causa, quandoquidem C. Cęsarem memoria teneret vulgò reprehensum, quod inter spectandum epistolis libellisque legendis, ac rescribendis operam daret. Non poterat vir ille maximi animi, diuiniq; ingenii, lusionibus nequitijsque fabularum diutius intentus esse, sed inter spectacula ipsa res serias agebat.

Tragœdia summoperè delectabatur Augustus, Aiacisq; fabulam magno impetu aliquando scribere inchoauit, sed parum fœliciter succedente stilo, eam aboleuit, quærentibusq; amicis quidnam Aiax ageret? *in spongiam incubuit*, respondebat: De tragœdis verissimè loquitur Isocrates ad hanc sententiam: *Homerus semideorum bella ad fabulas transtulit, tragœdi autem contrà fabulas quasi res verè gestas edunt ad popularem gratiam ineundam, & oculis auribusq; hominum eas percipiendas in scena atque theatro exhibent: & ad ineptias inanesq; verborum ac sententiarum illecebras se conferunt, omissa omni præceptorum grauitate, vt multitudinis rumorem hauriant.*

Augusti lepidum responsum. De quo Suet. & Macrob. lib 2. Saturnal.

Roscius in ludicra arte ac scenica omnes mimos, histriones, ac scenicos antecelluit, adeò vt quum frigidius quippiam in theatro ageretur, acclamarent spectatores: *Non agit Roscius*. Is omni studio omnique diligentia oculis atque auribus populi seruiebat. Idcirco gloriabundus dicere solebat, nullum se gestum vnquam populo afferre, nisi quem prius domi probasset.

De quo Horatius.

Sed ad institutum sermonem redeo. Hæc lamentatio quum effrenata est, liberius licentiusq; vagatur, & in altam quandam ac duram meditationem labitur, fitque solicitudo, quæ cor diuturna cura peredit. Eiusmodi enim perturbationes adeò inter se nexæ iunctæque sunt, vt altera alteram ducat, nisi quamprimùm sedentur, atque omnino diligenter extinguatur. Sed & de solicitudine seorsum etiam aliquid dicendum erit.

De solicitudine. TIT. XX.

SOLICITVDO est ægritudo animi ex magna quadam penitusq; infixa cogitatione manans, vt Cicero definit. Magno, & perspicaci ingenio viri, & præcipuè studijs literarum intenti, hoc affectu plerunque turbantur, si eis rationis habenæ laxiores sunt.

Tuscul. 4.

Aegyptij regionem suam cum hominum ingenijs conuenire aiunt, quæ bene vtentibus saluberrima medicamenta præbeat, malè autem vtentibus mortifera venena.

Idem de ciuibus suis dicebant Athenienses, quos omnium optimos esse affirmarent, vbi secundum virtutem agere velint, vbi verò contrà, omnium deterrimos. Sic etiam eorum tellus optima fundit mella, fert tamen & cicutam, & omne pessimum virus. In vno Alcibiade vtrunque probari dicebant, qui tanta ingenij facilitate præstabat, vt ad id vnum natus esse videretur, quodcunque ageret, adeò vt diuersis contrariisq; moribus facilè consuesceret, & veluti Polypus ad subiecti soli speciem colorem mutaret. Sic Alcibiades secundum diuersos populos apud quos diuersabatur, mutabat mores, & illic natus educatusque esse videbatur, vbi pro paruo etiam tempore diuertisset.

De quo Plu. & Æmilius Probus.

Solicitudo igitur malam mentem malumque animum nacta deterrima est, & in tabem, cruciatum, vesaniamq; conuertitur. Vbi verò optimum ingenium inuenerit, consilio rationeq; regitur, & quàmprimũ malam illam mentem repellit, malumque affectum respuit, & ad optimas cogitationes curasq; redit, & sicuti dispositionem, sic etiam nomen mutat, fitque bona affectio. Et tunc diligentia vocatur, quę disciplinarum, artium, actionumque omnium magistra esse perhibetur, sine qua nihil perfectè agi aut dici in hominum vita potest, sine qua etiam nemo posset in aliqua virtute aut arte proficere, aut in præclarum eruditúmque virum vnquam euadere. Diligentia enim non modò homines charos commendatosq; omnibus in reb⁹ maximis efficit, verùm illos in rebus etiã minimis à perpetua obliuione vendicat. Priscis illis seculis Hiliscus Tascius, vt naturam apium ad suam vsque ætatem incognitam perdisceret, magna diligẽtia eas in desertis ac soliuagis locis diutius perquisiuit. Aristomachus quoq; Solensis annos circiter quadraginta apes etiam indagauit, nihilq; aliud egit: & ambo de illis vtilia cõmentaria scripserunt: quorum dili-

Solicitudinis efficacia in bonis ingenijs.

Hiliscus Thascius.

Aristomachus.

diligentia adeò mortalibus grata extitit, vt illorum nomina nunquam obliterari permiserint.

De molestia. TIT. XXI.

MOLESTIA deinde sequitur, quæ est animi ægritudo permanens. Nam quum solicitudo illa diuturna cogitatione animum vexat, tunc in molestiam vertitur, quæ si persistit, corpus afficit, macie extenuat, affligitq́; sicque deinde incidit in aliam perturbationem quę afflictatio dicitur. Hanc Cicero definit ægritudinē esse animi cum corporis etiam vexatione. Hac perturbatione perculsi nonnulli, post longam afflictionem tabe confecti periere, vt de Lepido illo legimus, qui quum consul esset collega Catulo viro optimo, mortuo Syla de dictatura etiam cogitauit, partemq́; non paruam Italiæ occupauit, contra quem missus Pompeius, non modò eū facilè superauit, sed etiam Italia pepulit. Lepidus verò anceps quid ageret, in Sardiniam profugit, quò loci paruo pòst tempore diē obijt, quū solicitudine molestiaq́; se afflixisset, non tam ex aduersa fortuna qua fuerat oppressus, quàm quod & literæ perlatæ fuerant, ex quibus manifestè vxorem suam (quam vehementer amabat) adulteram esse cognouerat. Et de his perturbationibus hactenus.

Molestia.

Definitio Ciceronis.

Tuscul. 4.

De desperatione. TIT. XXII.

DESPERATIO, omnium perturbationū extrema ac deterrima habetur: hunc dicūt animi ægritudinem esse sine vlla meliorum rerum expectatione. Hæc ad vim sibiipsi inferendā, naturamq́ue violandā animi corporisque societatem dirimendam hominem compellit, qua quidem nihil terribilius dici aut excogitari potest. Quis putet hanc in animum prudentis ac constantis viri vnquam cadere posse & præsertim quum solum aut summum hominis bonum in virtute ipsa collocemus, à qua nemo vnquam destitui-

stit uitur? Quæ quidē per sese tanti est, vt vel sola sufficiat ad bene beateque viuendum, vt aiunt Stoici, Deumq; semper optimè conciliatum habeat. Quin etiam Aristoteles censet tantum cuiq; fœlicitatis cōtingere, quantum virtutis ac prudentiæ in se habet, quantumq; secundum eas agat. Nihil enim viro, qui ex virtute agit, deesse potest, nihilque accidere, quo à spe virtutis decidat. Externa enim fortunæ permittit, in cuius potestate illa sunt: sola autem animi bona amplectitur, suaque esse arbitratur, à quibus nunquam destituitur, nunquam seipsum deserit, nunquā igitur desperabit, quum à solida virtutis spe semper pendeat. Inhumanum omnino nefas & inexpiabile esse putabit, violentas manus sibi afferre, & ante diē fatalem seipsum perimere, geniumque suum violare, neque tempus præstitutum expectare, & vitam reposcenti naturæ ac Deo ad diem reddere, vt virum bonum addecet & bonæ fidei debitorem.

Ca. 8. lib. 10. ethicorum.

Poëtæ vt ostenderent nunquam esse desperandū, Philocteten hæredem illum Herculeæ pharetræ, à qua Troiana fata ex parte pendebant destitutum ab omnibus præ vulneris putore inducunt, & inopem, nudum, ac mendicum, miserabilibusq; doloribus affectum, extorrem per siluas vagari: dicunt tamen eū vitam aucupio sagittarum diutius propagasse, pennarumque contextu corporis tegumenta effecisse: hic tamen senex, & tantis miserijs, calamitatibusque obrutus nunquam de consciscenda sibi morte cogitauit, sed inopem atq; infœlicem vitam (vt poterat) in tam deserta solitudine tolerabat, ne iniurius naturæ esset, aut iniussu summi Dei è vita discederet. De Philoctete tragœdiam scripsit Accius Romanus poëta ille, qui Cæsari dictatori in consilium poëtarum accedenti non assurrexit: quem quidem adeò Ciceroni placuisse video, vt eius versus nōnunquam in rebus suis inserat, vt fecit in epistola quadam ad Volumnium, cùm ait: *Igemuissimus, quòd hæc pennigero non ar[m]igero in corpore tela exerceantur, vt ait Philoctetes apud A[c]cium, abiecta gloria.* De æmulis suis tunc loquebatur Cicero, à quibus armatis tela rogatus ipse formidabat,

Philoctetes.

Accius, magnus Ciceronis iudicio

Epist. famil. l. 7 epistola vltima.

dabat. Sed vt ad desperationis affectũ redeat sermo, virum equidem fortem aut prudentem nequaquam eum esse arbitror, qui sibiipsi vim affert, sed ignavum ac vecordem, qui vel nimis delicatus sit, quòd aduersa tam vehementer formidet, vel minus prudẽs, quòd rerum vicissitudinem, fortunæque instabilitatem non præuiderit.

Brutus quum de virtute scriberet, grauiter in Catonem inuectus est quòd sibiipsi mortem consciuerit, deinde paulo pòst à seipso discedit, sententiamq; mutauit, & cum Cassio egit antequam cum Antonio decerneret, si Deo aliter visum fuerit, non rursus alios apparatus statuendos, neque alias spes tentandas, sed liberè à fortuna esse euadendum: cùm rumore accepisset Cassium desperatis rebus eodem pugione, quo Cæsarem confoderat seipsum transegisse: *O beatum* (inquit) *virum, qui se ab his curis cogitationibusq; liberauit, quibus nos adhuc cogimur, & ad finem laboriosi operis excitamur.* Rursusque cùm reparato exercitu iterum infœliciter pugnasset, desparata omni salute, seipsum transuerberauit, ne ab his discederet, quę cum Cassio conuenerat: qui si pristina illa quæ de virtute tradiderat, instituta seruasset, non illam sibiipsi iniuriam intulisset, & in ea deinceps tempora fortasse incidisset, quæ & Reipublicæ vtilia & sibiipsi salutaria ac iucunda esse potuissent. *Brutus.* *Cassius.*

Præclærius multo C. Marius mihi egisse videtur, qui tot victorijs triumphisque auctus, ad sextum vsque consulatum ordine peruenit, deinde à Sylla victus Minturnis latuit, mox inuentus, & in carcerem coniectus, Gallum quendam percussorem in se missum vultus oculorumque atrocitate perterruit: & accepta piscatoria nauicula in Aphricam traiecit, ac se secundæ fortunæ reseruauit: quæ quidem paulo pòst ei illuxit. Nam per Cinnanam factionem reuocatus, septimum consulatum (quod nulli Romanorũ ante eum contigerat) assecutus est, in quo quidem ludibrium fortunæ cerni potuit. Hostes enim atque obtrectatores illi qui eius fata irriserant, dum inops ac mendicans Aphricam perambulabat, paulo pòst partium *C. Marius.* *Ex Val. Max. l. 1. de maiest.* *C. Marius, ludibrium Fortunæ.* *Septimũ consul creatus.*

partim cæsi verberibus eo iubente securibus percutiebantur, partim in exilium agebantur, partim verò per summam venerationem genibus submissis eum vt numen colebant atque adorabant, & quòd viuerent eius benificio, gratias ei habebant, nec eum vitæ vlla ex parte pœnituit. Nam quum grandior admodū natu grauiter ægrotaret, iamque deficeret, fortunam incusabat, quòd antè occideret, quàm sua consilia ac desideria peregisset. Sed complures virorum fortium eo tempore vim sibi inferebant potius, quā in manus hostium ducerentur, aut mortem à victoribus deprecarentur.

Scipio Cornelia pater. Scipio Corneliæ Cn. Pompeij vxoris pater, post Pharsalicam cladem, & generi sui interitum, quū ad Iubam Regem classe profugeret, à Cæsarianis nauibus circumuentus est, qui quum nauem qua vehebatur, iam in hostium potestate esse cerneret, in puppi residens, lethali vulnere se traiecit, & quum ex hostibus quispiā conscenderet, rogans, ecquid Imperator ageret, respondit Imperatorem se bene habere, & statim ex vulnere vitam exhalauit, satis se gloriæ adeptum existimant, quòd clementissimi victoris veniam non implorasset.

Antonius imper. Fortissimus Imperator fuit Antonius antequam se Aegyptiacis illecebris inquinasset, quibus & se, & Cleopatram, & Aegyptum perdidit. At postquam ab Octauio Cæsare superatus, in regni penetralia se cōtulit, ad singulare certamen Octauium prouocat: ille autem respondebat satis multas ad interitum vias patere Antonio, quibus aduersæ fortunæ iram explere posset, se autem nec fortunæ nec vitæ suæ adhuc pœnitere. Demum quum intra vrbis mœnia iam hostem esse accepisset Antonius, eique perlatū *Ant. mors.* esset Cleopatram sibi mortem consciuisse exclamauit, dicens: *morere Antoni, quid expectas? eam tibi fortuna eripuit, per quam viuere cupiebas. Nec omnino patiar, qui tantus Imperator fuerim, à muliere fortitudine animi superari*: & hæc dicens in cubiculum se proripuit, sta- *Octauius.* timque stricto ensi incubuit. Eius tamen interitum Octauius non mediocriter fleuit, vt Imperatoris Romani

mani sibi affinitate coniuncti, & multorum certaminum collegæ ac socij. Et iure optimo fecit, nunquã enim sine Antonio rerum potius fuisset Octauius, vt plerique scriptorum, qui non ad gratiam, sed ad historiæ veritatem locuti sunt, testantur. Gesta siquidem in Philippis, à quibus pondus totius victoriæ pendebat, soli Antonio deputantur. Exercitus siquidem Octauij à Bruto profligatus, ad Antonium confugit, à quo saluatus instauratusq; extitit. Cassius verò ab Antonio & victus est, & ad voluntariam mortem compulsus. Abfuit nanque ab eo prælio Octauius, siue aduersa valetudine impeditus, siue ex insomnio præcedentis noctis præmonitus, vt ipse in commentarijs à se gestis testatus est: siue post principia affuit prælio iam affecto monitus à Minerua per somnium medici sui, vt nonnullos scriptum reliquisse suprà iam diximus. *Antonij gesta.*

Valuit hæc disperationis opinio non modò apud Romanos, verùm & apud diuersas gentium nationes. Nam quum aliquando sermo de fortitudine haberetur apud Philopœmenem clarissimum Achæorum ducem, nonnulli quempiam vt idoneum militem præstantemque Imperatorem laudibus perferebant. Tum Philopœmen: *Tacete*, inquit, *quonam modo laude dignus haberi potest ille, qui in hostium potestatem viuus perductus est?* Ad hanc sententiã interpretantur quidam mentem illã Indorum philosophorũ, cuius verba eiusmodi fuerunt: *Qui voluptatem ac laborem, vitam ac mortem æquè contemnit, seruus esse non potest.*

C. Norbanus consul contra Syllam, desperata omni Reipublicæ salute, quum cerneret post aduersam ad Ariminũ cladem reliquos penè omnes ad Syllam defecisse, priuatam quandam nauiculam conscendit, & Rhodum profugit, deinde à Sylla expetitus, timore ne à Rhodijs hosti proderetur, in medio fori se ipsum transfegit, ne ludibrium sæuitiamq; immanissimi hostis subiret. *C. Norbanus.*

P. quoque Crassus quum exercitum Romanum contra Aristonicum Eumenis Regis filium in Asiam duceret, in insidias Thracum, qui cum illo mittabãt, *P. Crassus. Ex Valer. Maximo lib.*

inci-

3. de fortitudine, incidit, captusque ducebatur, sed ne viuus in manus hostium perueniret, nouum mortis genus commentus est, virgam siquidem, quam in manu gerebat, in oculum cuiusdam fortissimi barbari impegit, qui ira ac dolore concitus, Crassi latus sica perfodit, sicque inimicas manus euasit, & amissæ maiestatis turpitudinem effugit.

Perseus. Perseum Regem viri omnes irridebant, quòd vitæ tam cupidus existeret, vt se viuum in triumphum duci permitteret. Quæ mors non potius optanda fuit, quàm pompam triumphi sequi? Pulla enim veste reorum in morem ductus est cum duobus filijs & filia vnà sordidatis, ac manus ad ciues tendentibus, veniãque ac gratiã petentibus, & Romanorũ misericordiã implorantibus. Tantíne parui temporis lux facienda

Epiphonema. fuit, & præsertim Regi inopi, & regno eiecto, vt maluerit de se miserandum spectaculum victori hosti præbere, quàm honestam mortem obire, aut fortiter in prælio dimicando cadere.

Pessima tamen omnium persuasio est eorum, qui paruo crimine, minimaq; offensa, nullam misericordiam aut gratiam rogantes, subitò desperant, sibiq;

Pachetes Atheniensis. ipsis vim afferunt, vt fecit Pachetes Atheniensis, qui quum in forensi suggestu causam pro se diceret, cerneretq; iudices in aduersariorum partes inclinatos, & se conuictũ iri suspicaretur, nec veniam petens, nec per commiserationem perorans, in eodem vestigio stans quasi furore aliquo correptus, gladio, quo succinctus erat, seipsum transegit. Idem etiam fecit Gal-

Gallus poeta. lus poëta, qui quum repetundarum atque expilatæ prouinciæ accusaretur, & Octauis Cæsar causæ iudicium quibusdam Galli æmulis permisisset, nulla etiã petita venia sibiipsi violentas manus intulit, quum nullam salutis suæ gratiam expectaret.

Rhodius quidam. Longè aliter egit Rhodius ille, qui in caueam coniectus à tyranno tanquam ferum aliquod animal alebatur: nam suadenti cuidam vt à cibo abstineret donec deficeret, respondit, omnia homini dũ viuit speranda, quod non sinistrà dictum videatur, quum videamus nonnullos dũ desperant etiã inter dormien-

dum

dum pœnituisse, & remedium vt viuerẽt quæsiuisse. Nam L. Domitius vir magnæ nobilitatis & gratiæ, captus à Cęsare ad Corphinium Pelignorum vrbem, quum vitæ eum tęderet, venenum hausit, verùm quũ id violentius sæuiret, subitis medicamentis & omni ope, connixus est vt euaderet, quod quum assecutus esset, impetrata à Cæsare discedendi venia ac libertate, ad Pompeium perrexit.

Cæsar in commentarijs de bello ciuili.

Peroratio.

Sed ne vltra metas curramus, vt sæpe dicere solemus, hæc de perturbationibus animorum leniendis euellendísve dixisse satis sit, in quibus imitati sumus veteres Academicos, ac etiam Peripaticos: sed in definitionib. præcipuè Stoicos secuti sumus, tum ducti M. Tullij Ciceronis auctoritate, qui eos in his pene omnibus sequitur, tum etiam quòd sublimiora aliqua fortasse cernentes, putauerunt eiusmodi affectus non tam natura hominibus insitos, quàm parua opinione ac deterrima cõsuetudine susceptos. Et idcirco existimant eos extirpari euelliq; radicitus posse, si bonorum malorumq; falsa opinio tollatur. Academici verò ac Peripatetici nostris morib⁹ magis adblandientes, hos affectus natiuos esse arbitrantur, nõ autem adscitos aut voluntarios, negantque eos vlla ratione à nobis eradicari omnino ac tolli posse, sed ratione tamen molliri, ac mitigari. Quocirca addunt Peripatetici eos vtiliter homini à natura esse datos, si ratione temperentur: traduntque illis mediocritates quasdam, vt à vitijs illos eximant, virtutibusque connectant. In quorum sententiam etiam aliquando inclinauimus, ne videremur Regum ac Principum actiones nimis angustis terminis circumscribere. Pleraque enim eis indulsimus, quæ sapienti illi, quem philosophi scribunt, nequaquam permitteremus: sed *difficile est* (vt ait Empedocles Agrigentinus) *sapientem inuenire*: cui Xenophanes Colophonius dixit: *Rectè ais Sicule, sapiens enim sit oportet, qui norit sapientem explorare.* Si rectè autem volumus iudicare, & blanditias consuetudinis relinquere, tutius nobiscum agunt Stoici. Cæsa enim arbos sæpe fruticatur, auulsa autem penitus occidit.

THIS BOOK IS
THE BEST COPY
AVAILABLE AT
TIME OF
FILMING

Nunc autem tempus exigit vt de virtutibus in sequentibus voluminibus disseramus, vt non solùm depulsione mali, sed adeptione etiã boni vitam beatam assequamur. Virtutes enim tanti sunt, vt si vel solæ vitam beatam efficere possint, nulla tamen alia ratione fœlicitatis nomẽ nanciscimur, nisi per virtutes ipsas, quæ nos & Deo optimè conciliant eiq; simillimos reddunt, & ex mortalibus immortales efficiunt, demumque præstant, vt cum diuis æuo fruamur sempiterno.

LIBRI SEXTI AD EVNDEM PROOEMIVM.

SCRIPTVRVS in sequenti volumine de virtute, edicere possum, quod pro foribus tẽpli Eleusinę Cereris quondam inscriptum fuit: *Nemo huc ingrediatur, nisi qui suæ innocentiæ conscius sit.* Hoc facilè profiteri poterit quicunque Princeps secundum perfectam atque absolutã naturam agens, his nostris præceptis auscultabit, & illustrium virorum exempla ac monita, quæ inducimus, imitabitur. Ex depulsione enim mali, & adeptione boni (vt diximus) vitam beatam assequimur.

Perturbationes animorum, malosq; affectus in superioribus, si non omnino auellere, saltem sedare conati sumus, si id assequi potuimus. Diximus etiam quæ cauenda quęque vitanda essent. Nunc autem tẽpus exigit vt exactis malis, bona ipsa amplectamur, ædemque Virtutis ingrediamur, quam M. Marcellus Romanorum omnium pugnacissimus, quum ex manibijs Syracusanæ prædæ Honoris numini templum vouisset, ita illi coniunxit, & quasi pro vestibulo prę uiam dedit, vt honoris templum nisi per Virtutem, ædem adiri nequiret: qua ex re manifestè ostendit ad hono-

Anacephaleosis.

M. Marcellus.

honorem, gloriam, famam, beatamque vitam, nullum esse aditum, nisi per solam virtutem.

Eluendas igitur primùm culpas, vt diuinæ virtutis munere frui possimus, ex vetustissima religione docemur. Prisci siquidem Deo Optimo Maximo rem diuinam facturi profluenti aqua corpus abluebant, ea vbi deesset, in lebetes, maximáve lauacra, q̃ in vestibulis delubrorum patebant, se immergebant, vt deinceps ritè fieret. Eiusmodi mos fuit in Dodonæi Iouis templo, & Apollinis Delphici. Facere enim nemo poterat, aut diuinam sortem responsúmve exposcere nisi se prius diligenter abluisset, pristinasque culpas omnes pura (vt dicebant) lympha expiasset. *Mos antiquus.*

Arduum quidem ac difficile iter est ad virtutem, sed procliue ac pronum ad voluptatem. Est enim virtus matrona illa durior, quæ apud Prodicum sophistam illum Chium vitam difficillimam Herculi adolescenti pollicetur, famam autem ac gloriam perpetuam, quæ nulla æui diuturnitate obliterari possit. Contra hanc inducitur puella quædam omnium formosissima, admirando ornatu, purpura, gemmis, ac margaritis nitens, vnguentis delibuta, & odoribus optimè flagrans, quæ si se comitem ei præberet, in omni eius vita delitias ac voluptates cunctas polliceretur, post interitum autem se potestatem nullam habere fatebatur. Cognouit Hercules hanc esse Voluptatem, quæ per illecebras ac blanditias illum in præcipitium duceret, priorem autem illam virtutem, quæ per laborem eum immortalem redderet. Quocirca spreta voluptate, virtutem amplexatus est, qua comite diuus factus diuinos honores perpetuò meruit. Cuius exemplum quicunque Regum ac Principum sequetur, veram ac perfectam fœlicitatem nanciscetur, & inter heroas ac diuos post obitum perpetuis seculis numerabitur.

Virtus. *Herculis visio ex Cice. offic. li. 1. ca. de temperantia.* *Voluptas.*

PAGINATION INCORRECT

De virtute, & de contemplatiua fœlicitate. TIT. I.

Deus Opt. Max. apud Romanos.

DEVM Optimum Maximum in sacris ideò Romanorum vetustissimi inuocabant, vt ostenderent alterum virtutis, alterum potentiæ cognomentum esse, sed prius optimum posuere, vt virtutem potentiæ anteferrent: pluris enim esse existimabant, iniustitia & beneficentia hominibus prodesse, quàm plurimas opes plurimáque potentiam habere. Benignitas enim efficit vt homines Deum ament, colant, venerentur, obseruent: potentia verò, vt eum timeant, metuant, formident.

Plut in vita Aristidis.

Plutarchus Cheronẽsis treis præcipuè res esse sentit, quibus Deus præstantissimus esse dicitur, immortalitatem, potentiam, virtutem. Harum autem trium præstantissimam virtutem esse opinatur, qua nihil pulchrius, nihil honesti⁹, nihil diuinius esse cernitur: quandoquidem inane, & elementa (vt ipse ait) natura nõ intereunt: & fulmina, terræ motus, ventorũ turbines, fulminum impetus, ignium conflagratio[illegible] maximam vim habere videntur, nihil tamen diuinum se habere ostendunt, quando iustitia, temperantia, prudentiaque carent, & nullam æquitatem, modestiam, sapientiam (vt de se) præstant.

Plato autẽ omnium philosophorum in rebus diuinis peritissimus, asserit sapientem virum vnius Dei veri optimique imitatorem, cognitorem amatoremq; esse oportere, cuius sola participatione fiet. Huius æmulus Cicero verarum virtutum exemplar in solo Deo esse autumat. Et illuc tendit sententia illa quum ait: *Sed nos veri iuris germanaq; eius iustitiæ solidam & expressam effigiem nullam tenemus, vmbra & imaginibus vtimur, easq; ipsas vtinam sequeremur. Feruntur enim ab optimis naturæ ac virtutis exemplis.* Idem auctor libro tertio de Republica eiusmodi verba posuit: *Hæc est lex illa vera, recta ratio naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quæ iubẽdo nos ad officium vocat, vetando à fraude deterret, cui nec prorogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest: quæ apud omnes gen-* tes,

te & omni tempore sempiterna & immutabilis erit: cuius Imperator & magister communis omnium vnus Deus est inuentor, disceptator, satorque. Cuiqui nō paret, ipse se fugiet, & naturā hominis aspernatus, hoc ipso luet maximas pœnas, etiamsi cætera supplicia quæ putantur effugerit.

His maximis adstipulatoribus ac doctoribus instituti, cognoscere debemus veram virtutis effigiem à deo sumendam, & in eo summum bonum veramque fœlicitatem collocandam esse: à quo qui magis discedit, minus rectè de finibus bonorum & malorū, hoc est de fœlicitate & miseria sentire potest. Hæc est illa contemplatio, quam probare etiam videtur Aristoteles, quum ait, *sapientem per seipsum contemplari posse, & quanto sapientior sit, tanto magis tunc eum agere dicit secundum illud, quod in eo diuinum est, nec eo tempore humana curare, sed ab illis discedere, & quantum per illum fieri possit, diuina animo & cogitatione contingere.* Eámque verum hominis vitam esse putat, quæ secundum mentē agitur, quando illa maximè homo sit. Eam quoque beatissimā vitam esse ducit, quæ scilicet ex diuinitate proficiscitur. Proximam huic accedere arbitratur ciuilem illam vitam, quæ humanas actiones secundum virtutem versat, cuius etiam corpus particeps esse cernitur.

Virtutis imago vnde dicta.

Ethicorū l. 6.

De fœlicitate & comtemplatiua & humana.
Tit. II.

PERFECTIOR igitur erit contemplatiua fœlicitas, quam humana: illa enim Deū, hæc autem homines imitari videtur, hęc Aristotelis sententia à Platone verbis potius quam re differt. Cuius diuisionem quandam Plotino Platonico auctore ponendam esse censui, vt clarius res de qua agitur, intelligatur: hic enim in primis vitæ fœlicitatem bifariam diuidendam censuit, εἰς θεωρητικὴν καὶ πρακτικὴν, hoc est in contemplatiuam, & actiuam. Contemplatiuæ treis gradus præbet, quibus singulis quaternarum virtutum officia seorsum ac separatim tribuit: actiuæ autem vnum præbuit gra

Vita duplex.

dum, officiaque quatuor virtutum ei fecernit. Primus contemplatiuæ gradus eius hominis eſt, qui diuinitati omni ſtudio intentus, diuina ſolùm eligit, terrena autem contemnit, à quibus animum ſecernere intẽdit, & ab omni corporis contagione purgat, vt relictis humanis curis, ocium omne diuinis meditationibus impendere valeat. Hanc partem amplectuntur philoſophi illi omnes, qui ſentiunt ſapientiam in agnitione rerum diuinarum contineri, & eos tantum dicunt ſapientes, qui mentis acumine ſuperna indagant, & eadem quantum per mortalem fragilitatem fieri poteſt, animo & ingenio aſſequuntur, eaq; imitantur omni ſtudio omniq; diligentia: ad ea quoque dirigunt ſingulas cuiuſque virtutis actiones, vt prudentiæ munus ſit cœleſtia contemplari, & terrena omnia deſpicere, illa ſequi, hæc autem fugere, vt fecit Anaxagoras Clazomenius, qui omne patrimonium neceſſarijs ſuis, qui eum negligentiæ inceſſebant, vltro largitus eſt, & compellantibus quibuſdam, ac dicentibus: *Nullane tibi cura eſt patria tua?* digitum in cœlum tendens: *Mihi verò*, inquit, *patria cura eſt quam maxima*, eam ſolam patriam appellans, à qua animorum noſtrorum eſſet origo.

Anaxagoras.

Vera patria noſtra.

Temperantiæ ſit officium, nihil præter naturæ neceſſitatem quęrere, reliqua autem omnia relinquere, vt fecit Diogenes Cynicus, qui ad Sycetam patrem gloriabundus ſcripſit, ſe non ex gloria (cui Græci omnes ab barbari ſeruirẽt) ſed ex natura viuere, & ſub diuo ac Deo pernoctare, vt qui ad ipſum Deum, ſummum bonum referret. Ad Cratem autem Thebanum ſcripſit: *Memento paupertatis principatũ à me tibi datum in omnem vitam. Tibi igitur opera danda eſt, ne hanc amittas, aut deponas, aut ab aliquo tibi auferri ſinas. Tu velim putes pallium tibi leonis eſſe pellem, baculum clauam, peram autem terram ac mare, vnde alimentum accipis, & ſic tibi ſuccurret quadam Herculei animi elatio, omni optima fortuna præſtantior. Quòd ſi tibi caricæ & lupini ſuperſunt, mitte obſecro. Vale.* Qua ex epiſtola facilè intelligimus, quàm paucis contentus fuerit Diogenes. Ad hanc ſententiam Epicurus dicebat naturales opes parabiles

Diogenes Cynicus.

les esse, vt quæ finitæ sint, inanium autem opinionum diuitiæ infinitæ sunt, & terminos omnes honestatis excedunt.

Pythagoras verò vir sapientissimus ideò abstinere homines ab animalibus iussit, vt faciliorem victum quærerent,& paratiorem cibum sequerentur,contētu naturalibus alimentis. Sed ad ordinem præscriptū redeat iam sermo.

Fortitudinis deinde munus sit nunquam animo terreri: à corporea labe non à sapientiæ studio recedere,nec animo succumbere, quod nimis arduum es se videatur,ad cœlestia animi intentione pertingere, quando à mortalibus nihil disci possit nisi agnito Deo, rebusque diuinis,vt Socratem edocuit Gymnosophista ille Indus, qui noui aliquid discendi gratia Athenas perrexerat, & vniuersam Græciam atque Asiam peragrauerat.

Iustitiæ demū officium sit Deum cognoscere sempiternum,iustitiæ esse auctorem,& idcirco solā hanc cœlestem ac diuinam sapientem sequi oportere,quā omni virtutis studio amplexari expedit.Huic religioni populariter indulgentes Mysios fuisse Posidonius ait,vtpote,qui ab animalibus abstinerent,& melle,lacte,caseo,pomisque vescerentur:& quum tranquillā agerent vitam ac diuinæ contemplationi operam darent,à finitimis deicolæ nuncupabantur. Mysij deicolæ.

Eiusmodi etiam vitæ Thraces quosdam fuisse Homerus tradit, quos iustitia præstantes appellant, & semiviros, quando à mulieribus disiuncti degunt, vitam cæbilem dimidiatam esse putans: vnde & Protesilai domum,quia absque coniuge erat,semiperfectam vocat. Idem etiam de Getis testatur Menander comicorum maximus: eorum namque indigenam se esse gloriatur. Et hanc rigidam rationem sequentes concludunt solam hanc vitæ institutionem esse expetendam, ex qua viri sapientes ac perbeati euadunt. Getæ.

De secundo gradu fœlicitatis contemplatiuæ.
Tit. III.

SECVNDVS contemplatiuæ fœlicitatis gradus ex Platonis etiam institutione eorū est, qui ab omni terrena cura ac cogitatione liberati, non amplius ex electione, sed quasi nihil aliud sit eorum intuitu dignum, omni studio omniq; intenta contemplatione cœlestia ac diuina meditantur, in illis agunt, in illis semper versantur, habitumque perfectionis efficiunt. Hi putant temperantiæ munus esse terrenarum cupiditatum omnino obliuisci: nec satis existimant esse eas comprimere nisi prorsus eas ignorent, fortitudinis autem esse existimant, passiones affectusq; omnes animi (quas ægritudines Cicero appellat) non solùm vincere, sed protinus nescire, vt scitè poëta ille ait: *Nesciat irasci, cupiat nil*: Iustitiæ verò officium putant, ita cum Deo diuinisq; mentibus sociari, vt illis perpetuo fœdere indissolubiliq; vinculo coniungatur. Hanc partem assecutum putant Heraclitum Ephesium, qui quum iuuenis esset, se nihil scire dicebat: deinde senior factus, nihil se ignorare affirmabat. Gloriabatur in primis se neminem audiuisse, sed ex seipso omnia didicisse, vt qui contemplationi intentus humana contemneret, & diuina tantùm meditaretur. Proinde aspectum hominum fugiebat, & in montibus versabatur. Obscurissimos libros de Theologia scripsit, & de natura vniuersi: primusq; affirmauit fore aliquando vt omnis mundus incendio interiret. Darius Rex eum per literas rogauit, vel libros eos sibi per commentarios suos clariores redderet, vel ad se in suum regnum accederet: ipse verò vtrumque contempsit, & responsum etiam superbum reddidit, dicens, mortales omnes à veritate atque iustitia abhorrere, & auaritiæ vanæque gloriæ inseruire: se autem paucis esse contentum, idcirco ad Persas nequaquam accedere velle.

Heraclitus.

Vide Diogenē Laertium.

De

De tertio fœlicitatis contemplatiuæ gradu.

TIT. IV.

TErtius contemplationis gradus exẽplaris dicitur: is verò in mente consistit diuina, à quo exempla reliquarum omnium virtutum ordine quodam fluunt. Vt enim in formis atque figuris rerum est aliquid perfectius, quod in cogitationẽ cadit, quàm id quod oculis cernimus, ad cuius similitudinem atq; exemplar speciem quandam admirando ducimus: sic perfectarum virtutum speciem animo videmus in mente diuina esse, effigiem autem earum per imitationẽ quandam quærimus. *Ad imitationem Ciceronis in oratore circa principiũ.*

Eiusmodi formas Plato ideas vocat, easq; ait semper esse, & ratione atque intelligentia contineri, & nullis vnquam accidentibus variari: cætera nasci, occidere, fluere, labi, nec in eodem statu diutius permanere. Sicut igitur aliarum rerum in mẽte diuina ideã & quasi exemplar Platonicis rationibus esse cernimus, sic multò magis virtutum ipsarum effigies, & simulacra inesse credendũ est. Illic prudentia est mens ipsa diuina, temperantia, quòd eadem perpetua intẽtione cõuersa omnia moderatur. Fortitudo, quòd semper eadem est, nec variatur aliquando, nec mutatur. Iustitia autem, quòd per æuum, sempiternaque lege à perpetua operis sui continuatione non flectitur. Primus ergo gradus perturbationes animi omnino aufert, secũdus earum prorsus obliuiscitur, tertius verò non modò eás ignorat, verùm etiam (si dicere licet) nefas putat eas nominare.

Hanc contemplatiuam vitam Theophrastus miris extulit laudibus, pro qua cõtra Diceçarchum grauiter disseruit, qui τὴν ζωὴν πρακτικὴν, hoc est actiuam vitam longè magis laudauerat. Nunc autem superest altera pars, quæ actiua dicitur, in qua luctatio nostræ palæstrę versabitur: hæc enim contemplatiua obscurior est, & acumine ingenij atq; ocio magis indiget: idcirco vel nõ vlterius propagãda est, vel in aliud tẽpus differenda. Proinde hæc in præsentia libasse sufficiat.

De actiua fœlicitate, & virtute ciuili.

Tit. V.

Archytam Plato hortatur ad vitam actiuam.

PLato quum ad Archytam Tarentinum scriberet, vt eum aliquando à diuturna contemplatione diuinarum rerum interpellaret, & ad ciuiles virtutes hortaretur, inquit: *Memento non tibi soli te natum esse, sed partem patria sibi vendicat, partem necessarij atq; amici, partem conciues tui, & vniuersum hominum genus, adeò vt perexigua pars tibi ipsi relinquatur.*

Aristoteles quoque ad hanc sententiam ait: *Homo non sibi soli vitam solitariam agat, sed parentibus, liberis, vxori, amicis, ciuibus etiam: quando per naturam homo ciuilis ac sociabilis est.* Hi magni discendi ac viuendi præceptores nos edocent, vt quanuis ardua magis ac gloriosa sit contemplatio illa soliuaga & ociosa, quæ humanis rebus relictis cœlestia solum speculatur, tamē hæc humiliora sequamur, quippe quę generi humano magis cōsulant. Sublimiores enim illi philosophi, qui cœlestia scrutantur, & terrena despiciunt, animi fœlicitate, quam per virtutem nanciscuntur, sibiipsis fruuntur, nullaque officia alijs impartiuntur.

Ciuiles viri. Ciuiles autem illi, qui etiam per virtutem fiunt beati, inter homines versantur, vt decet animal sociale, Reipub. consulūt, Principibus adsunt, vrbes tuentur, parentibus, coniugibus, liberis, affinibus, necessarijs omnia necessitudinis officia exhibent, ciuium res gubernant, socios prouidentia liberalitateque protegunt, de quibus eleganter poëta dixisse videtur: *Virg. 6. Æn.*

Quiq; sui memores alios fecere merendo.

Præclarè etiam, vt idem ostenderet, Cicero ait, nihil esse illi principi Deo, qui omnem mundum regit, acceptius, quod quidem in terris fiat, quàm concilia cœtusque hominum iure sociati, quæ ciuitates appellantur. Harum rectores & conseruatores è cœlo profecti, illuc reuertuntur.

His igitur verbis consequens est, vt per terrenos virtutis actus iter etiam ad superos nobis pateat, vt

illis quoque patet, qui contemplationi intenti, videntur quasi naturam humanam exuisse & hominē ex homine extraxisse. Hi nonnullis irrisioni sunt, qui dicant vesani esse hominis, quæ ante oculos sunt non cernere, & cœlestia speculari, vt ait anicula quædam ad sapientem Thalethem, qui in subiectum scrobem cecidit, quum astra contemplaretur. Optimè quidē de rebus humanis merentur illi, qui docent homines piè, sanctè, iustè, atq; innocenter viuere, neminem lędere, quæ sua sunt vnicuique tribuere.

De vitæ ratione primus omnium disserēdo docuit Socrates Sophronisci filius, Platonisque Præceptor, qui reliquit naturalem speculationem, cui philosophi penè omnes intendebant, vt qui duceret eam sine aliquo fructu esse, & officia vitæ nostræ minus adiuuare, illam autem nobiscum versari, & bona omnia nobis præbere. Hunc secuti sunt complures ex eius discipulis, qui relicta naturali contemplatione, huic morali tantum incumbebant, dicebantque inquirendum esse quid boni malive nobis domi esset.

Sed ex ambiguo Socratis sermone, qui nihil omnino affirmabat, duodecim philosophorum sectæ ortę sunt, quarum singulæ diuersis finibus bonorum & malorum constitutis diuersas sententias statuerunt. Prima fuit Academia vetus, cui præfuit Plato, à quo discedens Arcesilas mediam constituit, Lacydes verò nouam, Aristippus Cyrenaicam, quam à patriæ suæ nomine appellauit, sicut Phocion Eliacam à sua, & Euclides quoque Megaricam à sua, Antisthenes qui in Cynosargi gymnasio docuit, Cynicæ nomen dedit, sicut Zeno Stoicæ à porticu in qua docebat, Clitomachus à præcipua eius doctrina Dialecticam appellauit, Aristoteles Peripateticam ab vsu deambulandi, Epicuream Epicurus à suo nomine nuncupauit, sicut Menedemus Eretriacam à patria sua. Ex singulis harum disciplinarum ea libabimus, quæ magis rei nostræ conducere videbuntur, in definitionibus verò auctore Cicerone Stoicos imitabimur, sicut in sentētijs veteres Academicos, & Peripateticos quoque, qui ab illis magna ex parte fluunt. Pyrrhonij *De quibus Gellius.*

autem

autem, qui σκεπτικοὶ à Græcis dicuntur, quasi quæstores & cõsideratores, à nobis negligũtur. Aliena enim refellere potius quàm sua probare nituntur. Sed iam res ipsa me vocat, vt de virtute ciuili generaliter pauca dicam. Deinceps autem de singulis eius speciebus vberius disserendum erit. Sed vt recto ordine procedamus, virtus primò definienda est, & ex multorum philosophorum varijs sententijs determinanda. Non enim omnes conueniunt, sed quisque præscriptum suum defendere nititur.

De virtute ciuili. TIT. VI.

Socrates. STOICORUM complures ex sententia Socratis sentiunt virtutem esse notionem aut scientiam earum rerum, quę secundũ naturam sunt. Quam opinionem secutus Herillus summum bonum in scientia collocauit.

Posidonius. Ex hac etiam definitione Posidonius ait, rectè & secundum virtutem viuere nihil aliud esse quàm peritiam habere earum rerum, quæ naturam comitantur, & secundum easdem agere.

Zeno de virtute. Zeno in libro quem de hominis natura scripsit, ait eum naturam ducem sequi debere, & illius ductu viuere, quandò id sit secundum virtutem agere, nihilq; aliud sit virtus, nisi ad summum perducta natura.

Pythagoras. Pythagoras verò ait virtutem esse quandam naturalem harmoniam, cui recta omnia consonant.

Cleanthes. Cleantes virtutem esse sentit affectionem electionemq; animi naturæ consentientẽ, quæ per sese beatam efficiat vitam. Panętius duplicem fecit virtutem, contemplatiuam vnam, alteram actiuam. Alij triplicem, rationalem, naturalem, moralem.

Cicero. Lib. 5. de fi. bon. & ma. Cicero ex Academicorum sententia virtutem animi habitum esse dicit naturæ modo ac rationi consentaneum. Alibi autem quum de finibus bonorum & malorum loqueretur, dixit virtutem esse rationis absolutionem.

Aristoteles. Aristoteles autem vt primam illam Stoicorum sententiam euertat, ait: *Scire enim, in virtutibus parum*

aut

aut nihil est, vti & exercere, plurimum, vel totum est: sed hoc etiam in omnibus artibus omnibusque doctrinis dicere possumus, scientiam sine exercitatione parum posse. Antecedat igitur scientia, consequatur actio, ex qua habitus fiat, sic erit perfecta harmonia, hocque modo ex actione ipsa virtutes acquiremus. Homines enim iusta agendo iusti fiunt, modesta modesti, fortia fortes.

Virtus sanè voluntaria est, sicut & vitia. In potestate enim sunt nostra: possumus siquidem agere, & nō agere, vt nobis visum fuerit. Actus omnes voluntarij etiam sunt, eorum namq; domini sumus: hac quoque ratione habitus voluntarij erunt, in nostra enim potestate erat hoc vel illo modo vti.

Electio propriè est, quæ in nostro arbitrio sunt, vt ex quibusdam propositis vnum aliquod eligamus, adhibita ratione & cogitatione. Optimè Aristoteles definiuit quum ait: *Virtus est habitus electiuus in mediocritate consistens*. Mediocritas inter duo vitia versatur, quorum alterum excedit, alterum autem deficit. Fortitudo quum excedit, in temeritatem ferociamque incidit, quum verò deficit, in timorem ac formidinem. Liberalitas quum excedit, in prodigalitatem effusionemque incurrit: quum autem deficit, in parsimoniam atque auaritiam. Vnde prouerbium vetus est. *In rectè factis neque addi neque demi quicquam potest*. Excessu enim defectuque corrumpitur virtus, medio autem seruatur. Hæc est illa Pythagoreorum ratio, qui dicebant malum infinitum esse, bonum verò finitum, & alterum quidē perdifficile. Facilè est enim aberrare, difficile admodū illuc peruenire quò tendis. Nam, vt ait Hesiodus,

Ca. 6. lib. 2. Ethico.

Quam facilè innumeras vitiorum amplectimur artes:
At via virtutis dura est, & anhela labore.

Hoc etiam sentire visus est Bion quū facetè ait, *facile esse ad inferos viam, clausis enim oculis illuc peruenitur.*

Facetum Bionis dictum.

Ciuilis ergo scientia, quam sapientiam possumus appellare, sic laborare decet, vt animum ab omni ægritudine vendicet, sicut medicina vt corpus ab ægrotatione liberet. Eius prima palęstra erit, animi virtute

tute contra voluptatē doloremq; luctari. Voluptas siquidem nos ad improbitatem illecebrasque rapit, & doloris molestiæque fuga ab optimis præclarisque actionib. sæpenumero nos auocat. Doloris enim vacatio tanti fuit olim apud plerosque, vt in ea fœlicitatem collocauerint. Hieronymus Rhodius philosophus temporibus suis peregregius, *summum bonum sibi videri*, ait, *nihil dolere*: quam opinionem etiam Diodorus philosophus affirmauit. Sed quia neutiquam in nostra potestate situm est, vt omni ex parte dolore vacui simus, virtutis officium erit dolorem cōtemnere, non modò ex Stoicorū sententia, qui duriores sunt, sed & ex Epicuri mente, qui ait paruum dolorem ferendum esse, & ex compensatione voluptatis leniendum, magnum autem aut citò abire, aut hominem perimere.

Hieronymus Rhodius.

Gymnosophistæ Indi illi sapientes ex solo doloris contemptu laudem magnam adepti sunt. Nudi enim niuem ac glaciem Caucasi montis pererrāt, & quum ad ignem accedunt, non ingemiscunt. Quocirca vt ad rem redeam, actiones nostræ si ex virtute manabant, duces nobis ad fœlicitatem erunt: sin verò à vitijs, in barathrum miseriarum nos præcipitabūt. Proinde virtutis habitus Principem (quem humanitatis participem, & vitæ communis non ignarū fingimus) virum bonum efficiet, & tanta probitate præditum, vt & se ipsum, & omnes qui suo imperio parebunt in viam veræ fœlicitatis dirigat. Nam qui semitam sibi ignorat, alteri viam monstrare nequit, vt est in veteri prouerbio.

Ludibrio habitus est Sylla à bonis ac grauibus viris, vt qui cùm ipse intemperātissimus esset, luxuque diffueret, ciues per leges ad frugalitatem sobrietatemque reuocare niteretur: Lysander autem contrà, ciuibus enim vitia permittebat, à quibus ipse abstinebat. Peccabat vterque: Sylla, quòd suo ipse præscripto nō obtemperaret: Lysander autem, quòd se ipso ciues suos deteriores faceret.

Lycurgus melius, qui nihil vnquam in alios statuit, quod ipse non antè seruauerit.

Virtu-

Virtutum alias intellectiuas, alias verò morales esse scribit Aristoteles. Sapientiam enim, solertiam, prudentiamque intellectiuas esse sentit: liberalitatẽ, modestiamque morales. Intellectiuæ à natura emanant, doctrina tamen excoluntur atque augentur. Morales autem à consuetudine & moribus proficiscuntur, vnde nulla moralium virtutum natura nobis insita est: sumus tamen ad illas natura apti, perficiũtur autem à consuetudine. Euclides Megarensis, & omnes eius sectatores, qui ab illius patria Megarici dicti sunt, vnam esse virtutem sentiunt, quæ pluribus nominibus appelletur ex diuersitate moralium officiorum. Panætius duas modò ponit virtutes, contemplatiuam scilicet, & actiuam. Stoicorum plerique tres, rationalem, naturalem, moralem. Plato, quem penè omnes comitantur, principales perfectasque virtutes quatuor esse statuit: prudentiam, temperantiam, fortitudinem, iustitiam. Has Zeno principales virtutes appellat, quando singulis species quasdam subijcit, vt in sequentibus clarius lucidiusque explicabimus. Has alij artes, alij scientias esse voluerunt: contra quos Aristoteles acutissimè disputat, vt ostendat eas neque scientias, sed electiuos animi habitus in mediocritate existentes. Nos rẽ hãc in medio relinquemus, & nostrũ ordinẽ sequemur.

Ca. 1. lib. 1. & ca. vlt. lib. 1.

Cap. 6. lib. 2. Ethic.

De prudentia & eiusdem speciebus.

TIT. VIII.

PRudentiam Plato causam ait rectè agendarum rerum. Aristoteles autem prudentiam esse dicit habitum cum vera ratione, qui in his rebus agendis versatur, quæ sunt homini bonæ, vel malæ. Stoici prudentiam esse dicunt scientiam bonorum & malorum, & mediorum. Quos imitatus Cicero ait prudentiã esse rerum bonarum & malarum & vtrarunque scientiam: quanuis idem sæpe dicat prudentiam esse humanæ vitę magistrã, vel artem vitę. Socrates omnes virtutes prudentias esse dicebat. Aristoteles hũc errasse ait, & eũ dicere debuisse, nullam virtutem absque prudentia esse.

Prudentia.

Cap. 5. lib. 6. Ethico.

De inuentione lib. 1.

tia esse. Apollophanes Stoicus tanti prudentiam fecit, vt hanc vnam virtutem esse putaret, quæ vel in se cunctas alias contineret, vel cui reliquæ omnes famularentur. Bion verò Boristhenites prudentiam dixit tantùm alias virtutes superare, quantum visus allos sensus antecellit. Quam quidem sic in senibus excellere ait, vt in iuuenibus fortitudo emicat.

Epicurus voluptatis assertor, omnium virtutum initium, & bonorum omnium maximum prudentiã esse dicebat, quæ in primis causas scrutaretur cur quidque eligendum, vel fugiendum sit: opiniones omnes tanquam vanas expelleret, quibus animus noster occupari vexarique possit. Humanarum quoque rerum omnium maximum atque optimum initium prudentiam esse affirmabat, à qua quidem virtutes omnes orirentur, quandoquidem iucundè viuere nihil aliud sit, nisi prudenter viuere, hoc est honestè & iustè agere. Id enim à sola prudentia docemur, iucundam vitam non posse à virtutibus separari.

Ex A. Gellio cap. 8. lib. 13.

Nonnulli veterum prudentiam propter excellentiam ipsam sapientiam appellauerunt. Qua opinione ductus Afranius in Togata dixit:

Vsus me genuit, mater peperit memoria.
Sophian vocant me Graij, vos sapientiam.

Sed communis philosophorum opinio est, sapiẽtiam vnam in se virtutes omnes complecti, sed prudentiæ munus principaliter in delectu bonorum & malorum versatur, bona enim expetenda ducit, mala autem fugienda. Hęc humanas omnes actiones regit, de rebus magnis ac dubijs alta ratiocinatione cõsultat ac deliberat, præterita præsentibus componit, & sic de futuris iudicat, adeo vt euentus rerum quasi præsagire ac prædicere videatur. Hæc vna fortunæ aditus occupat, qua ratione à priscis poëtis fortunæ domina dicebatur. Hipparchus verò & nonnulli alij astronomi affirmant prudentiam astrorum vim præuertere, cuius quidem officium est, vt præsentia disponat, præterita meminerit, futura autẽ præuideat. Hæc non modò à solicitudine hominem abducit, verumetiam contra omnes fortunæ impetus armat.

Semper

Semper enim præcipit, quæ agenda vel non agenda sint. Quocirca non inscitè dicebant veteres, *prudentem virum fortunam suam semper in consilio habere, futuráq; consilio ac cogitatione meditari*, vt de Theseo Tragico canebant cothurno.

Prudentia est Minerua illa, quam de Iouis vertice natam esse pöëtæ non sine ratione fabulantur: ostendunt enim à mente, quæ in nobis diuina est, eam manare, per quam omnia circunspicere debemus, & in omnes partes oculos intentos habere. Hoc demonstrare volentes antiqui pictores, ita similitudinem huius Deæ pingebant, vt omnia aspicere videretur, & quemcunque se intuentem spectare. Eiusmodi Mineruam Romæ quondam pinxisse legimus Amulium Romanum pictorem, ex qua maximam meruit laudem, cùm quòd opus perfectum consummatūq; erat, tum quòd os in omnes intentum habere videretur, & quacunq; aspiceretur, spectantem se intentè admodum intueri. Fuit autem Amulius vir seuerus & grauis semperq; togatus pingebat, quanquam in altissimis machinis esset, & crepidas assiduè gestabat: erat enim adeò delicatus, vt paucis diei horis pingeret, & diutius ab opere cessaret.

Minerua Iouis cerebro nata.

Minerua simulachrum.

Amulius pictor.

Prudentis viri officium est, quęcunque cogitat aut agit, recta quadam ratione metiri, nihil præter rectū agere, aut vlla ex parte optare: humanas actiones putare semper diuinis arbitrijs præsentibus agi, diuinisque consilijs gubernari.

Prudenti nihil horrendum, nihil formidabile videri potest: excubat enim semper animo, atque omnia præuidet, adeò vt nihil ei improuisum accidere possit, nihil inopinatum, nihil omnino nouum. Atque ita acrem in omnes partes ingenij aciem intendit, vt semper videat sibi locum aliquem relictum esse, in quo sine molestia atque angore degere possit, vt quemcunque casum fortuna inuexerit, hunc aptè quieteque perferat. Et sic semper pacatus erit, vt nec tabescat molestijs, nec timore frangatur, nec futili lætitia deliquescat. Non appetet quippiam, aut optabit, aut futurum omnino sperabit, aut fir-

mum sibi pollicebitur, nę si id defuerit, à spe decidisse iniquo animo ferat.

Prudentia intellectiua. Prudentia quidem intellectiua est virtus, idcirco ab ingenij acumine in primis manat, augetur memoria, crescit doctrina, & rerum experientia perficitur. Prudens ante omnia vt sibi ipsi rectè consulat opus est, aliter nec alijs sapere videretur: hæc est sententia *Euripides.* illa Euripidis quũ ait: μισῶ σοφιςὴν, ὅςις ἐκ αὐτῷ σοφός. hoc est odio habeo sapientem, qui sibiipsi non est sa-*Alexander.* piens: quibus verbis vsum legimus Alexandrum Magnum in familiarem suum quendam petulantiorem, & etiam aliâs in Callisthenem philosophum.

Memoria. *Mithridates.* Memoria Reges ac Principes plurimum commendat. Mithridates duarum & viginti nationum quibus imperabat, varias linguas adeò callebat, vt singularum oratores palàm audiret, & responsum sine interprete vernaculo suo quibusq; sermone seorsum red-*Cyrus.* deret. Cyrus Persarum Rex singulos quosq; militum suorum, qui penè innumerabiles erant, proprijs no-*Crassus.* minibus ac cognominibus appellabat. Crassus quoque prædiues ille, quum Asiæ præesset, quinq; Græci sermonis differentias didicit, vt qua quisque apud eum lingua postulasset, eadem ius sibi redditum audiret. Sed ego memoriam naturalem optarem. Ea enim quæ arte capitur, aut ex imaginibus accersitur, tempori seruit, & recitationibus actionibusque aptior est quàm quotidiano vsui: nam dilutionibus, & pharmacis memoriam cieri vix mihi persuadere *Ammianus.* possum, licet Ammianus Marcellinus vir doctus & elegans eiusmodi verba protulerit. *Cyrum Regem, & Simonidem lyricum, & Hippiam Eleum ideò memoria valuisse legimus, quòd epotis quibusdã remedijs id impetrarint.*

Ingenium. Ingenium autem prudentis, Stoici esse dicunt habitum celerem officij inuentorem. Alij dicunt ingenium vim animi esse, qua aliquid inuenimus, quod à nemine didicimus. Peripatetici autem definiunt ingenium vim quandã naturaliter animis insitam, suis *Consilium.* virib. præualentẽ. Consilium verò Stoici esse dicunt scientiam inspiciendi quæ & quomodo se quispiam

gerens

gerens bene & vtiliter agat. Vel consilium est aliquid agendi aut nō agendi excogitata ratio, vt ait Aristoteles. Plotin⁹ Platonicus quū de virtutib. ciuilib. scriberet, eiusmodi species prudentiæ subiecit, intelligentiam, circunspectionem, prouidentiam, docilitatem, cautionem: quibus Peripatetici, & veteres Academici addunt sagacitatem, versutiam, calliditatem, astutiam, ęquitatem, de quarum singulis seorsum dicendum erit, primò pauca de ratione, quæ (vt arbitror) prima in ordine censenda est.

De ratione siue ratiocinatione.

TIT. IX.

RATIO est auriga, magistra & quasi domina omnium humanarum actionum, sine qua nihil rectè agi, dici, aut excogitari potest. Hęc pręcipua est quę nos secernit à belluis, & ad numina ipsa proximè vt accedamus efficit. Quæ etsi per naturam nobis indita est, doctrina tamen & vsu perficitur, adeò, vt nihil ei desit, quod ad perfectionis cumulum possit accedere. Ratio (vt Cicero definit) est gerendorum ordo ex causa venientium: vt quid quo loco facias, aut dicas intelligas causam. Nunc accipimus animi impulsionem ad aliquid agendum. Aristoteles quum de prudentia tractaret, hanc speciem non rationem, sed ratiocinationem appellauit. Cicero ratiocinationem esse dicit diligentem & consideratam faciendi aliquid aut non faciendi excogitationem. Et sanè optimè definit. Nam si prudentia cernitur in delectu bonorum & malorum, quod omnes consentiūt, prudentis erit viri bene consulere in his quæ bona & vtilia sunt, & generaliter in omnibus quæ ad totius vitæ statum pertinent, quod quidem à ratiocinatione proficiscitur. Sed si rectè cogitamus, omnis ratiocinatio omnisq; diligens consultatio, à ratione manat. Proinde minus admirandum est alterā pro altera sæpe poni, sed ratiocinatio nonnunquam ponitur pro perfecta argumētatione, quæ accōmodatione assumptionis ad id quod propositū est, elicit conclusionē.

Ratiocinatio.

De inuentione, lib. 2.

Omnis ratiocinatio est cōsultatio.

Ex priore significatione ortum est prouerbium vetus, quo dicitur: *Tardè consulendum esse, celeriter autem agendum.* Hæc ratio, siue ratiocinatio (de nomine enim non est controuertendum) animum Regum ac Principum promptum semper ad optimè sentiendum, prudenterque consulendum reddit, & eos diligentes excubitores pro omnibus efficit. Nam si priuatis ciuibus satis est si sibi ipsis, si familiæ, si necessarijs rectè consulunt, id Regibus neutiquam sufficit, quorum prudentia ciuitates, populi, nationesque reguntur. Vt enim corporis membra mouet cor, & animi partes irrationales subigit mẽs, & in vniuerso Deus omnia regit, sic Rex ipse multitudini sibi à Deo creditę expedit vt imperet, adeo vt seipsum & alios quosque, quantum per eum fieri potest, in viam fœlicitatis dirigat.

Prouerbium.

De intellectu siue intelligentia.

TIT. X.

Intellectus, & intelligentia, quid differāt.

INtellectus, quam nonnulli intelligentiam appellant, huic proximus accedit. Sunt enim qui hæc duo verba inter se differre putent, vt sit intellectus animi potentia qua intelligimus, intelligentia autem actus ipse intelligendi: sed eam animi vim Stoici dicũt esse, per quam ea planè & sine fallacia perspicimus quæ sunt. Eius proprium munus est verum falsumq; discernere, & cauere diligẽter ne animus à sensu corporeo decipiatur, qui ea nonnunquam sentit, quæ à veritate longè aliena sunt, vel non sentit quæ sentire deberet. Desidia, incuria, hebetudo sæpe ei obsunt, sed præter cætera omnia, malæ animi perturbationes, maliq́ue mores sensuum veritatem obscurant.

Certissimus omnium sensuum tactus habetur, visus autem acerrimus: in quo quidem magna animi vis cernitur. Oculi nanque indices animi sunt, per quos homines clementiam, misericordiam, amorem, odium, iram, lætitiam, tristitiam, & eiusmodi omnes affectus ostendũt, magisq; eos augent. Certiora enim

Oculi animi indices.

sunt

ſunt quæ cernimus, quàm quæ audimus. Decipit tamen ſæpenumero viſus non modò hebetes atq; inertes, ſed acutiſſimos quoque & ſolertiſſimos, quod vel ex hoc vno exemplo patebit. De pictura certamē aliquando fuit inter Zeuxim, & Parrhaſiū: erant enim ætate æquales, & artis ſtudio inter ſe æmuli: itaque Zeuxis pictas à ſe vuas in ſcenam detulit tanta ſimilitudine, vt ad eas edendas aues aduolarent. Parrhaſius autem pictum protulit linteum, ſuper quod leuiſſimo penicillo tenuiſſimum velum duxerat, adeò ſimile, vt verum omnibus eſſe videretur. Tum Zeuxis iudicio auium elatior, illum rogauit, vt remoto velo picturam oſtenderet: riſit Parrhaſius, & comiter in illum cauillatus eſt, qua ex re errorem ſuum intellexit Zeuxis, ingenuoque pudore percitus, victoriam illi præbuit. Facetè ait: *Ego heri aues decepi, tu verò hodie me artificem fefelliſti.*

Certiora quæ cernimus, quàm quæ audimus.

Zeuxis vua. Parrhaſij linteum.

Ex Pl. c. 10. li. 35 in prin.

Ex quinque ſenſibus, quos natura animalibus tribuit, qui ſunt viſus, auditus, guſtus, tactus, odoratus, quos Græci *ὄψιν, ἀκοὴν, γεῦσιν, ἐπαφὴν, ὄσφρησιν* appellant, duo ſunt quibus homo cæteris præſtat, tactus ſcilicet & guſtus: in reliquis autem ſuperatur à multis. Aquilæ & lynces clarius cernunt, vultures & canes ſagacius odorantur. Talpæ liquidius audiunt, obrutæ terra, tam ſurdo ac denſo naturæ elemento: præterea omni voce in ſublime tendente, humanum ſermonem audire dicuntur, qui ſi de eis fuerit, vt intelligunt, fugiunt, altiuſq; penetrant: niſi ficta ac vana ſint quæ de earum natura ſcribit Plinius ex veterum Græcorum auctoritate. Nos verò in homine non quærimus hæc tam ſublimia: ſatis ſunt nobis cōmunes ſenſus, quos natura humano generi præbuit. Cernat igitur intellectus per veram mentis ratiocinationem rei ad quam ſenſus accedit veritatem, ne appetitus deinde ea ſequatur quæ vitanda ſunt, aut fugiat ea, quæ capeſſenda eſſent, ex quo quidem ſequeretur mala electio, quæ rei agendæ malum principium exhiberet.

Senſus quib. homo cæteris præſtat, quibuſq; vincitur.

ca. 69. lib. 10.

Optimè Peripatetici definiunt electionem intellectum appetitiuum. Nec errant Zenonij, qui dicunt,

electionem appetitum esse intellectiuum. Per hos igitur gradus vir prudẽs progreditur ad agnitionem veritatis, & ad optimi consilij actiones, & sic inueniet Mineruam illam, quam de Iouis vertice natam esse sapienter poëtæ scribunt, quæ & armata & inermis semper Regibus ac Principibus præsto aderit. Qui enim malè consulunt, sibi ipsis exitium parant: vera est Hesiodi sententia, quum ait in opere cui titulus est, *ἔργα καὶ ἡμέραι*:

Οἷ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ, ἄλλῳ κακὰ
τεύχων.
Ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.
hoc est,

Malũ consiliũ consultori pessimum.

Noxius ipse sibi est, alium qui lædere quærit.
Consultum male, consultori pessima res est.

Elegãs Cæsaris sententia.

Quinetiam inconsultè ac temerè agẽtes fortunę se non rationi subijciũt, cui quidem minimè credendũ est. *Solet enim fortuna eos, quos plurimis beneficijs affecit, ad duriorem aliquem casum reseruare,* vt eleganter ait Cęsar.

Sylla, qui fortunatus haberi & vocari gaudebat, virtuti suæ minimè se confidere fatebatur, neq; etiam amicos se in consilio adhibere ostendebat, vt qui sæuitiæ deditos nullos haberet. Putabat tamen sibi amicos esse adulatores, quosdam qui eius immanitatem laudabant, & temeritatibus omnibus assentiebantur.

Tres Syllæ familiares.

Roscius Comœdus, & Sorex Mimorum princeps, & Macrobius Bacchanalium cantor, quem formę nitor ei conciliauerat, tres erant intima familiaritate Syllæ coniuncti, & qui apud eum plurimum poterant.

Nero.

Nero autem amicos omnes trucidabat, ne de se verum ab eis audiret. Verebaturque illorum aspectum in rebus turpibus ac scelestis, quas quotidie cõmittebat, studebatque eos è medio tollere, tanquam importunos arbitros suorum scelerum, vt cum turpibus suique simillimis securus sine reprehensoribus versaretur, quos solos muneribus atque officijs quotidie exaggerabat. Proinde Aurelio Cottę & Atherio Antonio annuam pecuniam statuit, vt eorum luxuriam foueret: prodegerant namque per luxum & ingluuiem amplissima patrimonia, nec amplius quod absu-

absumerent habebant. Non tamen eiusmodi operæprecium, nec talem disciplinarum ac consiliorum mercedem accepit sanctissimus atque eruditissimus eius præceptor Seneca, sed sectis venis per omnes corporis artus, & ne pressus pauore sanguis tardius flueret, præferuidi balnei calore confotus necatur, ne senis effœti, qui vltra etatis metas decurrerat, fatalem exitum diutius expectaret. *Seneca mors.*

Timotheus Atheniensis vir consilio ac rebus gestis præclarus, omnia virtuti, non autem fortunæ tribuebat. Et quum aliquando rem in bello prosperè gessisset: *Mementote* (inquit) *viri Athenienses, in hoc tam felici prelio nullam sibi fortunam partem vendicare posse.* Atqui quum obtrectatores eius tabulam pictam circunferrent, in qua fortuna cernebatur illo dormiente retia vrbibus circumponere, vt illis sine virtute aut viribus potiretur, molestissimo id animo ferebat, quandoquidem virtutem ac prudentiã sequeretur, non autem fortuitam quandam temeritatem. *Timotheus Atheniensis.*

Audacia sine consilio (vt vulgò dicitur) semel aut iterum fortunata esse potest, demum autem omnia euertit. Fortunam potius auaritia ductus, quàm prudentiam videtur secutus M. Crassus, quum iam sexagenarius exercitum in Parthos gentem ferocissimam duxit, multis optimis ciuibus indignè id ferentibus, quòd prædæ auiditate ad eos populos oppugnandos proficisceretur, qui non hostes Romani populi, sed socij potius & amici extitissent, & præsertim quum Acteius pontifex in eum diras execrationes caneret, & cunctis imprecationibus deuoueret, quibus obnoxij diuino iudicio damnati esse putabantur. Sed quum grandis natu esset, & non integrę omnino valetudinis, inter iuuenes se deputabat. Quinetiam quum exercitum duceret, iter per Galatiam fecit, quo loci Deiotarum Regem offendit operi intẽtum, quòd noua mœnia metiretur: in quem Crassus mordaciter cauillatus est, dixitq́;: *Duodecimam iam diei horã agis ô Rex, & nouam vrbẽ statuis?* erat enim octogenarius Deiotarus, cui tũ ille vicissim subridens ait: *At* *M. Crassus.* *Deiotarus.* *Crassi & Deiotari mutua scommata.*

tu ne matutinus quidem ô Imperator cum exercitu in Parthos festinas.

Sed Principum intelligentiam plurimum adiuuat amicorum consilia, nec eos pœniteat inferiores etiam consulere, & præcipuè in rebus arduis, quamuis ipsi quoque prudentissimi sint: ex tot enim philosophis, qui per omne æuum extiterunt, nemo vnquam inuentus est, qui se omnia scire profiteretur. Et ille sapientior iudicandus est, qui pauciora ignorat. Optimi quidem gubernatoris esse duco, in maximis tempestatibus vectores etiam consulere. Hac in re communis omnium parens natura, nouerca potius nobis, quàm mater extitit. Quisque enim in suo negocio hebetior est, quàm in alieno. Et medici ægrotantes, alios medicos sibi adhibent. Sunt etiam quidam qui sapiunt, sed serò: nam aut hebetiores ingenio sunt, aut dum cunctatiores in deliberando existunt, opportunitatem rei agendæ amittunt. Occasio enim est illa, quæ negocia omnia rectè perficit. Tardè intelligentes vt carperet Accius poëta, tragœdiam scripsit, cui equo Troiano nomen dedit, in qua docuit tempori adesse oportere, & obtusi fuisse ingenij belli machinam post euersa Pergama cognouisse. Persicum prouerbium fuit: *Stolidi hominis esse, in noctis vmbra solis lucem cognoscere.*

Equus Troianus tragœdia. *Prouerbium.*

Euagoras. *Conon.*

Euagoras Cyprius Rex multis virtutibus ornatus erat, adeò vt complures Græcorum clari & honesti viri propriam patriam relinquerent, vt ab eo regerentur, ad quem etiam Conon vir tanti nominis relictis Athenis se contulit, putans Regem illum salutis suæ præsidium fore firmissimum. Hic enim Rex omnia amicorum consilio gerebat, dicens se malle ex amicorum consilio optimè regere, quàm in se solum omnem prudentiæ laudem conuertere, qua ex re hoc assecutus est, vt omnes qui illuc accederēt, longè magis fœlices eos qui eiusmodi Regi parerent, esse arbitrarentur, quàm eū ipsum qui imperabat, & tanta bona illis impartiebatur. Neronis in se animū & futurā tempestatē præuiderat Seneca, de quo modo dicebam, veniamq; discedendi molestè admodū postulauerat:

Nero. *Seneca.*

uerat: sed Nero blandis simulatisq; verbis rem excusabat, vt arbitrum scelerum suorum perosus perderet. Dicebat autem Seneca: *Atauum quidem tuum Octauiam Augustum fœlicissimum Principem memoria teneo, potestatem fecisse C. Mecenati & M. Agrippæ clarissimis & optimis viris, vt optatum ocium assequerentur, quum alterum bellorum socium, alterum maximis in rebus comitem & adiutorem habuisset, vtrumque de se optimè meritum amplissimis præmijs exornasse. Me quidē his adæquandū minimè censeo, sed quemadmodum quæ suæ virtutis erāt illi suo Principi exhibuerunt, ita ego tibi quæ potui, quæq; habui, animo integro & fide summa persolui.* Cui Nero quū secedendi veniam negaret, fallacissimis verbis responsum ad hanc sententiam reddidit: *Non video Seneca modestiæ tuæ esse inde laudem quærere, vnde omnino infamia oriatur.* His & eiusmodi frustrationibus hominē illusit, donec & imponeret vt optabat, & ad destinatū exitiū ꝑduceret.

De circunspectione. Tit. XI.

CIRCVNSPECTIO huic tertio loco succedit, quæ est considerata omni ex parte animi ratio, circa ea quæ agenda sunt. Hæc circunspectio in conseruandis vrbibus ac regnis magnis periculis ingruentibus maximam laudē semper meruit, & in pace quidem ea meditatur, quę ad ciuiū concordiam, Regis obsequium, ac beneuolentiā pertinēt: & vt nihil in difficultatib⁹ rerum ac temporū desit, præuidēt: ac sicut optimus gubernator plagas omnes cœli circumspicit, vt ad omnem vim ventorum semper paratus sit, sic Princeps se munit contra aduersa omnia, in bello autē circunspectio fortunæ vim atque impetum præripit, Martis dolos cauet, vitat, intercipit, prudenter dictis auscultat, nec per temeritatem committit, vt quicquam pœnitendum agatur. Qua virtute nisi caruisset Q. Cepio consul contra Cimbros, dictis collegæ sui Cn. Metelli obtemperasset, nec tam temerè contra ferocissimos barbaros irruisset, & vno prælio octoginta Romanorum millia cædi occisioniq; tradidisset, vt se re-

Circunspectio.

Q. Cepio.

seruaret ex tanta clade, & Romam perfugeret, vt perpetuo carceri addiceretur, & cum irrisione atq; contemptu omnium in tenebris tabesceret.

Hæc virtus tum præcipuè cernitur, quum certamen non æquis viribus ineundum est, sed cum potētioribus dimicandum, vbi hostium vires prælium detrectando potius quàm aperto Marte decernendo conterantur, vt factum fuisse cernimus contra Hannibalē, cui impares Romani omnino esse videbātur: eius namque exultantia atque ferocia, consilio ac mora potius, quàm temeritate & audacia confringenda fuit. Testis sit C. Flaminius, qui fauente plebe consul factus tanta insania elatus est, vt nihil nisi de certamine cogitaret, quem quum Pœnus cerneret nihil circunspicere, sed inconsultè solis viribus & audacia exultare, ad Thrasymenū lacum insidijs excepit, & eum cum omni exercitu profligauit. Quæ plaga quanta fuerit populo Romano, euentus aliarum rerum è vestigio docuit: furentes enim Imperatores ac Duces facile admodum insidijs hostiū excipiūtur, & dum nihil circunspiciunt nisi quod ante oculos habent, summam rerum extremis periculis obijciunt. Romani eiusmodi cladibus conterriti, Fabio Verrucoso (cui deinde ob virtutem Maximo agnomentum fuit) reliquias desperatæ Reipublicæ permiserunt. Erat enim Fabius vir dignitate ac prudentia præstans, & in rebus gerendis adeò circunspectus, vt cūctantior quàm pugnacior haberetur: quæ quidem virtus exultantiam Hannibalis compressit, adeoque detriuit, vt planè docuerit Hannibalem non audacia ac ferocia, sed consilio ac mora vinci posse. Præclarè Silius Italicus ait:

Flaminius.

Fabius cognomento Verrucosus.

Punicorū l. 7.

At ni sacra seni vis, impressumq; fuisset,
Sistere cunctando fortunam aduersa tuentem,
Vltima Dardanij transisset nominis ætas.

Hac virtute Fabium pręferre videtur cunctis Imperatoribus Romanis, addit enim:

Summe ducum, qui regna iterum labentia Troia
Et fluxas Latij res, maiorumq; labores,
Qui Carmentis opes, & regna Euandria seruas:

Sur-

Surge age, & emerito ſacrum caput inſere cælo.

Sed poſtquã populus Romanus animaduertit lento Fabij certamine & mõtanis inſidijs Punicum furorem iam aliqua ex parte compreſſum, & præcluſos fortunæ atque hoſti omnes vincendi aditus, ſtatuit viribus etiam decernendum eſſe, & ferro aciem reddendam. Proinde Marcellum virum acrem ac ſtrenuum, & Romanorum omnium pugnaciſſimum, Fabio collegam deſignauit, vt quaſi manũ conſilio adderet, & ſapientiæ vires adijceret. Fuit enim Marcellus ad omne certaminis genus exercitatus, nullumque prouocatorem, nullamq; pugnam vnquam detrectabat. Et collatis ſignis varijs cum hoſtibus, vndequadragies proſpero marte certauit, vt inter omnes hiſtoricos conuenit. Hic Imperatori callido ac circunſpecto additus, qui ad tuendum imperium potius quàm ad vlciſcendas iniurias idoneus eſſe videbatur, vires atque animum adiecit, vt optimo temperamento rem Romanam tot cladibus affectam ſimul reſtituerent atque inſtaurarent. Quod quidem breui tempore effectum eſt, adeò vt omnes dicerent, Reipublicæ optimè conſultum eſſe, vt iam Fabius clypeus, Marcellus autem enſis Romani imperij haberetur. Et Hannibal ipſe inter iocandum militibus ſuis dicebat, ſe Fabium vt militiæ præceptorem, Marcellum autem vt pugilem formidare.

Sed quanto pluris facienda ſit cauta & circunſpectatio quã fortuita ac proſpera audacia, ex vtriuſque euentu facilè iudicari poteſt. Fabius enim omnibus muneribus functus, extremũ vitę diem ſenex admodum placidè in proprijs laribus peregit, & magna cum gloria quaſi ſeruator ac pater patriæ ſepultus extitit: Marcellus autem iam quinquies conſul quum hoſtem explorare vellet, Hannibalis inſidijs circumuentus perijt. Cui Pœnus mortuo anulũ quaſi virtutis præmium è digito eripuit, eiuſq; cadauer ſplendidè ac magnificè cremari iuſſit, & reliquias ac cineres Romam ad neceſſarios eius referri. Sed haud ſcio an vera ſit ſententia illa Silij poëtæ clariſſimi:

Et pace & bello cunctis ſtat terminus æui,

Extre-

PAGINATION INCORRECT

Extremumq; diem primus tulit, ire per ora
Nomen in aeternum paucis mens ignea donat,
Quos pater aethereis caelestum destinat oris.

De prouidentia. Tit. XII.

Prouidentia. PRouidentia huic finitima est, quae quidē vis quędam animi esse dicitur, per quam futurum aliquod antequam factum sit praeuidemus. *Chilo Lacedaemonius.* Chilo Lacedaemonius dicebat, futurorum prouidentiam prudenti viro quadam ratione animi occurrere pro virtute quam in se habet, vt ostenderet tantum cuique prudentiae esse, quantum virtutis in se fuerit. Graeci hanc προμήθειαν appellant, quam Epicurus pro numine colendam censet, vt quae ministra fuerit summo Deo in mundi rerumq; omnium creatione atque ordine, sitque omnium humanarum rerum auriga ac domina.

Optimè certè fabulati sunt veteres poëtę, qui dicūt primam filiarum summi Dei prouidentiam extitisse: *Panaetius.* de hac virtute Panaetius librum scripsit, quem à Polyxeno Cicero per Atticum rogauit.

Magna prouidentia vsi sunt Romani in re bellica, & praecipuè inhorrente Gallico tumultu, quod peregrino verbo Celticum bellum nuncupabant, in quo & senes & sacerdotes etiam in armis esse oportebat: & thesauri publici cum execratione in aerario recondebantur, vt à nullo promerentur, nisi Celtico insurgente bello. Verùm Iulius Caesar cùm illos militibus suis permisit, Celtas à se victos asserens, vrbem ab execratione liberam esse ait. Haec quidem virtus in Regibus, Imperatoribus, Ducibus, Principibus, magnisque viris maxima esse videtur, & adeò admiranda, vt quasi diuinos eos putemus, qui hoc prouidentiae munere praediti sunt.

Nec quippiā est quod maiorē mortalibus auctoritatē gratiamq; conciliet, quàm vera futurorū praesagitio, quae quanquam ingenij acumine & mentis agitatione nobis infunditur, tamen doctrina & studijs disciplinarum plurimum augetur, & exercitatione maxi-

maximarum rerum perficitur. Hac autem virtute præstitit præter cæteros Romanos Imperatores Q. Fabius Maximus, de quo etiam Silius poëta cecinit.

Prouidus hæc ritu vatu fundebat ab alto
Pectore, præmeditans Fabius surgentia bella.

Numam Pompiliũ prouidentiæ fama (qua inter Sabinos pollebat) ex priuato viro ac penè rustico Regem Romanorum effecit, quam etiam vt Romę propagaret, & quasi diuina auctoritate firmaret, Egeriã Nympham coniugem se habere simulauit, & nocturna sacra agere, futuros euentus discere, & quæ è Republica essent doceri. Qua quidem arte Romanos adhuc rudes, & prædæ reiq; bellicæ intentos, ad iustitiã, pietatẽ, mansuetudinemq; redegit. Et studia pacis adeò omnib. persuasit, vt eo regnante neq; seditio aut tumultus Romæ extiterit, & Iani templũ tres & quadraginta iuges annos clausum manserit. Vetustissimi omnes qui gentibus imperabant, quiq; habenas terrarum tenebant, vt prouidi magis viderentur, auguria se tenere profitebantur, vt qui arbitrarentur, & sapere & futura præuidere regium esse. *Numæ Pompilij prouidentia.*

Præbuit multum auctoritatis huic arti apud veteres Romanos Accius Nauius, qui multa prædicebat: verùm Tarquinius Priscus tentandæ artis gratia hominem rogauit, num quod in præsentia cogitaret, fieri posset? tum respondente illo, *Etiam. Cogitabam* (inquit) *te hac nouacula cotem hanc præcidere*: tum Nauius illam arreptam paruo labore quamprimùm secuit. Quo miraculo omnes perterriti, fidem huic arti quã maximam adhibuerunt. Hinc collegium augurum apud Romanos principio constitutum est, quod futuri prouidentia multa in Repub. ex religionis auctoritate mouebantur, sicut in Gallia Druydæ, qui augurio & coniectura periti futura multa prędicebant: sic etiam apud Persas Magi, qui in fano quodã certo statutoq; tempore commentandi colloquendiq; inter se causa conueniebant, vt prouidentia sua populos præmonerent, quid facto opus esset. Quorũ sapiẽtia tanti habebatur, vt nemo Persarũ Rex esse posset, qui non antè magorum scientiam perdidicisset. Reges ac du- *Liuius. lib. 1.* *Augurum collegium.*

ac duces aliarum gentium futurorum præscientiam profitebantur, & alij augurijs, alij extispicijs, alij coniecturis futuros præcinebant euentus.

Amphilocus & Mopsus diuinandi peritissimi habiti sunt: hi (vt Cicero scribit) Reges Argiuorum fuerunt, & vrbes in ora maritima Ciliciæ condiderunt. Calchantem autem classium ducem fuisse Homerus docet. Et Priamum Asiæ Regem, Helenum filium & Cassandram filiam diuinandi peritos habuisse: alterum auguriis, alteram diuina quadam incitatione ac permotione. Cicero etiam dicit Pythagoricos non modò Deorum oracula obseruasse, sed hominum quoq; prædictiones, quæ omina appellamus. Hæc tā-tum valere putabant prisci, vt omnibus rebus agendis, quod bonum, faustum, fœlix, fortunatumq; esset, præfarentur: rebusq; diuinis, quæ publicè fierēt, vt fauerent linguis imperabatur: hoc verbum non (vt pleriq; existimant) à fauore trahitur, vt ait Stoicus noster Seneca, sed ex eo silentium præcipitur, vt ritè peragi possit sacrum nulla mala voce obstrepente. Oraculū verò eodem auctore nihil aliud est nisi voluntas diuina, ore humano enunciata.

Omen.

Fauere.

Sed quorsum hæc augurum diuinatorumq; commemoratio? Vt ostendam me nullam diuinationem mortalibus permissam esse opinari, sed prouidos ac prudentes viros, vt fidem facerent eorum quæ prædicerent, vtq; sibi magis durioribus illis seculis homines auscultarent, simulasse se augures diuinosq; esse, & numinum afflatu ea præfari, quæ acumine ingenij, doctrina, ac sapientia prædicebant.

Epaminūdas. Sed Thebanus Epaminundas, & Atheniensis Pericles, duo clarissimi Imperatores, diuinationes & oracula omnia velamenta formidinis atque ignauiæ esse putabāt, vt quoties certamen detrectare vellent, dicerent se vel inter quietem monitos ne pugnarent, vel malo aliquo omine absterritos, vel aliqua religione prohibitos. Facetè Accius tragœdus ait: *Nihil credo auguribus, qui aures verbis ditant alienas, suas vt auro locupletent domos.*

Citatur à Gellio.

De

De docilitate. Tit. XIII.

DOCILITAS quinta est earum specierum quæ prudentiam comitantur, quæ dicitur esse quædam animi vis, qua facilè docemur, & facilè intelligimus ea quæ nobis ab alijs exponuntur. Hæc species in Regibus principibusq; valde optanda est: eorũ nanque aures multis vt semper pateant opus est, & illis nonnunquã, qui pudore prohibiti vix ea quæ sentiũt aut cogitant, exprimere valeant. Atque aliquos aliquando audiunt, quibus neutiquam auscultandum sit: meditati enim aliunde veniunt, vt dicitur, & vafrè simulateq; loquuntur, aut implicito ambiguoq; sermone optimos viros sæpè decipiunt. Docilitas verò efficit, vt & quę minus expressa sunt Principes percipiant, & quæ versutè callideque dicuntur caueant. *Docilitas.*

Alcibiades facili fuit ingenio & docilis adeò, vt diuersis moribus facilè consuesceret. Nam quum in Lacedæmonia versaretur, grauis & seuerus esse videbatur, & bellator insignis: sermone verò, habitu ac moribus vix ab indigenis dignoscebatur: in Ionia autem, iners, delicatus, ac mollis erat, & voluptatib. diffluebat, adeò vt omnes eum Iouem dicerent: & in Thracia Thracem, sic equitando, potando, atque alijs moribus illorum consuetudinem imitabatur.

M. quoque Antonius docili admodũ ingenio fuit, vt qui facilè sermonem moresq; alienos disceret, & quasi seipsum interpolaret faciemq; denuo fingeret. Namq; (vt dicebant Alexandrini) quum inter Romanos versaretur, tragica vtebatur persona: erat enim tunc seuerus & grauis: inter Aegyptios autem comica, quando & mollis & effœminatus esset. *M. Anton.*

Mithridates quoque vt summa fuit memoria, ita perfacili etiam docilitate omnibus in rebus, vt ad id natus esse videretur, quodcunque ageret. Sunt tamen qui dicant docilitatem, & dicendi facilitatem, memoriæ obesse: hoc enim natura nobis inditum putant, vt qui ingenij acumine præstant, celeriter accipiant quæcunque volunt, sed illorum quamprimùm obli-

obliuiſcantur: qui verò tardiores ſint, cum labore perdiſcant, ſed diutius reminiſcantur. Scripta enim in glacie facilè dilabuntur, in marmore autem perpetua ſunt.

Demoſthenem ſcribunt docilitate parum valuiſſe, memoria autem ac diligentia plurimum. Demadem verò contrà natura excelluiſſe, fuiſſe tamen negligentiorem: quum enim agebat, non modò totius populi laudem, verùm aſſenſum plauſumq; aſſequebatur. At poſtquam perorauerat, rogantibus eadem ſcripta edebat, quæ adeò diuerſa deterioraque eſſe videbantur, vt vulgò clamarent, Demadem omnes illudere, vt qui alia exhiberet, quum Demoſthenes, eadem ederet quæcunque ageret. Sic etiam pleriſque alijs vſu venire cernimus.

De cautione. Tit. XIV.

Ex Cic. Tuſc. quæſt. lib. 4.

CAVTIO nunc ſe nobis offert, cuius proprium munus eſt declinare à malo cum ratione. Hæc virtus aditus nocendi fortunæ obſtruit, & occaſiones damnum inferendi hoſti præripit. Nihil enim in re bellica inſperato opere potentius eſſe dicebat Cæſar.

Quocirca omnia cauenda præuidendaque eſſe arbitrabatur, ne quando ſi quid aduerſi accideret, dicendũ ſit: *Non putabam*: quo nil turpius ab Imperatoribus ac Ducibus dici poſſit. Sæpe enim hoſtes ex inimicorum incuria audaciã ſumunt, & occaſionem rei bene gerendæ nanciſcuntur. Ex inſtituto Cæſaris ſemper duæ legiones pro caſtris excubabant, & in armis rebus ſubitis & improuiſis confeſtim præſtò aderant. Plures etiam partitis temporibus in opere erant, ne quid impræmeditatum improuiſumq; accideret. Errata enim in bello nec gratiam nec veniam expectãt, præſto, ſiquidem vltor adeſt, qui occaſionem rei bene gerendæ nunquam ſibi eripi permittit.

Cautioni contraria eſt temeritas, quæ quidem rationi nequaquam obtemperat, nec dictis amicorum auſcultat. Et ſicut illa Reges ac Duces omnibus mor-

talibus conciliat, gratosq; efficit, sic hæc eosdem admodum odio inuidiæq; obnoxios reddit. Pompeius ex hoc etiam habitus est incautior, quòd initurus Pharsalicum prælium, classem, quam maximam omnium habebat, & per quam omnem commeatum hostibus arcere præcludereque poterat, Corcyræ in anchoris ociosam neglexerit, & qui equestribus pedestribusq; copijs certare poterat, & classem ad omnem oportunitatẽ paratam haberet, satis putauerit terrestri manu decernere contra Imperatorẽ tot tantisque victorijs elatum, & exercitum longis laboribus assuetum, qui decem assiduis annis cõtra quater centena Gallorum millia bellum gesserat, quorum centum circiter millia in prælio ceciderant, & totidẽ capta fuerant, ac etiam quadraginta eorum nationes subactæ, vrbes quoque octoginta vi captæ, vt Appianus Alexandrinus refert. Et præcipuè quum de summa rei ageretur, nec vter eorum vinceret, certamen esset, sed vter eorum imperaret.

Cautior admodum habitus est Sertorius, quippe qui pugnam detrectando Metellum supperauerit. Erat autem hic Metellus Pius cognomento, Numidici Metelli filius, maiorum commendatione, quàm propria virtute illustrior: cœnas enim luxu, delicijs ac ludis in multam noctem producebat, vanam gloriæ vmbram potius quàm veram laudem affectans. Nec cogitabat rem sibi esse cum Sertorio omnium Romanorum pugnacissimo ac frugalissimo, qui Lusitanos ducebat populos fortissimos, ac ferocissimos in re bellica. Quinetiam Pompeium illius collegam iuueniliter tunc exultantẽ, quòd nimium fortunæ se crederet carpsisse visus est, quum ait, Pompeium Syllæ discipulũ esse, seque breui tempore ostensurum, oportere bonum ducem non minus cautè aspicere quæ sunt post terga, quàm quæ ante oculos habet.

Lusitani fortiss mi ac ferocissimi in re bellica.

C. quoque Marius cautissimus fuit, quippe qui nulla hostili illecebra, nullaque prouocatione à recto consilio vnquam diuertit. Intra vallum exercitũ suum continuit, quum longè impar hostium multitudini esset: irruebant nanque in Italiam Teutonum

C. Marij cautio.

nationes, quarum exercitus quàm numerosus fuerit, vel ex hoc indicari potest. Sex enim iuges ac continuos dies longo ordine nunquam interrupto ante eius castra transiuerant, & illudentes etiã Romanos, rogabãt ecquid mandatorum ad vxores suas perferri vellent, sperare enim se quamprimùm eas visuros. Et quũ Biorix Cimbrorum Rex eum vocaret vt exercitũ in aciem educeret, manusq; consereret, non moris esse ait Romanorum Imperatorum, de incunde pugnæ tempore hostem consulere, sed e vestigio se postridie eius diei dimicaturum edixit, signumq; futuræ pugnæ rubro vexillo (vt moris erat) dedit, & tãto impetu tantaque virtute atque alacritate Romani certamen inijerunt, vt magna victoria hostilem exercitum profligauerint. Castra quoque aliquando Marius edito colle muniuerat: at Popilius Silo, cuius nomen magni roboris, magnæq; fortitudinis apud hostes habebatur, exclamauit: *Si magnus Imperator es, C. Mari descende, manumq; confere.* At Marius: *Si tantus es Popili quantum te facis, compelle me inuitum vt descendam.* Attamen paucis pòst diebus descendens manus cõseruit, ac victor euasit.

Plin. l. lib. 12. *Cur Galliæ populi Italiã primò tantopere appetiuerint.* Si quis verò causam quærat cur Galli tanto agmine in Italiam transmiserint, audiat Plinium optimum rerum vetustissimarum indagatorem, qui eiusmodi verba scripta reliquit: *Elico Heluetius ciuis fabrilem ob artem Romæ commoratus, remeans in patriam attulit caricas, vuas, oleum, & vinum optimum: vnde Galli dulcedine allecti in Italiam sese effuderunt.*

Sed hoc concludendum est, in re militari, & in omnibus penè alijs humanis actionib⁹, nihil cautione melius, nihilque temeritate deterius. C. Curio in Aphrica relictus à Cæsare contra Accium Varum Pompeij legatum Vticam obsidebat, in quam Varus profugerat, iam ciues præ inopia de deditione agebant, interea nuntij à Iuba Rege illum cum maximis copijs adesse nunciant. Curio certior rei factus, relicta obsidione in castra se recipit, illic à profugis quibusdam per dolum missis audiuit Iubã finitimo bello reuocatum, in regnum redijsse, misisseque Saburam

tam parua manu stipatum. Curio verò quum id temere crederet, educto exercitu Saburæ occurrit, quem Rex cum ingenti multitudine sequebatur, & prælio inito vndique ab hostibus circunuentus cum magna parte exercitus interficitur, dum iuuenili furore concitus temere credit.

Eiusmodi auditionibus plerunq; falluntur, qui minus cauti sunt: Viatores enim ac transfugæ raro vera loquuntur, sed rebus suis cõsulunt, & grata auditoribus semper dicere student, vt gratiori hospitio accipiantur, & sic vera falsis concinnãt. Quinctiã pleriq; omnes hoc ingenio sumus, vt quę cupimus facilè credamus, & aduersa audire formidemus: sed fallaces homines sem℘ aliud cogitant, aliud simulãt. Proinde qui vagas auditiones pro cõpertis habent, temerarij habendi sunt, & sępenumero seipsos & alios perdũt.

Othoni Cæsari amici omnes dicebant præliũ protrahi oportere, quando & fame & angustijs locorum hostis vrgeretur. Ille autem nemini auscultauit, sed temere conflixit, & exercitum simul cũ imperio amisit, & sibiipsi mortem consciuit. Brixilliq; sepultus, omni exequiarum pompa, omniq; sepulchri honore caruit. Nihilq; æquè in eo laudatur, quàm quòd post tantam temeritatem sibiipsi vim attulit. Nequaquam tamen cautus esse poterat Otho, qui non virtute, sed vitijs nitebatur, libidine, luxu, sęuitia, audaciaq; ardebat. Præceptorem nanque Neronem habuerat, cui ex consuetudine mutui sturpi gratus extiterat. *Otho Imperator.*

Hæc cautionis virtus nõ modò Principibus ac summis viris, sed minimis etiam quibusq; necessaria est, Ad quam instructum ab ipsa natura omne animaliũ genus esse videmus, & in sua specie tutũ: quod quidem non solùm in magnis ac truculentis belluis cernitur, sed in paruis etiam atq; inermibus animãtibus. Nam vt de alijs taceamus, quid mollius aut ignauius testudine? ea tamen sibiipsi cauere optimè callet: collecta enim in suum tegmen, ab omni ictu tuta esse videtur, sed vbi temere membra aliqua exerit, quodcũque minus cautè nudum reliquerit, id infirmum erit, & cuicunq; iniutiæ obnoxium. Sed de cautione ha- *Ex Liuio decad. 4. lib. 6.*

ctenus. His superioribus speciebus quædam alię adduntur à Peripateticis, de quibus etiam breuiter dicendum erit.

De sagacitate. Tit. XV.

SAGACITATEM his animi potentijs addunt Peripatetici, & eam necessariam esse dicunt ad perfectam prudentiæ harmoniam conficiendam. Hanc, iudicandi recteque intelligendi optimam artificem esse putant, & vt prudentis sit viri bene consulere, sic sagacis bene intelligere, beneque iudicare. Proinde qui per sese perfectè prudens non est, prudentis alicuius consilio pareat. Hæc est illa sententia, qua T. Liuius historicorum maximus inducit quondam ad milites vsum fuisse Minutium Paulum, quũ à collega Fabio, cuius dicto minus obsequens fuerat, saluatus extitisset, eum nanque dixisse scribit: *Sæpè ego audiui, milites, eum primum esse virum, qui ipse consulat quid in rem sit. Secundum eum, qui bene monenti obediat. At qui nec ipse consulere, nec alteri parere scit, eum extremi esse ingenij. Nobis quoniam prima animi ingenijq; sors negata est, secundam & mediam teneamus, & dum imperare discimus, parere prudenti in animum deducamus, castraq; cum Fabio iungamus.* Sed hanc sententiam longè prius Hesiodus poëta cecinit his penè versibus:

Liuij verba.

Optimus ille quidem, qui per sese omnia noscens
Consilijs præuisa suis meliora peregit.
Rursus & ille probus, qui paret recta monenti:
At qui nec per se valuit, monitusq; refugit
Recta sequi, cuiusque vir est hic muneris expers.

Sed sagire (vnde sagacitas nomen ducit, vt Cicero in libris de diuinatione docet) acutè sentire significat, vt quo sagæ anus dicuntur, quia multa sentire volunt, & sagaces dicti canes. Quinetiam ille qui antè sagit quàm res oblata est, præsagire dicitur, & futura antè sentire. Inest igitur in animis nostris præsagitio extrinsecus iniecta atque inclusa diuinitus. Et si exarsit acrius, furor appellatur, cũ à corpore animus abstractus

Lib. 1.
Sagæ anus.

abstractus diuino instinctu concitatur. Ciceronis verbis monemur intelligere, sagacitatē animi vim esse, quæ per corporis sensus acute admodum omnia sentire atq; indagare possit. Prudens igitur etiam quum bene iudicat quæ aguntur, sagax habetur. Nam sagacitas circa agibilia versatur, acutè eadem sentiendo: prudentia verò circa ea agenda, quæ iusta & honesta hominibus sunt, quæ quidem quum agimus, boni & honesti viri dicimur, vt ait Aristoteles.

De versutia & calliditate.
TIT. XVI.

ADijciunt quidem Stoici, qui Zenonem imitantur, his superiorib. duas alias animi potētias, quarum altera acumine ingenij, altera vsu rerum perficitur. Prior versutia, posterior autem calliditas appellatur. Versutos enim eos dicimus, quorum mens celeriter versatur: vnde illud Plauti poetæ: *Versutior es quàm rota figularis.* Callidos vero eos: quorum animus sic vsu rerum calluit, vt manus opere ac labore callum solet obducere. Hæc discretio horum verborum à Cicerone ponitur libro tertio de Deorum natura, sed versutia poti⁹ in verbo aut sermone est, quā in actione, vt fuit Apollinis respōsum Crœso roganti transmitteretne fluuium, cui oraculum editum est: *Versutia & calliditas.* *Versuti.* *Callidi.* *Apollinis responsum.*

Crœsus Halym penetrans, magnam peruertet opum vim.

Hostiū enim vim se peruersurum putauit, peruertit autem suam. Vtrum igitur eorum accidisset, verum oraculum fuisset. Ambiguitas autem in verbo peruersionis erat. Fit etiam in sermone, vt fuit respōsum eiusdem numinis ad Pyrrhum Regem:

Aio te Aeacida Romanos vincere posse.

Incertum enim est ex versuta locutione vter victor futurus ostendatur, quum parua ordinis mutatio victoriam etiam mutet.

Calliditas autem in actione & consilio plerunq; ponitur. Callidi quondam habiti fuerunt fratres duo Thraciæ Reges, quorum alter Rhascopolis, alter ve

rò Rhascus nuncupabatur. Nam quum per eorum fines iter haberent duo maximi Romanorum exercitus, quorum alteri Cassius, alteri autem præerat Antonius, & viribus inter se quasi pares esse viderentur, callidum consilium inierunt, vt simulato pro regni iure odio dissiderent, & Rascus quidem Antonij, Rascopolis autem Cassij partes sequeretur, vt victus à fratre victore seruaretur. Quocirca quum victor euasisset Antonius, Rascus ab eo victo fratri veniam impetrauit.

Calliditas si à ciuili consuetudine manat, astutia dicitur, quasi vrbana quædam calliditas: ἄστυ enim vrbem significat, vnde illud Terentij: *Anus in astu venit*, hoc est, in vrbem. Contrahitur siquidẽ ex ciuium consuetudine cogitata quædam rerum gerendarum dexteritas, quæ humanas actiones plurimum adiuuat. Est enim astutia, callida quædam prudentia contracta ex vsu rerũ ciuilium, quæ homines in rebus agendis tutiores reddit: qualis fuit illa Hannibalis, quum à Iulio consule nauali prælio victus fuit. Prius enim quàm alius cladis nuncius Carthaginem perexisset, quendã ex amicis suis quam celerrimè consultũ misit quid facto opus esset, quum Romanus consul magna ac munitissima classe aduentasset, cõclamat cunctus senatus prælium nulla ratione esse detrectandũ, sed confestim vt decernatur, omnes statuunt. At ille, *Conflximus*, inquit, *& superati fuimus*: siluerunt vniuersi senatores, nec id factum quispiam potuit damnare, quod fieri debere omnes cõsilio iudicassent. Hæc vrbana prudentia non solùm probitatem vitæ ornat, & hominem cautiorem facit, verùm sermonis quoq; facundiam adiuuat, & vernaculis quibusdam salibus conspergit: ac tunc vrbanitas dicitur, quod ex vrbana ciuium consuetudine elegans quædã loquendi eruditio trahitur, quæ omnibus iucunda est. Hanc Stoici virtutem esse putant, quandoquidem morũ quædã facilitas est, quæ grato cõmercio homines conciliat. Eam Peripatetici χαριεντισμὸν vocant, mediamq; inter austeritatem seu ruditatẽ & scurrilitatem esse dicũt, eamq; inter virtutum species connumerandam censent.

sent. Verùm enim verò prudens nemo esse potest, nisi idem sit vir bonus, nam si veterator, vafer, fallax, vanus, futilis, dolosusq; esset, non autem vlla ex parte prudens, bonus dici non posset.

Versutia quidem, calliditas, & astutia (vt Aristoteles docet) animi potentiæ sunt, quæ ad subiectam intentionem referuntur, eorum quæ agere quispiam velit, & ad effectum perducere. Si finis ad quem tendit, rectus erit, laudabiles etiam potentiæ illæ erunt: sin obliquus, vituperandæ: & futura fraus, calliditas, deceptio: astutia autem, dolus malus, malaque malitia diceretur.

Lysander Lacedæmonius dicebat se ex Herculis genere esse oriundū, sed quum plura per dolū quàm per virtutem ageret, quidam ad eum per iocum ait: *At ille ex progenitoribus tuis heros omnia per virtutem agebat.* Tum ridens Lysander: *corpus illius*, ait, *leonis pellis optimè tegebat: sed vbi ea mihi non satis sit, vulpeculæ pellem assuere consueui*: quibus verbis mentis suæ labem clarè indicauit.

Laudauerunt veteres (vt in artifice) Alchimenis sculptoris astutiam. Nam quum imaginem Vulcani Atheniensibus faceret, pedis vitium veste adoperuit, velut gressum retraheret, & sic nec manifestè claudicationem mentitus est, sed notam Dei scientibus cogitandam reliquit, & decorum optimè seruauit. Astutus etiam habitus est Apelles. Pinxit enim Antigoni simulacrum, cuius ne deformitas effossi oculi cerneretur, illud tantum altero latere ostendit, quum alterum ex picturæ arte lateret.

Dolus & malitia apud veteres ambiguitatem in significatione habebant. Vnde illud Plauti: *Sine omni mala malitia*, vt ostenderet bonam etiam dici malitiā. Et Vlpianus iure consultus ait: *Non fuit autem prætor contentus dolū dicere, sed adiecit malum, quoniam veteres dolū etiam bonum dicebant, & pro solertia hoc nomen accipiebant, maximè si aduersus hostē latronémve quis machinetur.* Est enim solertia artificiosa quędā deceptio, quę fit maioris vtilitatis gratia. Spectata quidem solertia quondā habita fuit Hellanici Epirotæ, qui quū senex Vlpia. in lib. 1. ff. Nō fuit. ff. de dolo.

esset,& liberis orbatus,cerneretq; Aristotimum post Pyrrhi Regis obitum regnum inuasisse, & sæuitiam atque immanitatē passim in omnes exercere, de liberanda patria à tyrannide cogitauit. Et accersitis,in penetralia ædium amicis ac necessarijs quibusdam,in vltionem necemq; tyranni eos adhortatur, verùm detrectantibus illis,& periculum formidantibus, iussit seruis suis vt diligenter fores seruarent, tyrannoq; se nunciare velle minatur, vt coniuratos apud se comprehenderet. Nam postquam liberandæ patriæ auctor esse non posset,desertæ tandem vltorem se futurum. Hac formidine perculsi omnes illi,statim in tyranni perniciem cōiurant, & è vestigio audacter rem conficiunt,patriamq; trucidato Aristotimo in libertatem vendicant.

Dicitur etiam bonus dolus, quum medicus curationis gratia ægrotum fallit, quem tamen nequaquā decipit,sed pristinæ valetudini reddere studet. Virgilius autem dolum virtuti opposuit,quum ait.

Dolus an virtus quis in hoste requirat?

Et iure optimo,virtutis enim & sapientiæ obiectū est veritas,dolus autem mendacio inititur: δόλος certè apud Græcos,vndè dictio nostra transfertur,in malam accipitur partem,& sic etiam δολιότης, quæ à nobis dolositas dici possit. Decet igitur prudentem virum solertem esse,non autem dolosum, cùm solertia bona sit affectio,dolositas verò mala.

De æquitate atque æquanimitate.
Tit. XVII.

Æquitatis definitio.

COMITEM prudentiæ æquanimitatem dabimus,quum sit æquitas rectum iudicium boni & æqui, vel est mitior quædam sententia,quam naturalis ratio persuadet viro prudenti ac bono, qui æquum esse putat vel ex toto, vel aliqua ex parte ignoscere. Sunt enim qui arbitrantur ius nihil aliud esse, nisi id quod semper æquū bonumque sit. Naturalem æquitatem iustitiæ comitem Stoici faciunt, Peripatetici autem prudentiæ,& rectius quidem.

Prudentis siquidem viri est (qualem Principē hūc nostrum instituimus)duriora quędam molliora reddere,& immatura ac cruda, mitiora concoctioraque facere,nimis quoque angusta propagare, laxiora verò coërcere,vt populus Romanus fecisse legitur, qui quum non posset legibus sæuitiam improbitatemque creditorum coërcere,plebē nexu liberauit, propter L.Papirij creditoris libidinem,qui C.Publio debitori stuprum inferre voluerat.Hæc deinde æquitatis cura à Senatu prætoribus demādata fuit, vt ex naturali æquitate edicta proponerent, qui iurę boni & æqui scriptas leges propagare possent, vel aliquo tempore aliquáve partę eis derogare,vel omnino eas abrogare atque abolere. *Tit. Li. dec. lib. 8.*

Hoc munus Reges suscipiant opus est,auctore Isocrate,qui Regi suo id muneris impartitur.

Aequitas pacis tempore in iudicijs dominetur oportet. Summum enim ius summa iniuria est, vt ait Ennius. In bello autem æqui bonique ratio semper maximam spem præ se ferre videtur, & plerumque victoriam præbet. Sapienter quidem Isæus vir Græcis disciplinis peritissimus dicere solebat: *Oportere legum seueritatem puniendi mansuetudine coerceri.* Atque haud scio an accedendum sit in sententia Sexti Cælij iureconsulti, qui ait, *sæuitiam acerbitatemq; vlciscendi maleficij bene ac cautè viuendi disciplinam hominibus præbere.* Aequitati quidam connectunt æquanimitatem, quam Græci ἰσοθυμίαν appellant, quæ est quædam animi æqualitas, quum nec rebus aduersis contrahimur, nec prosperis exultamus: cuiusmodi Socratem fuisse Græci scribunt, quem semper eodem animi habitu eodemq; vultu extitisse dicebat Xanthippe eius coniunx. *Sententia. Sextus Cælius iurecōsultus. Socrates. Ex Au. Gel. c.1.l. secundi.*

Hanc virtutem quidam è nostris tranquillitatem vocant,& illos qui ea affecti sunt tranquillos cognominant honoris gratia: hac virtute præcelluit Antoninus Cæsar, qui Stoicæ philosophiæ deditus tantæ tranquillitatis erat,vt vultum nunquam mutaret,neque mœrorem,neq; gaudium vnquam ostenderet.In hac animi tranquillitatę Sceptici philosophi summū

Sceptici id est cōsideratores, cuius secta erant Pyrrho, & Aristo. bonum statuerunt, finem siquidem posuerunt tranquillum animi statū, & mansuetudinem cæteris virtutibus prætulerunt. Sed de prudentia eiusque comitibus satis.

De temperantia, & eius partibus, siue speciebus, comitibúsve. TIT. XVIII.

Temperātia. ADEST nunc temperantia, quæ in primis considerat quatenus quicquā agendum sit. Hanc Peripatetici prudentiæ conseruatricem esse dicūt, vt quæ iudicium stabile ac firmum in rebus omnibus agendis reddat, nec permittat illud labefactari atque corrumpi à voluptatibus, neque à doloribus tabescere aut frangi. Nā vt recta sit ratio in dictis ac factis prudentiæ munus habetur: vt autem non effundatur, sed circumscripta, firma, stabilis, incorrupta atque integra maneat, temperantiæ. *Intēperantia.* Eius contraria intemperantia dicitur, quæ voluptuosa eligit tanquam prospera: & quæ dolorem afferunt, fugit tanquam aspera.

Academici palæstram doloris fortitudini relinquentes, dicunt temperantiam cerni in prætermittendis voluptatibus. *Plotinus.* Qua opinione ductus Plotinus Platonicus temperantię munus esse dixit, nihil appetere pœnitendum, nulla in re metam moderationis excedere, & sub iugum rationis cupiditatem domare. *Offic. lib. 1. Temperantia definitio generalior.* Cicero *temperantiam esse asserit virtutem, qua monemur, in rebus aut expetendis aut fugiendis vt rationem sequamur.* Eam quandoque esse dicit animi circa res inutiles atque inhonestas victricem ac pudicam moderationem, vel rationem in libidinem, atque alios turbidos animi motus, & firmam ac moderatam quandam dominationem.

Cap. 10. l. Eth. Aristoteles hanc virtutem versari ait circa ea quæ corpori sunt necessaria, vt sunt vitæ alimenta, & venerea, in quibus temperantia & intemperantia assiduè versatur. Idcirco eam esse dicit mediocritatem quandam circa corporis voluptates, & præcipuè circa gustum, & tactum.

Proinde temperans voluptates fugit earumque abscu-

absentia non dolet,& pręsentibus abstinet. Huic philosophorū acutissimo magis auscultandū est, quàm illis qui rigida quadam ratione diuina solùm contēplantur, vixque tantùm corpori relinquūt, quantum satis sit ad vitæ vsum necessarium. Nam ardua illa ac difficillima nunquam Regibus, Principibus, alijsque delicatis viris persuaderi possent. Itaque ad molliora quædam descendendum est,& ad hūc accedendum, qui sapientiam cum humanitate miscuit: hic quidem Aristoteles est, qui mitiùs nobiscum agit,& nonnulla moribus nostris indulget, vt qui & homo sit, & nihil humani à se alienum putet. Confert hic philosophus intemperātiæ delicta puerilibus nequitijs: quæ castigādæ quidē sunt,& sensim ad optimam (vt aiūt) frugem redigendæ. Nam si liberius serperent, virtutes omnes eliderent, & voluptatum cupiditates sequerentur, quarum appetitus insatiabilis est, & libidinum actus cupiditatem semper accendit. Hæc est aqua illa, quæ quo magis bibitur, eo magis fauces excitat, adeoq; inflammat, vt mentem à statu suo prorsus amoueat, hominemque stupidum ac vecordem reddat. Idcirco mediocritatem quandam voluptati adhibet, naturali modo contentus, vt rationi non aduersetur,& ab humanitate nō omnino discedat. Hoc vel temperamentum dici potest, vel castigata castaque ratio, per quam cupiditas ita rationi paret, vt bene institutus puer optimo Præceptori. *Aristotelis laus.*

Temperans igitur ille erit, quem turpitudinum ac flagitiorum pœnitet, quique à voluptate recedit, & in electione eiusdem non persistit, excessu non lætatur, sed ad mediocritatem virtutemque quamprimùm redit. *Temperans quis.*

Qui vero voluptatem sequitur, excessu gaudet,& in turpi electione persistit, hic penitus desperandus, insanabilisque haberi potest. Eiusmodi fuerunt Cyrenaici, qui summum bonum in ea voluptate posuerunt, quæ ex gaudio ac lætitia proficiscitur. Contra quos Epicurus ipse disputās, constantē voluptatē dicit esse in vacatione doloris, & aliarū perturbationū. *Cyrenaici.* *Epicurus.*

Stoici porrò nimis seuerè nobiscum agunt, qui affe- *Stoici.*

affectus omnes voluntarios opinabilesque esse ducunt, non autem naturales, & proinde eos non temperandos nec mitigandos esse putant, sed radicitus euellendos. Contra quos diligenter disputant Peripatetici, vt ostendant affectus omnes naturales atq; insitos nobis esse, & nobiscum nasci, nec posse omnino detrahi, sed adhibito modo ita temperari, vt tantum ex illis homini relinquatur, quantum naturæ satis sit. Temperatum quoque hominem illum esse dicunt, qui quę debet, & vt debet, & quando debet cōcupiscit, à ratione autem nō discrepat, sed honestum tanquam signum semper pro scopo habet. Adduntque insuper affectus vtiliter à natura hominibus esse datos, vt per eos tueamur humanæ vitæ officia, quæ sine eis neglectui haberentur.

Peripatetici. *Temperatus.*

Moueri affectibus in bonum, rectum esse dicunt, in prauum autem, malum. Libidinem, nisi nimia sit neque extra legitimum concessumque torum vagetur, omni culpa vacare. Sin secus, in maximo flagitio esse. Nituntur etiam auctoritate eorū, qui humanorū corporum viscera rimati, ostendêre locos in nobis insitos esse, in quibus singuli affectus secretam sedē habeant, in qua lateant: Vt lætitiæ sedes sit in splene, iræ in felle, libidinis in iecinore, timoris in corde. Qua ex sententia consequens esse videtur, vt nihil aliud sit affectuum radices ac fibras euellere, quàm hominem perimere, vim sibi ipsi afferre, hominem ex homine extrahere ac perpetuum bellum naturæ indicere.

Libido. *Affectuum sedes.*

Sed vtrum hæc vera sint, videant ipsi, & cum Stoicis vt placet luctentur, contra quos disputaturus Carneades, superiora corporis, antequam in certamen descenderet, albo elleboro purgabat, vt puriore alacrioreq; ingenio decerneret aduersus accerrimos dialecticos, philosophosq; acutissimos, quos solos sapere nonnulli opinati sunt.

Carneades elleboro albo curse persundebat.

Nos autem ad propositum ordinem reuertamur, dicamusque magnam virtutem esse temperantiam, non modò in prætermittendis voluptatibus, verùm in singulis quibusque actionibus. Præstat enim illud

Solon.

Solonis

Solonis oraculum, μηδὲν ἄγαν, hoc est, ne quid nimis, quod quidem crebris sermonibus à nobis vsurpandum est. Hæc virtus in omnibus humanis actionibus semper dominatur: sine temperantia enim reliquæ omnes mancæ & inchoatæ essent, nec perfectum de se officium præstare possent, sed aut metas transilirent, aut vix è carceribus egrederentur. *Ne quid nimis.*

Curabunt igitur Reges ac Principes omnes, vt hac virtute in primis fulgeant, quorum vita moresq; castigatiores omnino erunt, & eorum exemplo cunctos ciues emēdatiores reddent. Temperantiam comitantur modestia, verecundia, pudor, abstinētia, castitas, honestas, moderatio, parcitas, sobrietas, pudicitia: de quibus deinceps aliquid dicendum erit. *Temperantiæ comites.*

De modestia. TIT. XIX.

Modestia prima erit de qua disseremus: quæ quidem est moderatio cupiditatum rationi obediens, dicta à modico, vt Varro ait, cuius verba Nonius Marcellus sic refert: *Non eos optimè vixisse dicam, qui diutissimè vixerunt, sed eos qui modestissimè*, id est modicè. Vel dicitur à modo, vt Ciceroni & plerisque veterum placet. Adhibet enim modestia modum humanis actionibus, ne quid agatur, quod nimium sit, néve etiam parum, sed id quod satis sit, hoc est medium inter vtrumque extremorum, quod iure optimo ab omnibus laudatur. Nec tamē putemus hos duos maximos Latinæ linguæ auctores inter se de verbi huius origine dissentire, quum alter à modico, alter à modo modestiam dici putet, & præcipuè quum modū pro moderatione, & modicum pro modo & moderato dixisse veteres inueniantur. Et modicè non solū pro parcè, sed pro modestè etiam posuerint. Hęc virtus ad morum probitatem pertinet, & ad decorum etiam vultus, vnde illud Terentij: *Et vultu Sosia adeò modesto, vt nihil suprà.* In Principis quidem vultu eam modestiam laudant, quę grauitatem prę se ferat, non autem tristitiam: & eam hilaritatem, quæ grati animi in- *Modestia.* *In Andria.* *In principis vultu qualis modestia.*

mi in.

mi index sit, non autem leuitatis. Proinde dicunt Principem ita temperatis moderatisq; moribus esse oportere, vt summa seueritas summa cum humanitate iungatur.

Laudant prisci scriptores imaginem Demetrij Antigoni Regis filij, vt quæ animi indicium ostenderet, per quam & natus ad modestiam videbatur, & ad gratiam conciliandam, terroremque incutiendum.

Modestus sæpenumero habitus est Alexander, quod vel ex hoc exemplo cernitur, ditiores delicatioresque ex victoria facti milites complures in eum oblatrabant, & maledictis probrisque illum incessebant. Is quum hoc resciuisset, nulla iracundia excanduit, sed modestè placideque rem pertulit, asserens regium esse, eos à quibus etiam malè audiat, benignitate ac liberalitate lenire.

Nouerat enim nihil tam volucre esse, quàm maledictum, quod quidem facilè emittitur, citò excipitur, latius dissipatur, sed lõgè celerius obliuioni mandatur. Modestiam etiam quàm maximam ostendit in Mandanium Indum philosophum: eius nanq; famæ celebritate permotus, nuncios ad illum misit, qui rogarent, vt ad se visendum accederet, pollicerenturq; ei dona, si proficisceretur, sin recusaret, mortem minitarentur. Mandanius quum nuncios diligenter audiuisset, eis responsum attulit, non se ab eo munera velle cui nihil satis esset, nec minas etiã pertimescere, quum viuens affatim ab India nutriretur. Sin autem necaretur, ab attrita iam & carie & senio carne liberaretur. Hæc quum acerbioribus etiam verbis nuncij retulissent, risit Alexander & philosophum non modò venia donauit, verùm etiam multis laudibus extulit.

Tulit etiam perplacidè Diogenis epistolam, ad hanc sententiam. Diogenes Alexandro Macedonum Regi salutem: *Optimè fecisti quòd Macedonum Regem scripsisti, noueras enim me Regi non esse subiectum. Scribis vt ad te veniam, si vt me videas, figuram corporis mei quis admirandam putet? Sin verò vt moribus atque institutis meis vti velis, scito tantundem ex Macedonia Athenas vie* *esse,*

Diog. epist. ad Alexãdrum.

esse, quantum Athenis in Macedoniam. Vale. Tulerat etiam modestè admodum Philippus eius pater Diogenis licentiam in loquendo. Nam quum Cheronam vrbem tunc opulentissimam inuasisset, ductus est ad eũ cum alijs captiuis Diogenes, qui rogatus quisnam esset, audacter respondit: *Diogenes sum, explorator insatiabilis auiditatis tuæ.* At Rex nihilo commotior risit, & illum liberum dimitti iussit.

Philippi modestia in Diogenem.

Modestissimus etiam habitus est Iulius Cæsar, cuius rei hoc erit argumentum: denunciauit per præconem Pompeius se pro hostibus habiturum illos, qui ei in bello defuissent: at Cæsar medios omnes, & neutrius partis suorum sibi numero futuros pronũciauit. Nec legem illam Solonis secutus est, qui capitis animaduersione puniendum illum statuit, qui in ciuili seditione partis alterùtrius non extitisset. Quin etiam Roma egrediens Pompeius in Senatu dixit eodem se loco habiturum eos Senatores, qui Romę remansissent, quo eos habebat qui in castris Cæsaris militarent. At Cæsaris postulatio longè æquior modestiorque semper fuit, quàm Pompeij. Se enim senatui populoque Romano positurum arma pollicebatur, si idem faceret Pompeius: quod cùm ille velle facere negaret, respondit Cæsar, iniquum admodum esse, alteri vires omnes amouere, alteri verò confirmare atq; augere, vt dum alterum tyrannidis insimularent, alterum ad tyrannidem instruerent. Et post Pharsalicam victoriam, omnibus aduersarũ partium qui se victori permiserunt, ignouit.

Modestè etiam egisse videtur Antiochus maximus ille Rex Asiæ. Nam postquam à L. Scipione victus Tauro tenus regnare iussus est, comiter dicebat, benignè secum egisse populum Romanum, quòd nimis magna cura eum liberasset, modicisque eum terminis clausisset, quum maxima quæque regna maxima solicitudine Reges afficiant, nec sinant illos quietè vnquam dormire.

Antiochus. A Tauro mõte ad Tanaim amnẽ Romanis imperium Asiæ cedit Antiochus.

Modestissimum etiam fuit responsum Tiberij Cæsaris, qui & præsentibus onerandos tributo prouincias dicentibus, & id etiam per literas suadentibus,

bus, rescripsit. *Boni pastoris esse condere ouem, non autem deglubere.*

Caij quoque Marij modestiam in hoc laudant, quòd quum ei duplex triumphus decerneretur, noluit solus triumphare, sed gloriam suam cum collega Catulo partitus est, quanquam minus dignus ille à Romano populo iudicaretur.

Modestiæ laude, & præcipuè in victu enituit Iulianus Cæsar: in pace enim mensarū eius tenuitas rectè noscentibus admiranda fuit, in procinctu autem militię cibum breuem vilemq; sumebat, vbi verò exigua quiete recreasset corpus, expergefactus quam primū vigiliarū vires & stationes explorabat, deinde ad serias res accedebat, vel vbi ocium esset ad Musarum pabulum confugiebat. Ab religione enim Christiana (à qua per ambitionem se abdicauerat) nō potuit adeò desciscere quin aliquod veræ virtutis simulacrū in se seruauerit, ex quo character veritatis non omni ex parte tolleretur: purpurę enim infectores quamuis diligenter manus abluant, coccinei tamen coloris dignitatem non omnino repurgant.

Sunt nonnulli quoq; Græci scriptores, qui Hannibalis modestiam multis laudibus efferant, dicantque illum nec quum in Italia bellum gereret, nec postquā in Aphricam redijt, aut cubantem cœnasse, aut amplius vini sextario indulsisse: summaq; etiam modestia ac comitate respondisse omnibus, qui eius alloquio vti vellent.

Hannibalis modestia.

Laudatur etiam modestiæ Dio Syracusanus, qui potitus rerum nec mensam nec vestem mutauit, sed eodem habitu victuque contentus extitit, quo vtebatur quum in Academia cum Platone & condiscipulis suis versaretur, ad quem Plato scripsit: *Eum existimare oportere se ab omnibus probari, si à viris solùm qui in Academia versantur, probaretur, quandò illi non fortunam, non victoriam, non audaciam admirarentur, sed virum, qui in magna rerum amplitudine per honestatem, temperantiam, modestiam, iustitiamq; prospera fortuna optimè vti sciret*: & de modestia quidem satis.

De

De verecundia, & pudore.

TIT. XX.

Verecundia nunc se nobis offert, quæ est quidam ingenuus pudor, quo retenti recta etiam & honesta agere erubescimus. Hæc duo verba quanquam similitudine quadam teneri videntur, aliquantulum tamen inter se differunt. Est enim pudor timor quidam iustæ reprehensionis, verecũdia verò aspectum honesti viri, vel coniunctæ multitudinis in rectis etiam actionibus veretur. *Verecundia.*

Proinde custos decori esse videtur, & mater honesti consilij. Nam quum bene agere studeat, nihil magis veretur, quàm ne quid indecorè agat. Idcirco verecundia artifex, effectrixque diligentiæ esse dicitur. Non enim tantùm nequid peccet cauet, sed vt honestè etiam decoreq; se gerat omni studio omnique diligentia nititur.

Demosthenes verecundia excitatus hæsitationem blesæ linguæ coniectis in os calculis emendauit, & summa vocis contẽtione recitans iuxta fluminis decursum solutam reddidit. Vocem quoque quæ angusta ac gracilis erat aduersum montem subinde ascendendo, ac descendendo dum diceret excitauit. Os etiam ad speculum domi sibi componebat, ne quid indecenter ageret, & vt in omnibus actionibus decorum seruaret. *Vide Apulei apologiam. 1.*

Nec minus etiam Cicero in actione laborauit, donec per Roscium comœdiarum, & Aesopum tragœdiarum actores, vocem, vultum, & gestum corporis emendauerit. Atque idem de seipso quum de claris oratoribus scriberet, sic ait: *Molo Rhodius operam dedit, si modò id consequi potuit, vt nimis redundantes nos & supra modum fluentes iuuenili quadam dicendi impunitate, & licentia, reprimeret, & quasi extra ripas diffluentes coerceret.*

Negligenda non est verecũdiæ haud parua virtus, quæ emendatrix omniũ actionum nostrarum & expultrix improbitatis ac temeritatis esse cernitur. Stu-

titia enim audaciam affert, ratio verò tarditatem. Quinetiam recta ingenia debilitat verecũdia, peruersa autẽ confirmat audacia, vt est in veteri sententia.

Qui fines igitur verecundiæ transgreditur, in temeritatem atq; imprudentiam statim incidit. Accius Romanus poëta adolescens Atreũ tragœdiam scripserat & eam legendam Pacuuio iam seni ostendit: ille verò eam frigidius laudabat, verbaque duriora ac crudiora in ea esse dicebat. Accius autem non præ verecũdia animum submisit, sed audacter ait: *Vera dicis mi Pacuui: sed ego meliora fore spero, quæ deinceps scribam: humana enim ingenia, veluti poma, primum acerba & cruda sunt, deinde sensim mitiora in dies ac coctiora fiunt.* Pudor autem ille (quem Cicero moderatorem cupiditatum appellat) turpium actionum propriè dicitur, vt est illud comicũ pudicæ fœminæ, quæ ait: Pudor me prohibet ad famosas ire, id est, erubesco ad infames mulieres accedere. Hic pudor sæpenumero malas actiones inhibere solet, & eas ad honestatem perducere.

Pudor.

Vide Liuium lib. 1.

Cloacas Romanas omniũ operũ maximũ Tarquinius Priscus plebis Romanæ manib. inchoauit, qui labor & diuturnus erat, & periculosus admodum: desidentibus enim cuniculis sæpe complures simul opprimebantur: quocirca multi Quiritum timore periculi, & operis tædio affecti, sibi ipsis, vel laqueo, vel alia vi mortem inferebant: hoc quum Regi molestissimũ esset, eiusmodi remedium commentus est, vt omniũ ita defunctorum corpora crucibus affigi iuberet, ciuibus omnibus spectanda, & alitibus canibusque laceranda ac dilanienda. Pudor huius ignominiæ adeò animos omnium perculit, vt deinceps, nemo sibi violentas manus intulerit, & quisque laborem ac periculum æquo animo subiuerit. Quos enim vitæ amor à turpi nece non prohibuisset, futuri pudoris ratio coërcuit. Idem pudor in re bellica sæpe res perditas instaurauit. Astyages Medorum Rex vnicam habebat filiam, quam Cambysi Persæ priuato ciui collocauerat, metuẽs ne ab illius futura sobole regno exigeretur: viderat enim per quietem ex pudendis filiæ vitem surgere, quæ palmitibus suis omnem Asiam obum-

obumbraret, idcirco natum ex ea infantem exponi iussit. Is beneficio pastoris educatus, ac maiusculus factus ab æqualibus suis Cyrus appellabatur, & Rex à collusoribus nuncupatus est. Sed quum iam adoleuisset, certior auitæ iniuriæ factus, vltionem meditatus est, & contracto exercitu pastorum ac conuenarum in Medos transmittit. Huius rei certior Astyages cum maximo exercitu Cyro occurrit, conserunt manus, vertuntur in fugam Persæ: matres coniugesque eorum quum fugam cernerent, eos hortantur vt pugnam instaurent, & in prælium reuertantur, cunctantibus illis, ac bellum detrectantibus, sublata veste corporis pudenda eis ostendunt, rogantque num iterum in maternum vterum confugere velint: Tum illi pudore perciti in prælium tanto impetu reuertuntur, vt iam victi, victores euadant. Et sic fugatis cęsisque Medis, captoque Astyage, regnum inuadunt Persæ, & hoc pacto Cyrus beneficio fœminarum Rex institutus à Medis, qui annis trecentis circiter & quinquaginta imperauerant, regnum ad Persas transtulit. *Xenophon & Iustinus.*

Multa sunt exempla Romanorum, quibus manifestè patet pudorem res profligatas restituisse, & prostratos exercitus ad victoriam erexisse.

Iulij Cæsaris exercitum ad Cordubã contra Pompeium iuniorem perterrefactum iam, & de fuga magis quàm de pugna meditantem, pudor restituit, quum milites omnes audiuissent Cæsarem exclamantem: *Hic dies mihi finis vitæ erit, & militiæ vestræ vltimus.* Quibus dictis clypeum obuij militis arripuit, solusque hostes inuasit, locoque pepulit, ac disturbauit, & ducenta circiter tela in se missa partim audacter euitauit, partim scuto excepit: quo pudore accensi ac perciti milites, tanto impetu in hostem feruntur, vt Pompeium cum vniuerso exercitu in fugã cõpulerint, ducesq; eius capta Corduba, in quã confugerant, magna ex parte cæsi sunt, & eorũ capita ad Cęsarẽ perlata: ipse autẽ Põpeius inter dumos ac vepres latitans deprehensus cæsusq; est, caput quoque eius ad Cæsarem perlatum, quod quidẽ honestè se-

peliri iussit. Bellum igitur formidolosum admodum, pudoris virtute profligatum ac confectum est, & integram victoriam Cæsari præbuit.

Est etiam pudor verborum moderator optimus: vt neque dicamus quæ turpia dictu sunt, neque eadē si ab alio dicta fuerint, libenter audiamus: exemplo Socratis, qui quum quendam illoto ore loquentem audiret, caput sibi chlamyde adoperuit, donec ille perorasset. Qua in re Cynici ab alijs philosophis irridentur. Impudentiores enim in loquendo sunt, & nō modò libertatem, sed etiam licentiam verborum amant, dicuntque nihil turpe dictu esse, quod idē non sit turpe factu, idcirco necessaria omnia, quæ etiam aspectum formidare videntur palàm agunt.

Socratis pudor.

Cynici impudētes, de quo pudore Ci. l. 9. epist. ad Patū.

Hæc pudoris virtus etiam efficit, vt neque turpem aut inhonestam causam sermone aut oratione nostra defendamus: vera est enim Ouidij sententia:

Causa patrocinio non bona peior erit.

Verecundiæ pudorisque inter se affinitatē, ex Trogi Pompeij, seu Iustini verbis doceri possumus, qui ait: *Multa Græciæ vrbes Romam oratores miserant, questum de iniuria Philippi Macedonum Regis, disceptatioq; erat in Senatu inter legatos & Demetrium Philippi filium, qui obses datus fuerat: turba querelarum confusus adolescens obticuit: tunc Senatus verecundia eius motus, causam illi donauit, atq; ita modestia sua Demetrius veniam patri non iure defensionis, sed pudoris patrocinio obtinuit. Quod ipsum decreto Senatus significatū est, vt appareret non tam absolutum Regem quàm filio donatum fuisse patrem.*

Iustini verba.

De abstinentia & continentia.

TIT. XXI.

Abstinentia & continentia his duabus superioribus virtutibus coniunctæ sunt. Hę animi ratione ductæ, contra cupiditatem ac voluptatem obluctantur, quæ quanquam idem significare videntur, & altera pro altera sæpe ponitur, intellectu tamen quodam

discernuntur, quum abstinentia propriè sit quæ immodicas voluptatum illecebras rationis iugo subijcit. Proinde Aemylium Paulum abstinentem fuisse dicimus, qui ex maximo auri argentique pondere & opulentissima regia gaza (vt dicunt) quam in potestatem suam per victoriam redegerat, nihil contrectare voluit, aut in rem suam conuertere, aut vllo pacto aspicere, sed quæstoribus negocium dedit, vt in publicum ærarium omnia referrentur. Et quanuis Persen vicit, & eum in triumphum duxit, & ex Hispania ac Macedonia maximas opes in publicum retulit, ex auctione tamen totius rei familiaris vix redactum est vnde vxori eius dos redderetur. *Æmilius Paulus abstinens.*

Abstinens L. Mummius, qui Corinthum euertit, nihil enim ex opibus atque ornamentis, quæ prædiues vrbs illa habuit, in domum suam detulit. Eius tamen abstinentia non potuit inuidiam superare. Nam ab æmulis & obtrectatoribus suis patria eiectus est, & in Delo exul inopem vitam egit. *L. Mũmius.*

Scipio autē maior continentissimus fuit, qui nunquam captiuis mulieribus vspiam illusit, aut vllam aspectui suo præsentari permisit. Et quum fortè aliquando ad eum duceretur captiua virgo admirandæ pulchritudinis, eam honestè integreque custodiri iussit, & quum paulò post comperisset eam despōsatam esse cuidam Luccio Principi Celtiberorum, integram eam intactamque sponso restituit. Cuius rei celeberrima fama causam præbuit vt Celtiberi vltro in partes Romanorum concesserint, & quod armis Scipio assequi nequiuerat, continentiæ rumore consecutus est. *Dec. 3. lib. 6.*

His duabus virtutibus maximè enituit Iulianus Cæsar. Nam ex opulentissima Persica præda, quam inter milites suos pro singulorum virtutibus ac laboribus magna cum æquitate diuiserat, nihil sibi reseruauit præter quendam mutum vltro ei à quodam milite oblatum, qui iucundissimis gesticulationibus venustissimisque nutibus multa indicabat, adeò vt quasi colloqui ac confabulari cum omnibus videretur. Hæc Iuliani abstinentia militibus pergrata fuit, &

eosdem dicto audientes longè magis reddidit. Ex captiuis mulieribus nullam contrectare aut videre voluit, quum complures speciosissimæ quotidie ducerentur, & præcipuè in Perside, vbi formosissimæ omnium fœminæ habentur, sed eius continentia lōgè latius spectata fuerat. Constans enim inter omnes opinio erat, Iulianū post amissam coniugē nihil venereum, quod à familiaribus sciri potuerit, vnquam patrauisse. Alexandrum Magnum summa etiam admiratione dignum putant, quòd non minorem erga Persarum captiuas mulieres continentiam, quàm in viros fortitudinem ostenderit.

Fœmina Persica formosissima.

Alexandri continentia.

Continentia Iulij Cæsaris.

Continentiam Iulius Cæsar in exercitu tanti fecit, vt sæpe diceret, se non minus à milite continentiam & modestiam, quàm virtutem atque animi magnitudinem desiderare. Contra has duas virtutes, quas finitimas inter se esse dixi, indifferenter opponitur incontinentia. Sic enim incontinentem esse dicimus, qui per cupiditatem delinquit, vt eum qui per voluptatem peccat. Sed in rebus necessarijs aut expetendis quum aliquem incontinentem dicimus, addimus plerumque rem in qua auiditate effertur, & præsertim vbi vitij nomen non suppetit, vt incontinens lucri, qui à Græcis χρηματιστικὸς vocatur, incontinens rapinæ, incontinens libidinis, incontinens vini dicitur: sed vbi quispiam immoderatè magistratus, dignitates, honoresque cupit, tunc is ambitiosus vocatur. Hunc tamen Græci propinquiore verbo τιμοχαρητικὸν appellant, nos studiosum gloriæ dicimus, illi autem coniuncto verbo dictitare solent. Similiter amator patriæ vno etiam verbo φιλόπατρεις ab illis dicitur. In eiusmodi enim nominibus nobis præstant propter fœlicitatem compositionum, à quibus Latina lingua magna ex parte abhorret. Nos cupiditatem discendi, illi φιλομαθίαν, nos amorem Reipublicæ, illi φιλοπολιτείαν dicunt. Sic etiam amorem sui ipsius φιλαυτίαν vnico verbo exprimunt, idcirco omnes affectus omnesque cupiditates facilius Grecè quàm Latinè enunciantur. Sed ad propositam ationem redeo.

Incon-

Incontinens quidem aliquando emendatur, pœnitet enim eum deliquisse, intemperans verò temeritate exultat, turpitudine gaudet, vix vnquam ad rationis viam redigitur, & in imprudentia persistit. Proinde desperatæ salutis, & immedicabilis prorsus valetudinis habendus est, eam enim viam ire pergit, quam elegit & ab ea nunquam diuertit. Incontinens autem quandoque pœnitentia ductus in viam redit. Et naturalibus sanè voluptatibus, à quibus vix quispiam liber omnino esse potest, venia aliqua ex parte danda est, quę omnibus penè communes esse videntur. Et incontinens si ad rationem redit, & deinde nõ persistit, turpior deteriorque multo fit quàm antè fuerat, & de eo dicere possumus, quod de ægrotis illis medici dicunt, qui quum leuati morbo aliquo fuerint, in eundem recidunt, nempe tum grauius illos se habere. Idcirco videndum semper est, vt ratio dominetur & appetitus pareat, qui si imperium inuaserit, & naturalem necessitatem progressus fuerit, actum de homine est: fit enim impos sui ipsius, & in præcipitium omnino rapitur. Intemperantissima omnium fœminarum, & insatiabilis atque inexplebilis libidinis habita est Messalina Claudij Principis vxor, quæ non contẽta domesticorum iuuenum multiplici turba, quos die noctuque semper admittebat, conditionem à publicis lenonibus accepit, vt omnibus vulgò potestatem sui corporis faceret, & inter prostitutas alias etiam prostaret, mercedemq; turpitudinis acciperet. Sed quum audiuisset inter plurimas meretrices vnam esse, quæ robore corporis ac patientia reliquas omnes præstaret, elegit cum illa certamen. & postquam per integrum diem integrãque noctem omnibus certatim confluentibus subijssent, defessa tandem ac deficiens peregrina illa cessit (vt par erat) augustæ meretrici. Quæ quidem victoria exultans, ab opere non discessit, sed quinque & viginti viros vltra certamen indefessa pertulit, & læta ac victrix tanti certaminis ad imperatorium thalamum rediit.

Messalina Claudij.

Et lassata viris, nec dum satiata recessit.

Iuuen. Sat. 6. vt Satyricus noster cecinit.

Quis non iure etiam Corinthiorum turpitudinem atque intemperantiam admiretur? Hi vrbem opulentissimam habebant, & mercatoribus oportunam, duplici enim sinu abluitur, Ionio scilicet & Aegæo, quorum alter Italiam, alter verò Asiam spectat: tam turpem tàmen quæstum ex prostibulis exercuerunt: mille enim circiter puellas Veneri à proprijs parentibus addictas nautis, institoribus & aduenis, ac peregrinis quibuscunque prostituerant, vt eiusmodi illecebris inescati illi atque exhausti ciuitatem ditiorem opulentioremque redderent. Hoc itaque quum per confluentem multitudinem fieret, vulgatum est per omnes gentes prouerbium: Non cuiusque mercatoris esse Corinthum ad nauigare. Sed de abstinentia & continentia, quæ vitas illustrium virorum plurimùm ornant & gratiam multitudinis conciliant, satis hæc sint.

A. Gel. aliter refert c. 8. l. 1.

De castitate. TIT. XXII.

Castitas.

CAstitas his superioribus proxima accedit, quæ est quasi certa morum castigatio, & veluti regula quædam humanæ vitæ. Hæc ex intima cordis cogitatione cupiditatum auiditatem, & voluptatum illecebras rationi subigit, & temperamento quodam ad mediocritatem veramque virtutem redigit: eodemq; officio in nos fungitur, quo optimus Præceptor in discipulum, qui singulas quasque actiones quotidie emendat, castigatiores in dies reddit, donec illum ad optimam frugem adigat.

Castitatem Cicero sæpe frugalitatem appellat, eiusque officium esse dicit motus animi appetentis regere & sedare, semperque aduersantem libidini moderatam in omni re seruare constantiam. Frugalitatem quoque à fruge dici putat, qua nihil melius è terra oriatur. Ad hanc sententiam Quintilianus loquitur his verbis: M. *Cæcilius se esse hominum frugi vult probare, non quia abstinens (nam id ne mentiri quidem*

quidem poterat) sed quia vtilis sit multis, id est fructuosus, vnde dicta frugalitas. Hanc virtutem quasi peculiarem in Deiotaro Rege fuisse Cicero refert, quem omniũ Regum frugalissimum extitisse luculentissimis verbis testatur. Frugalitati verò contrariam nequitiam esse putat, dictam quasi nequicquam, quod nihil sit homo ille qui nequitiæ vitio laborat. Frugalitas quidem tanti apud veteres fuit, vt Pisoni viro præstantissimo cognomentum honoris dederit, Frugi siquidem dicebatur. *Tuscul. 3.* *Piso Frugi.*

Castitas & pudicitia similes virtutes esse videntur, quum sæpe alteram pro altera poëtæ vsurpent: intellectu tamen inter se differunt. Est enim castitas generalis quædã castigatio animaduersioq; contra singulos quosq; turbidos animi motus, vnde castum Varro non modò pro religioso & pudico, sed pro abstinente à furtis ac rapinis ponit, quum ait: *Nec casta vi nimanus tenaci visco se tinxerat.* Ponitur etiam castum pro puro, suaui, iucundo, & incorrupto, vnde casto sermone eos locutos dicimus, qui nitidis ac Latinis verbis vtuntur, nec peregrina aut nimis prisca cõmiscent. Pudicitia verò quasi quæpiam species eius esse videtur, quę solũ ab iniuria turpium libidinum vendicet: hoc quidẽ Mantuana camœna docuit, quum ait: *Castum.* *Castus sermo.* *Georg. 2.*

Casta pudicitiam seruat domus.

Quasi dicat, castigata incorruptaq; domus etiam pudicitiam seruat. Hæ duæ virtutes in fœminis maximè elucent, quibus nec matrimonium stabile, nec laus vlla muliebris aut religio esse potest, tantiq; in eis faciẽdæ sunt, vt omniũ criminum rea habenda sit mulier, quæ quid contra pudicitiam ac castitatem cõmiserit: quæ nulla vnquam virtute à ꝓbro illo ac turpitudine redimi aut expiari poterit. Et alia ex parte casta ac pudica fœmina omni laude ac gloria semper ab hominibus afficienda erit.

Fœminæ quæ vnius viri connubio contentæ erant, corona pudicitiæ donabãtur apud Romanos. Admirabili fama celebrabuntur per omne æuum captiuæ illæ Teutonicorum coniuges, quæ quum à Mario victore nõ impetrassent vt castę virginibus Vestalibus *Val. Max.*

seruirẽt, laqueis sibi proxima nocte spiritum eripuerunt, ne quis eas corruptæ pudicitiæ aut violatæ castitatis reas fuisse vnquam suspicari posset.

Egregia prorsus virtus etiam in viris habetur vitæ morumq; castitas, & moderata quædam castigataq; consuetudo: quam non modò viri optimi laudant ac probant, verumetiam deterrimi ipsi admirantur. Ad Scipionem Aphricanum, qui tunc Linterni exulabat, visendum ac salutandum prædones longa nauigatione accesserunt, vt eum coràm cernerent, quem fama rerum gestarum, & virtutis ac castitatis cognouerant. Hæc quidem virtus tanti est, vt non solùm Principes ornet, & admiratione dignos reddat, sed priuatos nonnunquam ad principatus gloriam proueh at. Hiero Syracusanus testis sit, qui Hierodoto priuato viro, non ignobili, matre tamen serua natus, cõsensu omnium ciuium Dux Siculorum aduersus Carthaginenses primò, deinde succedente fortuna & gloria rerum gestarum Rex creatus est: hic formæ dignitate conspicuus fuit, robusto corpore, forti animo, alloquio suaui ac blando, & castis moribus, castigataq; vita, adeò vt cunctis gratus acceptusq; haberetur: hic amicus fuit populi Romani, & quum accepisset cladem ei illatam ab Hannibale ad Thrasumenum lacum trecenta millia modiorum tritici, & ducẽta millia hordei, auri quoque ducenta & quinquaginta pondo Romam muneri misit. Huius nepos eo mortuo, viuo tamen filio, Hieronymus, qui ei in regno successit, contrarijs moribus fuit. Nam & ad Carthaginenses desciuit spreta Romanorum amicitia, & præ sæuitia ac superbia à suis interemptus est.

Euagoras Rex Cypri.

Casto & castigato vitæ ordine fuit Euagoras Cyprius Rex, qui quoad vixit neminem iniuria vnquam affecit, iustumque se omnibus præbuit, amicos semper in consilio habuit, quanquam erat ipse prudentissimus, institutis omnibus documento esse poterat, omnia ordine modoq; ab eo agebantur, & quæ verbis promiserat, ea sic semper ex fide bona præstabat, vt neminem vnquam falleret. Non fortunæ successu, sed virtute vitæ gloriabatur, amicis gratus, & libera-

lis

in alios, magnificentia & liberalitate splendidus, vitia, voluptates, cupiditatesque omnes mirâ quadam castitate coërcebat. Et quum diem iam grandior natu obijsset, complures optimos filios superstites sibi reliquit, nullum tamen priuato nomine indecorum, sed alium regni successorem, alios duces, Imperatoresve, alios quæsitorum regnorum compotes, filias autem reginas. Tantum valuit morum castigatio, & admirabilis ordo vitæ, vt paruum regnum propagauerit gloria, fama, opibus, ac dignitate, & posteritatẽ longa regnorum successione diutius illustrauerit. Et hæc de castitate ac prudentia satis.

De honestate. Tit. XXIII.

Honestas nunc sequitur, Zeno ingenij præstantiam esse existimat, & eam solum bonum appellat, quandoquidẽ hæc vna virtutum omnium perfectionem in se complectatur. Aristoteles quidem id honestum esse putat, ex quo splendor aliquis, atque illustris honor in eos perueniat, qui id gesserint. Similis sententia eorũ est, qui honestum id esse affirmant, quod sit populari fama gloriosum. Platonici autẽ, & qui eos imitantur, id intelliguut honestũ esse, quod detracta omni vtilitate, sine vllis præmijs fructibúsve per seipsum possit iure laudari. Ex quibus omnibus opinionibus nihil aliud colligendum puto, nisi honestum, aut ipsam virtutem esse, aut rem gestam virtute. Erit igitur honestas animi electio firma & stabilis ea omnia agendi quæ secũdum virtutem sunt. Hæc enim virtus tantæ præstantiæ est, vt vel sola hominem perfectè commendet. Nam qui à Græcis καλὸς dicitur, à nostris honestus & bonus nuncupatur. *Honestas.* *Honestum quid.*

Sed vt honesto turpe opponitur, sic honestati turpitudo. Et est honestas, firma electio ea omnia agendi, quæ secundum cupiditatem ac voluptatem sunt. Virtutes autem & vitia voluntaria sunt: proinde in nostra potestate esse dicuntur, quando eorũ electio, quæ rei gerendæ principium esse cernitur, in

nostra

nostra potestate sita est, versaturq; circa affectus & actus, ex quibus quidem laus omnis ac vituperatio pendet. Quòd si ita res sese habet, honestatis & turpitudinis Domini sumus, quarum altera iter fœlicitatis affectat, altera autem miseriæ. Ergo quicunq; alijs imperat affectibus, electiones actusq; omnes ad honestatem dirigat oportet, quæ quidem vel virtus ipsa est, vel virtuti innititur: adeò vt ab ea nusquam separari aut disiungi possit. Virtus autem ipsa tam præclara est, vt ex rebus secundum illam gestis ita homines probos afficiat, vt non modò opera ipsa admirentur, & æmulationem quandam ad imitandum accipiant, seque illis similes fieri cupiant, verùm etiam operum auctores summa beneuolentia amplectātur, & in eos se conuerti, si fieri posset, optarent.

Age quis Herculis magna illa facinora, & longè rebus humanis excellentiora lectitat, non se statim Herculem fieri cupiat? Sed poëtas finxisse putemus: quis gesta Cæsaris aut Alexandri legat, quin velit Cæsar aut Alexander confestim fieri? Vt verò minora loquar, quis Pythagoræ aut Socratis vitam cogitat, qui in eos se transferri nolit? Ego autem eiusmodi sum, qui mallem Platonem philosophum me fieri, quàm Sardanapalum opulētissimum illum Assyrię Regem. Hoc virtus ipsa præstat, & opera quę ex virtute geritur. Secus autem in his artibus aut actionib. quæ voluptatem augent, fortunam ornant, opes accumulant, & rem familiarem complent. Quis enim adolescens ingenui pudoris, ac liberaliter educatus, pro Ióve nobilior Antigenidas tibicen fieri vellet, & ex tibia victum ac gloriam quærere, quàmuis ille Platonis testimonio illustratus fuerit? Aut quis se cupiat fieri Anaxenorē citharœdum, cuius harmonia adeò delectabatur Antonius, vt eidem quatuor ciuitatum tributa exigenda dederit? Aut quis simulachrum Iouis Olympici, aut Argiuæ Iunonis adeò probaret, vt Phidias esse cuperet, aut Polycletus? Sola honestas est cuius opus & artifex simul probatur, adeò ad se homines allicit, vt imitator eius & auctor vnusquisque esse desideret.

Hac virtute præstitit Sertorius, qui honestatem etiã in conuiuijs seruabat, nec videre quicquam turpe, aut audire vnquam poterat, suisq; persuaserat, vt ab omni maledicto atque scurrilitate abstinerent, certarentq; inter se placidis salibus, facetisq; iocis. Cuius mores maiore admiratione digni sunt, quòd eiusmodi vitæ homines maiorem viuendi licentiam vsurpant, maioremq; loquendi libertatem. Sed honestatem qui non præstant, non modò viri boni esse non possunt, verùm ab omni hominum cœtu exturbandi sunt, non enim tantùm sibiipsis nocent, sed vniuersos etiam ciues cum quib. versantur, turpidinis quodam veneno inficiunt. Hæc fuit causa, qua ducti vetustissimi Græci comœdias vrbibus suis eiecerunt, ne ciues inhonestas illas actiones cernerent, néve obscœna verba audirent. *Sertorius honestissimus.*

Optimè Socrates & alij philosophi morum atque honestatis præceptores tradiderunt, vt homines seipsos cognoscerent, & aliena relinquerent, quæ minus vtilia ac necessaria sunt, & in primis cogitarent se solos ex omnibus animalibus rationis atq; orationis compotes esse. Quæ duo diuinæ mentis munera omnib. honestis actionibus augenda atq; accumulanda sunt, vt honestum præcipuè vitæ genus eligamus, per quod non modò viaticum huius terrenæ peregrinationis assequamur, verùm ab omni etiam vitiorum labe ac turpitudine immunes ac liberi simus.

De moderatione. Tit. XXIV.

Moderatio honestati comes accedit. Nam sicut electio (quæ rei agendæ principium est, vt Aristoteles testatur) ab honestate dirigitur, sic moderatio actionem metitur, ne fines quos honestas præscripsit, aut non attingat, aut longius progrediatur. Vt enim in currendi certaminibus vltra metas currere temeritatis esse videtur, sic vix è carceribus progredi, ignauiæ. Automedon Achillis auriga idcirco laudabatur, quòd nec nimio cursu præcipitabatur, *Electio, siue moderatio Ca. 2. l. 6. & cap. 2. lib. 3. Ethicorum. Moderatio.*

batur, nec seni ac tardo ab insequentibus præuenie-batur, sed moderata quadam alacritate semper inter primos de victoria certabat.

Pōponij Attici moderatio. Moderatus admodum habitus fuit Pomponius Atticus in omnibus actionib. suis, quòd vel ex hoc cerni licet, quod ex tot tamq; grauibus ciuilibus, ac domesticis procellis solus penè ex omnibus claris ciuibus periculorum omnium expers, incolumis ac liber euasit, & quibuscunque victoribus semper gratissimus extitit, & quasi prudentissimus gubernator, nauem suam ex procellosa hyeme, marique vasto, ac scopuloso optimè seruauit. Quod vtinam fecissent alij eruditissimi viri id ætatis, haberemus fortasse Latinam linguam longè vberiorem, & minus multa nobis incognita essent, sed arduum ac difficillimum est fatalem sortem præuertere.

In Bruto. Hanc moderationis virtutem Cicero præcipuè Bruto tribuit, quum ait: *Quid tam difficile Brute est, quàm in plurimorū controuersijs dijudicandis, ab omnibus diligi? consequeris tamen, vt eos ipsos quos contra statuas, aequos placatosq; dimittas. Itaq; efficis, vt cùm gratiæ causa nihil facias, omnia tamen sint grata quæ facis.*

M. Bibuli notanda animi moderatio. Magnam quoque moderationem ostendit M. Bibulus vir summæ dignitatis. Nam quum per iniuriam duo filij adolescentes indolis peregregiæ ei cæsi fuissent in Aegypto, & Cleopatra regina interfectores illorum per carnifices ad eum misisset, vt ex illis vindictam sumeret quamcunque vellet, eosdem e vestigio intactos remisit, afferens eiusmodi vltionem ad se nō pertinere, quum suus esset hic priuatus dolor, sed ad senatum populumque Romanum. Itaque maluit orbitatis suæ mœrorem supprimere, quàm immoderatus vltor videri.

Hæc moderationis ratio tolerantiam præstat, quæ mirifica quoque virtus habetur. Prudentis enim viri est iniurias forti animo tolerare, nec semper vltionē quærere. Scitum est illud P. Syri præceptum, quū ait: *Feras non culpes, quod vitari non potest.* Sapiēter Epictetus philosophus hæc duo verba semper habenda in animo atque ore dicebat, nempe ἀνέχου καὶ ἀπέχου, hoc est patere, & abstine.

Epicteti verbum.

Sed

Sed moderationis virtute etiam præstitit plurimũ inter milites suos Hannibal. Nam quũ exercitum haberet commistum ex Hispanis, Aphris, Gallis, variaque hominum colluuione, tanta moderatione ac tolerantia inter omnes vsus est, vt ne minima quidem militaris seditio in castris audita vnquã fuerit, quod mirum omnibus videri potest, quum id hominum genus rixæ discordiæq; obnoxium sit, vixque vnquam quietè ac pacatè viuere vspiam possit. *A. Gel. c. 14. li. 17. noc Att. Hannibal.*

Anaxilaus Siciliæ Rex, omnium Principum sui tẽporis moderatissimus habitus est, quæ virtus & dum viueret, magnam omnium populorum gratiam ei cõciliauit, & post eius obitum maximum etiam fructũ eius posteritati attulit: Nam quum decederet, filium impuberem regni hæredem instituit: cuius tutelam Michalo spectatæ fidei seruo reliquit. Verum enim verò memoria paternæ moderationis, & spes futuræ probitatis tantũ potuit, vt ciuitates omnes parere seruo, quàm moderati Principis sobolem deserere maluerint. Aequo etiam animo pertulerunt regni maiestatem per seruum tantisper gubernari, donec puer ad legitimam pubertatem peruenisset. *Anaxilaus.*

Sylla quoque (qui omnium Romanorum sæuissimus fuit) aliquando moderatior mitiorque esse voluit. Nam quamuis pro minimis etiam rebus in præclarissimos grauissimosq; viros semper præcipiti iracundia accenderetur, tamen quum dictaturam, vel potius tyrannidem vltro deposuisset, adolescentem se grauissimis ac mordacissimis verbis insectantem æquo animo pertulit, & hoc solum, cùm domum se reciperet, iamque limen ingrederetur, conuersus in eum dixit: *Non sinet hic audax adolescẽs alium quempiam in posterum dictaturam sponte deponere.* *Sylla.*

Moderatissimus vel ex hoc vno exemplo habitus est Philippus Macedo Magni Alexandri pater, quòd quum Mathonam Melibœæ vrbem oppugnaret, quam sagittarij indigenæ omnium optimi defendebant, iacta in eum è muris sagitta dextero oculo captus est: quo tamen vulnere sicut nec in bello segnior, sic nec iracundior quidem in hostes factus est. Et *Phi. Maced. Rarum clementia exemplum.*

quam-

quamuis chirurgus oculum ei cum ſpiculo effodiſſet, pacem tamen illis implorantibus æquis conditionibus dedit, & vulneris actorem neutiquam perquiſiuit, nec aduerſus victos vlla in re inclementior extitit, ſed moderatum ac mitem ſe omnibus præbuit, ac ſi ei nihil aduerſi in ea pugna contigiſſet.

De parcitate ſeu parſimonia.
Tit. XXV.

Parcitas Parſimonia.

PArcitas moderationi finitima accedit, quam vſitatiore vocabulo parſimoniā licet appellare. Vtriq; ab vno verbo diuerſa eſt origo: nimirum illud à præſenti parco, hoc à præterito parſi deflectitur. Imprimis tamen videndum eſt ne affectus nos decipiat. Nomina enim virtutum pro vitiorum nominibus ſæpenumero vſurpatur. Fortem enim pro temerario ponūt, & auarum parcum mitiore vocabulo appellant. Sed vt auere, vnde auari nomen factum eſt, eſt præter rationem cupere, ſic parcere retinere eſt, & ſecundum rationem conſeruare: & illud quidem vitij eſſe cernitur, quoniam rationi non obſequitur, hoc autem virtutis, quando à ratione ducitur.

Parſimonia qualis virtus.

Magna profectò virtus eſt parſimonia, & moderatrix optima omnium impenſarum. Et pari quidem ſpatio ab auaritia & profuſione diſtat, illa ab vtili ac neceſſaria impenſa abſtinet, hæc autem nec vtilitatis nec neceſſitatis rationem habet, ſed profūdit ac prodigit ſine menſura modóve, veluti ſi ei omnia ſuppetant nunquam defutura, quaſi diuina virgula diuinoque nutu tradita. *Fœminam dicebant veteres tunc bene olere, quum nihil olebat*: & virum tunc rectè ſapere, qui nec ſordes auaritiæ oleret, nec vapores prodigentiæ redoleret.

Cicero in Epiſt.

Aphricani minoris Pomponijq́, Attici parſimonia. Lucullus.

Hæc itaque quidem mediocritas latè patet, & circa multa diffunditur. Parſimoniam enim minoris Aphricani & Pomponij Attici plurimum laudatur, quòd neq; emaces neque ędificatores fuerint. Vtruſque autem in Lucullo vituperant, & quod ſumptuoſus atque emax eſſet, & in ædificando profuſior: vnde

de Tubero Stoicæ philosophię Romanorum omniũ peritissimus dicere solebat: Lucullum togatorũ Xerxem esse, quòd splendidior videri studeret, quam hominem Romanum deceret. Et Pompeius quum ad illius ædes visendas in Tusculanum accessisset, cerneretq; eas porticibus, xystis, ambulacris, fenestrisq; vndique perflari, dixit eiusmodi ædes per æstatem opportunas, hyeme autem importunas, inhabitabilesq; esse. Tum comiter Lucullus respõdit: *Num pluris ciconias & grues quã me facis? At illæ pro tẽpore regiones mutant, ego autem hybernam habitationem mutare nequiuero?*

Facetum Luculli responsum.

Marius ludibrio habitus est, quòd quum grandior natu esset, septimumque gereret consulatum (quod nemini Romanorum præter eum vnquam contigit) & iam finitimus morti esset, fortunam tanquam improbam accusaret, vt qui antè moreretur, quàm consilia ac desideria sua in ædificandis ædibus peregisset: quæ quanuis magnificè statutæ constructæque essent, adeò vt multorum Regum ædes magnificentia & splendore superarent, tamen ambitioso homini, & qui ex humili ad summũ fortunæ apicẽ peruenerat, nõ satis erant, vtpote qui & nitidiores & opulentiores illas fieri (si foret ei vita diuturnior) speraret.

Marius vij. Cos. ludibrio habitus.

Nimis lautæ suppellectilis, & Corinthiorum præcupidus notatus est Octauius Cæsar, vnde proscriptionis tempore eius statuæ adscriptum est: *Pater argentarius, ego Corinthiarius.* Corinthum vrbem (vt diximus) opulentissimam, miserabiliter direptam, L. Mummius ex senatusconsulto, quòd illic legati Romanorum violati fuerant, euertit, soloque adæquauit. Quæ quidem diutius deserta destitutaq; mansit, donec per Iulium Cæsarem dictatorem restituta instaurataque fuit, translatis illuc compluribus colonis ex libertinorum ordine. Hi principio rudera vertentes, mortuorumque sepulchra effodientes, plurima fictilia vasa inuenerunt, q̃ quũ Romam mitterentur magno propter artificum solertiam, atque admirandam pulchritudinem vendebantur, & diuitum lautorumq; abacos, veluti si aurea argenteáve essent, ornabant. Quocirca Corinthij coloni ex mortuis di-

Octauius Cæsar.

L. Mummius Corinthum euertit.

D

uites fieri vulgò Romæ dicebantur. Consueuerant n. Corinthij, & oẽs ferè Asiatici fictilia vasa q̃ pulcherrima habebant cũ mortuis infodere, ducti quadã vana ac stulta persuasione, futiliq; superstitione. Putabant n. præsides eorũ Deos, quos Genios appellabãt, cũ illis sæpe cõuiuia celebrare, cibariaq; Deorum ex ambrosia & nectare concinnata eis afferre. Cato senior dicere solebat, duobus prouentib. se rẽ familiarem regere & augere, parsimonia scilicet, & agricultura. Quarũ altera fructus præbet, altera aũt modum vsui adhibet. Inter multas Catonis laudes nulla gratior parsimonia populo Rom. fuit, & morum castigatione. Proinde cũ omnibus magistratib. summa laude & gloria functus fuisset, à sola cẽsura cognomentũ meruit, & cõsulari statua donatus est, cuius inscriptio eiusmodi fuit: *Rem Rom. iam prolabẽtẽ, & in deterius versã, Cato cẽsor modestissimus institutus, optimis moribus, & preceptis salutarib. pristinũ in locũ restituit.* Virtus hæc efficit, vt sicut structura singula quæq; ad regulã, libellã, ac perpendiculũ respondẽt, sic in actionib. nostris omnia ad mediocritatis rationẽ tendant. Erit igitur videndũ vt parsimonia castã quãdam vtilitatis rationẽ habeat, fugiat extrema, sordidior ne sit, honestũ lucrũ sequatur, turpẽ quæstum ne faciat, maiorẽ mercedem, non exigat quã par sit, aut q̃ operepretium esse videatur: quod quidẽ iniquum esse poetæ ostendũt in ea fabula, in qua dicũt Aesculapiũ Apollinis & Coronidos filium medicũ fuisse peregregium, ac propè diuinũ, adeò, vt ab omni etiã incurabili morbo ægrotos sanos incolumesq; redderet. Addũt tamen eũ ab Ioue fulmine fuisse pcussum, & in inferni barathrum præcipitẽ datũ: cuius rei causam Pindarus fuisse dicit, q̃ is nimis improb. ac petulans in exigenda artis suæ mercede extiterit, nimisq; aurũ & preciosa munera cõcupiuerit. Tunc quidẽ parsimonia eiusmodi iniqua esset, nomẽq; virtutis amitteret, & fieret auaritia quo vitio nihil turpius esse potest. *E fumo n. in flammã tenderemus*, vt est in trito prouerbio. Ingluuiẽ castigare virtutis est officiũ: à necessarijs aũt se abstinere, & Geniũ (vt dicitur) suũ fraudare, id inhumani vitij esse vide-

Catonis prouẽtus duplex.

Parsimonia precepta.

Aesculapius [illegible] cur fulmine tactus.

videtur. Olidum putabat Titus Vespasiani filius nouum vectigal ex cloacis latrinisq; publicis exigi,& patrem vehemẽter obiurgabat: ille aũt vt primam pensionẽ accepit,loculos tenẽs ad os filij rogitabatq; nũ pecunia illa male oleret?tunc eo dicente,*Nequaquam. At eadem*(inquit)*è lotio est.* Quo quidẽ dicto,patris indecora parsimonia , & ingenuus filij pudor indicatur. Atqui hæc virtus maiorem in priuatis ciuib. q̃ in Principib.laudẽ habet.Proinde maior Aphric.quum ab eo acceptorũ impensorumq; nummorũ ratio reposceretur,respõdit se gestarũ rerũ,partæq; victoriæ rationẽ facilè reddere posse, pecuniã aũt quæstorib⁹ permisisse. Iulius quoque Cæsar se ꝓfusiorẽ haberi semꝑ ęquo animo ꝓtulit,nullumq; vnquã lagitionis munus omisit,sed q̃ profusio, dũ priuatus extitit dicebatur,magnificẽtia tũ cũ imperaret,appellata est. *Scipio Aphricanus.* *Cæsar.*

De sobrietate. TIT. XXVI.

SObrietas,quę cibi,vinique optima moderatrix habetur, hoc loco se nobis vltrò offert,de qua pauca dicenda erunt. Eius enim laus cum superioribus virtutib. magna ex parte commista esse videtur. Hæc autem sobrietatis ratio adeò necessaria est, vt qui ea careant, mnes alias virtutes, quas in se habent, obscuriores reddant,& ab omni humanitatis cõmercio excidisse videantur, & cũ belluis potius quàm cum hominib. recensendi sint. Hoc Nonij Marcelli optimi veterũ verborum indagatoris expositio declarat, qui ait, *sobriũ sanæ mentis esse dictum, quasi sebrium, hoc est separatam ab ebrio.* Sic & secretum dici putat veluti separatum ab his quæ cernuntur.Elegãs sanè interpretatio, & huic sermoni nostro satis accõmodata:docet enim ebrios insanæ mentis esse,& ab omnibus irridendos. *Sobrietas.* *Sobrius.* *Secretum.*

Præclarè Anacharsis Scytha dicere solebat, quicũque sobrius fieri vult,turpes ebriorũ mot⁹ intueatur. Proinde vt ebrietatis turpitudinem fugiendam esse ostẽderent Lacedęmonij,rusticos seruos multo mero ingurgitatos in iuuenũ cõuiuia inducebant,vt cernentes adolescentes temulentorũ insaniam , defor- *Ex Plutar. institutis laconicis.*

formitatē, præcipitemq; furorē, sobriè honesteq; viuerent, & ebrietatē tanquam rem turpē atque abhorrendā fugerent. Ebrietatē in maximis ac clarissimis viris adeò perosus Solon Atheniensiū legūlator, vt legē statuerit, cuius verba eiusmodi erant: *Princeps si ebrius deprehēdatur, morte multetur.* Pittacus Mittylenęus, qui vnus è septē Græcię sapientib. fuit, ebrios quum peccarent, duplici pœna afficiendos esse per legē statuit, vt diligētius homines temulentiā vitarent. Nec eo consilio hæc dico, vt Principes abstemios fieri velim, sed vt moderatè vinū sumāt, & sentētiā Anacharsis optimè interpretemur, q ait vitem treis vuarum species ferre, primā voluptatis, secundam ebrietatis, tertiā mœroris. Satis sit vinū libare, & valetudinis gratia sumere: turpissimū sit se mero ingurgitare, & stomachū quasi cloacā vino abluere, quod quidā nihil aliud esse videtur, nisi se natū ad perdendū temetum putare, vt veteres dicebant. Philip. Macedo, & Alex. eius filius, obscurū antè Macedonū nomen, regia virtute adeò illustrarunt, vt angustos admodū regni terminos & vix satis à finitimis tutos, vsque ad extremas orientis oras propagauerint, seq; ad spem imperij totius orbis terrarū erexerint. Sed vterq; Rex nimia vini auiditate quamplurimas virtut[es] obscurauit. Philip. oscitantē præ nimia quadā vin[i] cibiq; crapula, peregrina quędā mulier grauibus verbis momordit. Nam quum temere indictaq; causa eam damnaret, exclamauit illa, & se prouocare ait, tunc dicentib. quibusdam: Ad quē prouocas? ad Philip. quidē, inquit, sed quum fuerit sobrius. Tunc Rex ad seipsum rediens, causam diligentius inspexit, & reuocata sententia, illam absoluit liberamq; dimisit. Horum Regū ebrietas turpis ac perniciosa admodū extitit, sed tolerabilior in patre, quā in filio. Nam ille quidē ex conuiuio nonnunquā procurrebat, manusq; cum hoste forti animo cōferebat, aliquando tamē se periculis incautius obiectabat. Filius autē secus non in hostē, sed in domesticos atq; amicos irruebat: vnde Philipp. cùm mero concaluisset, audacius se hostib. quàm cautius committebat, & sic aliquādo è prælio vulneratus redijt.

Solonis lex.

Pittacus.

Vuarum treis species.

Macedones à quibus illustrati.

Mulieris prouocatio ad Philippum.

dijts

dijt: Alex. verò è conuiuio imbutus amicorũ sanguine quandoq; discessit. Huius temulentiam quũ audiuisset Antocydes philosophus eo tẽpore clarissimus ad eũ epistolam dedit, in qua ebrietatis vitium graui ter increpabat, in ea particula quædam erat ad hanc sententiam. Memento Rex inclyte quũ vinum potas, te terræ sanguinẽ bibere, quod quidẽ præsentius atque efficacius virus est, quàm pessima herbarum ómniũ cicuta. Fuit autem Alex. hoc turpissimũ, quòd post multas victorias opiparum lautumq; cõuiuium amicis suis complurib. præbuit, in quo meracæ potationis certamen exhibuit, & palmam coronamque victori proposuit: in quo. Promachus bibacissimus omniũ iudicatus palmam meruit, & corona vnius ta lẽti à Rege donatus est, sed morbo præ ingluuie atq; illuuione subitò correptus, post tertium diẽ interijt, & cũ irrisione omniũ pompa funeris magno comitatu ei celebrata est. Hæc est helluonum potandi ratio, vt quo magis potãt, eo magis sitiãt. Vndè scitè illud in eos oẽs dici potest, quod Scytharum legati in solos Parthos dicebant, *qui eos quanto magis biberent, tãto magis sitire affirmabant.* Cyrus quoq; iunior ludibrio habitus est, quũ Lacedæmonios contra fratrẽ socios sibi adsciscere cuperet: gloriabatur .n. p literas, & oratores se fratri præstare multis in reb. vel præcipuè ꝙ plus meri sorberet, faciliusq; cõcoqueret. Nouellius Mediolanensis Tricongius præ magna potatione dictus est, quòd tres vini congios vno spiritu biberet, quod quũ cerneret Tiberius Cæsar, adeo delectatus est, vt eundẽ ad preturã proconsulatumq; prouexerit. Cicero quoq; M. Ciceronis filius binos vini congios vna cœna sumebat. Vnde facetè Plinius putare se ait ideò eũ id fecisse, vt M. Ant. patris interfectori hanc palmã eriperet, vt vel in hoc saltem paternæ necis esse videretur vltor ac vindex. Maroneo mero Vlysses Polyphemo imposuit, cuius suauitatem nectari & ambrosiæ prætulit, vt est apud Homerum. Poëtarum fabulamenta Bacchum atque Herculem bibacissimos heroas inducunt, potoribus (quantum conijcio) vt adblandirentur: gloriãtur siquidem in eãdem

Ex Pli. ca. 5. lib. 14.
Vinum sanguis terra.
Cicuta præsens venenũ.
Promachus mero bibulus.
Parthi.
Cyrus.
Ex Plutar. in Apopht.
Nouellius tricongius.
Pli. c. 22. l. 14.
Cic. filius temulentiæ.

turpitudinē cum illis versa, quos ex hominib' Deos factos esse existimant. Horatius certè vinū miris laudibus effert, sicut Pindarus aurum cunctis rebus terrenis carminibus suis prætulit. Sed quid poëtas miramur, quū apud Romanos omnium mortalium grauissimos inuēti sint, qui Catonem, cui vita castior seueritatis cognomentum dedit, bibacissimum fuisse affirment? Nam Memmius quidā homo leuis ac mordax, per ludibriū, ac contemptū dixit Catonem cum amicis cœnas potādo ad aurorā vsq; producere: cui Cic. cùm id indignè ferret, ait: *Hoc non addis Memmi, cū inges dies aleam ludere.* Catonis ebrietatem excusat Plinius secundus, quū ait C. Cæsarē ita eū reprehendisse, vt laudet: describere .n. eos dicit quibuscū ebrius fuerat, & quum caput ebrij retexissent, erubuisse eos ait, ac deinde adiecisse: *Putares non ab illis Catonem, sed illos à Catone fuisse deprehensos.* Addit Plinius deinceps. *Potuit ne plus auctoritatis tribui Catoni, quàm si ebrius nil tam venerabilis erat, vt eum qui deprehenderant, venerarentur?* Ipse autē Cæsar, vt multis quoq; alijs virtutib' emicuit, ita cibi viniq; abstinētissimus fuit, memorque semper erat illius Socratici præcepti, quo quidē dicebat cibos oēs potusq; vitandos esse, q vltra sitim famémve sedandā appetitū lōgius producerēt. Sobrietatē Cæsaris obtrectatores eius oēs atq; etiā inimici ipsi fatebātur: vnde illa M. Catonis verba emanarunt, *Cæsarē vnū ex omnib ad euertendā Rempublicā sobriū accessisse.* Sunt qui putent Cæsarē comitiali morbo (quo correptus primùm Cordubæ dicitur cecidisse) p sobrietatem remedia adhibuisse, vt victus parcitate, & durissimis laborib, vigilijsq; id mali euaserit. Vespasianus quoq; Cæsar parcus ac sobrius habitus est, & ad valetudinem conseruandam inediam vnus diei singulis quibusq; mensibus interponere solebat. Sobrius etiam fuisse videtur Octauius Augustus, quod ex eius cœnis cernere possumus, quas ternis ferculis, aut vbi amplissimè, senis, & modico quidē sumptu præbebat, & eas quidem serius inibat, maturiusq; relinquebat, quū conuiuę iandiu cœnare inciperent antequam ille discumberet, & permanerent postquā ille disces-

Mēmius Catonē temulentia insimulat.

Sobrietas à comitiali morbo Cæsarem liberauit.

Cæsar cur sobrius.

Vespasiani sobrietas.

Octauij frugalitas.

discessisset. Sed & eius sobrietas etiã ex hoc videri potest. Nam querentẽ de inopia & caritate vini populũ Roma. graui oratione coërcuit: & satis prouisum eis esse ait à genero suo Agrippa, perductis plurib. in vrbẽ aquis, homines ne sitirent. Simulata ebrietas nonnunquã pro calliditate atq; prudentia habita fuit. Tarentini quondã quũ malè cōciliati Romanis essent, Pyrrum Epirotarum Regem ducem fortissimum, & rei militaris peritissimũ ꝑ oratores vocare statuebãt. Huic sententiæ complures optimi viri tacito cõsilio aduersabantur, nõ tamen audebãt quippiã loqui aduersante multitudine, quę mortẽ omnib. minabatur, qui in contrariã sententiam irent. Proinde vir quidã prudẽs & facetus Meton nomine, quũ res in cõcione ageretur, coronatus bacchantiũ more, & manu accẽsam facem tenens, tibicine præeunte illuc accurrit & oẽs quidem qui frequẽtes aderant, eidem tanquã ebrio illudebant, multiq; vt in mediũ procederet, ac coram concionaretur eũ hortabãtur. Tũ ille lætus atque exultans suggestũ ascẽdit. Et cũ primùm iocosis ac scurrilib. verbis risu oẽs perfudisset, & væsano prçludio auditorũ aures sibi conciliasset, adeò vt omnes in eũ intenti essent, elata voce inquit: *Opportunè quidẽ viri Tarẽtini ludere ac iocari volentib. hodie permittitis; dũ itaq; per vos licet oẽs moneo vt occasionem ludendi nunc ex tẽpore sumant, antequã Pyrrhus adueniat, tunc. n. non nostro, sed illius arbitrio viuendũ erit.* His simulatis verbis & periculũ furẽtis populi euasit, & Reip. non omni ex parte defuit. Sobrietas, cõmunis est virtus: omnes enim decet omnesq; eam præstare possunt, non fortuna, non genere, non opibus, non doctrina indiget, sed sola animi dispositio eã perficit. Quocirca per se minus hominem illustrat: addita verò alijs, perfectum numerum perfectamq; harmoniam complet, & eam absolutã omni ex parte reddit. At vbi defuerit, homo obscurus, turpis ac degener fit, simulatæq; eius virtutes splendorem amittunt vt stellæ surgente nebula, ingeniumq; hebetius fit & corporis vires eneruantur. Si quã virtutis indolẽ præ se ferebat Iouinianus Cæsar, si quam rerũ gestarũ laudẽ vnquam tulerat, si quam

Metõ quidã.

Romani populi aut militum suorum gratiam assecutus fuerat, ea nocte amisit, qua exanimatus inuentus est ex colluuione ciborũ, qua se superiore cœna ingurgitauerat. Proinde sapiẽter Solon dicere solebat, vltimũ vitæ diẽ de vniuerso vitæ tẽpore iudicare, neminemq; iure laudari posse, nisi ad perfectũ finẽ peruenerit. Hæc sobrietatis virtus valetudinem nostram cõseruat, & vitã diuturniorem salubrioremq; reddit. Quinetiã corporis animiq; sensus ad vltimum vsque vitæ nostrę finem perducit integros atq; incolumes. Qui verò vino ciboq; se immergunt, stolidi, ignaui obtusiq; fiunt: rarò lõgæui sunt, facilè ægrotant, magna cum difficultate curantur: à corporis viribus, animiq; virtute quamprimum destituuntur, fiuntq; delyri, & omnibus contemptui ludibrioq; sunt adeò, vt necessarij ac familiares omnes eis interitum optent.

Sobrius præter Reges cũctos extitit Masinissa Numidiæ Rex: quippe qui stans semper ante tabernaculũ cibum sine pulpamento sumebat, cibario pane & bellarijs militaribus contentus. Proinde in senecta adeò viguit, vt post sextũ & octogesimum ætatis suæ annũ filiũ genuerit, & post nonagesimũ secundum Carthaginenses, qui contra fœdus ei bellũ intulerãt, superauerit. Quo in bello nõ modò optimi Imperatoris, sed gregarij etiã militis functus est munere. Huius virtutis beneficio M. Valerius Coruinus cẽtesimũ compleuit annũ, firmo animi iudicio, & integris corporis virib. Et Socrates sobrietatis etiam munere per omne vitæ suæ tempus inoffensa fuit valetudine.

De pudicitia. Tit. XXVII.

Pudicitia.

PVdicitia vltima est harum virtutũ, quas præstat temperantia, quæ tametsi in fœminis magis elucet (sine ea enim omnib. odio sunt) tamẽ virorum virtutes plurimum accumulat. Hæc ab omni libidinũ iniuria ac turpitudine nos auocat, docetq; homini satis esse speciẽ suam seruare duce natura, quæ etiã in hoc diligentissima fuit: inclusit enim pomis, fructib. virgultis & herbis

bis propria quæque semina, vt postquam per seipsa diuturna esse non possunt, saltem in sua specie seruarentur. Homo igitur procreandorum liberorũ causa concessam venerem non abhorreat, illecebras alias fugiat, naturali legitimoq; connubio contentus, reliquas oẽs turpitudines respuat, cui etiã modus adhibendus est, exẽplo Solonis, qui per legẽ statuit, *vt ter singulis quibusq; mensibus vir vxori congrederetur* Sed sermo mihi perstringendus est, ne vlterius de pudicitia dicam: tum quòd in superiorib[9] plura libaui, quæ ad hanc virtutem pertinent, tũ quòd in libro quarto de institutione Reip. de virginitate ac pudicitia quã plurima dixi, quę quoniam iam edita in manib. sunt facile quicunq; voluerit legere poterit. Pudicitia finem huic volumini præscribat, & omnib. his quæ de temperantia per me dicenda fuerint. Nunc autem in sequenti volumine Fortitudo primum argumentum dabit, mox autem octauo Iustitia.

Venus legitima non abhorrenda.

Solonis lex.

INCIPIT LIBER SEPTIMVS.

De fortitudine. TIT. I.

MAGNA quidem virtus est fortitudo, atq; haud scio an omnium maxima, dolorem siquidem ac mortem contemnit decori gratia, & animum nostrum prudentiæ iustitiæque subigit, quo nihil difficilius esse potest. Nulla enim vis tanta est (vt ait oratorũ maximus) quæ non ferro aut virib. debilitari frangiq; possit: ast animum vincere, iracundiam cohibere, fortissimi viri est, quæ qui facit, non modò cũ summis viri cõparari potest, sed similis Deo habendus est. Proinde nemini admirationi esse debet, Romanos quũ olim militari gloria florerent, virtutem ipsam vnico fortitudinis nomine nuncupasse, quum sine ea reliquæ mancæ atque inchoatæ essent, & viribus penè omnib. destitutæ. Hæc enim virtus magis virũ decet quàm cæteræ oẽs, vnde eam ἀνδρείαν, à viro Græci appellant, & Cicero à viro

Fortitudo.

Cic. offic. 1.

Vir fortis Deo similis.

virtutē, id est fortitudinē dici putat. Hæc efficit vt homines omni studio omniq; contentione pulchra, decora, honestaq; agere audeant: turpia, indecora, inhonestaq; exhorreant: moriq; malint, aut vulnera, labores, doloresq; subire, quàm per ignauiā vecordiāue quippiam facere quod eis dedecori, aut ignominiæ aliqua ex parte esse possit. Viri quidem fortes nō tam laudem aut præmia sequuntur quàm fortiter ac rectè facta: quæ quanuis in luce collocari debēt, gloriam tamē contemnūt, & nullam palmam nullumq; theatrū virtuti conscientia ipsa illustrius esse putant: sed quanuis ex animi magnitudine fortitudo nec gloriam nec prēmia sequatur, hæc tamen accumulate, & maiora etiam assequitur. Nulla enim virtus maiorem laudē, & plura munera accipit, quàm fortitudo, quin imo aliæ quasi immunes esse videntur. Quis ob prudentiam aut temperantiam munus ex publico accipit? Iustitia certè odium atque inuidiam potius contrahit, quàm gratiam ac beneuolentiam. Fortitudo, autem contra, omnium animos atque oculos in se conuertit, nomenque honestatis vel sola sibi vendicat. Audi Ciceronem: *Honos est præmium virtutis iudicio studioq; ciuium delatum ad aliquem.* Qui eum sententijs, qui suffragijs adeptus est, is mihi profectò & honestus & honoratus videtur. Quot munera, quot præmia, quot honores, à Regibus, Imperatoribus, Ducibus, ac populis, viris fortibus statuuntur? Testes sint coronæ militares, hastæ, torques, armillæ, pedestres equestresq; statuæ, trophæa, ouationes, triumphi, & alia multa, quibus viri virtute præstātes in prēlijs honestantur. Atqui apud antiquissimos non satis visum fuit viros fortitudine præditos mortalibus præmijs honorare, nisi diuina etiam eis decernerent, & illos quasi Deos venerarētur. Tales apud Athenienses fuerunt Castor & Pollux. Talis apud Thebas Hercules, apud Indos Bacchus, quem quidam putant militariū honorum primum fuisse inuentorem, & præcipuè triumphi, & coronæ, quæ ob eius honorem in signo amatæ ab eo Ariadnes in cœlo deinde lucet.

Honos.

Bacchi triūphi.

Sunt etiam qui opinentur vitem ab eo fortib. centurio-

turionibus quasi virtutis insigne in manu fuisse traditam, vt ignauos coërcerent, seneśq; alacriores redderent. Latini tamen poëtæ vitem in honorem centurionibus ab Italis primò dicunt fuisse traditam: vnde illud de Scæua Cæsaris centurione apud Lucanũ, *Vitis in Bacchi manu.* *Lucanus.*

Qui longo Latiam gerit ordine vitem.

Simile est illud Silij Italici,

Nam vitis honore,

Perfunctus Latia, subitò stimulabat agrestes. *Silius.*

Vitem, honoris, ac coërctionis fuisse gestamen, Iuuenalis etiam docet, quum de C. Mario dixit,

Nodosam post hæc frangebat vertice vitem,

Si lentus pigra muniret castra dolabra.

Arcus verò triumphales in honorem fortissimorum Imperatorum & ad perpetuam gestarum rerum memoriam quidam ab Aegyptijs Regibus inuentos fuisse asserunt, alij à Græcis, alij autem à Romanis. Legimus tamen Hannibalem à Carthaginensium legatis reuocatũ, vt opem obsessæ patriæ afferret, priusquam nauem conscendisset, arcum erexisse non longè à Laciniæ Iunonis templo, in memoriam rerum à se gestarum in Italia, in quo imagines nobilium sculptorum manu factæ cernebantur, & literæ Græcæ Punicæq; scriptæ, quæ breuiter res illas præclaras atque illustres referebant. Græci vetustissimi inscriptis columnis vtebantur quasi trophæis, vt fuerunt quinque illæ apud Thermopylas, vbi Leonidas cum paucis Lacedæmonijs contra tot Persarum millia, adiutus etiam à Locris, obsistit, donec barbaris compluribus cæsis lassi cædendo Lacedæmonij & Locrenses, omnes ceciderunt, quorum omnium illic sepulchrum fuit inscriptum Græcis versibus. *Columnæ.*

Picturæ quoque inuentæ sunt, quæ testimonium fortitudinis afferant. Messala vir præclarus ac fortis tabulam picturæ illius prælij in quo Carthaginenses & Hieronem in Sicilia vicerat, in latere Hostiliæ curiæ proposuit, vt ab omnibus diutius cerneretur. L. etiam Scipio Asiaticæ victoriæ tabulam posuit in Capitolio, quæ faciem totius belli ostendebat. Hãc quũ cerneret frater eius Scipio Africanus, excanduit mirũ *Tabula victoriæ [illegible].*

in

in modũ, quòd in illa pictura cernebatur eius filius, q captus ab hostib. duceretur. L. Paulus victo Perse quũ per Athenas Romã redeundi gratia iter faceret, eiq; ciues oẽs occurrissent, qui pro parta victoria gratularentur, ac pollicerentur studia sua nunquã defutura, egit illis gratias peringentes: vicissimq; eis mutui animi officia pollicebatur, deinde rogabat, vt ad se mitterent ex suis philosophis aliquẽ, qui filios suos moribus & doctrina meliores peritioresque redderet, & pictorem etiam aliquem præclarum ac probatum, q faciem gesti belli optimè pingeret, & triumphũ excolere atq; exornare posset. Athenienses itaq; inito inter se consilio Metrodorum miserunt, professi eundẽ in vtraq; disciplina præstantissimũ esse, & is vtrũque munus peregregiè absoluit, & picturam proposuit elegantissimam, & filios illius ad param penè vsque sui laudem erudiuit. Nunc ad institutum redeo.

Fortitudo definita. Tusc. 4.

Fortitudinem variè definiunt philosophi secundum diuersas eorum sectas. Nam Socrates eam scientiam esse dixit rerum formidolosarũ contrariarumq; aut omnino negligendarum, conseruantem earũ rerum stabile iudiciũ. Hãc sententiam sequitur Chrysippus, ait enim: *Fortitudo est scientia perferendarum rerum:* vel, vt Stoicorum quidam sentiunt, *Fortitudo est animi affectio in patiendo ac perferendo, summa legi parens sine timore.*

Platonicis quid fortitudo. Quid Aristoteli. Cap 6 lib. 3. Ethico. C[illegible]ũ de finiti[illegible]

Platonici autẽ dicũt fortitudinẽ esse cõseruationẽ stabilis iudicij in subeundis repellendísve his rebus quæ formidolosæ esse videntur. Aristoteles autẽ putat fortitudinẽ esse mediocritatem quandam in metuendo & audendo. Idcirco posse videri quasi peritiam quandam rerum formidolosarum. Ex Cic. autẽ sententijs colligimus fortitudinem esse amplitudinẽ atque exaggerationem quandam animi quam altissimi rationi obsequentem, quę maximè cernitur in doloris mortisq; contemptu. Epicurus voluptatis assertor, de fortitudine nõ perperam loquitur: dicit enim eam nõ per naturam hominibus contingere, sed per electionẽ, ratione, cõmodiq; notione perspecta.

Fortitudini vbi locus.

Fortitudo propriè in rebus terribilibus versatur, & præsertim in bello. Et idcirco fortis est, qui ad honestam

mortem,

mortem, & ad ea omnia quæ illam repentè afferunt, promptus paratusque est, & nullo tumultu turbatur, nullaque formidine concutitur, sed ea fert vt ratio dictat, honoris decorisque gratiâ. Et hic quidem huius virtutis est finis, fortis scilicet animo perferre atque obire, quæ difficilia ac periculosa esse videntur, ne ab honesto decoroque discedat.

Virum fortem quæ faciant, varia philosophorum opiniones. TIT. II.

Antiqua sanè quæstio fieri solet, quænam causæ sint quæ virum fortem efficiant, & præcipuè quum fortitudo res sit ardua ac difficilis, & in periculis laboribusque semper versetur. Quidam arbitrantur studio virtutis homines fortes fieri, vt sibiipsis persuadeant nihil præclarius mortalibus honestâ morte esse posse. Proinde se vltro periculis obijciunt pro communi salute, proque patriæ libertate, vel pro Regũ Principúmve incolumitate, vnde in durissimis prælijs cernimus fortissimum quenque virum ante oculos sui Regis vel ducis vel Imperatoris fortius alacriusque bellare, vulnera sine dolore accipere, & mortem intrepidè oppetere, quando id spectaculum peregregium, & virtutis suæ conspicuum theatrum esse ducit. Hinc illud Maronis. *Vnde fortitudo?*

Vrget præsentia Turni.

Alij laudis ac gloriæ cupiditate fortes fiunt. Cernunt enim viros elato ac celso animo, magno apud quosq; in honore esse, & fama præmijsque amplissimis honestari: ignauos verò contrà ludibrio contẽptuiq; omnibus esse, & probris, contumelijs, conuitijsq; lacessiri. Quid enim turpius quàm audire:

Vos etenim iuuenes animum geritis muliebrem,

Illaq; virgo viri. *Cic 1. offic.*

At illud: *Vos instar Thetidis im gladium quidem habetis, cor verò nullum.* Aut Platonicum illud, *Videntes canis oculos habes, cor autem cerui.*

Alij putant ex vitæ contemptu homines fieri fortes:

Itamus. tes: exemplumq; inducunt. Itamus enim vnus omnium qui cum Antigono militabãt, fortissimus habebatur, verùm vitam contemptui habebat, quandò fœda atque occulta valetudine miserabiliter laborabat. Hoc cùm comperisset Rex, primos quosque medicos vndique accersiri iussit, quorum opera ac diligentia paruo tempore curatus est Itamus, non sine magna impensa ac Regio sumptu. Qui postquam optimæ valetudini redditus est, incolumisque euasit, cunctantior ignauiorque factus, inter postremos semper versabatur, congressumque hostiũ detrectabat: quod cùm cerneret Antigonus, rogauit illum, quidnã causæ esset quòd tam celeriter languidior factus esset? Tum Itamus: *Tu me, ô Rex, ignauum segnémq; reddidisti, qui me his malis liberasti, per quæ vitam amittere cupiebam, & me periculis vltro obiectabam, fortiorq; esse videbar.*

Credunt alij fortitudinem fortunæ comitem esse, Sophoclemque testem inducunt, qui virtutẽ per sese imbecillem ac debilem dicit esse, nisi à fortuna adiuuetur: proinde non eundem esse animũ miseris atq; infœlicibus, qui fuerat antè in rebus prosperis ac secundis: quandoquidẽ destituti langueant, & se ipsos deserant, animum submittant, inopiæ atque infœlicitati cedant. Verum est enim vetus prouerbium.

Omnia metuit, qui omnibus indiget.

Opinantur alij fortitudinem à viribus corporis præcipuè manare, & ab illis spiritum atque audaciã accipere. Nam qui corporis robore, & neruis ac lacertorum toris præstat, & saltu, cursu, iactu, luctatione præualet, is eiusmodi viribus fretus, animi quoq; virtutem sumit, & audaciam in quibuscunque periculis obeundis, sicque fortior habetur, atque omnibus formidinem terroremque incutit, & præcipuè quum ira excandescit, furoreque corripitur. Huius sententię auctorem Homerum faciunt, qui Achillem inducit nõ modò membrorum robore præstantem, & luctatione, ac pedum celeritate reliquos omnes præuertentem, sed acrem, iracundum, inexorabilem, ac iure, pietate atque æquitate, demum viribus & armis solùm fidentem.

Hanc

Hanc etiam sententiam augere videntur Peripatetici, qui iram fortitudinis cotem esse dicunt, eidemq; virtutis locum per mediocritatem tribuunt.

Virum fortem quæ faciant, opinionum variarum resolutiones. TIT. III.

NVnc singulis iam propositis opinionibus paucis respondere operæprecium duximus, vt omnibus innotescat quas sententias probandas, quasque exigendas esse iudicemus. Asserentibus itaque virtutem animi per se ipsam satis posse virum fortem facere, non imus inficias id verum esse, si in electione, actu & habitu vir ille tandiu versatus fuerit, donec disciplinam quandam perceperit, & Socraticam illam rerum peritiam, quæ formidabiliora omnia superari per virtutem posse edocet. Hoc sibi persuasisse Pittacum Mitylenæum videmus: nam quum primò adiutus ab Alcæi fratribus Melencorum Lesbi tyrannum profligasset, longè deinde Phrionem Atheniensium ducem in singulari certamine peremit, quum inter Athenienses & Mitilenæos de agro Achilleide certamen diutius extitisset.

Sed si virtuti accedant corporis instrumenta, & fortunæ commoda, si robur, celeritas, integritas membrorum, valetudo, habitudo, dignitas formæ, &c. eius generis omnia commodius faciliusq; fiunt. Non minus etiam si fortuna arriserit, adsint opes, genus maiorum, gloria, & in primis patria, quę quidem plurimum adiuuat. Multi enim Romani, Lacedæmonij Athenienses, Carthaginenses, & aliarum etiam gentium, splendore ac gloria caruissent, nisi virtutum suarum patriam quasi clarissimum theatrum habuissent. Verè etenim Simonides Lyricus poëta ait: *Beatè perfectaq; ratione victuro, ante omnia oportere patriam gloriosam esse.* Non defuerunt qui hanc sententiam Thaleti Milesio tribuerint. Nam interrogatus aliquando quisnam fœlix esset, respondit,

dit, qui corpore ſanus ſit, fortuna diues, optima patria, animo non ignauus, neque imperitus.

Secundus ille, qui gloriæ famæque cupiditate fortis eſſe nititur, quia ad virtutem finem dirigere videtur, ſuperiori proximus accedit, ſed in hoc minor aliqua ex parte eſt, quoniam pulchriora ſunt (vt Cicero ait) quæ populo vacant, nec plauſum captant, ſed ſeipſis delectantur: non quod populus fugiendus ſit, ſed quòd nullum theatrum virtuti conſcientia maius eſſe poſſit.

Tertij autem illi qui ex vitæ contemptu fortes viros fieri putant, non rectum ſibi finem præferre videntur. Nam ſi deſperant propter aduerſa, ignauia potius eſt deſperatio illa, quàm fortitudo. Sin vitæ tædio id agunt, aut nimis delicati ſunt, qui vitæ incommoda ferre nequeunt, aut eà videre non ſuſtinent, quæ propter eorum voluntatem accidunt. Quaſi verum eſſet quod Democrito ſcripſit Laberius Mimorum poëta, referens illum ſe luminibus priuaſſe, ne malis ciuibus videret bene eſſe. At ſi ideò fortes eſſent, citius morerentur, naturam ipſam violarent: quia depoſitũ non antè reddendum eſt, quàm ipſa repoſcat. Omninoque concludendum eſt, fortes viros non eſſe habendos illos, qui vitæ contemptu in manifeſtam mortem ruunt ferarum more. Nam ſicut mortis fugam omni morte deteriorẽ eſſe puto, ſic vltro ſine ratione aliqua ſe morti obijcere, inſani hominis eſſe ſtatuo. Atqui non eum accuſandum eſſe arbitror, qui cum ratione mortẽ declinat, ſi vitam non turpiter concupiuerit: nec eum laudandum, qui mortem tulit, ſi vitam contempſit.

Laberius.

Lacedæmonij etiam in hoc laudantur, quoniam nec auidè viuendum putabant, nec libenter moriendum, ſed vtrumque per virtutem ac rationem dimetiendum eſſe dicebant. Pulchrè admodum dixit poëta ille.

Martialis.

Summum nec metuas diem, nec optes.

Quarti illi qui dicunt fortitudinem fortunæ comitem eſſe, plus tribuunt fortunæ quàm ei debetur. Mentem enim bene ſtabilitam, & quæ habitum

vir-

virtutibus iam sibi præscripsit, quæque appetitum ratione regit, corporique dominatur, fortuna nunquam frangere aut in contrarium mutare poterit, sed stabilis firmaque permanebit, & nunquam à seipsa discedet, nec fortunæ impetus vlterius in fortem sæuire potest, quàm vt illum inuidia odióque accumulet, & laude, honore, gratia ac dignitate defraudet.

Accidit enim sæpenumero, vt multitudo imperita bene de se meritos viros iniurijs quàm maximis afficiat, & ex secundis rerum flatibus cæco quodam impetu feratur. Multitudo siquidem omnis similitudinem quandam maris tenet, quod quidem suapte natura planum ac stabile esse videtur, sed vt venti aut auræ illud cient, ita aut tranquillum aut procellosum erit. Sic etiam multitudo fortunam sequitur: nam aut inuidiæ vento concitatur, aut à factiosis ciuibus instigatur.

Fortem virum neutiquam fortunæ succumbere manifesto exemplo docuit Hannibal Carthaginensis, qui sexdecim circiter annos ea tam prospera vsus est, vt nihil interim aduersi vnquam tulerit. Sed paulò pòst mutata facie eam iratam pertulit, aduersamque expertus est: in medio enim victoriæ cursu, & iam quasi affecto Italico bello, & propè confecto, fratris sui Hasdrubalis cum vniuerso eius exercitu interitum sensit, ac deinde à legatis Carthaginensium ex Italia reuocatus est, vt periclitanti atque obsessæ patriæ subueniret, nec amplius de imperio orbis terrarum decerneret, sed pro Carthaginis mœnibus tuendis niteretur. Paruit oratorum imperio Hannibal, & quam celerrimè in Aphricam transmisit. Sed impetrandæ à proconsule pacis spe adempta, vltimum certamen instituitur, in quod duo totius terrarum potentissimi populi concurrunt, & duo Imperatores omnium maximi, paruo temporis curriculo declaraturi, quò loci imperij sedem fortuna statuat. Apud Zamam res geritur. Scipio victor euadit. Hannibal tamen nequaquam animo decidit, sed officio optimi Imperatoris etiam hostium iudicio fungitur: vincitur tamen inclinan-

te *fortuna, quæ in rebus bellicis semper plurimum potest*, vt Cæsar in commentarijs rerum à se gestarum scripsit. Hannibalis tamen nomen tanti momenti extitit, vt Carthaginenses non antè se victos faterentur, quàm superato magno prælio Hannibale, Zama perpetuo Carthaginensium cladis nomine illustraretur. Tunc enim omnes Carthaginensum vires conciderunt. Hac plaga perculsus Hannibal, fortunę non succubuit, sed virtutem animi erigens, ad Antiochum Regem tunc potentissimum se contulit, & illum in Romanos animauit: qui si ei morem gessisset, nec adulatoribus auscultasset, laudem ac gloriam non mediocrem assecutus fuisset. Antiocho etiam victo non destitit ab incepto Hannibal, sed ad Prusiam Bithyniæ Regem commigrauit, vt eum in Romanos concitaret. Sed Romani oratores ad Prusiam miserunt, qui illum amicitiæ iure repeterent, tanquam Reipublicæ hostem. Hannibal autem re cognita, ne dederetur, venenum exhausit. Hoc igitur exemplo monemur fortunæ virtutem neutiquam cedere.

Restat nunc postrema ratio, qua probatum est fortitudinem à viribus corporis præcipuè manare, & præsertim si ira ac furore excitentur. Hæc opinio vt auctorem habet omnium ingenio præstantissimum, sic non ociosa esse videtur, sed aliquid auctore dignum affert: nouerat enim Homerus (cui doctrinarum omnium ratio nota erat) difficile factu esse fortitudinem omni ex parte perfectam in vno homine inueniri posse, sed alios alia virtutis specie præstare, qua fortiores fieri videantur. Nam sicuti perfectè sapientem non Socratem nec Platonem dicimus, nec vnum aliquem ex his septem quos Græcia sapientes appellauit, nec Catonem, aut Lælium, sed vnum fingimus, qui fortasse nusquam gentium aut locorum inuentus fuerit, cui omnes perfectæ sapientiæ numeri tribuantur qui etiam secundum illam primam ideam, vel fictam quandam imaginem perfectus absolutusque sit, & hunc sapientem appellamus: alios autem in quibus sapientiæ simulacra quædam cernuntur, prudentes vel sapientes

Perfectè fortis nemo vnquã exstitit.

etiam pinguiore quadam Minerua dicimus, sed non omni ex parte perfectos, imitamurque Stoicos, qui interrogantibus num Zeno, Cleanthes, Chrysippúsve sapientes fuerint? respondent magnos quidem ac venerabiles illos fuisse viros, non tamen perfectam ipsam ac summam sapientiam esse assecutos: sic nos etiam virum fortem fingimus, in quo omnes virtutis numeri cernantur: alios autem minoris fortitudinis viros fortes etiam appellamus communi quodam vsu loquendi, & singulos quosque in suo virtutis genere laudamus. Et sicut minores illos sapientes dicimus non omnibus horis sapere, sic eiusmodi fortitudinis viros non omni tempore fortes esse. Hæc est Homerica illa sententia, quæ asserit solam fortitudinem ex omnibus virtutibus sæpe furentes quosdam impetus habere, vnde Tragici poëtæ heroas suos aliquando furentes inducunt. Homerus, vt qui diuersas fortitudinis species esse sentiret, Achillis laudem ab ira incipit, quum ait,

Iram pande mihi Pelidæ diua superbi.

Vlyssis autem à prudentia, vt est,

Dic mihi musa virum captæ post tempora Troiæ,
Qui mores hominum multorum nouit, & vrbes.

Achilles animi quietem ferre non poterat, sed in pace iracundiæ stimulis percitus bella ac pugnas optabat. Vlysses verò pacatus inducitur, & multa comitate, iucunditate, ac gratia variis cum gentibus conuersatur, prælium nonnunquam astu ac calliditate detrectat, nonnunquam per insidias atque occulto Marte inuadit, vario, atque artificioso sermone vtitur. Aequas pacis conditiones non spernit, & tamen ab omni fortitudine nunquam destituitur. Ad hanc imitationem Lyricus noster ait,

Nos Agrippa neq; hoc dicere, nec grauem
Pelidæ stomachum cedere nescij,
Nec cursus duplices per mare Vlyssei,
Nec sæuam Pelopis domum
Conamur.

Diomedes autem modestus in dicendo induci-

tur, & in differendo placidus, iram adhibens, nemini dicto improbo aut facto proteruo nocens. Abstemius semper, nisi in maximis functionibus ac laboribus. Hic est fortis ille, quem Chilo Lacedæmonius (qui è septem Græciæ sapientibus vnus fuit) summopere laudat, & quem mitem ac facilem semper debere esse statuit, vt hi quibus imperat, nō tam eum metuant, quàm vereantur.

Nestor autem ab Homero grandæuus ille quidem inducitur, vir in omni re bellica semper consilio præstantissimus, & in certaminibus ac palæstra exercitatus, & fortis: eius tamen virtus consilio atq; eloquio præcipuè fulget.

Hector Troiana manus, Æneas mens.

Achiui dicere solebant Hectorem Troianorum fortissimum esse, Aeneam autem prudentissimum: vnde illum Troianam manum, hunc verò mentem appellabant. Sed plus negocij sibi dari aiebant ab Aeneæ sapientia, quàm ab Hectoris furore. His tot & tam varijs fortitudinis laudibus docemur, varia huius virtutis officia esse, & alios fortes bellatores, alios fortes duces, atque Imperatores esse. Illi viribus & audacia præstant, hi autem cōsilio & constantia. Illi temeritate quadam ac furore cōciti ad omnia pericula obeunda parati sunt, hi verò consilio temeritatem, audaciam autem virtute superant. Illi vitam odisse videntur, hi è contra mortem contemnere. Illi in perniciem non necessariam plerunque eunt, hi necessitate compulsi viribus & animi præsentia obsistunt. Illi pericula exultantes optant, & nonnunquam in illis deficiunt: hi quieti ad ea quæ formidolosa sunt maturant, sed in ipsis deinde acrius accenduntur. Illi vt parui torrentes inter saxa obstrepunt, hi demum vt altissima flumina minimo quodam sono labuntur.

Fortitudo quid apud Ciceronem.

Præclarè Cicero quum temeritatem à fortitudine secerneret, ait. *Fortitudo est considerata periculorum susceptio & laborum perpessio*...

Hæc præcipuè viribus & habitu corporis nititur.

Neruo-

Neruosi enim omnes & qui lacertorum toris excellunt, eximijs viribus præstantes habentur.

Tritamnius. Tritamnius Samius gladiator ille insignis (vt ait Varro) toto corpore cancellatos neruos habuit, rectos atque transuersos: Brachijs quoque ac manibus prodigiosis viribus fuit, vt qui prouocatorem quendam armatum inermi dextera superauerit, & vi correptum in castra transtulerit.

Ex Plin. cap. 20. lib. 7. Iunius quoque Valens vehicula cum culeis onusta, donec exinanirentur, recto corpore humeris sustinuit, & carpenta comprensa vna manu retinuit iumentis in contrarium nitentibus. Quidam concretis ossibus, & non medullatis, viribus præter cæteros dicuntur præstare.

Aristomenes Messenius. Admirabili corporis robore fuisse dicitur Aristomenes Messenius, qui in bello cõtra Lacedæmonios trecentos hostes, & magna ex parte ex prouocatione trucidauit: verùm aliquãdo vulneratus, ac captus per lapidicinarũ cauernas euasit. Rursus interceptus dormientibus custodibus ad ignem aduolutus lora cum corpore exussit, & ad suos solutus rediit.

Ex Pli. ca. 37. multò post medium lib. 11. Tertiò verò mãcipatus à Lacedæmonijs innumeris vulneribus confossus est, & pectore dissectus: cui cor hirsutum omni ex parte inuentum est, & pro miraculo conditum, ac diutius seruatum.

Ira quid ad fortitudinem. TIT. IV.

IRAM quoque & excandescentiam dicũt etiam corporis vires excitare, & animi virtutem acuere. Hoc Homerus probat, & Aristoteles iram necessariam esse affirmat, nec quicquam sine illa expugnari posse confidit. Ex ira quidem animũ impleri, & spiritũ accendi opinatur. Hic est impetus ille, quem per nares subire, sanguinem accendere, cor inflãmare canit Homerus. Hinc est sentẽtia illa, qua dicitur: *Nihil asperum ira ex dolore succensis militi videri solet.* Sanè Peripatetici dicũt fortitudinẽ sine ira fortitudinẽ esse. Nec equidem inficiari possum iram aliquãdo honesto vl-

tionis causam extitisse, sed in rebus agendis, nisi deliberatio à ratione proficiscatur, rarò recta res aut stabilis esse poterit. Et si aliquando fortuna fauet, tandē temeritati cedit, & tunc nos ipsos increpamus per iram aut temeritatem egisse, factique pœnitet, pœnitentia tamen rem integram non reddit. Id enim integrum dicimus, quod ita est, vt antè fuit: infectum siquidem nunquam fit, quod semel factum fuerit, qua quidem potentia numina ipsa priuata esse omnes arbitrantur.

Ira consilium perimit. Vnde illud Aeneæ,

Furor, iraq; mentem Præcipitant.

Nō est igitur fortitudinis per iram pericula adire: caret enim consultatione, electione, ac ratione, neq; ea diutius stabilis esse potest. Nam vt primùm ira deferbuit, fortitudo illa deficit, & se ipsam deserit, in ignauiamq; conuertitur. Idē de ira dicere possumus, quod de tuba in re bellica, quæ valet (vt ait Maro)

Aere ciere viros, Martemq; accendere cantu.

Sed vt primùm siluit, ardor ille extinguitur, & impetus conquiescit, ac sicut flamma consumptis nutrimentis subitò concidit.

Timotheus musicus ille notissimus Alexandrum Regum omnium fortissimum eleganter, ac scitè modulando ad pugnam excitabat, quum etiam id temporis de prælio non cogitaret. Sardanapalum autem Regem ignauissimum nequaquam excitasset, neque etiam à muliebribus choreis ac calathis reuocasset, si cum eo etiam Minerua ipsa concineret, vt ait Dion Prusensis. Difficile est enim naturam mutare, nec facile est etiam consuetudinem abolere, quæ ex frequenti vsu naturæ similis fit. Inueteratus quidem vsus diutius permanet, & quasi in alteram naturam transit, vt Aeneum poëtam amicum quendam scripsisse testatur Aristot.

Dolor

Dolor quid ad fortitudinem.

TIT. V.

NOn desunt qui putent præ dolore homines fortiores fieri, vt si iniuria affecti fuerint, vulnera acceperint, aut simile quidpiam sustinuerint. Et certè magnam vim affert dolor, quod etiam in belluis cernimus, quæ vulneratæ sæuiũt, & fœtibus orbatę, truculentam rabiem exercent: vt Hircanas tigres legimus, quæ pro sublata sobole tanta ferocia insaniunt, tantaque pernicitate feruntur. Non tamen dolorem comitem fortitudinis facimus, aut iram cotem quæ illam acuat, esse dicimus. Licet enim nobis fortibus viris esse sine dolore ac vulnere, sicut etiam sine felle ac stomacho: sed doloris ratio in hominibus nequaquam par est feris. Segnes enim ac timidi præ dolore magis torpent, ignauioresque fiunt, audentes verò fortiores. Generosi equi calcaribus excitantur, degeneres autẽ stimulis confossi decidũt. *Segnes dolore torpent, audaces cõstãtur.*

Furius Camillus dum cum Posthumio dictatore contra Volscos pugnaret, graui vulnere in coxa accepto nequaquam dolori succubuit, sed ardentior factus complures sibi obuios strauit, & victor quasi fulgur pulcherrimũ virtutis spectaculum de se præbuit. Magnus siquidem vir fuit Camillus, & quasi alter Romulus habitus est. Galli enim Celtæ qui primi in Romanos externa arma mouerunt, quique vrbem præter Capitolium captam incenderunt, à Camillo victi expulsiq; sunt. Et rursus quum post aliquot annos rediissent, iterum ab eodem victi cæsique extiterunt: qui de eis magnum triumphum duxit, quum annum octogesimum ageret. Vnde iure optimo Silius in calce librorum suorum, quum Scipionem omnibus Romanis præferret, ait: *Furij Camilli strategemata.* *Silius lib. 7.*

Salue inuicte parens, non concessure Quirino
Laudibus, ac meritis non concessure Camillo.

Antigonus Macedo bellator egregius, quũ Perinthũ vrbẽ obsideret Philipp. Alexandri pater, missa in eũ sagitta altero oculo captus est, quo vulnere nihil

in modum excanduit, nec prius telum euelli permisit, quàm hostem grauiter vltus esset, & sagittarium illum, à quo ictus fuerat, coram se trucidatum laceratumq; videret.

Sertorius. Sertorius ex vulneribus, quæ plurima aduersa accepit, & ex effosso oculo semper ardentius ferociusque in hostem ferebatur, & ex cruore suo victoriæ occasionem quærebat.

Mirabile militis exemplũ Ex Vale. Max. li. 3. de fortitu. In strage Cannensi (qua nulla Romanis miserabilior fuit) inter occisorum cadauera cæsis manibus, & multis vulneribus perfossus iacebat miles quidã Romanus, ad quem expoliandum impurissimus Numida miles accesserat, tum ille semimortuus, & ęgrè spiritum ducens in eum insurgit, faciemque mordicus inuadit, & nasum atq; auriculas rabidè abrodens indignam quibuscunque potest armis iniuriam vlciscitur: hac vindicta hostili sanguine perfusus extremum spiritum exhalauit.

Attilius. Ex Vale. Max. de fortitu. lib. 3. Attilius Iulij Cæsaris miles apud Massiliam nauali prælio hostilẽ nauim dextera apprehendit quæ à defensore abscissa est, tũ læua puppim apprehẽdit, nec antè dimicare destitit, quã captã ꝓfundo mergeret.

Vale. Max. li. 3. de fortitudine. Nec minus egit M. Scæua eiusdẽ Imperatoris centurio, qui ad Dyrrachium hostili sagitta vulneratus oculum cũ telo excussit, nihilo segnior ob id factus, sed humero, capite, femoreque transfixo, & centum insuper & triginta telis clypeo exceptis, compluribus interemptis hostibus ad suos euasit, à quibus magna cum lætitia exceptus fuit. Nec omittendus est hoc loco magnus Alexander, qui sagitta aliquando ictus spiculum euelli iussit, ac confestim equum sibi admoueri, quo conscenso vectus est in hostem, ne obligato quidem vulnere, ac forti animo destinatæ virtutis officia pere_it. Et quum saucium crus ex æquo penderet, & exiccato cruore vulnus recrudesceret, facetè

Alexandri facetum dictum. ait: *Nunc planè video me Iouis filium non esse, dolorem enim sentire, nequaquam diuini hominis est.*

Sed ad hanc demum sententiam veniendum est, homines neque per iram, neque per dolorem fortes fieri, sed similitudinem quandã ex impetu accipere,

forti-

fortioresque videri non pugnant: verè autem audaces, feroces sæuique dici possunt. Id enim agunt animi perturbatione perciti, non autem virtutis studio, aut vitandæ turpitudinis gratia, aut quòd gloriam famámve affectent, sed sicut per iram ac vulnera vehementer dolent, sic per vltionem plurimum lætantur. Pulchrum est inimicos vlcisci, clamabat Cornelia Gracchorum mater: quod tunc verum esse posset, quum per virtutem id fieret, non autem per dolorẽ aut stomachum. Virtutis honestique rationem habuit Aristoteles, quum ait: Fortis viri est, quæ hominibus terribilia videntur, & sunt, subire, & id quidem agere studio honesti atque decori, ac vitandæ turpitudinis gratia.

Vera quidem est Euripidis sententia, qua dicitur: *Fortuna fortes adiuuat, ignauos autem premit*, quod quidem hoc exemplo ostenditur. Duæ Cæsaris naues ad Dyrrachium cum alijs pluribus cursum tendebant, verùm aduentu noctis, ignaræ quem locum aliæ cepissent, contra Lystum oppidum in anchoris constiterant. Eam maritimam oram cum præsidio à Pompeio misso tenebat Octacilius Crassus, & eas naues conspicatus paruis nauigijs oppugnare nitebatur: verùm dum nihil proficeret, cũ illis de deditione agit, incolumitatemq; deditis pollicetur. In vna quidẽ harum nauium ducenti ac viginti tyrones vehebantur, in altera verò veterani circiter ducenti. Nausea confecti tyrones, & maritima tempestate perturbati, cõditionem acceperunt, & hostili iureiurando freti, Octacilij fidei se comittunt. Ille contempta fide, atq; omni religione neglecta, nulli per ætatem aut gratiã parcens, ante conspectum suum omnes interimi iussit. Veterani autem qui se tempestati forti animo crediderunt impulso nauigio in terram, nulla desiderata sarcina omnes incolumes euaserunt, manifestoque exemplo docuerunt, animi fortitudinem virtutem esse omnium præclarissimam.

Audentes fortuna iuuat, timidosq; repellit.

De bello Gall. lib. 3.

Sapienter quidem apud Xenophontem Assyriorum Rex quum suos ad pugnam hortaretur, ait: *Vesanus meatu est miles ille, qui vita cupiditate ductus se fuga*

permittit. Per virtutem enim salutem acquirimus, per fugam interitum: plures siquidem mortem fugientes cæduntur, quàm forti animo dimicantes.

Quid desperatio ad fortitudinem.
TIT. VI.

Desperatio. NOn defuere etiam qui existimarent desperationem aliquando ex timidis fortes viros reddere, quod & Virgilius sentire videtur quum ait.

2. Æneidos. *Vna salus victis nullam sperare salutem.*

Nota est etiam sententia illa qua dicitur. Necessitas efficacior est omni arte, quæ non modò vsitata præsidia, sed etiã noua & inaudita adhibet. Et Diodorus Siculus inquit: *Necessitas naturam instituit, qua temporibus parens, se ad id quod vsui esse videtur, accommodat.*

Ambronum mulierum facinus. Ambronum vxores legimus converso in fugam virorum exercitu à C. Mario, ex desperatione fortissimam præbuisse operam, quippe quæ gladijs & securibus armatæ obuiam fugientibus viris progressæ sunt, & eos magno clamore reuocantes, in suos tanquam in proditores, in alios autem tanquam in hostes irruebant, pariterq; vtrosque vlciscebantur, inuicto animo vulnera ac mortem perferentes, & nudis manibus ac gladijs clypeos Romanis eripientes. Atqui verius si rectè inspicimus, judicandum est, desperationem sæpius furorem suum in seipsam conuertere, quàm in hostem. Quot enim duces, Imperatores, atque illustrissimos viros legimus desperatis rebus sibiipsis mortem intulisse? qui si diutius vitam produxissent seque meliori fato reseruassent, vlti iniurias aduersam fortunam superassent.

Cassius non expectato à Bruto nuncio, quum suspicaretur illum esse peremptum, sibiipsi quàm celerrimè vim attulit, qui si non tam properè desperasset, vel si furorem in hostem conuertisset, & se, & Brutum, & exercitum magna ex parte incolumem reddidisset.

Inuenti etiam sunt populi qui ex desperatione seipsos

ipsos consumpserunt. Omitto Saguntinos, quorum memoria nulla vnquam obliuione delebitur. Igne siquidē ac ferro in se suosq; omnes grassati sunt: quos Silius poëta peregregius eiusmodi versibus extulit.

At vos sydereæ, quas nulla æquauerit ætas,
Ite decus terrarum animæ, venerabile vulgus,
Elysium, & castas sedes decorate piorum:

Numantini à Romanis obsessi, quum fame & omniū rerum inopia ad deditionē cōpellerentur, seipsos per vices maluerunt trucidare, & imbellem ætatem omnem ferro transfigere, quàm clementissimo hosti cedere.. Proinde vrbem Scipio deleuit, deque ea triumphauit, & perpetuum gloriæ cognomentum accepit.

Xantij populi, qui Patareis ac Lycijs finitimi sunt, quum libertatem se tueri posse desperarent, ter seipsos peremerunt. Primò obsessi ab Harpalo Medo Cyri Regis præfecto, ne seruirent, vltrò sibi mortem mutuis vulneribus intulerunt. Rursus quum ab Alexandro Philippi filio similem calamitatem pertulissent. Tertiò verò quum à Bruto expugnarentur. Capta enim vrbe municipes discurrunt, suam pristinam vnusquisque domum redeuntes, tum domesticos omnes vltro iugulum præbentes interimunt, deinde subiectis pyræ quam quisque sibi suisque parauerat, flammis, seipsos etiam ferro adigentes ignibus iniiciunt, crudele admodum de se spectaculum victoribus præbentes. Nemo enim ex tanto ciuium numero in manus hostium viuus peruenit, nisi seruus antè fuerit, aut præ nimia ignauia vecordiaq; spernendus. Quod quum cerneret Brutus, ingemuit, & infœlicem eorum sortem, qui etiam pro patriæ libertate pugnarent, miseratus diu tacuit, instabilem humanarum rerum conditionem forsitan secum animo reuoluens, aut cogitans successu plerunque eos qui pro communi libertate decernunt. Sed nihil æquius sanctiusque esse potest, quàm libertatem tueri, cui quidem mortales omnes student, & seruitutis conditiones iniquo animo ferunt præscribente natura omnium parente.

Certi-

Cernimus quidem parua etiam animalia seruitutem nonnũquam euadere, quũ acriter repugnant pro tuenda libertate. Mus inter caricas à Rege Dario deprehensus, quum illius digitum mordicus inuasisset, Regias manus euasit, docuitque manifesto exemplo vel pusillum quodque animal libertatem suam aliquando tueri posse. Nunquam igitur virtutem, vel mirò admodum adiuuabit desperatio, nisi auxilium esse dicimus, quod ad honestè moriendum magnum incitamentum nonnunquam affert. Sed rectius omnino est Deo parere, & quicquid lex vniuersi iubet, expectare, atque incunctanter exequi. Eam nanque violare nefas est, & forti etiam viro iniquum videri debet, qui præ animi magnitudine semper optimè sperare potest. Bona enim spes etiam in manifestis periculis adiuuat, laboresq; minores facit, & ad optimum optatumq; exitum plerumque rem perducit. Quinetiam communis spes mutuam quandam concordiam ac beneuolentiam parit, quæ quidem fortitudinem adiuuat, quasi Deo fauente, & inter omnes optimè conspirante.

Vel Agesilao, vel Brasidæ: vtrique enim hoc tribuit Plut. Latinæ veritatis amu lus in apophth. laconicis.

Spem philosophorum quidam inter virtutes connumerant, & Simonides lyricus poëta reginam hominum esse dixit. Alii autem animi affectum omniũ dulcissimum spem esse affirmant: huc accersitur illud Plutarchi: ἐλπίδες βόσκουσι φυγάδας, hoc est, spes pascunt exules. Qua sententia ductus Bias Priensis roganti cuidam quid in vita hominibus esset dulcissimum? *spem* respondit.

Biantis responsum.

Præterea peritia rei militaris, & tractatio vsusq; armorum non modò dexteritatem quandam corporis præstat, verùm etiam fortitudinẽ animi adiuuat. Multa in bello quotidie accidunt, quæ improuisa & formidolosa esse videntur, ex consuetudine autem contemnuntur. Vnde meritò Tragicus ille noster ait,

Seneca.

Maior est bello timor ipse belli,

Hæc est ratio cur fortior videtur ille, qui subitis improuisisq; periculis non turbatur, quàm qui manifestis periculis non concitatur. Ex vsu enim, vel ex animi præparatione prouidentiáve vnusquisque præstan-

ſtantior fit. Nam præuiſa ratione, & cogitatione, tolerabiliora fiunt: repentina autem, niſi cogitatione, & longo habitu, magna cũ difficultate feruntur. Fulgetræ cœli, & ſubitę coruſcationes, tonitrua, fulmina, & improuiſi omnes fragores, animos etiã fortiſſimorum hominum primo concuſſu perturbant, vſu deinde facilè perferuntur. Vſus enim rerum omniũ magiſter eſt, vt veteri prouerbio dicitur.

Tyrones primis præliorum congreſſibus hoſtiliũ armorũ fulgorem vix firma oculorum acie ferre poſſunt, & ad minimos quoſq; motus trepidi accedunt. Turbantur ſtrepitu, tumultu, fragore, inſtrumentorũ bellicorum ictibus, & præcipuè eorum quæ fulminũ tonitruumque inſtar noſtra ſecula inuenerunt, quæ firmiſſimos quoſq; muros, latiſſimaq; mœnia in ruinas ſciſſa & ab omni ſtructura laxata crebro pulſu decutiunt. Lapideam enim pilam peringentem & maximi ponderis emittunt, quæ turres etiam excutit & munimenta quæq; deturbat: his lapidum baliſtis munitiſſimæ quæque vrbes ſtratis muris ac propugnaculis expugnãtur, adeò, vt vix quippiam tutum à potenti exercitu inueniri poſſit.

Huius bellici inſtrumenti facies ac forma eiuſmodi eſt. Conflatum fuſumq; ęs in ſubiectum ſcrobem, cui archetypus inſtar columnæ ſubeſt, ꝑ canaliculũ funditur, in cuius medio cauum relinquitur. Ad tertiam quartámve totius orbis partem, clauſo fundo, ore autem patulo, id cauum circa imam partem anguſtum eſt, deinde pari ambitu ad os vſque creſcit: imum illud puluere completur, ex nitro, ſulphure, ſalignoque carbone contuſo, deinde populneo cuneo intus vecte ſtringitur, lapideaq; pila, quę ambitum latioris implet, ad cuneum vſque adigitur. Tum paruo foramini, quod ad imam partem exterebratum eſt, ignis cadenti ferro admouetur, clauſus ille puluis incendium tanta vi concipit, vt exacto per vim cuneo pilam emittat tanto conatu, tanto tonitru, tanto concuſſu ac turbine, vt vix maiora credas fulgura, quæ attritis nubibus è cœlo decidunt, quib. integras turres deturbari, & montium vertices concuti ac collidi cer-

Bombardarũ forma.

di cernimus. Nec vlla ex parte huic machinæ confe-
Aries bellica machina. rendus est antiquus Aries, qui à forma proni arietis nomen accepit, quique reciproci ictus frequentia collisis muris, rimisq; fatiscentibus, structuras omni ex patre laxabat: vires enim inferiores habebat aries, & difficilius ad muros adigebatur.

Sed illic redeat sermo vnde defluxit. Tyrones igitur nouitios principio sic timere, & paruo tumultu concussionéve turbari quis admiretur? lento tamen vsu consuescunt vulnera pati, & forti animo pro patria occumbere: hoc autem & militari vsu, & prouisa rerum ratione assequuntur. Magna itaque non modò militum, sed Imperatorum etiam ac ducum virtus habetur subitis improuisisq; casibus forti animo adesse, qua in re vt in multis alijs C. Cæsar mortales omnes anteiuit.

Sertorius à periculis vires sumebat. Sertorius quoq; repentinis atque impræmeditatis terroribus adeò restitit vt animū ac vires à periculis summere videretur. Et hac virtutis præstantia maximus omnium ducum sui temporis habitus est.

Darius Xerxis Regis pater seipsum gloria efferebat, quòd in pugna & periculis semꝑ fortior elatiorque fieret. Milites non solùm consuetudine, sed arte quoq; intrepidi fiunt. Idcirco Cæsar Tyrones Romę à peritis in re militari doceri atque exerceri voluit, non autem à Mangonibus, qui Athletas erudiunt: in re enim bellica ingenij acumen, & animi fortitudo maximè dominatur: in certaminibus autem ludicris corporis robur & membrorum vires.

Crotoniatæ, qui cæteros omnes aliarum gentium superauerant in ludis, in exercendis Athletis magnā operam ac diligentiam impendebant, vnde in vna Olympiadis celebritate septem eorum ciues corona-
Prouerbium. ti sunt: hinc ortū est prouerbium: *Crotoniatarū postremus reliquorum Græcorū primus.* Tanti autē fuit coronari
Olympiadum anni vnde. in Olympiacis certaminibus apud Græcos, vt anni qui apud alias gentes à Regum qui tunc regnabant nominib. apud Romanos verò à consulū denominabantur, à victorib. Olympiadis, & ab eorū patria notarentur. Et singulæ quæq; vrbes olympionicas suos perpe-

perpetuò ex publico alebāt, & filiarum dotes etiam persoluebant, vt Dionysius Halicarnasseus testis est locupletissimus. Atqui Crotoniatæ, quos olympiacorum ludorum victores diximus, in re militari succubuerunt. Nam apud Sagram fluuium, qui eos à Locrensibus disterminat, iuxta aras Castoris & Pollucis exercitum centū & triginta millium armatorum amiserunt, superatū collato Marte à decem millibus Locrensium, in quibus tamē adiutores fuerunt Rhegyni, non cum magna admodum manu. Hac itaque plaga perculsi Crotoniatæ, animū diutius submiserunt. Quo nunc exemplo manifestè constat aliud esse animi virtute, aliud corporis viribus decernere, & præcipuè vbi res stricto ac denso agmine agitur,

Quum premitur pede pes atque armis arma teruntur,

Vt ait Ennius. Nec credendum est Milonē athletam, (qui tā prodigiosi roboris fuisse dicitur, vt vectū à se humeris bouē ictu nudæ manus victimā fecerit: & à nemine quū cōstitisset, è vestigio in quo erat, abducebatur, & si malū digito teneret, nemo ei eripere poterat) si cū L. Siccio Dentato (qui cēties vicies prælia tus fuerat, & octies ex prouocatione victor in singulari certamine) concurrisset, aut in pugna occurrisset, superiorē extitisse. Neque etiā puto Diomedē athletā (qui vno ictu in olympiaco certamine aduersariū deiecit, columnamq; qua domus nitebatur, subtraxit) si cū Manlio (qui capitolium à Gallis seruauit) in bello certasset, victorem futurum fuisse. Nec Polydamus pugil (qui decidentem in specum montē humeris sustinere voluit) si cum Scæua centurione certasset, victor vnquam euasisset, sed succubuisset potius.

Ex Pli. c. 19. lib. 7.

Vel Sicinio Plin. ca. 28. lib. 7.

M. Scæua Iulij Cæsaris miles.

Præstant igitur corporis viribus animi virtutes, & longè maioris mŏmenti est virtutis studio pro victoriæ gloria præliari, quàm corporis robore pro paruo præmio colluctari. Pelopidas Thebanus bellator peregregius habitus est, & Imperator fortissimus: is quum aliquando domum egrederetur, in expeditionem cui præerat profecturus, vxorem, quam vnicè diligebat, supremò alloquens rogauit, ecquid vellet? tum illa profusis lachrymis ait se illum hortari

hortari atque orare, sibiipsi, laudique suæ omni studio indulgeret. Cui ille comiter respondit: *O mulier, priuati milites mouendi rogandiq; sunt, vt incolumitati suæ consulant, sibique ipsis parcant: Imperatores autem obsecrandi obtestandique, vt pro omnibus excubent, omnesq; saluos esse studeant.*

Hæc pugnacissimi Imperatoris sententia docet, Reges, duces, & omnes qui exercitui præsunt, multa prudentia multaque animi fortitudine præditos esse oportere, qua seipsos & vniuersum exercitum tueantur. Nam si priuatorum singuli sibiipsis satis sunt, qui imperant, & sibiipsis & omnibus qui eis parent, satis esse debent. Quòd si alterutrum omittendum sit, parcet multitudini, & exercitum potiùs quàm seipsum seruabit, exemplo Epaminundæ Thebanorum Imperatoris: qui quum cerneret extremo prælio ad Mantineam hostium vires in se vnum conuersas, & aut sibi, aut exercitui, esse pereundū, restitit inuicto animo, donec exercitum suum victorem reddidit. Quum vnus deinde tot millibus diutius satis esse nequiret, sparoq; perfossus esset lethali vulnere, sensim se ad suos recipit profligatis cæsisque magna ex parte hostibus. At postquàm accepit suos victores euasisse. *Satis diu vixi*, inquit: deinde sparū quo transfixus erat euelli iussit, quo euulso confestim exanimatus occubuit.

Epaminondæ vox.

Paulus Æmilius.

Varronis temeritas.

Magnæ virtutis exemplum præbuit Paulus consul in Cannensi clade: quanuis enim contra eius voluntatem prælium initum fuisset temeritate collegæ sui Varronis, tamen vt exercitum aliqua ex parte saluaret, permitteretq; suis fugam, manifestæ morti se obtulit, restititque forti animo, donec multi se ex cæde proripuerunt, multitudine hostium deinde obrutus, quum ex vulneribus profuso sanguine defecisset, cecidit. Varro autem qui causam calamitati præbuerat, relicto exercitu, vt vel solus euaderet, quàm celerrimè profugit: omnibusque id cernentibus ludibrio fuit. Paulus verò admirationi, adeò vt ab Hannibale ipse summis laudibus efferretur, vt Silius etiam meminit his versibus.

Quam

Quantus Paule iaces, qui tot modò millibus vnus — *Silius.*
Maior lætitiæ causa es? quum fata vocabunt,
Tale precor nobis salua Carthagine lethum.

Priuatus quidem miles exempla virtutis à præstantioribus sumit, & à fortioribus quid facto opus sit, discit. Qui verò imperat, & sibi & alijs præscribere debet quæcunq; rebus omnibus conducant: nec enim quem imitetur habet, nec vnde exemplum accipiat, quum ipse omnium actionum fons & origo sit, & exemplar de se cunctis præbere debeat: vt in quem vnum singulorum oculi atq; ora vertantur. Regis itaque Principisve ingeniũ illuc vires intendere debet, vt omnes apertè cognoscant pro sua ipsorum salute omnia fieri maiore cura, diligentia, prudentiaque quàm si illi sibiipsi eadem illa facerent.

In bello gerendo (vt ait Isocrates) tanti facienda est Regis fortitudo, scientiæ rei militaris coniuncta, quanti diuitiæ atq; opes omnes. Nam si pecunias belli neruos esse dicimus, Regem, mentẽ ac cor belli dicere debemus, in quo quidem suscipiendo magna consultatione opus est, non modò vt vires suas cum hostium viribus metiatur, verùm vt videat etiam ne victoria plus odij atque inuidiæ sibi afferat, quàm beneuolentiæ ac gratiæ. Stultũ enim esset pericula ac labores subire sine spe aliqua vtilitatis ac gloriæ, præsertim si aliquis iniuria afficitur. Verùm siquidem est illud quòd vulgò dicitur: *Sicuti causa iustior est, ita & fortuna in bello superior diuinitus dari solet.* Quòd si secus aliquando accidit vt, iniusti victoriam aliquam assequantur, ea neutiquam solida ac stabilis esse solet. Consueuit enim Deus immortalis ijs quos pro scelere ipsorum vlcisci velit, secundiores interdum res & diuturniorem impunitatem concedere, quo grauius ex rerum mutatione doleant: qua sententia sæpenumero Iulius Cæsar vtebatur. Scitè admodum dicebat Xenophon, malos in re bellica malam sequi fortunam, bonos autem bonam. Proinde Lycurgi leges laudat, quòd non fortunæ, sed virtuti inseruire videantur, nec tam victoriæ, quàm recti & honesti rationem habere. Oportere ait Euripides poëta cum

Pecunia nerui sunt belli, Rex autẽ cor.

Lento gressu ad vindictam sui diuina procedit ira, tarditatem verò supplicij grauitate cõpensat.

Xenophontis dictum.

qui ocio quietus esse nequit, quiq; rebus suis nequaquam contentus est, sed alijs iniuriam afferre vult, nô Aegynetas patriam fugientes, & regionem tanquam aues mutantes inuadere, quos vincere nullum operæprecium esset, nullaque honestæ laudis gloria, sed eos persequi, quorum victoria, opes, potentiam, imperium ac gloriam afferre possit: vt si iustitiæ iacturam facit, eam non paruo lucro, sed maximis quibusdam præmijs compenset. Hanc sententiam ab Euripide vt à Tragico poëta æquo animo tolerare possumus. Multa enim dicunt poëtæ, vt Regibus, Principibus, Ducibusque blandiantur: sed à philosopho Empedoclisque discipulo eadem nequaquam ferenda essent. Nulla enim opulentia nullaq; gloria cum iusti honestique iactura conferenda est. Iniustitię seipsum insimulabat, & se etiam testem inducebat C. Cæsar, quum ex eodem Poëta translatum versum dicebat: *Si violandum est ius, regnandi causa violandum est, alijs rebus pietatem colas.*

Intelligat præterea Rex, non illam animi virilis magnitudinem laudari, quæ ardua quæque ac difficilia suscipiat, sed eam quæ ratione ac consilio suscepta omnia forti deinde ac constanti animo perficiat (facilè enim succumbunt, quicunque prætervires suas onera sustinent) satiusq; putet paruum regnum cum virtute ac ratione quieteq; regere, quàm vel maximũ cum metu atque periculis iniuste tenere.

Beatum profectò eum Regẽ esse dicimus, q præsenti fortuna cõtentus, nihil vlterius immoderatè appetit. Lacedæmonij quum terra marique vniuersæ Græciæ imperarent, tanta dominandi cupiditate flagrarunt, vt Asiam omnem suo imperio subigere affectarent: qua ex re tantum inuidiæ atque odij contraxerunt, vt & imperium & propriam libertatem amiserint. Sed ad hanc conclusionem sententia nostra perducenda est: vt quemadmodum in armorum ratione antiquior cauendi, quàm inferendi ictum cura est, sic Rex ipse studeat proprium regnum seruare potius, quàm alienum inuadere.

Multi haud dubiè inuenti sunt, qui dum aliena occupare

cupare studerent, sua amittunt. Testes sint Carthaginenses, qui si conuentis conditionib. apud Aegadas stetissent, neque Hannibalem cum terrestri naualiq; exercitu in Italiam vt Romam inuaderet misissent, nunquam vidissent Carthaginem obsessam, expugnatam, direptam & demum igne ferroq; euersam.

Athenienses quoq; nimis affectati imperij pœnas dederunt: omnia enim Græciæ regna velut ad extinguendum commune incendium contra eos coniurauerunt, & Lacedæmonij se vindices fore libertatis totius Græciæ professi sunt. Qua ex re ad tantam inopiā ex varijs cladibus Athenienses peruenerunt, vt consumpta militari iuuentute peregrinis ciuitatē, seruis libertatem, damnatis impunitatem dederint. Et quū victi omnino extitissent, diu inter Græcos deliberatū est, delendúmne Atheniensium nomen esset, & vrbs incendio consumenda ac funditus euertenda foret. Cui quidem sententiæ restiterunt Spartani, asserentes, se neutiquam perpeti posse, vt ex duobus Græciæ oculis alter erueretur. Pacem itaque petentibus illis æquis conditionibus permiserunt.

Cauendi cura ac diligentia quanti facienda sit. TIT. VII.

QVanti cauendi cura facienda esset, Græci legumlatores planè docuerunt, statuerunt quidem magnam ac formidandam pœnam militi, qui scutum in prælio proiecisset: qui verò gladium aut hastam, nulla afficiebatur pœna: quasi ostenderent innitendum esse ne quid detrimēti patiamur potius, quàm vt vulnera hosti inferamus. Hac etiam causa Romani non dexteram militari anulo donabant, sed sinistram, quę clypeo hominem tegebat. Epaminundas Dux ille inclytus Thebanorum, de quo paulò antè dixi, quum apud Mantineam lethali vulnere traiectus esset, quæsiuit diligenter an scutum amisissent: quod quidem quū familiares eius ipsi attulissēt, amplexatus est quasi sociū laborum suorū: & tunc haud mœsto pectore

Annulus militū Rom. in sinistra, nō in dextra.

interijt, vt qui vitam æquiore animo amitteret, qũm clypeum etiam, pro quo solicitus fuerat, seruasset. Hoc cauendi studium Regi vel Imperatori perquam necessarium est.

Propter bellicas virtutes imprimis laudatur Viriatus, qui à Lusitanis (qui semper alios omnes Imperatores contempserant) ex pastore ac venatore nulla maiorum cõmendatione Dux constitutus est, ob id solùm, quia cauendi peritia plurimum præstitit. Philippus quoq; Macedo magni Alexandri pater hac etiam cauẽdi arte insignis habitus est, gaudebat enim longè magis decepto per dolum hoste, quàm aperto marte superato: vt qui diceret, victoria per dolum ac caliditatem, sine suorum cæde semper esse, illam autem que collatis signis accideret, nunquã sine cruore ac strage. Illud etiam cogitare debet Imperator, se vnum esse instar omnium & quum suam tuetur, tunc alijs etiam consulere. Idcirco malè respondisse videtur Callicratides vati monenti, præcipitem mortem vt caueret, quæ ei imminebat, vt ex hostijs portendebatur. Ait enim nõ ex vnius viri mortem omniũ Lacedæmoniorum salutem pendere. Cogitare enim debuit, se vno Imperatore pugnante, reliquos omnes qui eius ductus atque auspicio tenebantur, in pari periculo esse, secumq; periclitari. Hoc vt ostenderet ijdem Lacedæmonij, consueuerant cùm dijs gratias pro re bene gesta referre conarentur, bouem mactare, quoties scilicet Rex eorum quispiam aut Imperator præclarum aliquid egisset, nõ vt & armis, sed prudentia atq; consilio: vbi verò idem prælio ac pugna assecutus esset, gallũ gallinaceum immolabant, quasi indicãtes ea longè clariora esse, quę ratione ac prudentia fiunt, quàm quæ vi & audacia. Fabius Maxim' corona graminea donatus est ab vniuersa Italia, quandoquidem non repugnando, sed cauendo rem Rom. restituisset, & exercitum sibi creditum conseruasset.

Callicratides. Ex Pluta. in Apophth. Laconicis.

Hanc sententiam veram esse exempla duorum clarissimorum Regum declarabunt. Pyrrhus Epirotarũ Rex successu rerum elatus, contra Antigonum, Macedonum Regem nulla lacessitus iniuria arma mo-

uit,

ult;fretus peritia rei militaris, successu rerum gestarum,audacia, ac fortitudine: Antigonus ei resistebat consilio & prudentia potius quàm temeritate & audacia:plerunq; prælium detrectabat, donec exultantiam ac vires hostiles cunctando ac perendinando contereret.Pyrrhus itaque quum hoc animaduerteret,& iam rei frumentariæ inopia vrgeretur,Antigonum per internuncium ad singulare certamen vocabat:cui illi eiusmodi responsum referri iussit,se ex disciplina militari didicisse temporis opportunitatem expectãdam esse. Sed si Pyrrhum iam vitæ pertæsum esset,satis ei multas vias ad interitum patere. Quod quidem paulò pòst ei contigit. Nam quum insolentius exultaret, & in hostilia munimenta incautius irrueret,interemptus est,eiusq; caput ab Argiuo quodam acceptum Alcyoneus Antigono patri obtulit. Qui filium pollutum ac barbarum appellans, grauiter increpauit, & obductam chlamyde ante oculos lachrimas effudit, Regis fortunam miseratus,qui in flore ætatis suæ occidisset, & in medio victoriarum cursu tunc corruisset, quum Regum omnium fortunatissimus haberetur.

Pelopidas quoque Thebanus, & M. Marcellus pugnaciores quàm consultiores habiti sunt,& quũ freti viribus potius quàm consilio temerè ferrentur, ambo ceciderunt.Vera est enim Crispi Sallustij sententia, dicentis, *difficile in primis esse quenquam in bello strenuissimum, etiam consilio optimum inuenire.* Quòd si Cæsar,Alexander,Hannibal,& pauci alij vtrunque diuino quodam nutu assecuti sunt, innumerabiles certè alij per tot secula in altero tantùm claruerunt, magni tamen habiti sunt, nec parua laude illustrantur. Generaliter de fortitudine hactenus dixisse satis sit. Nunc autem de earum virtutum speciebus quas fortitudo præstat, dicere operæprecium esse arbitror. Has autem principaliter octo esse ducimus, magnanimitatem, fiduciam, securitatem, magnificentiam,constantiam,tolerantiam,stabilitatem,patientiam. *Sallustiana sententia.*

De magnanimitate. TIT. VIII.

Magnanimitas.

MAgnanimitas est quædam animi excellentia, quæ honorem sibi præferens quasi magnum ciuile bonum, ad quod actiones omnes dirigat, & virtutem quasi honoris effectricem, omnia excellenti animo gerit, quæ secundum eam sunt. Hæc expositio declarat neminem magnanimum esse posse, qui non sit etiam vir bonus, eius enim finis ad honorem tendit, ad quem nisi per virtutem nemo peruenire potest: quandoquidem honor virtutis sit præmium, quod nemo malus assequi meretur, sed bonis solum debetur. Hoc declarasse videtur M. Marcell⁹, qui quũ Honori templum ex manubijs Siracusanæ prædæ vouisset, ea ratione illud statuit, vt nemo in Honoris tẽplum peruenire posset, nisi prius per virtutis ædem, quæ ei quasi pro vestibulo coniũcta erat, ingrederetur. Possumus quidem pinguiore (quod aiunt) Minerua dicere magnanimitatem ornamentum quoddam virtutum esse, non quòd illas adiuuet, maioresve faciat (sunt enim absolutæ, atq; perfectæ) sed quia sine illis esse non potest. Fœmina quidem pulcherrima, aureo amiculo non indiget, eo tamen amicta, cõspicua magis videtur: illud autem per sese, parum decoris haberet.

Cùm quispiam secundum virtutes agit, ad destinatum honoris finem peruenit, pro quo nec rem familiarem prodigere ambigit, nec magnos labores periculaq; subire, & vulnera mortemq; perferre. Quin etiam indignum admodum putat, vitam ignauam, inhonestam, illaudatamq; agere, mauultq; honestè mori quàm turpiter & inhonestè viuere.

Magnanimus magna præclaraq; omnia agit forti atq; inuicto animo, nec lucrum mercedémve aliquã expectat, sed sola honoris ac laudis gloria contentus est. Nec contrahitur aduersis, nec effunditur lætitia, nec dolore remittitur, nec nimia cupiditate quicquã appetit. Nec dum fruitur nimis insultat, nec alteri inuidet, quia propriæ virtuti confidit. Magnanimus

præ

præ cordis excellentia nihil admiratur: nihil enim magnum ducit, quod per naturam fieri possit: seruatque semper stabile iudicium. Verus est, nec simulare aut dissimulare nititur, vt maiora aliqua minoráve esse ostendat. Veritatem sequitur potius quàm opinionem. Palàm odit, palamque amat. Manifestè loquitur, nihil clàm agit. Occultare enim veritatem, timidi ignauique hominis esse existimat. Contumaces comprimit, subiectis indulget, exemplo Cæsaris, qui post Pharsalicam victoriam dicebat, nihil se libentius facere quàm supplicibus ignoscere, & veniam petentibus, parcere.

Alexander animi magnitudine excellentior patre extitit: proinde alia vincendi ratione vtebatur. Bella enim semper aperto marte gerebat, Philipp. verò ex insidijs ac dolis omnia tractabat, & deceptis semper hostib. gaudebat, filius autem manifesto certamine superatis. Astu atq; arte pater imperij orbis terrarum fundamenta iecit, filius autem claris apertisq; prelijs rem effecit, & confecisset forsitan, nisi in medio victoriarum cursu, & primo ætatis flore concidisset, siue veneno enectus, siue fortuna eius præclaris rebus finem conscribente, quæ raró admodum stabilis esse solet aut rem inchoatam perficere.

Sui generis magnanimitatē efferebant Heluetiorum legati ad Cæsarem, cùm dicerent ita se à parentibus maioribusque suis institutos fuisse, vt magis virtute quàm dolo contenderent, aut insidijs niterētur: vnde non solùm Heluetios, verumetiam Gallos omnes Cæsar laudat, quos affirmat esse homines apertos & minimè insidiosos, qui virtute non dolo decernant. Execratur autem Aphros, qui dolis & insidijs certant, non virtute, aut animi magnitudine. Magnanimus ad hæc de omnibus bene meritus videri studet, omnibusq; bene facere cupit, & officia sua cunctis communicat: Anaxilaiq; Regis sententiam sequitur, qui interrogatus aliquando quid beatissimum in Rege esse putaret, respondit, *nunquam beneficientia ac magnanimitate ab aliquo superari.* Quinetiam vt ad præstandum magnanimus

Heluetiorum legati.

promptior est, ita ad accipiendam tardior. Beneficio enim deuinciri eum pudet, vt qui cæteros benignitate anteire velit, & quum accepit, cedere posteriorque esse videtur. Conferre enim beneficium, victoris est, accipere autem, victi: quod siquando accipit, id læto animo hilarique vultu efficit. Sperat enim quicquid acceperit se quamprimùm repositurum, & cumulatiore mensura redditurum, vt villico suo præcipit Hesiodus. Peccantibus autem perfacilis est, & æquiori animo semper obsequitur, libenterque omnib. morem gerit, ipse autem precari nescit. Obsequium non quærit, neque vt sibi quispiam morigeretur. Nouit enim vetus prouerbium: *Magna mercede emit, qui deprecatur, neque paruum accipit precium, qui rogatur.* Euripidis quoque sententia est, *non paruum esse malum, amicos experiri.* Porrò in tribuendo erogandoque semper excedit. Nam sicut alijs gratiã debere erubescit, sic ab alijs gratiam sibi deberi gaudet. Magnanimus cum clarioribus libenter decertat, pudet enim eum cum ignauis ignobilibusq; certare. Cæsar in bello Alexandrino Ptolomæum Regem captiuum asseruari iusserat, verùm illum petentibus Alexandrinis reddit, quanuis enim illorum fallacem mentem perfidamq; planè dignosceret, noluit tamẽ vt illi regijs auspicijs regioq; ductu eo bello careret. Simulq; vir animi peregregij splẽdidius honestiusq; putabat se cum Rege, quam conuenarum fugitiuorumq; colluuione decernere, & præcipuè cùm superioribus prælijs Achillam ac Ganymedem Eunuchos militiæ duces contra se habuissent Alexandrini. Multi quidem militum consilium Cæsaris non probabant, quãdoquidem bellum longè difficilius fieret: ex euentu tamen cognouerunt victoriam pleniorem illustrioremq; extitisse.

Prouerbium.

Iniuriæ quoque magnanimus quàmprimùm obliuiscitur, nisi eam subitò vlciscatur. Quæ virtus in eodem Cæsare plurimum illuxit: omnia enim memoria tenaciter quum teneret, iniuriarum solummodo quamprimum obliuiscebatur, nisi eam subitò vlcisceretur. Odij similiter simulatisq; memoriam non seruat

uat: præterita enim mala non diutius animo reuoluit, ſed negligit, vt qui ea omni ex parte contemnat, & idcirco facilè ignoſcit, quum ſibi indulgeri non quærat. Neminem autem iniuria afficit. Anguſti ſiquidem animi omnino eſſe putat, aliquẽ ſine manifeſta cauſa laceſſere. Nemini etiam maledicit. Non ſua intereſſe exiſtimat vt quiſpiam malè audiat, aut vituperetur, vt vecordes quidam facere conſueuerunt, qui maledicta in alios laudi ſibi accedere opinantur, & aliorum laudes probroſè in ſe dici autumant. At verò qui animi magnitudine excellit, pulchrè in alios dicta multa cum iucunditate audit, eadem quoque verba quaſi virtutis præmia eſſe exiſtimat, quæ quidem ſibi etiam deberi pro comperto ducit, quum à virtute ipſa nulla ex parte diſcedat. Præterea qui in alios maledicit, malè etiam vt audiat conſentaneum eſt. Contumeliam ſi dices, contumeliam quoq; audies, inquit Plautus. Præclarè Cato ſenior in procaciorem loquacioremque iuuenem ait: *Iniqua mihi tecum eſt conditio, tu enim & malè audire, & dicere ſolitus es: ego autem & malè dicere abhorreo, & malè audire non conſueui.* De ſe ipſo parcius loquitur. Nam ſi aliquid rectè à ſe factum diceret, iactantior petulantiorque videretur, & quaſi miles glorioſus facinora ſua narrare. Præterea virtutem tanti eſſe exiſtimat, vt ea neque vindice neque præcone indigeat, teſtimonioq; ſuo contenta teſtes omnes alios negligat. Dionyſius Syracuſanus quum Platonem hoſpitem contumelioſè maleque habitum dimitteret, ait: O *quàm multa in nos probra, quum fueris cum æqualibus ac diſcipulis tuis iactabis*: Tum Plato: *abſit vt in Academia tantum ſit ocij à ſapientiæ ſtudijs, vt malè etiam dicendi locus relinquatur.* Eodem pacto vir animi ingenui dicere poteſt, non ſibi à magnarum rerum meditatione tantum ocij dari, vt quod inter ocioſos atque oſcitantes fieri ſolet, maledicere poſſit, quum anguſti animi ſit aliena carpere, ſua autem negligere. Magnanimitas ſanè ea virtus eſt, ſine qua Reges ac Principes nequaquam rectè imperare poſſunt. Multa enim quotidie accidunt, quæ formidoloſa eſſe videntur, &

vana opinione vulgi & leuitate, ac multorum ignauia exitium de se facilè præbere possent, quibus sola animi præstantia quamprimum resistit, & ad optimum exitum plerumque perducit. Hinc scitum illud Alexandri cognomento suo, nempe Magni, procul dubio maximè conueniens: *Mori præstat, quàm precariò imperare.* Ille enim precariò imperat, qui hac virtute caret, quique animum contrahit, & diuerso in rebus arduis cogitationum flumine obruitur, nihil ex suo consilio deliberat, sed ex alieno semper pendet, & ad omnem tenuissimi spiritus auram flectitur, vel paucis hominibus se credit, quorum arbitrio omnia permittit, adeò vt ex eorum commentario imperium gerat, reliquis autem neutiquam auscultet. Hic enim plerumque decipitur & perperam agendo populos infensos reddit, luitque aliquando malorum pœnas amicorum. Clamabat nõnunquã se miserũ Verres (vt ait Cicero) quòd non suis, sed suorum comitum peccatis & criminibus premeretur. Flauius Vopiscus Syracusanus scribit se de patre audiuisse, Diocletianum Cæsarem quum adhuc priuatus esset, dicere solitum, *Nihil difficilius esse quàm bene imperare.* Conueniunt enim quatuor, quinque plus minus, clam consilium ad circumueniendum principem ineuntes, quę dicunt, verisimilibus adumbratisve rationibus fulciunt, & sua fallaci impostura imperitam vulgi multitudinem cum Principe excipiunt. Imperator autem, qui domi clausus est, vera ne nouit quidem: at cogitur hoc tantum scire, quod illi mussitant, facitque quod nouitius ille figulus Corinthius, qui dum vrceum fingere gestit, amphoram format. Sic Rex quoque figulo forsan ineptior, dum iudices facere debet, Geryonaceos quadruplatores tribunali præficit. Iustitiam castissimam Iouis Optimi Maximi filiã procis salacibus pro peritissimis nomophylacibus despondet, atque collocat. Aegyptij suis notis hieroglyphicis iustitiam (de qua paulò mox proximo volumine non pauca dicemus) significantes, virginem pingunt ciconiæ insidentem. At verò nostrates re-

Diocletiani dictum.

Figulus Corinthius.

Iustitiam Aegyptij qua nota scribunt.

tes rectius, & (quod dicunt) ad viuum depingunt insidere, atque obnixius adhaerere τῷ ὀνίσκῳ δίποδι, id est asello bipedi. Quo circa nihil difficilius inuentu rariusque bono principe esse potest. Age verò ille bonus erit princeps, qui magnitudine & amplitudine quadam animi excellens, non modò sibi in re bellica primas partes vendicabit, sed & in rebus quae quotidie aguntur, se prudentia, consilio & diligentia priorem esse ostendet.

Imperatori Galbae exitio fuit, quòd trium virorum arbitrio, quos assiduo cõtubernio semper secum habebat, regebatur, quibus se adeo permiserat, abutendumque tradiderat, vt vix sibi ipsi constaret, & ex illorum sententia semper penderet, neminique ad eum nisi per illos aditus patebat. Horum primus erat Oninius dispensator pecuniae, qui praesenti fortuna sine discrimine aliquo implebatur, & optimè instituta à Galba omnia euertebat. Quae quidem res Galbae nõ modò odij causa extitit (omnia.n. Imperatori imputabantur) sed exitij etiam ac caedis. Fuit autem Oninius ab ineunte etate furacissimus, cui facetè admodum illusit aliquando Cl. Caesar. Nam quum eum conuiuam pridie habuisset, omnesque aureum poculum illum surripuisse suspicarentur, postridie eidem reuocato fictilem calicem apponi iussit. *Galba Imperator.* *Claudij Caesaris commentum.*

Attossa Cyri filia (vt scribit Herodotus) quum cerneret Darium, qui cum nupta erat, molliter ac submisse imperare, dum in cubiculo cum eo esset, remotis arbitris his propè verbis illum allocuta est. Mi Rex, quum tantum opum ac copiarum habeas, cur resides, nihilque dignum tanto Rege moliris? nullam neque gentem neque potentiam Persarum addis imperio? Par est enim, iuuenem & tantarum rerum dominum aliquid edere, quo etiam Persae cognoscant sibi virum praeesse. Quod vt facias, duabus de causis interest, vt Persae & eum qui ipsis praeest, virum esse intelligant, & bello atterantur, ne per ocium tibi insidias tendant. Nunc itaque aliquod opus edas quãdiu in etate es iuuenili. Adolescente.n. corpore ingenium pariter ac vires adolescunt, senescente autẽ cõ- *Herodotus in Thalia.* *Attossa consilium Dario Regi.*

senes-

senescunt, & tunc virtus ad res omnes elanguescit. Puduit hercule virum ignauiæ à muliere increpari, & confestim de bello Græcis inferendo meditari cœpit.

Appij Claudij sententia. Sentētia illa Appij Claudij, qua dicebat negocium populo Romano melius quàm ocium committi, nō modò ad vnum, sed ad omnes ferè populos, Reges, ac Principes dicta esse videtur. Excitantur enim animi celsiores ad virtutem maximarum rerum meditatione, ocio verò & quiete torpent, & in desidiam ignauiamque soluuntur. Verum est illud M. Catonis oraculum (vt Columella ad agricolas ait) *Nihil agendo homines male agere discunt.* *Columella ca. 1. lib 12.* Sed ne longior in hac parte sim, concludendum erit ex Isocratis mente, qui Regi suo præcipit, vt magno ac præstanti animo quæcunque ab eo agenda sunt, agat: nihil studij nihilque curæ ac laboris prætermittat, vt quanto opibus ac potentia præstat, tanto dignitate, virtute, atque animi excellentia cęteros omnes antecellat. Hęc satis de magnanimitate, cui contraria est animi angustia siue animi paruitas, quàm vnico verbo Græci μικροψυχίαν appellant.

De fiducia. TIT. IX.

Fiducia. Fiducia species altera nominatur: quæ est presagitio quędam futuræ prosperitatis. Hæc ab optima spe, siue à considerata ratione proficiscitur. Ex consuetudine nanque vincendi, fiducia victoriæ plerumque manat, vt ait Aristoteles: Sic quoque ex continua prosperitate spem fœlicitatis habemus. *Nero.* Nero Imperator ad sæuitiam temeritatemque natus, tantam ex perpetuo rerum successu fiduciam conceperat, vt quum naufragio preciosissimas quasdam res amisisset, non dubitauerit magna cum fiducia inter multos dicere: Pisces eas omnes ad me referent.

Centurio Cæsaris. Quidam C. Cæsaris centurio Romam missus, quū pro foribus Curiæ staret, accepissetque imperium Cæsari à Senatu non prorogari, ait manu ensis capulum

lum pulsans. Hic vtique prorogabit. Et quum Pharsalica pugna iam parata esset, omniaque equorum atque hominum strepitu fremerent, vidit Cæsar C. Crastinum decem alarum ductorem castra egredientem, quem nomine compellens, quid de pugnæ euētu speraret, rogauit. At ille dexteram prætendens ait, Vinces Cæsar, & me viuum, aut certè mortuum laudabis: quorum vtrumque verum extitit. Nam & vicit Cæsar, & Crastinum, qui fortissimè pugnando occubuerat, pro concione laudauit. *Crastinus.*

Modesta admodum fiducia fuit Androcliadæ Spartani, qui ad eum qui se irridebat, quòd claudicans in aciem prodiret, ait: Vt pugnem, non vt fugiam descendo. *Androclidas Lacon. Ex Plutar. in apohtheg. Laconicis, & Valer. Max. l. 3. de fidu. sui.*

Et Leonidas Persæ cuidam iactantius dicenti: Frustra conamini ô Spartani, cras enim præ telorū multitudine solem non videbitis: respondit: In vmbra igitur commodius pugnabimus. *Leonidas.*

Hanc fiduciam euentum rei præsagire quidam Stoicorum sentiunt: Et vincendi initium fiduciam esse Pindarus affirmat, eamque manare opinatur à diuina mentis nostræ ratione, à qua futura nonnunquam præscire videamur. Siquidem non modò dormientibus nobis secundum quietem multa apparēt, quæ vera reipsa deinde esse cernuntur, sed etiam vigilantibus, vel subito quodam animi iudicio, vel ex apparitione illa quam Græci φαντασίαν appellant. Talis præsagitio magnis optimisque viris sæpe occurrit in arduis ac dubijs rebus, & præcipuè Regibus ipsis, quibus à summo Deo concessum est vt gentibus, regionibus, populisque imperent. Iustus enim Rex, qui acri animo rebus agendis excubat, quique Deo optimè conciliatus est, multa præsagit, multaque prædicit præmonitus commercio numinis socij natiuitatis nostræ, quem veteres Latini Genium, siue vitæ præsidem appellauerunt. Hunc Plato in Symposio pūtat nobis testem vitæ à Deo esse datum, à quo cuncta nobis denunciantur: qui & multa quæ admiranda videntur quæque futura sunt, præsagitione quadam nobis prædicit, & inter quietem admonet, *Rex Deo conciliatus multa præsagit. Genius.*

monet, vel per apparitionem edocet. Homerus Genium inducit ad fortes viros sæpe loquentem, & eos in prælijs adiuuantem, ac monentem in rebus arduis quid facto opus sit. Genius communi Græcorum nomine δαίμων appellatur propter intelligentiam, sapientiam, ac facilitatem, quam hominibus præstare dicitur, & exinde à poëtis sæpe pro animo ponitur. Hoc est numen illud à quo se moneri dicebat Socrates vir innocentissimus, cuius monitu Critiæ tyrannorum deterrimo, qui ad eum cicutæ poculum miserat, mortem præsagiuit. Nam cùm illud intrepidus biberet, ait: Propino hoc pulchro Critiæ, qui paulò pòst miserabiliter cum cæteris tyrannis, quos Atheniensibus præfecerant Lacedæmonij, cæsus est, & necati per iniuriam Socratis pœnas dedit.

Socrates. Critias tyrannus.

Plutarchus vir doctissimus scribit Aegyptium quendam philosophum Antonio comitem fuisse, qui diuersas hominum naturas ac diuersa fata ex solo aspectu se cognoscere profitebatur: is Antonio dicebat fortunam splendidam quidem esse, tamen hortari se, vt Octauio se non conferret, quando eius genius illius genium reformidaret. Huius rei fidem ex hoc faciebat, quòd cùm inter se talis aut tesseris luderent, semper victor euaderet Octauius: & cùm pugnacibus gallis, coturnicibus aut ortygibus decernerent, semper dimissæ ab Antonio succumberent. Quo quidem exemplo docemur veteres opinatos fuisse præstantiorem intelligentiam, ac clariorem natiuitatis genium, vitæque comitem diuinitus illis dari, qui regnaturi essent, quàm illis qui succubituri forent, vel priuatam vitam victuri.

Est etiam aliud fiduciæ genus huic non omni ex parte dissimile, cui maximè credebant clari quidam viri doctrina, virtute, dignitate, auctoritate, aut longa experientia præditi. Hi nonnulla aliquando dicunt aut faciunt singulari quadam fiducia freti, quæ ab omnibus probari velint, etsi nullam rationem adducant, nullumque testem habeant.

Agebatur Athenis Euripidis tragœdia quædam, ex qua ciues omnes maiorem in modum rogabant,

vt sententia quædam quæ importuna eis esse videbatur, tolleretur. Tunc Euripides subitò progressus in scenam, ait se vt populum doceret tragœdias dare, non autem vt ab eo doceretur. Cuius dicto omnes auscultantes, placidè ac quietè spectauerunt, nec ausus est quispiam in poëtam illum mussitare. *Euripides.*

Scipio quoque Nasica vir bonus cognominatus, obstrepente populo in caritate annonæ, exclamauit: *Tacete quæso, Quirites, plus enim ego quàm vos quid Reipublicæ expediat intelligo*: cuius auctoritatem omnes veriti, tacito silentio quieuerunt.

Nec iniquo animo tulit Iulius Cæsar quum in collegium poëtarum accessisset, quòd Accius poëta ei non assurrexit: nouit enim illum non contemptu maiestatis id egisse, sed fiducia quadam sui ipsius, qua putabat se in poëtarum studijs antecellere.

Magna fiducia aliquando in Alexandrum vsus est Appelles: nam quum sæpe in eius officinam accederet, plerunque de pictura imperitè dicebat, cui artifex silentium comiter indicebat: rideri enim eum aiebat à pueris qui colores tererent. Ferebat ea Alexander æquo animo, tantũ auctoritatis ac iuris huic pictori tribuebat. *Alexander.* *Appelles.*

Videndum tamen est vt fiducia modesta sit, & à virtute proficiscatur, non autem ab improbitate ac petulantia. Fieret enim arrogantia, quod quidem crimen deterrimum est, & inuidiam, odiumque hominum vehementer incurrit, quum ea per temeritatem quispiam sibi arrogat ac præsumit, quæ neutiquam sui iuris ac dignitatis sunt, sed alijs debentur.

Arrogãtiæ incessebatur ab alijs philosophis Chrysippus, quum ex alienis libris integros locos accipiebat, & suis interserebat sic manifestè, vt Appollodorus Atheniensis diceret: *Si de Chrysippi libris aliena tollantur, candida charta remanebunt.* Præterea profitebatur se solum omnia scire, vnde per irrisionem vulgò dicebant: *Solus Chrysippus sapit, cæteri omnes vt vmbra agitantur.* Poëtæ vt eiusmodi arrogantes carperent finxerũt Thamyram, quum de harmonia musas prouocas- *Chrysippus.* *Thamyras.*

uocasset, oculis fuisse priuatum, & cytharisticam didicisse.

Amphicrates. Amphicrates Atheniensis rector non vulgaris rogatus aliquando à Tigrane, vt in suo regno bene dicendi disciplinam publicè docere vellet, respondit Pelium delphinem nō capere: quod quidem dictum arrogantiæ potius quàm fiduciæ asscribi potuit.

Hippocrates. Simili fiducia vsus etiam dicitur Hippocrates: nam magnis pollicitationibus accersitus à Rege Persarum, arrogantius respondit, nolle se Barbaris atque hostibus Græcorum artis suæ opem auxiliumque afferre. *Zeuxis.* Zeuxis quoque arroganter locutus esse videtur, quum Helenam pinxisset, dixit enim se eiusmodi formam fuisse comprehensum, qualem nec Læda cœlesti partu ediderat, nec Homerus diuino ingenio exprimere potuerat.

Alexādri nimia fiducia. Obseruent in primis Reges ne nimia fiducia sibi ipsis, regnóve obsint. Alexander à Chaldæis per Nearchum monitus est, ne ad Babylonem accederet, imminere enim ei fatum, si monita contemneret, prædicebant. Et quum monita spreuisset, & iam penè in vrbem accessisset, vidit complures coruos in aëre acerrimè colluctātes, quorum aliqui antè eius pedes prolapsi ceciderunt, ipse tamen nihilominus nimia quadam fiducia fretus & omen & præsagium contēpsit. Et intra paucos dies enectus perijt, docuitq; nimiam fiduciam, & nimis incredulam mentem plerumque hominibus obesse.

Cæsar. Cæsari exitium multi prædixerant, & vt custodes corpori suo adhiberet multi eum orabant, operamque suam vltro pollicebantur: ipse autem respondebat miserum esse eum Principē, qui à satellitibus custodiretur, cuius deinde exitus planè edocuit fatum facilius prǫuideri, quàm vitari posse. Hostium quidē, & omnium qui potentia aut audacia formidandi sunt, manus obseruare debet, qui imperat, & fidem recōciliatæ gratiæ suspectā habere. Iniuriæ .n. vulnus altius penetrat quàm beneficij gratia. Proinde grauis iniuriæ plaga serò cicatricē ducit, & rarò benignitate aut beneficio vincitur. Honoris ac gratię memoria

citò

citò excidit, damni autem atque iniuriæ dolor diutius permanet. Videat ergo Rex cui se credat, & ei quem læserit, nunquam se permittat. Reconciliatæ amicitiæ fides semper lubrica atque infirma haberi solet. Libata pocula à fidissimis ministris hauriat. Cibum quoque exploratum diligenter, prægustatumque semper à pluribus accipiat. Nullum locum, nullam regionem, nullam affinitatem, nullamq; necessitudinem satis tutam esse à veneno putet. Virus quidem ac toxicum vix vnquam nisi à familiaribus miscetur. Scitum est quod vulgò dicitur: *Nullum regnum sine parricidio fuit.* Amara, arida, putrida, rancida, & omnia quæ mali odoris atq; insoliti saporis sunt, quamprimum respuat. Non enim tam nouerca nobis natura fuit, vt quæ nocitura essent, boni odoris bonive saporis faceret. Nemini se tam familiarem præbeat Rex, quin possit (si opus fuerit) ei sine periculo succensere, aut sine rerum mutatione. Deterrimi enim consilij est, amicos ad parem vsque potentiã efferre. Vera est enim illa Publij Syri sententia, quum ait, *ita cum amicis esse versandum, vt cogitemus eosdem aliquando inimicos nobis fieri posse.* Et sobria habenda est sentẽtia, qua dicitur. *Nulli te facias nimis sodalẽ: Gaudebis minus, et minus dolebis.* Non putet per fiduciam sui Rex se quãprimum rem intellexisse, sed diligenter auscultet, & aures æquas omnibus præbeat, quas quidem sicut in libra lances, sic eas pares semper esse oportet: & veluti ponderibus impositis altera latus deprimitur, sic Regis animus perspicuis ac veris rationib. cedere debet. Non opulentia & fortuna homines æstimet, sed virtute ac moribus. Virtutẽ enim ac mores quisque sibi propria electione accipit, cõditionem verò ac diuitias casus tribuit. Nõ enim in nostra potestate sunt conditiones humanæ: ad bonam siquidem aduersamq; fortunam, qualis quisq; sit, aut quomodo vixerit, nihil interest.

Regis obseruantia in victu qualis.

Ex conuersatione æquali contemptio dignitatis nascitur.

Seneca Tragici sentẽtia.

Simile.

Laudant qui res Atheniensium scribũt, Miltiadem Cimonis filium, dicuntque illum non modò bellicis, sed ciuilibus etiam artibus fuisse præstantissimum: cuius grauitas tantæ humanitati ac comitati con-

Miltiades.

iuncta erat, vt nemo tam formæ humilis esset, cui nõ ad eum perfacilis semper pateret aditus, qua ex re omnium mortalium gratiam assequebatur. Fiducia igitur virtus erit perutilis in rebus gerendis, nisi ea is qui cum imperio est abutatur, & per superbiã agat, quæ per fiduciam se agere existimet, vel minus cautè in rebus prosperis agendo, incuriam neglig ẽtiamve, appellet. Turpissimum enim est non succedente euentu, & vrgentibus rebus aduersis dicere: Non benè aduerteram, non probè intellexeram: vel culpam in alios transferre, vt plerunq; à Principibus quibusdam fieri solet, qui prospera sibi arrogant, aspera autem alijs imputant.

De securitate. TIT. X.

Securitas.

SEcuritas illa, quam ἀσφαλείαν Græci appellant, fiduciæ proxima accedit: quæ est virtus animi excelsi, qui postquam præuidit quę per prudentiam pręuideri possunt, liber est ab omni cura, omnique solicitudine, & paratus labores omnes subire, ac dolores decori gratia perpeti, & mortem etiam oppetere. Qua qui affecti sunt (vt ait Cicero) in eadem causa sunt, qua fuerant antequam nati fuissent. Quinetiam qui optimè vixerunt, & bene de hominũ genere meriti sunt, non modò famam ac gloriam sperare possunt, sed perpetuam etiam ac sempiternam cum diuis immortalitatem. Angusti quidem animi est cor semper corrodere, hoc est assidua cura cruciari. Postquam quispiam præstiterit quæcunque per prudentem virum præstari potuerint, tunc profectò decet eum securũ esse, & Deo rerum omnium optimo gubernatori reliqua permittere: ac cum hominibus placidè versari, & hilari vultu rebus alijs, quæ singulis horis accidũt, indulgere, & animo conquiescere, né videatur ex vnius rei cura solicitus esse, & res omnes alias per incuriam dimittere: quod quidem homines ignaui atque inertes facere solẽt, qui tantisper res omnes alias negligunt, dum exitum alicuius impendentis rei expectant.

Cor corrodere.

Nimia anxietas fugienda Regi.

pectāt. Hæc est solicitudo illa, quam mœstis amicam esse dicunt, quum vecordes quidem aspectum congressumque hominum fugiunt, vt liberius mœrere, ac muliebriter eiulare possint, ne salutares amicorū sermones audiāt, quibus persuasi aliquādo conquiescant. Consolationis sermones prudenter adhibendi sunt, & molitie ac misericordia aliqua conspergendi, vt iucundi esse videantur, & ab illius mente non omnino abhorreant. Optimi quidem medici est quandoque minimā cibi indulgentiam ægroto permittere, quò faciliùs quæ salutaria sunt accipiat, celeriusq; sanetur.

Pompeij securitas nimia.

Pompeius contra Cæsarem maximum parauerat exercitum, cui non modò par viribus esse videbatur, verùm longe præstantior, & iam securus animo quiescebat, & in eos qui formidandam Cæsaris potentiam monebant: *Securi estote*, dicebat, *& mihi hāc curam dimittite. Nam quum primùm terram Italam pede pulsabo, scatebunt vndique equestres pedestresq; in Cæsarem copiæ*, vnde non diu pòst quum spes eum (vt adsolet) fefellisset, & miseranda clade apud Pharsalum profligato exercitu profugisset, multi per ludibrium dicebant: *Instauret exercitum nunc Pompeius, & accipiat alias, quas pulsata pede terra Itala ad eum mittit copias.* Sed spes bona, quæ ab animi magnitudine proficiscitur, sæpe in maximis rebus magnos viros decipit. Nemo enim inueniri potest, qui in rebus dubijs fortunam suam in consilio habeat: nec etiam quum de alienis deliberat, futurum euentum diuinare potest.

Pompeianorū securitas.

Democritus de seipso.

Hæc securitas tanti apud philosophos olim fuit, vt in ea beatam vitam statuerent: securitatemq; esse dicebant, quum nullo metu, nulla superstitione, aliáve perturbatione animus agitetur, sed sine cura aliqua quiescens se ipso suisq; bonis frueretur. Huius opinionis auctorem Democritum magnum illum philosophum extitisse dicunt, qui varijs doctrinis, vberique sapientia ornatus eiusmodi de se ipso sentētiam protulit. *Sapientes multos audiui, nec quisquam me in demonstratione linearum superauit, neque etiam Aegyptij ipsi. Octoginta enim annos discendi gratia longè à patria pera-*

graui: Babylonem, Aegyptum, & Persas, vt disceret, alij. Hic summum bonum (vt dixi) in animi securitate posuit, quæ est (vt Cic. exponit) animi tranquillitas. Sed eam Democritus, ἀδείαν appellat, & hanc fœlicitatem esse opinatur. Quidam tamen alij γαληνοθυμίαν animi tranquillitatem esse dicunt, ἀμεριμνίαν verò securitatem.

Elysij campi. Insula fortunata, vbi sita. Non desunt qui hanc opinionem Homero tribuant, qui vt securitatem exprimeret, Elysios campos finxit, in quibus piorum sedes statuit, easq; Atlanticas insulas esse cecinit, quas nostri Fortunatas appellant, Græci verò poëtæ μακαρονήσους dicunt. Has Cosmographi decem millibus stadiorũ à Lybia stare affirmant, easque duas esse aiunt omnibus bonis refertas, quæ quidem nulla imbrium iniuria pulsantur, sed solis zephyris semper roriferis adspirantur. Solum in illis præpinguescit, nullo hominum aut boũ labore fœcundum, atq; ex deciduis seminibus perpetuò feracissimum. Aër etiam saluberrimus, & omni tempore temperatus, qui multitudinem ociosam feriatam inoffensa semper valetudine optimè nutriat. Gens illa certaminum ac belli inscia, adeò longæuam vitam agit, vt fabulæ locus sit, eam cũ diuis æuo frui sempiterno.

Sertorius. In Hesperijs regionibus quum imperaret Sertorius, & fama ei illarum insularum percrebuisset, memor etiam Homerici testimonij, de adeundis illis diutius cogitauit, vt dimisso exercitu tandem securè ac quietè ageret, sine ambitione ac magistratu, & sine aliqua bellorum cura. Qui si id egisset, aut aliqua ratione securam quietamq; vitam statuisset, non inuitatus à Perpenna per proditionem in cõuiuio tam miserabiliter cæsus fuisset.

Pompeiũ perdidit ambitio. Pompeius vir tanti nominis, tantæque gloriæ, si ante ciuile certamen se (ambitione relicta) securitati quietiq; tradidisset, in tam miseram seruitutem, diramq; mortem nunquam incidisset, qui etiam infœlicitatem futuri fati præuidit. Conscensurus enim proditorum nauiculam, conuertens oculos ad Corneliam coniugem, & ad filium suũ, Sophocleũ illud iambicum protulit:

Qui-

Quicunque in tyranni domum proficiscitur,
Illius fit seruus,licet liber sit is.

Non tamen prçuisum fatum cauit,sed ad spadonũ arbitriũ trucidatus est, consilio Theodori Chij præceptoris Ptolemęi iunioris,qui ait leonem mortuum non mordęre.Pompeius quidem omni exequiarum pompa caruit, & translato funere tumulatus est ad Cassinum Aegypti oppidũ finitimum Pelusio, quod quidem Peleus Achillis pater cõdidit, lustrare Deorum monitu iussus in lacu, qui eiusdem oppidi muros abluit,cùm furijs vexaretur post interfectum à se fratrem Phocum nomine.

Sylla hoc solum fœlicitatis mihi habuisse visus est, quòd dictaturæ tyrannidem vltro deposuit, & ad quietam vitam se contulit, contentus venatione & aucupio ac rustico ocio. *Sylla.*

Alexander quoque Macedo missum ad se oratorem Phocionem Atheniensem rogauit, quid sibi vt ageret suaderet. Tum ille: *Censeo*, inquit, *vt arma,atque exercitum dimittas, & securam tranquillámq; vitam agas.* Alexander risit, nec vlla ex parte illi auscultauit, sed gloria exultans, inchoatam militiam exequi destinauit: verùm enimuero quum iam suis etiam formidini atque odio esse cœpisset,veneno ad Babylonem ab Iola enectus creditur,in medio victoriarum cursu,quũ viridi tunc ætate floreret: quartũ enim & trigesimum agebat annum, & robore corporis,& animi virtute plurimum præstabat. Alijs autem in rebus Phocioni multum detulit. Eum nanque amicum vocabat: & victo Dario,quum magnus ex virtate cognominaretur, nulli mortalium salutem per literas dicebat,nisi Phocioni, & Antipatro, quos solos initio literarum saluere iubebat. *Alexandri mors.* *Alexandri mos scribendi epistolas.*

Vtilis igitur omnibus qui cum imperio sunt, securitas est, non modò illa quæ ad vitam beatam pertinet, quæ fœlicitatis effectrix est ex Democriti sententia, verùm etiam quotidiana hæc quæ longè minor esse videtur. vultum enim Principis hilarem serenumque ostendit, & placati quietiq; animi est index. Vultus quidem (vt Cicero in libris de legibus

Vultus in homine tantùm.

scribit) in nullo animante esse potest præter hominem, cuius mores indicat, & ab animi voluntate fingitur: dicimus enim hominem læto hilarique vultu esse, vel tristi, minaci, iratóve, & ex eo animi habitum dignoscimus, ac subitæ voluntatis mutationem. Magnum siquidem onus inter mortales est, personam Principis sustinere atque tueri, quando quidem eum non solùm hominum animis, sed oculis quoque instruire decet. Vt enim serenum quietumque cœlum maria omnia tranquilla pacataque reddit, & omnis tempestas omnisque fluctuatio ex illius serenitate quiescit: sic ex Principis vultu ac serenitate omnium ciuium animi placantur, & ex communi spe omnium concordia augetur. Vt ex vultu spem prætendi, & bene affectum ostendi doceret Maro, quum de Rege deorum atq; hominum loqueretur, eiusmodi versus cecinit:

Olli subridens hominum sator atque deorum,
Vultu quo cœlum tempestatesq; serenat,
Oscula libauit nato, dehinc talia fatur.

Princeps verò morosus ac tristis aliorum animos perturbat, anxiosque reddit quid acturi sint. Nec quicquam potest in rebus dubijs atque aduersis periculosius esse, quàm vt ex vultu Principis intelligatur rem in præcipiti esse discrimine. Proinde simulando atque dissimulando sæpè contraria vt ostendat oportet.

Hannibal hilariorem mutata fortuna se cunctis ostendebat, vt cordis dolorem tegeret, ne mœrore vultus sui alijs animum præriperet, & ne ab omni spe protinus decidisse videretur. Et Cæsar fleuit quum ei oblatum esset Cn. Pompeij caput, cum quo tanto tempore non modò de Imperio, sed de vita quoque certauerat. Nunc res admonet vt huic speciei finem præscribamus.

De

De magnificentia TIT. XI.

MAGNIFICENTIA locum suum nūc sibi vendicat: quæ quidem virtus solis Regibus ac principibus conuenit. Opes enim singulorum vix tanti sunt, vt liberalitatem præstare possint, quæ mediocritas quædam esse debet. Inter auaritiam & prodigentiam optimè Aristoteles liberalem sentit esse eum, qui secundum vires sui patrimonij erogat quibus oportet, & quando,& quantum oportet. *Magnificētia regibus & principibus tantum conuenit.*

Magnificus verò à liberali differt: ille enim circa magna & publica, hic autem circa parua & priuata versatur. Atque magnificus ipse longè magis cogitat quemadmodum pulchri aut sumptuosi aliquid agat, quàm quanti constet. Hac animi præstantia Iulius Cæsar, vt compluribus etiam alijs virtutibus plerosque alios anteiuit: tanta enim hilaritate, tantoque splendore elargiebatur, vt quæcunque etiam cum collega ageret, ei soli à populo adscriberentur. Quocirca M. Bibulus qui cum eo ædilitatem gesserat, id sibi euenisse dicebat, quod Polluci: vt enim geminis fratribus ædes in foro consecrata Castoris tantùm diceretur, ita suam & Cæsaris munificentiam, vnius Cæsaris dici. Quinetiam (vt Tranquillus quoque refert) hi versus circunferebantur: *Magnificus à liberali differt.*

Non Bibulo quicquam nuper, sed Cæsare factum est:
Nam Bibulo fieri consule nil memini.

In ea enim ædilitate trecenta ac viginti gladiatorum paria exhibuit, & in spectaculis, pompis, conuiuijs, congiarijsque cunctorum superiorum magnificentias superauit hilaritas Cæsaris: in elargiendo gratior erat ciuibus, quàm ipsa munerum erogatio. Prudenter quidem locutus est Dionysius Halicarnasseus, quum ait. *Dona voluntaria dantibus gratiora sunt quàm coacta, accipientibus autem firmiora.* *Dionysij Halicarnassei sententia.*

Regem suum Isocrates monet, vt in apparatu

ſplendidiſſimus ſemper ſit, ſed magnificentiam potius in his rerum ſumptibus declaret, quæ perpetuũ fructum ex ſe præbent, & munificentiam longè magis exhibeat in amicis comparandis: vtrunque enim fecit Cæſar. Nam (vt opera complura omittam, ne ambitioſior eſſe videar in rebus Cæſaris recenſendis) hoc neutiquam prætermittendum eſt, quòd bibliothecas Græcas Latinasq; maxima impẽſa comparari fecerit, data cura M. Varroni comparandarum regendarumq;. Sed has bibliothecas fortuito incendio abſumptas, diu pòſt Domicianus Imperator reparari inſtaurariq; fecit, exemplaribus vndique petitis, miſſisq; Alexandriam vſque viris eruditis, qui deſcriberent, atque emendarent. Amicos quoq; quoſcunq; potuit ſibi conciliauit Cæſar, neque ſumptui neque impenſæ vnquam pepercit. Magnificentia publicorum ædificiorum magnam meruit laudem, in qua Romanus populus ſicut in alijs rebus omnes gẽtes antecelluit, adeò vt ridenda Pyramidum miracula, & Labyrinthi vertigines eſſe videantur. Extruxit enim Cæſar circum maximum longitudinis ſtadiorũ trium, latitudinis autem vnius: quod quidem opus admiratione dignum extitit. Sed præuentus morte maiora quædam opera inchoata reliquit. Aream enim in qua deinde Auguſtus forum ſtatuit, ipſe Cæſar deſtinati operis gratia magno emerat.

Circus maximus.

Pantheon M. Agrippa Romæ dicauit.

Magnæ laudi M. Agrippæ fuit non modò aquæductus & cloacas perfeciſſe, ſed templum omnium Deorum, quod Ioui vltori vouerat, & alia multa admiranda opera erexiſſe. Cloacarum tamen opus omnium maximũ fuit, vt paulò antè dixi ſuffoſſis mõtibus, & magna ex parte vrbe penſili facta. Id inchoatum fuerat à Priſco Tarquinio plebeiorum manibus, qui labor & longus & periculoſus adeò extitit, vt multi Quirites ſibijpſis laboris tædio mortem conſciuerint, quorum cadauera Rex crucibus ſuffigi iuſſit, & feris volucribusq; relinqui, vt pudore reliqui affecti à ſeipſis deinceps manus abſtinerent. Non tamen opus perficere valuit Priſcus: fuit enim magni impendij, & diuturni laboris, erat ſiquidem cauearũ

ampli-

amplitudo adeo magna, vt fœni vehem largè onustam facilè transmitteret, vt Plinius refert. Agrippa tandem post tot secula aucto populo, propagatoq; imperio cùm Aedilis esset, opus illud perfectè consummauit. Sylla proscriptionis & crudelitatis suæ infamiam aliqua ex parte aboleuit, quum theatrum tanti impendij tantæq; admirationis perfecit. Cuius triplex scena tot hymetijs columnis nitebatur, & æreorum signorum inter columnas tria circiter millia cernebantur, & cauea capax erat octoginta millium hominum. Sed si rectè iudicare volumus, nulla monumenta præter literas gratiora aut diuturniora sunt illis, quæ ex nouorum operum splendore comparantur. *Plin. ca. 15. lib. 36.*

Antiqua sanè fuit hæc magnorum ædificiorum gloria, quam à priscis temporibus Regum Aegypti Diodorus Siculus recenset. Et de sepulchro Simandij Regis adeo admiranda quædam enarrat, vt fidem veritatis transcendere videatur, & præcipuè in aureo circulo, cuis ambitum trecentorum sexaginta quinque cubitorum fuisse dicit. Soliditatem autē vnius, in quo per singulos cubitos descripti erant singuli dies anni, & omnes astrorum ortus atque occasus, & quicquid futurum ab illis significaretur. Sed omnem magnorum ædificiorum excellentiam præuertit statuendarum vrbium magnitudo, quæ Romulum ex pastore fecit Regem, & complures alios magnos splendore illustrauit. Hanc gloriam multi antiquorū Regum quæsiuerunt. Tithonus Memnonis pater vrbem statuit, & eam à matris nomine Casiam (vt Aeschylus tradidit) nuncupauit. Eam diu pòst Cyrus regiam sibi fecit, & mutato nomine Susiam esse voluit. Babylonem statuit Semiramis regina, quum successisset Nino. Miletum Neleus, Smyrna Amazonum regina quum Ephesi regnaret, Smyrnam condidit Homeri patriam. Prienem ad Mæandri ostia Philotas, Teium Athamas, vnde Anacreon lyricus eiusdem vrbis indigena eam Athamantida vocat. Teucer alteram in Cypro Salaminam pulsus à Telamone patre. Antiochus Soter Antiochiam, Sardanapalus Rex *Ex Strab. li. 15. Tithonus, Casiam cōdidit. Casia Susa vocatur. Semiramis condidit Babylona. Smyrna vrbē sui nominis ædificauit.*

Teucer Salaminam condidit.

ille ignauissimus, vt voluptati desidiæque deditus quanuis famæ suæ prodigus esset laudemque contemneret, hac tamen gloria carere noluit: duas enim vno eodemque tempore vrbes ædificauit, Anchialem & Tharsum, eamque rem titulis sepulchri sui inscribi iussit. Ammianus autem Marcellinus aliter putat, dicit namque Tharsum vrbem preclarissimam, quæ Cydno flumine alluitur, Perseum Danaes & Iouis filium condidisse. Alexander regijs virtutibus affatim concinnatus, ne huius quidem magnificentiæ laudis expertem se esse passus est: nam vrbes complures condidit, quarum præcipua fuit Alexandria iuxta Pharum insulam, cui dimetiendæ Dinocratem Macedonem architectum peregregium præfecit, & eam à suo nomine nuncupari voluit. Artaxata Armeniæ pone Araxem ab Hannibale Rege Artaxiæ constituta fuit. Romani innumeras colonias per vniuersum terrarum orbem deduxerunt, & multas vrbes à solo alicuius vtilitatis gratia fundauerunt: vt Aquileiam sinui Adriatico proximam, quam incumbentibus Rhetis barbaris opposuerant. Ciues etiam Romani aliquas vrbes condiderunt, vel priuati, qui cum imperio erant. Nam Nicopolim Augustus in sinu quoque Adriatico statuit, & à victoria naualis pugnæ contra Antonium è conspectu illius loci nominauit. Ea est ad Actium promontorium, illic templum Apollini dicauit, & ludos auxit, quæ Actia dicuntur. Marcellus multo antè Cordubam condiderat, & T. Labienus Cingulum in agro Piceno. Ancon vrbs in eodem agro à Siracusanis condita est, qui Dionysij tyrannidem fugiebant. Multi Romani consules quo loci vadimonia constituebant, vrbes ædificabant, & à suis nominibus nuncupabant. Hinc Forum Liuij, Forum Iulij, Forum Pompilij, Forum Cornelij, & Forum Sempronij dicuntur. Sed non omnibus datum est, vt vrbes condere possint. Idcirco magnificus quiuis esse poterit secundum opes ac potentiam suam, dummodo animum ex virtute promptum ad benignitatem beneficentiamque habeat.

Artaxata ab Hannibale condita.

Ciuium Romanorum cõdita vrbes.

Marcellus Cordubam condidit.

T. Labienus Cingulum cõdidit.

Syracusani Anconã statuere.

Genus

Genus enim illud magnificentiæ omnes præstare possunt, quod ex sententia in comparandis, conciliandis, conseruandisque amicis ac necessarijs cernitur, & maximam in ciuili societate vtilitatem præbet. Anaxagoras Clazomenius quum Periclem Atheniensem instrueret, dicebat magnificentiam, & animi grauiorem quandam elationem ad popularem potentiam capessendam plurimum valere.

Anaxagoras de magnificentia.

Alexander Protheæ homini facetissimo cùm aliquandiu succensuisset, illi tandem amicorum commendatione conciliatus est, quum multas effudisset lachrymas. Quod quum impetrasset Protheas, per iocum ait. *Quod mihi reconciliati animi pignus erit?* Tum Rex quinque talenta ei numerari iussit, dixitque. *En tibi reconciliati animi sponsionem, vt facilius honestiusq; deinceps agere possis.* Idem Alexander Mazei filio, cuius nuper defunctus pater amplissimæ dignitatis fuerat apud Darium, alteram adiecit præfecturam, quum vnam antè ille haberet. Tum adolescens ait. *Darius olim vnicus erat, tu verò muneribus tuis complures Alexander facis.*

Prothea iocus & Alexandri responsum.

Magnificentia quidem pristinam gratiam facilè conciliat, diuturnamque facit: at graue odium priscis seculis exarsit inter Romanorum populum, & Regem Thuscorum, contractum inde cum primis, quòd Tarquinium superbum bello & armis exactum vrbe, restituere conaretur: auctum deinde multis iniurijs vltro citroque illatis acceptisque. Sed tãdem postquã longi atque periculosi belli pertæsum est, gratæ pacis conditionibus conuenerunt. Tum Porsena, vt animos ciuium Romanorum sibi beneuolos redderet, magnificentiam animi sui eis ostendere destinauit: iubet igitur omnibus qui in exercitu suo erant, vt relictis omnibus alijs rebus, arma tantùm accipiant domumque redeant: & sic castra sua omni supellectile, omnique commeatu referta Romanis dono reliquit. Quæ res populo Romano tam grata fuit, vt morem diutius seruauerit, quoties publica rerum venalium auctio

auctio fieret, vt primæ quidem partes per præconem semper Porsenæ denunciarentur.

Bellum Aethruscum antiquis Romanis maximæ formidini fuit, quo ingruente nemo à militia immunis esse poterat, sicut etiam in Gallico tumultu: & id tum propinquitate agri, tum multitudine hominum ac virtute. Quinetiam prima literarum disciplina in omni Italia apud Aethruscos fuit, & vulgò Romani atque Latini patres pueros eruditionis gratia in Hetruriam mittebãt, antequam Græcæ & aliæ transmarinæ doctrinæ in Italiam transmisissent. Gelo Syracusanus quum accepisset Romæ magnam annonæ caritatem esse, maximum frumenti numerum populo Romano dono misit, vt initam paulò antè amicitiã, benignitatis ac magnificentiæ officio accumularet.

Est etiam quàm maximum, gratiam bene de nobis meritis referre, quam qui omittunt, non modò ingrati, sed & iniusti omnino habendi sunt. Est enim ingratitudo, quam Græci ἀχαριστίαν vocant, pessima iniustitiæ species, & humanæ societati inimica. Exhaurit siquidem clementiæ vbertatem, & omnem benignitatem perimit. Idcirco ex Persarum legibus ingrati grauissimis pœnis afficiebantur, nec iniuria. Inhumanum quippe, barbarum ac ferum est, committere vt beneficio indigni esse videamur. Quod quidẽ non solùm ingrati homines faciunt, verùm hi quoq; qui benignitate se vinci patiũtur. Præclarè de se ipso Cicero, qui se gratum & videri & esse volebat, ait: *Sed quum omnibus virtutibus me affectum cupiam, tum nihil est quod malim, quàm me & gratum esse, & videri. Hæc est enim vera virtus, non solùm maxima, sed omnium virtutum reliquarum mater.* Fuit enim Cicero non modò in referenda gratia, sed in promerenda etiam liberalis: ex patrocinijs quidem causarum nullam neq; stipem neque mercedem accepit vnquam, sed omnis eius opera gratuita semper extitit.

Gratitudo reliquarum virtutum mater.

Hac virtute Pyrrhus Epirotarum Rex omnes ætatis suæ Reges anteiuit. In rependenda namque gratia diligentissimus fuit: vnde quum de morte Aesopi, quo familiariter vsus fuerat, accepisset nuncium, grauiter

uiter indoluit, non quòd ille mortuus fuisset (humana siquidem eum tulisse sciebat) sed quòd tardior fuerat in referenda ei gratia dum viueret. Non enim idem esse aiebat, in eo qui pecuniam & in eo qui gratiam debet. Nam qui pecuniā viuo creditori nō persoluit, satis, quum eius hæredibus pensitauit, fecisse videtur: qui vero benignitatem acceperit, nisi viuo accumulauerit, negligentior haberi potest, & minus satis fecisse videtur, quando mortuus officij recompensationem non sentiret. Huius excellentissimi Regis (quem Trogus constanti omnium opinione cunctis Regibus atq; illustribus viris iustitia & vitæ modestia, prætulit) sententiam sequamur oportet, si iusti, grati, ac magnifici iudicari volumus.

Magnificus quidem vir in referenda gratia datorem semper vt excedat oportet. Pari enim mensura reddere quæ mutuo acceperis, iusti hominis est: accumulatiore autem, liberalis. Improbiores tamen nōnullos videmus, qui præ nimia quadam auiditate ita genium comparatum habent, vt antiquorum beneficiorm protinus obliuiscantur, nisi nouis quotidie afficiantur, Hi quanuis multa acceperint, pro quibus perpetuò obnoxij obligatiq; sibi videri deberent, gratiam tamen omnem subuertunt. Nam si quid minimum eis negetur, id solum meminerunt, quod negatum fuerit. Eiusmodi homines ingratissimi habendi sunt, & sibijpsis alijsq; nocent. Reddunt enim bonos viros ad gratiam promerendam tardiores, & malignos pro benignis eos faciunt, & inofficiosos pro officiosis. Pulchris rationibus Arist. ostendit illū qui beneficium contulit, magis diligere eum qui accepit, quàm is eum qui dedit: in primis quia qui accepit debitor est ei qui contulit, ille autem creditor, & qui pecuniam mutuam debent, cupiunt plerunque eos quibus debent, aboleri: ac contra hi quibus debetur, de salute eorū qui debent soliciti sunt: & qui gratiam contulerunt, eos viuere quibus benefici fuerunt, vt parem ab illis gratiam consequantur: secus illi. Cupiunt nanque eos mori, ne diutius eis obnoxij sint. Qui beneficia contulerunt, amant eos quibus

Ethic. ca 7. Arist. lib. 9.

quibus contulerunt quasi opus suum, & vt artifices suo opere delectantur. Quod etiam in poëtis cernimus, qui libros à se editos quasi proprios filios mira beneuolentia complectuntur. Beneficium Itaque contulisse, pulchrum est, accepisse autem seruile. Illud certè honestatis est, hoc verò vtilitatis. Honestas diuturna est, vtilitas caduca. Et maior labor est dandi, quàm accipiendi: maior autem labor maiorem conciliat amorem. Vnde matres, quarum laboriosior est partus, magis filios amant, quàm patres, quia magis sciunt esse suos. Hæc sapienter Aristoteles. Nos autem ne vlterius vagemur, ad calcem sermonem nostrum perducamus. Concludamus igitur maximam in Regibus Principibusque virtutem esse magnificentiam, à qua quicunque abest, vix quippiam dignum laude agere potest, & in auaritiæ crimen facilè incurrit, detrectatoribusque obnoxius redditur. Illud quidem Herodoti Regibus omnibus documento esse debet, qui ait, Persas Darium institorem appellasse, quando apud eos Regum primus tributa instituisset: Cambysen autem Dominum, Cyrum verò patrem: quoniam Darius omnia quæstui exposuit: Cambyses asper ac difficilis imperio extitit: Cyrus autem mitis & facilis, deque Persis semper bene mereri cupiens. Et hæc satis de magnificentia, quam plerique Græcorum μεγαλοπρέπειαν appellant, vt quæ magnos quosq; ac præstantes viros deceat, quasi magnidecentiam.

In Thalia. Darius institor appellatus.

De Constantia. TIT. XII.

Constantia nunc sequitur, quæ virtus propriè dolori resistit, cui opponitur muliebris quædam mollities, q inconstantia dicitur. Sunt tamen qui similem constantiæ continentiam faciant, dicantque constantiam esse, per quam cupiditas consilio ac ratione regitur. Aristoteles autem has duas virtutes clarissimo intellectu discernit, vt constantiæ proprium sit dolori resistere, continentiæ verò, voluptatem cupiditatemq; superare

superare. Proinde quum maius sit superare quàm resistere, quando illud sit vincere, hoc autem non vinci, potiorem esse ducit constantiam, quàm continẽtiam. Constantiam Cicero animi sanitatem esse putat, quod quidem ex hoc cernitur: dicitur enim. *Stultitia est animi inconstantia*: id est, animi sanitate vacare. Præclara virtus est constantia, & regia fortitudine dignissima. Atqui vt hanc virtutem imprimis contra dolorem exerceamus, necessarium est corporis ægrotationem, cruciatumque omnem forti ac constanti animo perferre.

Arist. c. 1. & 2. li. 7. Ethic.

Constantia & Continentia differentia.

Varicosus erat C. Marius, & id iniquo ferebat animo, vtq; sanaretur, secãdum crus medico præbuit, & non modò non ingemuit, vocémve aut clamorem edidit, verùm etiam immotus stetit quasi non crus, sed lignum aliquod fabro dolandum præbuisset.

Constans valde fuisse videtur Cassius Scæua, qui euulsum cum sagitta oculum ad Dyrrachium excussit, vt in pugna forti animo perstaret. Et Attilius, qui ad Massiliam amputata dextera nauem sinistra tenuit.

Videmus tamen nonnullos fortes in bello, qui deinde in corporis doloribus inconstantes sunt. Galli pugnacissimi habentur, molliter tamen ægrotant, & paruo dolore muliebriter languescunt. Græci autẽ contrà ignaui sunt in bello, in lectulis verò suis constanter ægrotant.

Plin. ca. 23. li. 6. & Arist. c. 10. li. 5. politicorum.

Hanc constantiam quidam veteres corporis patientiam appellant: vnde Plinius vir doctissimus duo patientiæ exempla ponit, vnum Leænæ meretricis, quæ diu torta nunquam indicauit Harmodium & Aristogitonem tyrannicidas. Alterum autem Anaxarchi Abderitanĩ: hic quum à Nicocreonte Cyprio tyranno deprehensus fuisset, sibi infensus quòd in cœna Alexandri magnifica omnia esse dixisset, sed oportere iam caput cuiusdam satrapæ apponi, Nicocreontem intuens, hocque ille audito indignabundus edixisset, vt Anaxarchus vinciretur, & ferreis malleis in concauo saxo tunderetur, constanti animo ait. *Tunde, tunde Anaxarchi vasculum, Anaxarchum*

Anaxarchus.

chum autem nihil teres: quo dicto commotus tyrannus linguam ei præcidi iussit. Tum philosophus ridens præcisam illam dentibus & commanducatam in tyranni os ira patens expuit. His addi etiam potest Zenonis Stoici exemplum, qui vt mentiretur quædam, à Cyprio Rege diutius laceratus est. Sed vt ei omnem mentiendi spem eriperet, euulsam sedibus suis linguam cum cruento sputamine in oculos interrogatis impegit, vt Ammianus Marcellinus refert.

Constantiam quoque aliter plerunq; accipimus. Postquam enim à prudentia, iustitia, temperantia moniti sumus quid expetendum aut fugiendum sit, vt rationem sequamur, non satis est id intelligere tantùm, sed stare etiam oportet præsenti ac constanti animo in eo quod deliberatum iudicatumq; sit. Nec committere vt illecebris voluptatis allecti turpia aliqua agamus, aut dolore perciti à rectis actionibus distrahamur. Et hæc est cõstantia illa, quæ nunquam ab honesto discedit, & in ciuilibus actionibus plurimum præstat.

Age, vt exempla maioris constantiæ omittam, nõne tibi laudandus iure optimo esse videtur Pomponius ille, qui in pugna quæ contra Mithridatem Lucullo duce gesta est, interceptus fuit? Nam quum vir esset insignis, & vulneribus grauiter sauciatus, ductus est ad Regem, qui vt primum eum conspicatus est. *Dic quæso* (inquit) *si per me diligenter curatus fueris, nunquid eris exinde mihi amicus.* Tum Põponius: *Ero*, inquit, *tibi amicus, si & tu populi Romani amicus fueris. Sin secus, me quoq; inimicum habebis.* Tum Mithridates magnam viri constantiam admiratus ab omni iniuria hominem prohibuit, iussitq; vt quàm diligentissimè curaretur.

C. Fabricius, quum in Italiam accitu tyrannorum Pyrrhus Epirotarum Rex transmisisset, ad eum à Romanis legatus missus est, vt ab iniuria belloq; abstineret atque ab Italia decederet.

Tum Pyrrhus, vt erat animo excellenti, præclara auri ac argẽti munera ad eum misit: quibus ille spretis, legationis responsum petebat. Postridie eius diei

Fabri-

Fabricium Pyrrhus aduocat, comiterque eum amicis verbis affatur, & inter loquendum ingentē elephantum clàm post eum dimitti annuit, qui supra Fabricij caput adsistens, elata promuscide horrendam emisit vocem: ille autem nullo metu perterritus constanti animo ait. *Neque heri pecunia me corrupisti, neque hodie elephantus barritu conterruisti.* Quasi tacitè inferret, quid sit agendum, vide. Paulò verò pòst superato fugatoque Pyrrho, & eius exercitu in fugam conuerso, docuit Fabricius non minore animi fortitudine se in bello atque acie versari, quàm contra cupiditatem ac terrorem constanter constitisse.

Sed fortitudinem constantiamque Romanorum Pyrrhus etiam quum aliquando superior extitisset, probauit. Nam inspecta in reparando instaurandoq; exercitu eorum celeritate, ait. *Planè video me Herculeo sidere progenitum, cui etiam necessarium sit cum Lernaa Hydra pugnare. Caesis enim tot hostibus, ex eorum sanguine plurimi renascuntur.* Et cùm animaduertisset eorum qui in acie ceciderant, fortitudinem, exclamauit: *O quàm facile fuerat, aut mihi orbis terrarum Imperium cum Romanis militibus inuadere, aut illis me eorum Imperatore ac Rege.* Hanc virtutem tanti Cicero fecit, vt in libris de foelicitate & miseria contra Epicurum disputans, affirmet multos per eam beatitudinem fuisse adeptos, & M. Attilium Regulum imprimis, quem non tam superiore gloria, quum bis fuisset consul, & semel triumphasset, quàm vltimo illo casu, quum vigilijs fameque cruciaretur, propter promissae hosti fidei voluntariam constantiam. Ait enim non hilaritate, nec lasciuia, nec risu, aut ioco comite leuitatis, sed saepe etiam tristes firmitate & constantia sunt beati. *Pyrrhus.*

De tolerantia. TIT. XIII.

TOLERANTIA deinceps se nobis offert, quae praecipuè labores perpetitur non fugiendos, quas tamen aerumnas tristi verbo (vt ait Cicero) prisci appellauerunt, de quibus supra quum de perturbationibus

Tolerantia. animi tractauimus, abundè diximus. Tolerantia virtus est, qua quidem affecti, quæ difficilia aut laboriosa sunt, decori, honestiq; gratia toleramus. Huius verbi primam syllabam poëtæ corripiunt: idcirco non erit fortasse alienum putare, eius originem Græcam esse, quamuis non omnes literæ conueniant. Τολμάω enim, quòd etiam Τλῆμι, & detractis prioris verbi literis Τλάω quoque dicitur, sustinere, audere, & tolerare significat. Hinc descendit Τόλμημα, quod pro tolerantia & audacia sumitur, & pro voluntaria quadã patientia, sicut apud nos tolerantia ponitur. Sed de verbo non est hoc loco disputandum, quum sit hæc virtus præclara, & in laboribus necessarijs functionibusq; honestis maximè eluceat, nec minus in ferendis æquo animo quæcunq; aduersa aut dura & molesta quotidie accidunt.

C. Marius militares Imperatorisq; labores magna tolerantia pertulit. *Cicero in Tusc. Quæstioni.* Cibarium panem cum militibus semper comedebat, in solo nihil præter cæteros sibi substernens iacebat, vallo, fossa, aggeribus, machinis, reliquisq; laboribus pariter cum gregarijs militibus insudabat. Quibus ex rebus militum primùm sibi beneuolentiam conciliauit, deinde famam per omnem Libyam adeo auxit, vt omnes vulgò dicerent finem nunqnam habitura bella in barbaros, nisi C. Marius exercitui præficeretur: quod quidem vt primum Romam perlatum est, Marius consul designatur omnium penè suffragijs, homo nouus, & per solam virtutem cognitus, sine vlla maiorum commendatione: vnde quum à nobilioribus, nonnunquam incesseretur, exclamabat, diuitum nobiliumq; mollitiem consulatus virtutem rapere, se autem vulneribus laboribusq; gloriari, non autem maiorum monimentis aut imaginibus, quorum tamen maiores progenitoresq; censendum est, non propter generis claritatem, quæ principio rerum Romanarũ nulla fuit, sed propter fortitudinem, & egregia gesta gloriam fuisse assecutos.

Ferunt plerumque iniquo animo nobiliores, quòd noui ciues etiam per virtutem efferantur, ac

Reipu-

Reipublicę muneribus honestētur, vt qui lōgè plura ac maiora generi ac nobilitati tribuant, quàm par sit, aut ratio exigat: vt fecerūt iuuenes quidam Rom. eo tempore quo Cn. Flauius homo humillimæ sortis prætor designatus fuit, repulsis ingenuis nonnullis competitoribus. Complures enim indignè ferentes, aureos anulos abiecerunt, & equorum ephippia ac phaleras dimiserunt. Sed quum dolorem atque iram suam tam temerè ostenderēt, eos optimi ciues grauiter obiurgabant, docebantq́; eos æquo animo semper ferenda esse quæ à populo statuerunt, cui nunquam succensendum esset.

Patientissimus etiam laboris fuit Sertorius, & famem, sitim, hyemem, æstum, puluerem, & alia incommoda militaria facilè honoris decorisque gratia tolerabat: quibus ex rebus Celtiberi homines fortes ac pugnaces illum cunctis alijs ducibus præferebant, & alterum Hannibalem audacia & promptitudine vulgò esse dicebant. Hannibal tolerantissimus laborum præter alios summos duces atque Imperatores habitus est. Cuius corpus (vt Liuius refert) nullo labore fatigari, aut animus vinci poterat. Caloris ac frigoris patientia par, cibi potusque desyderio naturali non voluptate modus finitus, vigiliarum somnique nec die nec nocte discriminata tempora, id quod gerendis rebus superest, quieti datum. Ea neque molli strato ac silentio accersita. Multi illum sæpe militari sagulo opertum humi iacentem inter custodias stationesque militum conspexerunt. Equitum peditumq́; idem longè primus erat. Princeps prælium inibat, vltimus cō serto prælio excedebat. Literarum quoq; monimentis proditum est, eum noctes insomnes, & dierum inediam sæpe tulisse.

Hannibal indefessus.

Tit. Liuius li. 1 in Princip. 3. decad. secun. bell. Pun.

Fabius Maximus hac virtute etiam præstitit, & præcipuè in tolerandis aduersis hominum moribus. Proinde sæpe dicebat, oportere eum qui alijs imperat, non verbis verberibúsve sæuire, sed tolerādo mulcendoq́; homines in suam sententiam pellicere. Absurdum videri asserens, quum cernamus feras

cibo & blanditijs cicures fieri, & canes atque equos diligentia, victu & familiaritate potius quàm verberibus & catenis mansuescere, sperare homines sæuitia mollire, quum per patientiam ac tolerantiam lōgè facilius in rectam sententiam redigantur. Hanc opinionem veram esse docuit Cinna, qui ab exercitu suo, quem inuitum cogebat naues deducere contra Syllam, cæsus extitit. Et Fimbria præ nimia sua sæuitia ab exercitu destitutus, qui ad Syllam transiuerat, seipsum percussit, & cùm animo ac viribus deficeret, à seruo quodam suo, vt se occideret impetrauit. Iniquum habebatur apud Romanos, non modò liberos, sed seruos etiam malè habere, atque in illos nimium sæuire. Vnde non paruum populi Romani fauorem promeruit Adrianus Cæsar, quum Vmbriciā quandam matronam in quinquennium relegauit, quòd ex leuissimis causis ancillas suos atrocissimè tractasset. Et Iupiter Romano populo succensuisse creditur, quòd Antonius seruum suum crudeliter verberatum, patibuloq; constrictum, antè spectaculi commissionem per Circum egerit. Proinde opus fuit ad propitiandum Deum ex senatusconsulto ludos instaurare, & diem bonum Circensibus addere, vt facinus illud expiaretur.

De stabilitate & patientia. TIT. XIV.

Patientia definitio.

STabilitas & patientia duæ reliquæ species sunt, quæ fortitudinem comitantur. Patientiam Cicero definit rerum arduarum ac difficilium voluntariam perpessionem, honestatis aut vtilitatis causa. Hæc quidem virtus perutilis est omnibus in rebus agendis. Impatientia verò, ac leuitas quædam multas bonas actiones sæpe peruertit, quum aut iracundè respondemus, aut inclementer in alios loquimur, vel minima etiam in nos dicta atrocius refellere volumus, & paruas quasque iniurias propulsare atque vlcisci. Qui

Vide Tertull. lib. de Patientia.

varios

varios hominum mores nequit tolerare, aut nimis delicatus est, aut à communi mortalium consortio se extrudit. Optimè heros ille tragico cothurno seipsum comprimit, quum ait. *Perpetere ò cor, nam tu longè aliàs grauiora tulisti.* Sed de patientia satis diximus ex auctoritate Plinij, quum de constantia tractaremus. Stabilitatem verò rectè dicimus cōseruatricem bonorum consiliorum, bonarumq; actionum. Parum enim admodum esset benè deliberare, beneq; incipere, nisi perseuerantia stabile iudicium, stabilemque actionem præstaret. Verum enim illud est quod Hannibal sæpe in re militari dicere solebat. *Vincit omnia pertinax virtus.* Ex huiusmodi sentētia plerunq; fit, vt pertinacia pro stabilitate ponatur, ac nomen virtutis vsurpet, & pro insigni laude accipiatur. *Hannibalis dictum.*

Legimus quidem Romanum Imperatorem Seuerum pium, pertinacemque honoris gratia fuisse cognominatum. Varro in libris de origine Latinæ linguæ, quos ad Ciceronem scripsit, *Pertinaciam à pertendo dici putat, quum in eo in quo non oportet manere quis pertendit. In eo autem in quo oportet persistere, quum quis perstat, perseuerantia rectius, quàm pertinacia dicatur.* Sed nonnūquam vitiorum nomina pro virtutibus ex similitudine quadam vsurpamus, vt quum sæuum pro seuero ponimus, & auarum pro parco dicimus. Sic sæuitiam pro seueritate, & auaritiam pro parsimonia, & profusionem pro liberalitate, & audaciam pro fortitudine. *Pertinacia, vnde dicatur.*

Sed pertinaciæ rationem eleganter declarauit Cæsar in oratione, qua Afranio respondit misericordiam petenti. Accidisse enim eis (ait) quod plerunque hominibus nimia pertinacia atque arrogantia accidere solet, vti eò recurrant, & id cupidissimè petant, quod paulò antè contempserint.

Pertinaciæ non dissimilis est peruicacia, quæ est nimia quædam vicissitudinis contentio, quum opere vel sermone magis quàm par est pertinaciter concertamus: idcirco rarò virtutis speciem præ se fert, sed frequentius pro vitio accipitur. Perseuerantiæ virtutem, quæ recta consilia, rectasq; perficit actio-

nes ἐπιμονὴν optimo verbo Græci philoſophi appellant. Nos ſatis commodè verbum è verbo exprimentes, longanimitatem dicere poſſemus, quamuis in raro ſit vſu apud eos qui caſtigatius Latineq́; loquuntur.

Hæc perſeuerantiæ virtus optima fortitudinis comes habetur, ſine qua nemo prudens, aut perfectè ſapiens dici poteſt. Sunt enim qui ſubito iudicio rectè ac prudenter ſapere videantur, ſed adhibita longiore cogitatione ambiguo & ancipiti conſilio mutent, & vel pauculis verbis in contrarium ſenſum auditis, à vera illa ac deliberata ſententia facilè deturbantur, & à virtute diſcedunt, parumque ſibijpſis conſtant: recedunt enim à ſe & in ſententia ſua non perſiſtunt.

Magnam ingenij leuitatem & puerilem inconſtantiam oſtendit Vitellius Cæſar pluribus quidem in rebus, ſed præcipuè quum poſtulante exercitu vt libertum ſuum Aſiaticum nomine equeſtri dignitate donaret, inhoneſtam adulationem compeſcuit, & paucis interiectis diebus inter ſecreta cõuiuia vltro largitus eſt, honorauitq́; fœdum mancipium & malis artibus ambitioſum anulis aureis, & omni equeſtri dignitate.

Anuli aurei. *Pyrrhus Moloſſorum Rex.*

Pyrrhum quidem Moloſſorum Regem ampliſſimis laudibus omnes ſcriptores efferunt, Regibusq́; cunctis eum præferunt: vnum tamen ei defuiſſe fatentur, quòd parum ſtabilis, firmiq́; conſilij fuerit. Proinde egregius in acquirendo erat, in conſeruando autem minus idoneus habebatur. Et hoc quidem inſtabilitati eius tribuendum putabant, vt qui noua ſemper bella adnectens quæcunque quæſierat ſpe eorum quæ nondum poſſidebat, amitteret. Quem Antigonus Rex aleatori ſimilem eſſe dicebat, qui ſpe futuri lucri proprias opes prodigit, nec vnquam contentus eſt eo quod in alea vicerit, ſed quæcunque colluſoribus ſuperſunt, magna auiditate cupit, inque ea relictis omnibus ſolùm inhians, quæcunque antè quæſierat, profundit. Sic Pyrrhus quoque faciebat: nouas enim ſpes alijs inuoluens, ſtabile

ſtabile iudicium peruertebat, nec victor vnquam nec victus quieſcebat.

Sextus etiam Pompeius, Magni Pompeij filius, inſtabilis quoque conſilij habitus fuit: prælia enim ſatis forti animo inuadebat, ſed vt primum hoſtem in fugam conuerſum conſpicabatur, ab inſtituto prælio deſiſtebat, & contentus vana vmbra veram victoriam negligebat.

De fortitudine & eius comitibus ſatis dictum eſſe arbitror: nunc autem in ſequenti volumine ex inſtituto ordine de iuſtitia dicendum erit, & de his virtutibus quæ illam comitãtur, vt abſolutum virtutũ numerum, quaſi ἐγκυκλοπαιδείαν perficiamus. *Encyclopædia.*

EIVSDEM DE EADEM RE LIBER VIII.

De iuſtitia. TIT. I.

NIGIDIVS cognomento Figulus, philoſophus peregregius, & in aſtronomiæ ſcientia Romanorum peritiſſimus, quum de poëtarum figmentis quæ in ſignifero cœlo finguntur, ſcriberet, ait aſpectum Bootæ inter leonem & libram Virginem eſſe quæ iuſtitia ſiue æquitas appellatur. Addit præterea hanc à mortalibus quondam receſſiſſe, & ad ſuperos remeaſſe, vt quæ ſolita eſſet in hominum cœtu verſari, eiſque præcipere ne à recto atque honeſto diſcederent: quibus monitis donec paruerunt, ſecuri ſine anxietate aut ſolicitudine victitarunt: Sed poſtquam mãdata eius contempſerunt, luxuria, auaritia, cupiditaſque inualuit, & inuidia, ac mutuis odijs exarſerunt, tunc dolos atque inſidias inter ſe nectere cœperunt & alter alteri imponere, ac vulnera cædeſq; inferre. Tum dea quum nullum ſibi in terris locum relictum cerneret, in cœlum ſe extulit, ſempiternumque pietatis ſuæ præmium accepit. *Iuſtitiæ ſedes in Zodiaco.*

Hæc figmenta mihi animo volutanti, occurrit cogitatio veteres poëtas, (qui primi omnium philosophati sunt) putasse iustitiam cœlestem esse virtutem, cuius semina hominum menti à Deo indita sint, vt postquam adoleuerint, eidem pietatis munera persoluant, & sacrificia libationesq; faciant, venerentur, adorentq; eum, tanquam rerum omnium opificem, auctorem ac dispensatorem, & inter mortales æquitatis iustitiæque officia exercentem: quod Homerus ostendisse videtur, quum ait Reges discipulos summi Iouis esse, à quo iustitiam in primis ediscant, quam deinde inter mortales obseruent, & eã omni studio omniq; diligentia tueantur. Plato philosophorum summus, iustitiam bonorum omnium maximum esse ait, à Deo hominibus datum. Proinde Deum ipsum iustitiæ auctorem, causam, ac principium multis in locis asserit, & præcipuè in libris de Republica, ac etiam de legibus. M. quoque Tullius Platonicæ philosophiæ sectator atque æmulus in libris de legibus eiusmodi verba inseruit: *Sed omnium quæ in doctorum hominum disputatione versantur, nihil est profectò præstabilius, quàm planè intelligi nos ad iustitiam esse natos.* *Eius iustitiæ partes sunt duæ, Deum pietate omni honorare, & hominem diligere veluti fratrem.* Ex hac sanctissima sententia monemur in primis iustitiam partiri, (non enim facile est omnia definire, vt Aristoteles docet) nam sic singularum partium determinatio clarius patebit. Nonnulla enim sunt, quæ nisi in partes vel species diducantur, vix vnquam declarari possunt: vnde scripturus Cicero de officijs, antè eorum species secreuit, deinde eas singulas suo ordine definiuit.

Reges discipuli Iouis.

Iustitiæ partitio, & de diuina iustitia. TIT. II.

IVstitiam in primis quadrifariam partiemur. Primam quidem diuinam appellabimus, secundam naturalem, tertiam ciuilem, quartam verò iudicialem. Diuina iustitia

iustitia illa, cuius participes à Deo facti sumus, nos cōpellit Deū agnoscere mūdi rerūq; omniū opificē, separatū ab omni cōcretione mortali, principio ac fine carentē, omnia mouētē, omnia sentientē. A quo singula quæque animalia vitam ducant. Quiq; nos solos ex omnibus mortalibus diuinæ mentis participes esse voluerit, & rationis orationisq; cōpotes. Et quū reliqua animātia prona ad terrā, & inclinata ad pabulum reddidisset, nos solos ad cœli aspectum erexit, vt ostenderet nos sui contemplatores imitatoresq; esse velle. Et sicut hominem sibi quasi peculiare animal creauit, participemq; iustitiæ, ac reliquarū virtutum effecit, sic ei reliquas omnes animantes, subiecit: quarum quidem domitorem ac Dominum hominem esse voluit, vt diuerso vsui pro corporum habitu eas sibi subigeret, & quæ esui essent, liberè ac sine iniuria mactaret, illisq; impunè vesceretur.

Horum nimirum quum solus homo particeps sit, nónne iure optimo Deo gratias immortales agere, & perpetuò habere debet, atq; illum colere, venerari, atque adorare omnibus rebus posthabitis, quinetiam omni pietate curare vt ei semper optimè conciliatus sit? Cui nihil gratius iustitia, pietate, fide, innocentia, veritate, sanctitateq; esse potest. Hæ sunt virtutes illæ quæ nos simillimos Deo faciunt, quas quum sequimur & secundum eas agimus, fœlicitatis viam affectamus, vitamq; assequimur sempiternam. Hæc diuina iustitia illa est, quæ recta ac firma summi Dei ratio dici potest, iusta iubens, iniusta prohibens & præmijs iustos afficiens, iniustos autem pœnis vlciscens. Hæc sunt duo illa diuina numina, quæ Democritus dixit cuncta gubernare, beneficium scilicet, & pœna, quibus ex rebus Solon ante eum dixerat omnem Rempublicam contineri. Atqui hæc ipsa iustitia est quæ cum diuinis mentibus sociatur, illisque perpetuo fœdere iungitur, & à perpetua operis sui continuatione non flectitur.

Ex Plin. ca. 7. lib. 2.

De naturali iustitia. TIT. III.

SECVNDA iustitiæ pars naturalis appellatur: hæc quidem apud omnes semper eadem est, & nusquam gentium, terrarum, locorúmve variatur. Sed naturæ congruit & stabilis perpetuaque habetur. Et sicut superior illa Deo Optimo Maximo debetur, sic hæc naturæ omnium parenti atque educatrici. Proinde illa ex omnibus animalibus soli homini competit: hæc autem in quibusdam rebus cum mutis animalibus, belluis, ac feris communis habetur. Huius in primis est se ipsum alere, tueri, gubernare. Quæ qui agit, secundum naturam, iustus haberi debet, qui autem negligit, iniustus. Nam qui seipsum destituens per inediam aut incuriam perit, aut sibimet vim affert, iniustus est, & naturæ etiam infensus. Alere deinde ex se natos, eos tueri, ac speciem suam per posteritatem conseruare, eiusdem iustitiæ, múnus erit. Hæc & his similia communia nobis sunt cum mutis animalibus, beluis, ac feris omnibus. Parentes verò, mares ac necessarios omnes senio morbóve affectos, vel alia necessitate laborantes alere, & eos venerati, tueri ac defendere, nepotes, posterosque diligere, atque adiuuare, eis consulere, opitulari, adesse, & his similia agere, solius hominis est: non autem brutorum animalium, aut ferarum, quæ eiusmodi officia non agnoscunt. Humanitatem quoque conseruare, hominique prodesse, huius etiam naturalis iustitiæ munus est, quòd ad solos homines pertinet: cui contrarium est hominē perimere, hominiq; nocere: quæ si verè homines esse & haberi volumus, omnino facere prohibemur. Nam si secus ageremus, inhumani ac feri diceremur.

Iustus & iniustus.

Læstrigones, qui alio nomine Cyclopes vocantur, & Busiris Aegyptiorum tyrannus, ac Diomedes Thrax, de quibus in fabulis agitur, & alij complures qui in exitium hominum nati esse videntur, non tam secundum naturam homines quàm leones, tigres, vrsi, lupi, serpentes & aliæ truculentissimæ feræ,

ræ, quæ in communem mortalium perniciem viuũt, habendi sunt.

Hęc itaque virtus, vt naturam ducem sequamur monet. Natura enim à vitijs abhorret, recta autem & honesta sequitur. Nam (vt quibusdam Stoicorum placet) virtus nihil aliud est, nisi absoluta ac perfecta natura. Summumque bonum putauerunt esse secundum naturam agere: vnde quidam veteres Socratici hanc naturalem iustitiam dicunt esse scientiam boni & æqui, naturali rationi congruentem, qua qui per sese vtitur, vir bonus est: quum verò alijs communicat, tunc bonus fit ciuis, quia non sibi soli sed alijs prodesse nititur. *Virtus, perfecta natura.*

Principia quidem naturalia, quæ ἀρχαὶ φυσικὰ à Græcis dicuntur, omnes philosophi inter magna naturæ bona connumerant. Nonnulli autem sunt qui in illis summum bonum collocent. Hæ duæ iustitiæ partes, seu rectius species appellemus, nequaquam alienum bonum videri possunt, sed eius solius qui secundum eas agit. Neque in his verum est, quod à plerisque philosophorum dicitur, iustitiam solam omnium virtutum alienum videri bonum, vt quæ ea agat, quæ non sibi, sed alijs conferant, vt Principi aut Reipublicæ, aut singulis quibusque. Quòd si ita vt aiunt, res se haberet, optimus habendus esset iustus ille, qui non ad seipsum solum, sed ad alios quoque virtutis munere vteretur. Hinc sumitur quòd iustitia illa quæ pro alijs agitur, non tantùm pars aut species virtutis habenda est, sed tota atque integra virtus, cui contraria tunc non iniustitia sit, sed tota turpitudo, vel vitiositas, si sic dicere licet: quod quidem Aristoteles clarè testatur.

De ciuili iustitia. TIT. IV.

TErtia nunc pars sequitur, quæ ciuilis iustitia dicitur. Hæc quidem aut Principis est, aut eius viri qui in Republica, aut in hominum societate versatur. Cuius virtutis proprium est multitudini consulere, vrbes tueri, *Iustitia ciuilis.*

ciuitates regere, homines ab iniuria prohibere, socios prouidentia protegere, vnicuique reddere quod suũ est: honores, magistratus, ac commoda distribuere secundum cuiusque dignitatem. Hanc iustitiam Cicero dicit esse habitum animi communi vtilitate cõseruata tribuentem suam cuique dignitatem. Aristoteles autem eam dicit virtutem animi esse cuique secundum merita distribuentem. Hanc comitantur morales omnes virtutes, quas etiam ciuiles dicimus, quibus quasi in consilio adhibitis sine scripto determinat quod honestum, quodq; turpe sit, & qui mores probandi, quiq; improbandi esse videantur.

Macrob. li. 3. Saturnal.

Sunt tamen hæc etiã apud Sextum Pompeium, Festũ.

Morem Varo dicit esse consuetudinem in animi iudicio, quam sequi debeas. Iulius verò Festus quum de verborum significatione scriberet, ait. *Morem esse institutum patrium pertinens ad religiones caremoniasq; amicorum.* Hinc fas oritur, hoc est religiosa quædam permissio, quæ tãdiu valet, donec à iure scripto prohibeatur, quòd tunc fas esse desinit, & fit nefas: vnde quum vellet ostendere Maro rem & per religionem & per legem licere ait.

Georg. li. 1.

Quippe etiam festis quædam exercere diebus
Fas & iura sinunt.

Fas, Græca origine.

Fas ergo erit lex diuina ab ipso Deo vel à natura constituta: ius autem humana lex, quæ tãtùm ex moribus constat. Transire per alienum fundum fas est, iure autem non permittitur: ire ad prostibula nefas est, attamen per leges licet. Fas (vt opinor) Græcam habet originem, proinde in vetustissimis codicibus per ph scriptum frequentius inuenitur: φάειν enim dicere & annuere significat, & φάσις dictio & permissio est. Huius contrarium est nefas, quod per religionem non esse permissum ostenditur. Nec putemus, hinc nefarium deduci, quum à farre dicatur, auctore Varrone, vt Nonius Marcellus testatur, & Asconius Pedianus optimus antiquitatis scrutator affirmat. Est enim nefarius sacrilegus, vel qui propter sceleris turpitudinem indignus vita esse videatur, sed prohibeatur à sacris, idest à farre adoreo, quo fiebant sacrificia, ne sacra pollueret, quę quidem communia erant,

& farreacea dicebantur. Celebrabantur enim farre puro,& saliente mica, vt poëta ille ait.

Hæc iustitiæ pars præter reliquas omni Regi conuenit,qui censor magisterq; morum habetur. Quoscunque enim mores probat ac seruat, hi ab omnibus probantur, & in illis quisque excellere nititur: quos verò improbat,omnes fugiunt. Optimè Plato mutationem Principis, mutationem totius ciuitatis esse ait.Vt enim bonus Princeps exemplo probitatis magis quàm ipsa probitate prodest, sic malus exemplo turpitudinis magis quàm ipsa turpitudine obest. Deterrimi enim homines quicquid exemplo Principum faciunt,id iure factum esse existimant. Similiter artes quas amat, magnum quamprimum accipiunt incrementum,iacentq; semper, quas oderit. Proinde Isocrates Regi suo præcipit, vt artes, & opificia vtilia amplectatur, inutilia autem reijciat.

Sapienter Plato tales reliquos ciues solere esse dicebat,quales Principes essent.Ptolemaici Reges Mathematicas scientias coluerunt. Eorum igitur temporibus complures egregij Mathematici claruerũt. Xerxes verò voluptates mirifica quadam cupiditate perquisiuit, & eas tanti fecit, vt non contentus solitis voluptatum illecebris,magna præmia proposuerit his qui nouas inuenissent: qua ex re regiones quibus imperabat, omni turpitudinum genere infecit, hominesq; omnes turpiter effœminauit,cuius disciplina qualis fuerit ex euentu bellorum quæ gessit, facilè adparuit. Nero quòd citharœdos, mimos & histriones summa beneuolentia complectebatur, complures nobiles iuuenes earundem artium studijs pellexit. Nec id admirationi cuiquam esse debet: non enim ludorum ac fabularum spectator tantùm extitit, sed & actor: cãtauit siquidem Herculem furentem, & quum ex argumento fabulæ vinciretur, catenisq; oneraretur,accurrit tyro quidam,qui ad custodiam aditus positus fuerat,vt ei opem ferret: qua ex re quicunq; aderant, in cachinnos effusi sunt. *Quod Suetonius in eius vita declarat.*

Probet igitur Rex optimos mores, deterrimos autem exagitet : & sic ex artibus bonas probet, ma-

las autem reprobet atque explodat. Curet etiam ne ciues iniuria afficiantur, propulsetq; eis ab alijs illatas, atque vlciscatur, ne lepidum illud Publij Syri, qui iudicio Cæsaris Laberio in Mimis prælatus fuit, dici possit:

Veterem ferendo iniuriam, inuitas nouam.

Videat deinde Rex vt optimos viros magistratibus præficiat, tales enim Principes existimãtur, quales sunt illi qui eorum vices gerunt.

Naturæ suæ morbum indicabat Vespasianus Cæsar, quum rapacissimum quemque ad amplissima munera, magnosque magistratus promouebat, quò locupletiores factos, deinde maiore pecunia emungere atque exhaurire posset. Iure igitur vulgò dicebãt *Vespasianum amicis pro spongijs vti, qui siccos madefaceret, turgidos verò exprimeret.*

Amici pro spongijs.

Demum videat Rex ne corruptela malæ consuetudinis in vrbes irrepat : inducit enim vitia, & virtutes omnes exigit. Optimè apud Persas capitale per legem fuit, nouos aut peregrinos mores inducere. Et Cretenses sanè quum populos aliquos diris execreationibus deuouerent, semper imprecabantur, vt mala consuetudo eorum vrbes inuaderet. Lycurgus autem magis oportere dicebat custodire, ne vrbs improbis moribus compleretur, quàm ne morbidis, contagiosisq; corporibus extrinsecus venientibus inficeretur.

Luxuries Romanorum vnde : Quod & Sallustius in Præfatione Coniur. Catilin.

Conqueritur Liuius peregrinam luxuriam in vrbem inuectam à victore Asiæ exercitu : inde primùm lectos æratos, vestem stragulam preciosam, plagulas, textilia omnia, monopodia, abacos Romam aduectos. Tunc psaltrias, sambucistrias fuisse in precio, & ludionum oblectamenta, quæ cœnarum voragines excitarent. Tunc coquus vilissimum quondam mancipium æstimatione & vsu magno licitari cœptus, adeò vt quod vile ministerium fuerat gratissima ars effecta sit.

Xerxes iratus aliquando Babylonijs constituit deinceps arma ne ferrent, sed canerent, tibia vterentur, versarentur in prostibulis, ganeis, ac popinis,

nis,& sinuosas vestes ferrent. Qua ex consuetudine ita turpes & scelesti euaserunt, vt nihil in vniuerso terrarum orbe Babylone corruptius inueniri potuerit, neque ad inuitandas illecebras instructius. Nam parentes & mariti ipsi liberis coniugibusque permittebant, vt vulgò cum hospitibus coïrent, modò precium flagitij acciperent. Boni ergo mores, bonæq; consuetudines perpetuò seruandæ sunt: vnde Galba Imperator vel ex hoc potissimum laudatur, quòd vetustum morem semper seruauerit, vt bis quotidie liberi, seruique frequentes adessent,& mane saluere, vesperi autem valere ei singuli dicerent. Sed de hac ciuili iustitiæ parte hactenus dixisse satis sit.

De iudiciali iustitia.
TIT. V.

QVARTA iustitiæ pars iudicialis siue legitima dicitur, quæ in iure dicundo præcipuè versatur. Hæc primùm per leges decernit quid iustum aut iniustum sit, & præsertim in rebus in quibus ab initio nihil intererat, hoc vel alio modo essent. Talia autem Epicurei dicunt non natura, sed sola lege constare, vt iusta vel iniusta sint, idemq; opinatus est Archelaus Atheniensis, Socratis magister, qui iustum & turpe non natura, sed sola lege secerni ait. Rectè itaque Modestinus iureconsultus dixit, *omne ius aut consensu fieri, aut necessitate constitui, aut firmari consuetudine*. Sed ex Academicorum sententia iustum aliud natura, aliud ordinatione ac lege dicimus. De naturali iusto iam dictum est, nunc de legitimo loquemur, à quo iudicium fieri oportet. Est enim iudicium recta iudicatio iusti atq; iniusti. Scitè Asconius Pedianus optimus Ciceronis interpres iudicium à præiudicio secernit: vt esset iudicium res quæ causam litemque determinet: præiudicium verò res quæ quum constituta fuerit, affert similibus in rebus iudicaturis exemplum. Omnia quæ à legibus proficiscuntur, iusta habenda

Modestinus I C.

Iudicium.

benda sunt: nam secundum aliquam virtutem constitutas eas esse oportet. Ne miles locum in acie deserat, fortitudinis est præceptum: vt pactis promissisq; stetur, & fides ac iusiurandum seruetur, iustitiæ: sicut vt quisque ab alienis manus abstineat, ne quis incestum, stuprum, vel adulterium committat, temperantiæ: ne quis hominem cædat, pulset, verberet aut violet, humanitatis ac mansuetudinis: vt quisq; rectum consilium Principi, Reipublicæ aut amicis afferat, prudentiæ. Vnde ille Senariolus Romæ canebatur: *Consilium malum consultori pessimum est*: quod ex Hesiodi versu expressum fuisse putat Gellius: ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη. Leges quidem omnes sicut virtutes iubent, sic etiam vitia prohibent. Modestinus iureconsultus *legis virtutes* esse dicit *imperare, vetare, punire, permittere*. Cic. in li. de deorũ natura ait, *Legẽ esse recti præceptionem, prauiq; depulsionẽ*. Iustus & æquus est, qui secundum legem agit, nec fraudem aliquam legi per versutiam innectere nititur: qui verò contrarium facit, iniustus atque iniquus habetur. Ille enim contra legem facere dicitur, qui id facit quod lex prohibet: ille autem in fraudem, qui saluis verbis legis sententiam eius circumuenit. Mali interpretes iuris, qui per calumniam causas agunt, pessimi hominum habendi sunt in omni populo, & maiorem inuidiam contrahunt, quando iustitiam profiteri videntur, ac deinde sub specie recti hominibus quos tueri debent, callidè imponunt. Hi non dissimiles sunt medicis illis qui mortiferum toxicum ijs diluũt, quibus per pharmacum salutem pollicebantur. Sed nunc ad institutum redeo. Quia iustus ferè alijs non sibi laborare videtur, idcirco iustitia alienũ bonum dicitur. Proinde hanc partem optimè definit Vlpianus iureconsultus, quum ait. *Iustitia est constans & perpetua voluntas ius suum vnicuique tribuens*. Dispositionẽ quidem & habitum complecti videtur, & præcipuè quum addat, Iuris pręcepta sunt hęc, honestè viuere, alterum non lædere, ius suũ vnicuique tribuere: vnde consequens esse videtur quod Celsus refert. *Ius est ars boni & æqui, cuius merito quis nos sacerdotes appellat.*

Lib. 1. Instit. Tit. 1. v. l. 18. 1. ff. de ædil. edict.

Habitus

Habitus enim iusti est res iustas agere, iniusti autem iniustas. Bonitas æquitasq; nihil aliud est, quàm iustitia ipsa, vt Cic. libro primo de legibus scripsit. Iudex quasi animatum ius habendus est, magistratus verò custos iusti & æqui: non enim vt homo dominatur, sed vt ratio: idcirco veluti Rex habendus est. Nam si dominaretur vt homo, tyrannus esset. Veteres pictores (vt Chrisippus Stoicus scripsit) scitè atque eleganter iustitiæ faciem pingebant: eam namque virginem faciebant aspectu seuero ac formidabili, peraeri oculorum acie, vultu verecundo, cum dignitate ac maiestate, sine atrocitate: vt ostenderent iudicem grauẽ esse oportere, seuerũ, integrũ, inadulabilẽ, inexorabilẽ, immobilẽ, & virtute, veritate, maiestateq; verendum. Tres oratores Romam ab Atheniensibus missos fuisse diximus oraturos vt mulctam eis illatam pro vastatione Oropi oppidi, quod iuris Romani erat, remitterent. Erat enim talentûm quingẽtûm. Eorum quisque seorsum in Senatu luculentam orationem habuit: & tria dicendi genera Romanis adhuc incognita, diuersis orationibus, vt tres diuersarum disciplinarum philosophi erant, ostenderunt: eaq; vario filo texuerunt, exemplo Homeri, qui Vlyssi vberem, Menelao gracilem, Nestori mediocrem orationem tribuit. Cuius imitationem etiam tenuerunt tres diuersi inter se Græciæ populi, vt essent Asiatici vberes & inflati, Attici pressi & integri, Rhodij verò medium quidem tenerent, imitati potius Aeschinem quàm Demosthenem, aut Hieroclem & Menoclem fratres, quos Cicero Asiaticorum rhetorum principes fuisse affirmat. Primum dicendi locum habuit Carneades Academicus, & vberi orationis genere vsus est cum quadam dignitate & amplitudine. Secundum Diogenes Stoicus, qui gracili cum scita venustate ac subtilitate. Tertium Critolaus Peripateticus, hic mediocri stilo vsus est cum modesta vtriusque participatione. His ex tempore responsum dedit Cælius senator, qui acumine ingenij tantam cuiusque eorum ex imitatione similitudinem assecutus est, vt non minus his tribus philosophis admi-

Celsus in li. 1. ff. de iust. & iust.

Gellius li. 14. cap. 4.

Ex Plin. ca. 30 lib. 7.

rationi fuerit, quàm vniuersis senatoribus. Aderat in frequēti Senatu seuerior ille Cato, quem propter morum grauitatem omnes venerabantur, & iniquo animo tulerat tantam dicendi diligentiam, nonnullisque senatoribus clàm dicebat, dimittendos quamprimùm esse Græcos oratores, si Rempublicam saluam vellent, ne dicendi lenociniis ciuitatem inficerent. Deinde domum rediens ad filium ait, tunc Imperium Romanum periturum, quum se ciues Græcis literarum studijs traderent. Timebat ne Græcis illecebris iuvenes illecti, gloriam rei militaris amitterent.

Catonis oraculum.

Carneades Romæ de iustitia disseruit.

Carneadis opiniones de iure naturali.

Sed ad Carneadem redeo. Is dum Romæ esset, acerrimè de iustitia disseruit, eodem Catone & Galba Censoribus audientibus. Postridie autem eius diei orationem inuertit ostentandi ingenij gratia, & contra iustitiā grauiter inuectus est. Principio suaui sermone orsus, ait iura sibi homines pro vtilitate sanxisse, & ea varia quidem ex diuersis gentiū moribus, quæ etiam pro temporibus sæpè mutarentur. Ius naturale nullum esse aiebat: omnes & homines, & animantes reliquas ad vtilitates suas duce natura ferri. Proinde nullam esse iustitiam, quoniam sibi noceret ipsa alienis commodis consulens. Dicebat enim bonus vir, si seruum fugitiuum, vel domum insalubrem vendat, vtrúmne profitebitur fugitiuum seruum ac pestilentem domum se vendere? an celabit emptorem? Si profitebitur, bonus quidem, quia non fallet, sed tamen stultus iudicabitur, quia vel paruo vendet, vel omnino non vendet. Si celauerit, erit quidem sapiens, quia rei suæ consulet: sed idem malus, quia fallet. Rursus si reperiat aliquem qui aurichalcum se putet vendere, quum sit illud aurum: aut plumbum, quum sit argentum: tacebítne, vt id paruo emat? an indicabit, vt magno? Stultum planè videbitur magno malle emere, quod vili posset: vnde intelligi volebat, & eum qui iustus ac bonus stultū esse, & eum qui sapiens malū. Et tamen sine pernicie fieri posse fatebatur, vt homines sint paupertate cōtēti. Dicebat deinde, iustitia est hominem non occidere,

dere, & alienum prorsus non attingere. Quid ergo iustus faciet, si fortè naufragium fecerit, & aliquis imbecillior viribus vt enatet tabulam denaufragio conscenderit, nónne illum à tabula deturbabit, vt ipse conscendat, & illi innixus euadat, quum maximè sit nullus medio mari testis? Si sapiens est, faciet: alioqui enim ipsi pereundum est, nisi fecerit. Si autem mori maluerit quàm manus alteri inferre, iam non iustus ille, sed stultus est, qui vitæ suæ non parcat, dum parcit alienæ. Item si acie suorum fusà hostes insequi cœperint, & iustus ille nactus fuerit aliquem saucium equo insidentem, ei ne parcet vt ipse occidatur? an deijciet ex equo illum, vt possit ipse hostem fugere? si fecerit, sapiens erit, sed malus: sin secus, iustus, sed stultus. Hanc disputationem inducit Carneades, non quòd ignoret iustitiam virtutum omnium maximam esse; & ab innocentia prudentiaque non posse seiungi, & quod ex iniquo aliquod semper habere videtur exemplum, quod contra singulos pro communi vtilitate statuitur: sed vt ex præscripto suo ostenderet veritatem alias habere radices, & in abdito obscuroque penetrali latere: ac etiam vt disputaret in vtramque partem, vt sæpius consueuerat. At vtinam M. Tullij libri de Republica extarent, qui cum alijs compluribus perierunt, reliqueruntque nobis triste desiderium: hi nos magno labore prorsus liberarent, & iustitiam reliquasque virtutes clarius edocerent. Hanc enim in illis disputationem inducebat, & Furium contra iustitiam ex Carneadis obiectis disputantem, Lælium autem pro iustitia respondentem faciebat, & ei summa prudentia patrocinantem, vt virum eruditum ac sapientem, decet. Sed disputatio hæc inchoata est, non tamen perfecta ad summum. Malo enim fato desiderati libri sunt, & pauca, quæ diximus, testimonio aliorum scriptorum qui ea inducunt, habemus. Concludendum tamen est iustitiam ab innocentia atque prudentia neutiquā separari posse. Proinde iustus nullius vtilitatis causā quempiā fallet, neq;

Cic. in offi. lib.

Ciceronis libri de Rep. desiderantur.

Cicero Furiū & Carneadem in li. de Rep. disputantes introduxit.

permittet vt aliquis seipsum decipiat:moriq; malet, quàm violentas manus alicui inferre. Et si nactus fuerit socium equo insidentem, aut imbecilliorem illum in naufragij tabula natantem, morietur potius quàm vim alicui afferat, aut aliquem interimat. Quinetiam idem ipse Carneades dicere solebat. *Si iustus viderit quempiam, cuius etiam mors ei emolumento futura sit, imprudenter iuxta aspidem assidere, inique fecerit nisi eum monuerit, vt vitæ suæ caueat.* Concludendum igitur rursus erit, iustitiam maximum bonorum nũquam stultitiæ nomen, quod sapientiæ contrarium est, subire posse: nec ab innocentia virtutum omniũ clarissima vnquam seiungi, cùm virtus ipsa sit, ac singulare hominum bonum, & bona omnia omnesque virtutes in se vna complectatur.

Quid cum legibus Rex agere debeat. TIT. VI.

QVæri plerumque solet, quid cum legibus Rex agere debeat? Et primò quidem dicendum erit vt bonis legibus pareat, vt illius exemplo alij omnes libentius alacriusque illis obsequantur. Iniquum enim esset ius alijs præscribere quo ipse non vteretur. Optimè Aegyptiaci Reges agebant, qui parendo legibus putabãt se fieri beatos, atque omnium fœlicissimos, vt Diodorus Siculus testatur. Isocrates Regi suo præcipit, vt leges emendet, nouas condat ad concordiam, vtilitatemq; ciuium & ad lites dirimendas.

Eiusmodi præcepta Isocratis ætate necessaria erãnt: adhuc enim (vt dicitur) lintribus ac ratibus nauigabant, & tuguria atque humiles casas habitabant. Paucæ erant leges Cretensium, Atheniensium, ac Lacedæmoniorum, ad quas perdiscendas ex Senatusconsulto Sp. Postumius Albus, A. Manlius, & P. Sulpitius Camerinus oratores Athenas, & per omnẽ Græciam missi sunt, in quorum reditu Decemviros legibus scribendis Senatus præfecit, ne quid quod ad

ad ciuilem sapientiam pertineret, populo Romano deesset. Hi fuerunt Appius Claudius, T. Genutius, P. Sestius, L. Veturius, C. Iulius, A. Manlius, P. Sulpitius, P. Curiatius, T. Romulius, Sp. Postumius, viri ingenio, doctrina, ac genere præcellentes. Nec vberrima illa vitiorum copia adhuc orbem terrarum peruaserat, nec auaritia totos tunc pandebat sinus, vt Satyricus noster ait, nec luxuria, & mensarum voragines tanta ingluuie terra marique grassabantur. Castiora prorsus erant secula, nec tãta cupiditate ac libidine homines rapiebantur. Sed quanto plura vitia exarserunt, tanto pluribus legibus opus fuit. Bonæ enim leges ex malis moribus oriuntur, vt in veteri prouerbio dicitur. *Liuius, Valerius Max. & alij.*

Romani autem vt armis vniuersum terrarum orbẽ subegerunt, sic iudicijs, legibus, moribusq; eundem emendarunt. Verùm enim verò nisi tantum Græcis tribuerimus, quasi Helladia antiquior nobis sit quã Italia, planè consensu omnmniũ fateremur Iureconsultorum nostrorum libros omnium philosophorũ volumina grauitate, eloquentia, doctrina, ac sapientia anteire. Cicero decemuiralium legum libellum, quas Græci *δώδεκα κύρβεις*, nostri autem *duodecim tabulas* appellarunt, luculentissimis verbis in libris suis de oratore ad Q. fratrem extulit, & omnium philosophorum bibliothecis anteposuit. Quibus vix dici potest quantum deinde additum sit ex legibus, plebiscitis, Senatusconsultis, decretis Principum, ac responsis virorum prudentium, quos iurisconsultos dicunt, in quorum numero & Cicero & reliqui omnes doctissimi Romanorum extiterunt. *Duodecim tabulæ.*

Sublatus igitur erit Regibus nostri tẽporis labor scribendarum legum ab his maximis voluminibus, quib. populus Romanus Regũ ac gentium omnium victorius ciuilis sapientiæ vniuerso terrarũ orbi præscripsit. Laborẽt Reges ipsi, vt optimos quosque viros, & doctrina ac virtute præstantes iuridicundo præficiant, qui leges ac iura non modò custodiant, seruarique ab omnibus faciant, verùm ipsi quoque nihil contra leges agant. Exemplo Lycurgi, qui nihil

alijs edixit quod non antè ipse seruauerit. Sanctissimum habendum est Romani prætoris edictum illud, & proforibus vnius cuiusq; curiæ semper scribendum: Quod quisq; iuris in alterum statuerit, ipse quoque eodem iure vtatur. Hoc quamuis ad priuatos etiã spectare possit, ad legũlatores tamẽ principaliter pertinet, & ad omnes qui cũ potestate atq; imperio sunt. Qui. n. alijs vadimoniũ constituũt, scire etiã debent se omnibus illis iuris vadimonijs vadatos esse.

Appius. Claudius.
Ex l. 2. ff ini tium successio nis. ff. de origine iur.

Turpissimum fuit Appio Claudio, contra ius, quod in duodecim tabulas transtulerat, amore virginis, quam sibi in seruitutem vindicare volebat, fas & nefas miscere: vnde illius pater Virginius grauiter indignatus, virginitatem castitatemque filiæ vitæ quoque ipsius præferendam esse putauit, arreptoq; sutorio cultro filiam transegit, vt virginis morte iniuriam ac dedecus stupri arceret. Filiæque cæde recenti adhuc madens e uestigio ad exercitum rediit, & commilitonibus suis rei seriem exposuit. Tunc legiones decemuiralem violentiam ac tyrannidem iniquo ferentes animo, quòd dum ipsi foris pro communi libertate decernerent, illi qui ad custodiam vrbis relicti erant, liberos suos per vim in seruitutem conarentur asserere, relictis ducibus signa in Auentinum montem transtulerunt, & confestim omnis vrbana plebs illuc se contulit: & ita populi consensu Appius Claudius & reliqui decemuiri partim in carcere necati sunt, partim in exilium acti, & sic rursus Respublica constituta est.

Ad magistratum non diuitia, sed virtutes faciunt.

Sed ad magistratus deligendos redeo, quibus non census aut genus, sed sola virtus suffragari debet. Genus enim sine moribus superbiã & ignauiam, opulentiæ verò sine virtute insolentiam improbitatemque plerumq; pariunt. Venatores & equites non canis aut equi sobolem quærunt, sed canem atque equum celeritate ac ferocitate eximium. Norant enim prolem facilè mutari, & plerunq; in deterius ruere. Tellus (vt in fabulis vulgò dicitur) eodem partu Gigantes peperit & simias. Eleganter Lyricus noster Flaccus. *Aetas*, inquit, *parentum peior auis tulit nos nequiores,*

re, moxq; daturos Progeniem vitiosiorem.

Errabit igitur Rex, si magistratui aliquem præfecerit: nisi diligenter prius inuestigauerit quib. moribus quibusq; virtutibus ille pditus sit, sed hoc fecerit fretus memoria generis ac parentum illius. Rectè Lacedæmonij degeneres homines omni probro omnique ignominia insectabantur, & præcipuè eos qui hebetes ingenio, nec reddendæ, nec accipiendæ rationis capaces erant, & nonnullos ex Regibus suis legitima successione prohibuerunt, aut regno exegerunt vt ignauos ac degeneres, suffectis eorum loco ex eisdem regijs familijs melioribus: vt ostenderent non se cum sanctissima Regum dignitate pugnare, sed sine virtute genus omnino despicere. Regna q. dem priscis seculis non posteris eorum qui regnabant, tradebantur, sed eis tamen qui per virtutē plurimum de hominum vita merebantur. Vnde apud Aegyptios, eorum omnium quæ ad vitam pertinēt, soli Reges inuentores fuisse dicebātur, vt Diodorus Siculus scribit. Quum verò vtrinq; cōuenit, vt & genus & virtus sit in vno homine, tunc recta consonās viri harmonia habenda est. Iure igitur optimo volente populo Romano Q. Pompeius prætor vrbanus Fabium nebulonem illum impurissimum paternis auitisq; bonis interdixit, ne in ganeis ac lustris per luxū ac libidinē pecunia illa pdigeretur, quę p domesticā ac militarē virtutē q̄sita fuerat. Eius namq; pater Q. F. Max. vir omni laude dignissim⁹, de Allobrogib. Gallis triūphauerat, ppetuęq; dignitatis argumentū meruerat: & eius maiores per omne æuū optimè de Rep. meriti illustres semp habiti fuerāt, diuinumq; genus ab Hercule recēsebant. Scitè admodū Iuuenalis eiusmodi helluonē satyrica libertate ab omni nobilitate exturbat, & in vltimā plebis fæcē immergit. Cornelia quoq; gens, q̄ decus Romani Imperij semper extitit, degenerē superioris Aphricani filiū mōstro cuicunque immanissimo, quàm parenti similiorem, vt præturā (quā maiorum commendatione adeptam, omni sordido flagitio polluerat) se abdicaret compulit, egitq; vt nec sellam poneret, nec ius diceret. Quin-

etiam è digito eius anulum dextraxit, in quo caput Aphricani sculptum fuerat, ne ex facie illa, quam vitæ turpitudine contaminauerat, ostendere posset se filium eius esse, qui virtute & armis imperium Romani populi stabiliuerat. Idem dicere possumus de his qui ex parua aliqua doctrina plus sibi arrogant quàm par sit, & deinde flagitiorum labe se polluunt. Hi ab omni dignitatis munere extrudendi sunt, vt discant veram disciplinam ab honestate nunquam seiungi posse. Sapienter Agesilaus Lacedæmoniorum Rex dicere solebat, maiorem se censere miseriã esse, virtutem ac bonas actiones à doctis atque eruditis viris negligi, quàm ab indoctis atque ignaris.

Agesilaus.

Contenti igitur sint Reges ac Principes legibus Romanorum, & eorum ciuili sapientia, vt qui tot seculis vniuerso terrarum orbi morum ac ciuilis vitæ præcepta præscripserint, nec vllæ per omne æuum mortalium leges diutius permanserint: quocirca eas sempiternas fore sperare possumus, aut cum vniuerso terrarum orbe perituras. Inclytæ illæ Lycurgi leges, quæ vnis tantùm mœnibus seruatæ sunt, vix annis D. viguerunt: quibus tamen dum obsecuti sunt Spartani, maximi omnium Græcorum extiterũt: quum autem eas antiquari atque obliterari permiserunt, imperium eorum corruit, & propriam libertatem amiserunt. Sed si propter hominum improbitatem, nouaque in dies flagitia atque scelera mutandum instaurãdumq; aliquid esset, quod ad maiestatem imperij, remque pub. pertineat, tunc Rex edicto caueat imperetque quid facto aut non facto opus sit, sacra cæremoniasq; pontificibus sacerdotibusq; permittat, ciuilia autem Senatoribus.

Contenti sint nostri Reges iure ciuili Romano.

Videat autem Rex ne dum nouas Senatores statuunt leges, non tam iustitiæ quàm litigandi vias præbeant. Cogitet quoque, ne, cùm iustitia firmamentum sit humanæ societatis nouis inuentis eam diruat. Virtutes enim non solùm ex oppositis exturbantur, sed & ex quibusdam vitijs quæ specie similitudinis nos decipiunt. Prudentia sicut contrariam habet imprudentiam, sic similem astutiam: sic con-

stantiæ

stantiæ inconstantia contraria est, similis verò pertinacia. Et fortitudini contraria est ignauia, similis temeritas. Iustitiæ iniustitia contraria videtur, sed crudelitas speciem quandam similitudinis eius præstat. Seueritas iustitiæ quasi quædam perseuerantia à quibusdam putatur dicta, à seruanda veritate. Sed facilè in sæuitiam falsa quadam similitudine prolabitur. Eleganter L. Columella rustico suo ait: *Sic agere debes cum subiectis, vt magis vereantur seueritatem tuam, quàm vt sæuitiam detestentur.* Quibus ex verbis docet alterum perseuerãtiæ ac virtutis esse, alterum autem crudelitatis ac vitij. *Seueritas.*

Nec Regem pudeat præceptum à rustico sumere. priscis enim illis seculis omnes rusticabantur, & Reges ipsi tanquam digniores pastores erant, vnde apud Homerum Rex aliquando ποιμένος dicitur, id est, pastor. *Reges, pastores.*

Seueritas quidem Regem plurimum addecet, maiestatem quandam præstat, & dignitatem auget, redditque eum inter mortales quasi diuinum aliquod numen, quod homines non modò venerantur, verumetiam adorant. Perutilis est hæc virtus omnibus in rebus agendis, & præcipuè in iure dicundo, & in plectendis sontibus: vera est enim Menandri Comici sententententia, quum ait: *Salutaris seueritas vincit inanem speciem clementiæ.* Sæuitia autem tyranni est, nec vitiũ vllum tam tetrum, tam detestabile atque inhumanũ est, quàm crudelitas. Improbus est, qui cõtra legem peccat: inofficiosus, contra merita, qui verò sæuus, contra Deum, contra pietatem atque humanitatem delinquit, & hominis nomen perdit, efferatiq; animi vitio in tetram truculentamq; beluam conuertitur. Romulum Senatores, quos ipse designauerat, quum sæuior morosiorq; factus esset, discerpserunt, ne ex Rege tyrannus fieret, & ex seuero sæuus.

Sylla Romanorum omnium sæuissimus, hostium capita licitabatur, maximis propositis præmijs illis qui proscriptos intermisissent, & supplicijs ac morte damnatis his qui occultassent: & in delinquentium numero non modò eos qui contra eum senserant,

habuit, sed & necessarios, amicos, hospites, clientes, & beneficia illi dātes accipientesq́;, quibus etiam ne dolere quidem pro alijs licebat impunè: quod libertatis genus nec seruis etiam vnquam ereptum est, quibus vt gauderent, dolorent, timerent, sperarent, semper liberum fuit. De Sylla autē quid sentiat Cic. lege hæc verba actione quinta in Verrem. *Vnus adhuc fuit post Romam conditam: Dij immortales faxint ne sit alter, cui Respublica totam se tradidit temporibus macta, & malis domesticis,* L. Sylla. *Hic tantum potuit, vt nemo illo inuito nec bona, nec patriam, nec vitam retinere posset: tantum animi habuit ad audaciam, vt dicere in concione non dubitaret, bona ciuium Romanorum quum venderet, se prædam suam vendere.* Syllam Dioysius Halicarnasseus scribit, xl. millia Romanorum ciuium voluntario iudicio peremisse, præter illos qui eius ductu in prælijs ceciderant.

Occisorū numerus à Sylla.

Crudelis quoque ab ineunte ætate fuit Octauius. Nam in triumuiratu primo collegis aliquantulum restitit ne qua proscriptio fieret, sed deinde ea incæpta vtroque, se acerbius exercuit: solus, ne cui ignosceretur contendit: victor deinde in splendidissimum quemque captiuum verborum etiam acerbitate ac contumelia grassabatur, adeò vt cuidam sepulturam suppliciter deprecanti respōdisse dicatur. Iam ista in volucrum potestate erit. Nec eum puduit in imberbem ætatem sęuire, quàm violare etiam hostes nefas omnino esse putant: sed innocentem Antonij filium vixdum primæ pubertatis, ante oculos suos iugulari iussit, & Cæsarionem, quem Cæsaris, & Cleopatræ filium esse sciebat, fugæ subtractum, nullo respectu paternæ memoriæ habito, supplicio affecit. Sed fausta ac fœlix huius Imperatoris fortuna, qua quidem mortales omnes anteiuit, vel potius diui Cæsaris interempti gloria, tantum potuit, vt illius vitia virtutum prætextus obtegeret, & ex ignoto adolescente ac materno tantùm genere claro ad imperij sublimitatem proueheret. Erat enim Octauius filius filiæ sororis Cæsaris, & testamento in filium adoptatus, sed in Apollonia literis indulgebat

Octauij crudelitas.

Antonij filius Atyllus occiditur.

quum

quum Cæsar occideretur. Itaque is quamprimùm Romam à suis reuocatus peruenit, princepsque à populo Romano institutus est, vt indignum scelus vlcisceretur. Sed vt Plutarchus ait, magnus ille Cæsaris genius maria ac terras tandiu peragrauit, donec percussores illius omnes, & consilij etiam conscios in stragem dedit. Quid autem Octauius in Ciceronem patriæ atque eloquentiæ patrem egerit, taceo, ne multus in historia recensenda esse videar. Cuius quidem caput licitanti, Antonio propinquo sanguine tradidit. Octauius enim Ciceronem Antonio, Antonius verò Octauio L. Cæsarem auunculum suum interimendũ præbuit. Et sic homicidia homicidijs inter se mutua perfidia cõmutarunt. Potitus tamen rerũ Octauius, victisq; hostibus, mitior clementiorq; in dies euasit, adeò vt secũdo populi rumore diutius regnauerit. Sed ciuiliũ bellorũ vsq; adeò pertæsum fuerat, vt facilè oẽs conquiescerent, ne è fumo in flãmam se (vt dicitur) præcipitarẽt. Et hæc pcipua causa fuit cur pop. Rom. post Octauij mortem nõnullos imperatores tulerit, quorũ vitas quũ legimus, inter mõstra potius eos, quàm inter homines censendos esse arbitremur. Crudelior hæres Octauij Tiberius fuit, & nulla virtute illustris: qui Parthorũ Regẽ, (qui pulsus à suis in fidẽ populi Romani cõfugerat) Antiochiæ ingenti gaza spoliatum occidi iussit, & militem prætorianum ob surreptum pauonem capite puniuit. Nullus ei (ut Suetonius Tranquillus testatur) à pœna hominũ cessauit dies, nec religiosus quidẽ, nec sacer. Multi ab eo dãnati cum liberis, vxoribusq; extiterunt. Interdictumq; ne capite damnatos liberi propinquive lugerent. Omne crimen pro capitali ab eo receptũ est, etiam paruorum simplicium q; verborum. Non igitur admirandum est morte eius tam insolenter exultasse populum Rom. vt diras atq; imprecationes in eum vulgò iactaret, essentque etiam ciues qui palàm orarent terram matrem, deosque manes, ne mortuo sedem vllam nisi inter impios darent. Circunferebantur quoque Artabani Parthorum Regis ad eum literæ, quibus parricidia, cædes

Tiberio obiecta multa crimina.

cædes,ignauia,luxuria, & turpia omnia ei obijciebãtur,monebaturq; vt voluntaria morte,maximo iustissimoq; ciuiũ odio quamprimùm satisfaceret, è medioq; discederet, ne sua contagione alios inficeret. Nullũ profectò crimẽ magis animos mortaliũ exacerbare solet, quàm crudelitatis atque sæuitiæ, cuius memoria diuturna est, & odium immortale. Eius quidem animum reconciliare difficillimum est, qui per iniuriam atrocitatem aliquam pertulit.

Sæuos,ac sanguinarios Principes Dijs odio fuisse, etiam superstitiosi veteres putauerunt. Scribunt siquidem Domitianum Cæsarem per quietem vidisse Mineruam, (quam religiosè colebat) sacrario quod ei augustè ac sanctè dicauerat, excedentem, dicentemq;, se non posse amplius eum tueri, vt quæ exarmata à Ioue esset, qui ei grauiter succensuerat præ nimia sæuitia atq; atrocitate,quam in homines quotidie exercebat.

Sed ne vlterius vagetur sermo, iustitiam Reges ac Principes colant omni studio, omniq; diligentia, quam mansuetudine, humanitate, atque clementia moderentur.Permittantq; ea sibi persuaderi à doctis atque optimis viris, quæ iustitiæ sunt. Plato rogatus à conciuibus suis,vt ad Rempublicam accederet, responsum attulit,se id neutiquam esse facturum, quãdò Athenienses nequaquam quæ iusta sunt sibi persuaderi sinerent, & se non posse eos cõpellere: & si posset,nefas omnino esse, patriæ aut parentibus vim afferre:proinde tantum contendendum in Republica esse,quantum probare ciuibus possis.Et generaliter de iustitia hæc dicta sufficiant. Nunc verò dicendum erit quæ virtutes in primis eam comitentur:deinde seorsum de vnaquaque earum breuiter disserendum erit.

Platonici septem virtutum species iustitiam præstare aiunt: videlicet innocentiam, amicitiam, concordiam,pietatem, religionem, affectum,humanitatem. His nonnulli facilitatem addunt. Sed & fides quoque his superioribus adijcienda est, quæ consensu omnium maxima virtus haberi debet, sine qua

reliquæ

reliquæ inanes habendæ essent, & splendorem ac dignitatem omnem amitterent.

De innocentia. TIT. VII.

INnocentia prima harum virtutum se nobis offert, quæ vt Peripatetici asserunt, est habitus animi ita informatus, vt noceat nemini. Hic habitus siue affectio, siue dispositio (de nomine enim non pugno, ne aliquam philosophorum disciplinam in me prouocem) magnam certè vim habet, quando homini nihil melius, nihil tutius, nihil tranquillius esse possit, quàm nemini nocere. Cicero innocentiam esse ait animi affectionem, quæ nemini nocere velit. Affirmat quoque apud Græcos hanc virtutem vsitatum nomen non habere, posse tamen ἀκακίαν ἢ ἀσυνθυνίαν dici opinatur. Homo quidem innocens non legem, nõ testem, non accusatorem, non delatorem, non iudicem, non vindicem formidat. Nemini obnoxius est, nemini paret nisi legitimè imperanti, iustaque & honesta iubenti. Nulla tutela, nullis armis nulloque defensore eget innocens, nec sibi nec alteri nocet: vitia enim declinat, virtutem autem amplectitur: & sic vitam prudentia & consilio instituit, vt neq; peccet, neque iniuriam alicui inferat.

Hoc sentiens Plato, in libris de Republica ait, virum probum ad rectè viuendum sibijpsi sufficere. Rectè autem agere nihil aliud est, nisi cum virtute & officio viuere, & sibi suisq; prodesse, alienis verò nõ obesse. Ille sibi nocet, qui vel per auaritiam necessaria vitæ suæ demit, suum defraudans genium, vt Comicus ille ait, vel ex contrario per luxum, atque libidinem omnia prodigit, nihilque ei satis esse potest. Stoici optimè sentiunt, qui diuites omnes illos esse aiunt, qui cœlo & terra vti possunt. Et Flaccus Lyricorum nostrorum Princeps ait:

Vir probus ad viuendum sibi sufficit.

Non possidentem multa vocaueris
Rectè beatum, rectius occupat
Nomen beati, qui deorum

Horatius Flaccus ode 9. lib. 4.

Muneri-

Muneribus sapienter vti,
Duramq; callet pauperiem pati,
Peiusq; letho, flagitium timet.

Ille etiam sibi ipsi iniuriam infert, qui libidinibus illectus bona animi perdit, nullis bonarum artium studijs indulget, ignauiæ socordiæque deditus, aut inter oscitantes degit, aut in ganeis:popinis,lustrisq; latitat,omnesq; impuritates in se admittens, crapulam exhalat,vinũ euomit, & reliqua omnia agit quæ libero homine indigna sunt.

Næc & his similia qui facit,sibi nocet,iniuriusque est,alijsque exemplo ac contagione obest. Ille autem iniuriam alteri facit, qui hominem cedit, pulsat, violat,conuitio obiurgat, aut aliqua turpitudine vitam cuiuspiam inficit,rémve alterius interuertit. Hic contra iustitiam peccat, cuius primum munus est neminem lædere. Hic humanam societatem dirimit, quum iustitiæ obiectum in primis sit hominum seruare consortium.

Eiusmodi iustitiæ sponsio homines à solicitudine auocauit, & in multitudinis cœtum pagos, villas, oppida,vrbesq; induxit, vt securi à ferarum incursu, & ab omni alia vi essent, nemoq; eis nocere posset. Innocentia, & præcipuè in genus suum, naturæ munus est.Leo in leonem non sæuit, nec pardus in pardum,nec draco in draconem, sed quæque animalia in suo genere congregantur, dimicantq; communibus viribus contra dissimilia. Homini verò insidiæ semper & complura ab homine mala imminent: adeò vt solus ex omnibus animalibus in suo genere tutus esse non possit. Verùm est illud Aristotelis oraculum,cùm ait, vt optimum omnium animalium est homo,quum rationi paret,sic deterrimum, cùm rationi non obsequitur.

Arist. lib. 1. polit. cap. 22. lib. 1.

Magna virtus in homine est innocentia, & quum neminem lædit, neminique iniuriam affert,& quum à turpitudine ac flagitiis abstinet.Hic est ille, quem ab omni periculo tutum etiam solum & inermem Flaccus cecinit:

Integer vitæ, scelerisq; purus.

Non eget Mauris iaculis, nec arcu,
Nec venenatis grauida sagittis
Fusce pharetra.

Horatius Flaccus ode 22.lib.1.

Animus innocentię suę conscius, nihil timet. Verè profectò Cic. ait. *Magna est vis conscientiæ, iudices, & magna in vtranq; partẽ, vt neq; timeãt qui nihil cõmiserunt, & pœnam ante oculos versari putent, qui peccauerunt.* Innocẽtem virum oẽs homines mira beneuolentia complectuntur, & se & sua omnia tutò credunt. Hic ciuiles iras dirimit, seditiones, discordias, inimicitiasq; cõciliat, iurgia comprimit, & dissidium, iram atque odium ad beneuolẽtiæ integrationem redigit. Hic est vir ille, cui tutè fidendum esse Plato ait, & quum Theognis poëta Siculus testem inducens, affirmat omni auro omniq; argento esse potiorem.

Pro Milone.

Innocentem damnare, maximũ penè omnium criminum habetur: quod quidem diuinum numen, & probi etiam homines vlciscuntnr. Archilochum Poëtam, qui nihil in eum commeruerat, sola inuidia clarioris carminis occidit Archias, & quia cædes sine arbitris peracta fuerat, nulla in eũ suspitio erat, verùm quum solennia de more Apollini celebrarentur, frequensque populus in templum conuenisset, clara Apollinis voce Archias, quòd recenti innocentis poëtæ cæde pollutus esset, vt templum egrederetur iussus est. Qui quidem egressus (sic deferente Deo) pœnas dedit, vt obrutus à concurrente populo saxis, vel (vt alij scribunt) ad sepulchrum Poëtæ ductus iugulatusq; inferias innocenti vati sanguine parẽtauerit.

Archilochus.

Innocentem lædere tanti est, vt omne antè actæ vitæ decus obscuret. Cecilius Metellus, quum consul esset, nihil delinquentibus Dalmacis vltro bellum intulit, triumphandi solum cupiditate pellectus: Et quamuis amicè ab eis susceptus in vrbe eorum Salone hyemem transegisset, multisque muneribus ab eis affectus extitisset, tamen quum Romam redijsset, triumphum per ambitionem ei delatum sine vllis meritis egit, in quo & à militibus per ludibrium contemptus est, & ab vniuerso populo irrisus. Atqui per omne tempus notior extitit,

Cecilius Metellus iniustè Dalmacis bellum mouet.

titit, quòd innocentes læserit, quàm quod præclarum aliquod facinus domi forisve pro Republica gesserit.

Gloriantur etiam homines, ob id quoque quod rectum putant innocentes vlcisci: vnde Dido apud Virgilium ait:

Vlta virum, pœnas inimico à fratre recepi.

Et non modò illustres atque ingenui homines innoxij sanguinis vindictam inter laudes suas connumerari volunt, verùm etiam quoque obscuri, & in seruitute constituti. Hasdrubal Hamilcaris gener Hispanum quendam virum clarum & innocentem iniustè interemerat: eius seruus nactus occasionem, neutiquam vitæ suæ parcens Hasdrubalem gladio transegit. Verùm à satellitibus, quibus ille stipatus erat, comprehensus, inter tormenta risu exultabat, lætitia perfusus, quòd vltus innocentis heri interitum trucidaretur.

Serui heri sui mortem vlti patientia.

Præclara quidem virtus est innocentia, quæ & vindices semper paratos habet, & tam sublimem quàm humilem fortunam exornat. Regis finem dicimus (ex Platonis sententia) similitudinem Dei imitari, & virum illum fœlicitate magis præstare, qui per similitudinē magis Deo adhæret. Deus in primis gloriā ex innocentia assequitur, vt qui nullis malis mortales vnquam afficiat, vt non modò sacri libri, sed vetustissimus etiā poëta Orpheus cecinit. Sicut enim Deus auctor atque artifex omnium bonorum est, sic Rex quoq; efficiat, vt prosit omnibus, noceat nemini. Reges qui ab innocentia absunt, manifestas pœnas luunt, nec vnquam quieto animo esse possunt.

Attalus.

Attalus Asiæ regnum innocentium amicorum ac cognatorum cæde fœdauit, qua ex re in vesaniam vecordiamq; conuersus, barbam submisit, & capillum, reorum in modum: non in publicum prodire, non se populo ostendere, vt quasi amens manibus interfectorum pœnas pendere videretur. Omissa deinde Regni administratione, hortum fodiebat, deinde ærariæ fabricæ se tradidit, morbumque ex solis ardore contraxit, quo septima die decessit, populumq;

PAGINATION INCORRECT

lumq; Romanum hæredem instituit. Cuius opes Romam perlatæ iniuria Asiatica vniuersam ciuitatē infecerunt. Aequitate testamenti gratias Romano populo rependit, & Asiam, quam ab eo dono acceperat, moriens deinde eidem legauit.

C. Cæsar innocentiæ laude nō caruit, cui quasi peculiaris virtus clementia extitit, quæ cum innocentia optimum habet commercium. In eius exercitu maxima aliquando seditio insurrexerat, & in principes seditionis, concitatoresque tumultus omnino vt animaduerteretur opus erat. Proinde iussit quosdam securi percuti, vt paucorum supplicio reliqui quiescerent. Sed quidam ex illis quum duceretur, se innocentem esse exclamauit. Tum Cæsar re diligenter cognita, eum liberum intactumque dimitti iussit, & illum qui eundem perperam per calumniam accusauerat, fustibus cæsum interimi, ne suo iudicio innocentem quempiam damnaret. *C. Cæsar.*

Maxima innocentiæ laude Euagoras Rex Cyprius claruit, vt qui quandiu vixit, neminem vnquam iniuria aliqua affecerit, & in omnes semper iustum imperium exercuerit. Epaminundas quoque Thebanus multis quidem virtutibus excelluit, sed innocentia omnes ætatis suæ duces anteiuit. Nemini siquidem iniuriam intulit, hosti nunquam imposuit, & aperto marte semper certauit. Innocentissimus quidem fuit maior Aphricanus, & vera animi virtute ac probitate Principes omnes omnium gentiū præuertit. Is tantùm ab iniuria abfuit, vt ne captiuo quidem corpori vnquam illuserit, malueritq; ciuem bonum seruare, quàm hostes plurimos perdere. Nec minus decorum putabat hostem clementia quàm armis superare. *Apophthegma Aphricani maioris.*

Qui quum repetundarum post victoriam Romæ per inuidiam postularetur, possetque inimicos longè superare, voluntarium exilium subire maluit, patriæque cedere, quàm intestina clade ciuitati nocere. Is ab ineunte ætate miram semper innocentiæ indolem præ se tulit. Erat enim alloquio blandus, perfacilis in audiendo, suauis in respondendo, & mi-

rus artifex conciliandæ gratiæ. Quinetiam ab eius congressu nemo discedebat, quin fateretur se plurimas ei gratias debere. Scribit Plutarchus Scipionem ad Antiochum Regem missum, venisse cum Hannibale in sermonem, & inter multa eum rogasse, quem Maximum Imperatorum omnium fuisse censeret? Tum Pœnum respondisse, Alexãdrum Macedonum Regem primum sibi videri, secundum Pyrrhum Epirotam, tertium seipsum esse putare. Tum quum leniter arrisisset, Scipionem dixisse, quid arbitrareris Hannibal, si me vicisses? Tum audacter illum respondisse: Præferrem me omnibus. Quo quidem iudicio lætus Scipio, intellexit se neque posthabitum, neq; in comparationem adductum, sed Punico ingenio, quasi occulto quodam iudicio se longè alijs omnibus fuisse prælatum, nec in similitudinem inductum extitisse. Neque immeritò Hannibal id iudicium protulit. Nam si Fabius & Maximus dictus est, & seruator restitutorque Reipublicæ, quòd bellum detrectando, cunctandoque iuuenilem exultantiam Hannibalis represserit, quòd cum eo non pugnauerit, quid de Scipione dicendum erit? qui Hãnibalem magno prælio fuderit, bellum confecerit, & eius patriam subegerit? Nam Carthaginenses ipsi, qui fugatis cæsisque tot Romanorum exercitibus, subacta penè omni Italia, vrbeque obsessa iam sibi orbis terrarum imperium destinauerant, illuc rerum perducti sunt, vt de proprijs laribus anxij nullo pacto mœnia seruari posse confiderent, nisi hostis clementia impetrata, à quo & pacem fusis lachrymis implorarunt, & seruitutis conditiones non recusauerunt.

Apud T. Liuium. Hannibalis iudicium de Scipione.

Pomponius Atticus.

Pomponiũ Atticum innocentem admodũ fuisse Cornelius Nepos scribit, vt qui neminem nec dicto lacessiuerit, nec facto proteruo læserit, memorq; accepti beneficij semper extiterit. Hominibus quoque, non fortunæ erat amicus: eius quoque liberalitas nõ callida fuit. Non enim florentibus se venditabat, sed afflictis ac miseris sedulò succurrebat. Dicit etiam illum ad hastã publicam nunquam accessisse, nulliusque rei prædem, neq; mancipem factum fuisse.

Phocion

Phocion Atheniensis pro sua mirifica innocentia gratissimus fuit Regi Alexandro, ad quē orator missus fuerat ab Atheniensibus, quum ille victoria elatus propter captas à se Thebas ad supplicium posceret Demosthenem, Lycurgum, Hyperidē, & Charidemum oratores praeclarissimos, qui contra eum in Senatu Atheniensium locuti fuerant. Phocionis verò dignitas atque auctoritas tantum valuit apud Alexandrum, vt Athenienses aequis conditionibus ei conciliauerit, & magnos illos ciues à deditione atq; supplicio liberauerit. Sed iam res postulat, vt de amicitia differamus, est enim secunda species earum virtutum quas iustitia pollicetur. *Phocion Atheniensis.*

De amicitia. TIT. VIII.

Amicitia est virtus reciprocae beneuolentiae, aequitate quadam similes inter se moribus ac virtute concilians. Haec diffinitio à veterib. Academicis manat. Sed Pythagoras breuius exponens dixit amicitiam esse aequalem congruentiam. Cicero autem voluntatem esse ait erga aliquem rerum bonarum illius causa quem diligit, cum eius pari voluntate. Et alio in loco dicit amicitiam esse diuinarum humanarumque rerum summa cum beneuolentia & charitate consensionem. In libro verò secundo de foelicitate & miseria ait: *Quid autem est amare, ex quo nomen amicitiae ductum est, nisi velle bonis aliquem affici quàm maximis, etiam si ad se ex his nihil redeat?* Optimè Aristoteles perfectam amicitiam non nisi inter bonos viros posse esse affirmat. Similitudo enim virtus efficit vt mutua beneuolentia inter se homines teneantur, quandoquidem boni sunt, proinde diutius permanet. Virtus enim constans & perpetua est, optimaque fundamenta charitatis iacit: & ex quotidiano vsu virtutis, amicitia semper incrementum accipit, & mutuis animis mutuisque officijs in dies arctius nectitur. Debetur enim amicitia bene meritis quasi naturae munere, iureque ipso naturali. Nihil enim minus humanum esse videtur, quàm non respondere in amore his à quibus prouoceris.

Amicitia. *Cic. de amicitia.* *Cicer. lib. 2. de fin. bo. & malorum.* *Arist. 3. li. 8. Ethicorum.*

Videndum tamen est, vt nihil simulatum, nihil fictũ, nihil occultum in amicitia, sed omnia apertè ad veritatem ac virtutem dirigantur.

Alcibiades optimus artifex conciliandarum amicitiarum habitus est, non autem seruandarum: Tegebat enim vitia sua leporis atque eloquentiæ clypeo: quæ deinde quum apparebant, amorem ac beneuolentiam in odium maleuolentiamque conuertebant.

Amicitia in primis hæc præstare debet, vt inter amicos voluntatum, studiorum, sententiarumq; magna sit consensio: idem velle, atque idem nolle, optimum beneuolentiæ vinculum habetur. Amor ille amicitiæ artifex quum honestate proficiscitur, princeps est ad necessitudinem conciliandam beneuolentiamque augendam, quæ deinde confirmatur beneficijs vltrò citroque datis acceptisque, & assidua quotidie consuetudine alitur. Non frustra dictum esse puto: *Absentiam plerunque oblinionem beneuolentiæ inducere, & silentium multas amicitias dirimere.* Sed hæc inter eos dici possunt, qui non vera virtute, sed leui quadam vmbra, fictoque simulachro inter se coniuncti sunt: vera enim virtus non incerta, labilis, caduca, aut mutabilis est: sed altissimis infixa radicibus nulla vi labefactari, dirui, auelli, locóve dimoueri potest. Stabilia enim firmaque sunt omnia quæ ex ea nectuntur, nec paruo momento impelluntur ac corruunt.

Absentia oblinionem parit.

Amicitia quæ virtute nititur, nulla locorum intercapedine obliteratur, nulla temporis diuturnitate senescit, nulla taciturnitate minuitur, nulla suspicione dirimitur. Prudenter Stoici veram amicitiam sapientium nexum ac vinculum esse arbitrantur firmum ac stabile, & omnino indissolubile, quod nulla consuetudine, nulloque conuictu indigeat, sed absens semper quasi præsens sit, & in alto etiam silentio loquatur. Idcirco affirmant, sapientes sapientibus (quos nunquam etiam viderunt) beneuolẽtia coniunctos esse, firmaq; amicitia teneri. Boni bonos amãt vel hoc ipso, quia boni sunt. Probitas enim illa

est.

PAGINATION INCORRECT

est,quæ inter eos necessitudinem conciliat. Nihil est enim amabilius virtute, vt ait Cicero libro primo de de Deorum natura, quam qui adeptus est,vbicũque gentium erit,à nobis diligitur. *Nihil amabilius virtute.*

Consuetudo inter malos amicitiæ nomen vsurpat,quum sit conspiratio vel coniuratio,quædam vtilitatis aut voluptatis causa,quæ eos ex improbis assiduo vsu deterrimos nefariosq; facit. Vt enim boni bene agendo ex mutua consultatione meliores fiunt,sic mali malè agendo seseque inuicem adiuuando deteriores semper euadunt. Omnis profectò beneuolentia à voluptate aut vtilitate suscepta tandiu permanet,quandiu vsui aut libidini est. Eadem ratio quæ amorem cõciliabat, si tollitur, dilectio illa quãprimùm concidit: & vt sæpè cernimus, amor ille in odium conuertitur.Hæc est nimia illa amicitia,quam Theophrastus dissidij causam plerumque esse dixit. Honestus autem amor nihil studet, nihilque cupit, nisi eum bonis quàm maximis affici, quem diligit, etiamsi ad se ex his nihil redeat. Nam qui sua causa bene alicui vult, is non amicum diligere, sed vtilitatem suam quærere videtur. Si enim amicitiam ad fructum ac commodum nostrum referamus, non erit illa amicitia, sed mercatura quædam vtilitatum nostrarum. Greges quidem & armenta non pecoris gratia, sed quòd ex his fructum percipimus, diligimus: hominum autem beneuolentia & amicitia, gratuita semper esse debet. Ciuilis præterea institutio non rectè amicitia dicitur, sed societas communis vtilitatis gratia instituta. Inter complures siquidem quorum studia diuersa sunt, ætates inæquales, & artes dissimiles, vix amicitia vlla esse potest. *Ex Cic. de fin. bon. & mal. lib. 2.*

Tres amicitiæ species secundum Platonem. TIT. IV.

PLATO tres amicitiæ species in primis facit: Naturalem, ciuilem, hospitalẽ. Naturalem nostri trifariam partiũtur: vt sit prima pietas, secunda indulgẽtia, tertia necessitudo. Pietas est obseruantia quædam primùm *Naturalis, ciuilis, & hospitalis amicitia.*

erga Deum: deinde erga patriã & eum qui legitimè imperat: tertio verò erga parẽtes, maioresq; omnes. Indulgentia verò est amor in liberos, ac descendentes nostros, & in eos etiam qui imperio nostro subiecti sunt. Necessitudo autem est charitas in consanguineos, affines, cognatos, agnatos, gentilesq; oẽs.

Secunda amicitiæ species est, quæ ciuilis vel socialis dicitur. Hæc voluntas est erga aliquem rerum bonarum, illius causa quem diligimus, cum pari eius quoque voluntate. Quæ quidem imprimis ab electione proficiscitur, ex similitudine bonorum morum: conciliatur autem assidua consuetudine. Præstat hæc amicitiæ species propinquitati: ex propinquitate enim beneuolentia tolli potest. Sepè enim accidit, vt ex diuersitate morũ affinibus malè inter se conueniat, & tamen inter se affines consanguineive sunt. Ex amicitia autem beneuolentia si tollitur amicitia ipsa corruit. At propinquitas ipsa remanet, etiam si inter se propinqui illi digladientur. Tertia hospitalis amicitia vocatur: quæ à superiore non differt, nisi quòd illa inter conciues est, qui ciuili quadã societate coniuncti esse videntur: hæc autem inter peregrinos & hospites, qui nullo nisi humanitatis iure nobiscum tenentur. Stoici, & Academicorum nonulli his tribus speciebus amorem addũt, eumq; conatum amicitiæ esse affirmant. Eorum sententia (vt iam diximus) explodenda est: blanditur enim Græcorũ leuitati, & à grauitate seueritateq; Latina longè aliena est. Qui sic amat, lenocinio formæ delectatur: qui verò amantur amantis obsequio. Forma naturæ donum licet peregregiũ sit, tamẽ breuissimi temporis est, quo quidem labante amor etiam corruit. Proinde rursus concludendum erit solã virtutem verã amicitiam præstare, & eadem quoq; diutius cõseruare, reliqua omnia ficta & caduca sunt, & paruo momento rapiuntur. Amorem ab amicitia optimo intellectu secernit Cat. poëtę querela, quũ ait:

Cogit amare magis, sed bene velle minus.

Vt ostendat amorem violentiæ esse, amicitiam autem beneuolentiæ: & alterum insanæ cupiditatis, al-

terum

terum verò prudentis voluntatis. Sed de amore satis à nobis dictum est suprà, cùm de animi perturbationibus lib. 4. diximus, in quo omnes eius affectus expressimus.

Explosa multis argumentis eorum sententia, qui amorem amicitiæ conatum esse dicunt: sequamur nunc has tres Platonicas amicitiæ species, quas probamus: videamusque quomodo éis Regem ac Principem vti deceat. Non est enim nostri consilij, species omnes amicitiæ complecti, earumque diuersas rationes subdere, sed ea duntaxat libare, quæ ad rem nostram pertinent, & præcipuè quum Græci philosophi complures libros de amicitia ediderint, multis argumentis, varijsq; opinionibus refertos, quos omnes Cicero vnico de amicitia libello, sapientia, grauitate & eloquentia superauit.

Decet in primis Regē pietas, quæ (vt Cicero definit) est virtus, per quam sanguine coniūctis, patriæq; beneuolis officium & diligētem tribuimus cultum. Pietas in parentes tanti fuit apud Romanos, vt ex ea nonnulli honoris cognomentum meruerint, vt Metellus ille qui Pius dictus est. Nam quum puer esset, magna cum gratia, ac pudore, & scita etiam verborū facundia pro reuocando patre ab exilio, Senatum populumq; Rom. exorauit. Cuius quidem restitutio tam grata vniuersis ciuibus extitit, vt integer dies nō satis fuerit, dum ille ad portas vrbis obuios quosque sibi prodeuntes exciperet. Sed hæc virtus longè magis emicat, illustriorq; habetur, quum studiosi in patriam fuimus, cui officia omnia debemus. Plenæ sunt veteres historiæ virorum fortium exemplis, qui non rem familiarē modò, verùm etiā vitā pro patria effuderunt Sed vt alios omittam (qui innumerabiles extiterunt) trium Deciorum, qui se pro patria vouerūt, pietas omni ex parte admiranda mihi videtur. Pater enim in bello Hetrusco, nepos autem in bello contra Pyrrhum, sese quasi hostias Plutoni pro exercitu Romano sponte vouerunt.

Eadem pietate tenetur Rex in ciuitates ac populos quos regit, qua ciuis quisque in patriam suam.

Et omnia officia quæ priuati parentibus ac maioribus præstare debent, Rex ipsa naturali iure subditis suis præstare tenetur, & eandem indulgentiam in liberos, descendentesq; omnes. In qua quidem videndum erit, vt præscriptum illud Solonis teneat. *Ne quid nimis.* Nam sicut nimis morosa seueritas in filios plerunque minus prodest, sic nimia illa indulgentia sæpenumero obest. Est enim peccandi non modò illecebra, verùm etiam manifesta licentia.

Admirantur Græci scriptores potiùs quàm laudant Reges illos, qui viui atque incolumes filijs regnum permiserunt, vt illos regnantes viderent: vt fecit Ptolemæus in AEgypto, Ariobarzanes in Cappadocia, Seleucus in Syria, qui se regnis abdicauerunt, vt illis filij, dum viuerēt, potirentur. Eiusmodi indulgentia parentibus plerunque discrimini esse solet, & causam nonnunquam parricidio præbuit, vt de Prusia Bithyniæ Rege scribentes historici aiunt, illum per filium Nicomedem, cui regni habenas viuus permiserat, necatum esse.

Darius quoque, à patre Artaxerxe viuo Rex factus, interficiendi patris consilium cepit. Sed facta coniuratione, dum patri insidias parat, deprehensus cum socijs pœnas parricidij Deo paternæ pietatis ac maiestatis vltori persoluit.

Eucratides Bactrianorum Rex virtute ac rebus gestis præstantissimus fuit, & obsessus à Demetrio Indorum Rege cum trecentis militibus tantùm, quadraginta hostium millia assiduis eruptionibus vicit, & omnem Indiam subegit. Deinde quum victor in regnum, vt suis gratularetur, se recipere vellet, filij insidijs, cui vices suas gerendas dederat, exceptus, trucidatus est. Nec omnino contemnenda est barbara illa vox, qua dicitur, *Nullum regnum sine domestica cæde aut parricidio esse solet.*

Decet etiam Regem necessitudo in affines consanguineosq; omnes. Quo quidē loco rursus omnes, qui imperant, monendi sunt, vt ab omni humano sanguine abstineant, sed præcipuè ne suorum sanguine manus polluant.

Multi

Multi non solùm externorum, sed etiã Romanorum Imperatorum, sæuitiam immanitatemq; in suos exercuerunt, & ex parua quadã suspitione homines sanguine & genere se contingentes peremerunt.

Tiberius Cæsar filios neutiquam paterna charitate dilexit. Druso enim mortuo, paulo post funus ad negocia redijt iudicio longiore interdicto, vadimonijsq; restitutis. Et quum necessarios suos magna ex parte interemisset, fœlicem Priamum vocabat, quòd superstes omnium suorum extitisset.

C. quoque Caligula naturam sæuam ac sanguinariam habuit, adeò vt ne adolescẽs quidem prohiberi vnquam potuerit, quin pœnis eorum qui ad supplicia ducebãtur, cupidissimè semper interesset. Quinetiam deinceps quum imperaret, nunquam in quemquã nisi crebris & minutis ictibus animaduerti permittebat, dicebatq; id fieri oportere, vt sentiat se mori. Turba quoq; fauente aduersus studium suum, exclamauit. *Vtinã populus Romanus vnam haberet ceruicem.* *Caligulæ vox crudelis.*

De Nerone nihil dicendum est. Nam si carnificinã eius vel leuiter attingere velim, volumen hoc plenis marginibus etiam vt in tergo exarem opus fuerit.

Cruentus Domitianus, cruentus Commodus, sed Constantinus horum sæuitiam æmulatus, omnes alios immanitate superauit, vt Ammianus Marcellinus refert. Multa etiam impietatis exempla Aegyptij Reges dederunt.

Ptolemæus ille qui pulso per fraudem Antigono Macedoniæ Rex fuit, Cassandram sororem, quæ antea Lysimacho nupserat, simulato matrimonio, vrbe, quæ ab eius nomine etiam Cassandra dicebatur, expulit, filiosq; eius Lysimachum & Philippũ, quos sibi aram tenens ante Iouis simulachrum adoptauerat, trucidauit. Nec tamen Ptolemæo scelera hac inulta extiterunt. Nam Deo Optimo Maximo tot periuria ac parricidia vlciscente, repente à Gallis spoliatus regno, captusq; vitam ferro amisit.

Ptolemæus quoq; alter qui ob impietatem Philopator cognominatus fuit, patre ac matre interfectis, Aegypti regnum occupauit.

Ptolemæus etiam alius, qui à sæuitia Phiton dicebatur, filium ex se & Cleopatra sorore ac coniuge sua genitum Tragico scelere trucidari fecit, ne illa filium in Aegypto aliquando regnaturum sperare posset. Eiusmodi facinora nulla vnquam religione expiari possunt, & præclara Regum Imperatorumque gesta adeò obscurant, vt ex eis nihil perpetuæ memoriæ mandetur, nisi quod turpiter egerunt. Obseruent pietatem, indulgentiam, necessitudinemq; Reges, supra priuatos omnes, meminerintq; Principum regumque vitam longè magis exemplo, quàm virtute etiam ipsa prodesse. Hæc præcipua munera sunt naturalis amicitiæ.

De ciuili seu sociali amicitia TIT. X.

SECVNDA amicitiæ species est illa, quam ciuilem siue socialem appellat Plato. De hac autem tribus modis cogitandum erit. Primò enim dicemus ciuilem amicitiam esse illam, qua singularum ciuitatum ciues patrio quodam iure inter se coniunguntur. Magnum beneuolentiæ vinculum est eiusdem cœli aërisque spiritum haurire, eiusdem terræ fructibus atque alimētis vesci, eandem potare aquam, ab eisdem præceptoribus erudiri, eundem sermonem audire & reddere, eisdem artibus ac studijs consuescere, eisdem mœnibus munimentisq; asseruari, eisdem legibus gubernari, eisdem sacris initiari, eademq; religione tueri.

Amicitia ciuilis.

Multa quoque inter se communia habent ciues, vt templa, fora, theatra, porticus, & complura alia quæ ad communem omnium vsum sunt constituta, & mirifica quadam charitate ciues inter se connectunt. Hæc est communis illa amicitia, quam si quis ex hominum vita tolleret, Solem ipsum è mundo eripuisse videretur, vt ait Cicero. Hinc fit amicorum illa copia, quam vnam ex rebus honestis atque expetendis Academici veteres & Peripatici esse dicūt, quum plures ex ciuibus nostris festiuitate vernaculi

sermo-

sermonis,iucunditate morum,vitæq; suauitate nobis adsciscimus,& ea benignitate perfundimus,qua sine incommodo nostro multis gratificari possumus.Hac communi beneuolentia qui caret, in solitudine degere videtur, & vitam insidiarum ac timoris plenam semper habere.

Epicurus voluptatis assertor, hanc solam amicitiam ex omnibus probat, eaque à voluptate non posse diuelli affirmat, & ob eam rem maximè colendam esse,quòd sine ea nec sine metu viui possit.Nam præcipuam illam veramq; amicitiam, quam coniunctione morum & virtutum inter paucos celebrari dicimus,respuere videtur,quum ait,Sapientem,amicum nullum esse quæsiturum. Hoc etiam asserere videtur Aristippus Cyrenaicus, quum dixit amicum necessitatis causa complectendum esse.

Communis hæc amicitia, quæ inter plurimos celebratur,Regi præter cæteras omnes conuenit.Similitudinem namque cum patrefamilias aliqua ex parte tenet, qui liberos, nepotes, coniugem totamque domum generali quadam beneuolentia complectitur,omnibusq; cupit bene esse: & singulos quosque beneficijs afficit.Compēsat tamen eadem pro ætate, dignitate,ac sexu.Rex enim in ciuitate vniuersa quasi paterfamilias est : regnum autem paternum imperium habetur, quod quidem ad omnium vtilitatem gubernatur.

Regis cura est,vt qui ab eo reguntur, optima quæque habeant. In distribuendo verò quanuis omnibus prosit, meritorum tamen seruat discrimen, & excellentioribus plus tribuit honoris, tenuioribus autem plus vtilitatis. Virtutis enim præmium est honor, indigentiæ autem lucrum. Proinde videre debent Reges ac Principes, vt hi quos alijs gloria ac dignitate præferunt, ab omni lucro abstineant,contentique sint fructibus prædiorum se familiamque suam alere.Quî enim rectè agere cum populo potest ille, qui lucello intentus, publicas functiones negligit,vt rem familiarem augeat? Tenuiores verò,solertes industrijque sint & labori incumbant,

artibusq; insudent, ex quibus victũ sibi ac necessariis suis abũdè suppetere possint, ne qd eis desit quod ad vitæ commoditatem pertineat. Rex itaq; vt æquus omnibus ac par esse debet in iure dicẽdo, & suo cuique tribuendo: sic etiam in prohibendo quosq; ab iniuria, ac violentia. Hæc est illa amicitia, quæ cõniux ciuium beneuolentia tutissima custos ac comes Regibus Principibusq; esse solet, qua quidẽ dũ muniti fuerint, neq; externa, neque intestina arma formidabunt. Rectè itaque Theopompus Lacedæmoniorũ Rex roganti cuidam quo pacto regnum stabile futurũm esset respondit. *Si Reges voluntates suas cum amicis communicabunt, & ciuibus nullam iniuriam afferri permittent.*

Secunda ciuilis amicitiæ pars.

TIT. XI.

ALTERA huius ciuilis Amicitiæ pars est, cuius fundamenta, virtus, & similitudo morum iacit, consuetudo verò assidua deinde perficit. Hæc quum rectè congruunt, perfecta amicitia dicitur, quæ non nisi inter bonos viros, & similitudine morum ac vitæ conuenientes esse potest. Hi ergo vt simul versentur, simulque viuant opus est, vt de se & Scipione apud M. Tullium loquitur Lælius, nec pluribus vnũ quẽpiam esse amicum ex iure huius perfectæ amicitiæ dat: sicut nec in Veneris illecebris permittetur vt vnus complures amet, aut vna pluribus iungatur. Idcirco rarò admodum hæc amicitia esse cernitur. Nam in omni hominum æuo vix tria aut quatuor amicorum paria cum magna admiratione à Græcis scriptoribus celebrantur: neque id quidem admirandum esse censeo: difficiles enim ac complures conditiones exigit, nec fortasse pauciores illis quas per syngrapham stipulatur à lena (cui Cleretæ nomen fuit) adolescens ille Argyrippus apud Plautum. Non parua conditio haberi debet ea, quam Euripides tragicus præscribit, τὰ τῶν φίλων κοινὰ, hoc est amicorum omnia communia, & præsertim nostris temporibus,

Argyrippus Plautinus.

bus, in quibus auaritia adeò plerosque inuasit, vt quotidiano cibo ac victu seipsos defraudent, nemini benigniores sint, nihil amico inopi etiam ex his rebus quæ eis superfluunt impertiantur, vixque ab alienis manus abstineant. Quinetiam amicitiæ iam vulgò non virtute, sed vtilitate aut voluptate probantur. Vadem quis ad mortem se pro amico dabit, vt Pythagoricus ille fecit Dionysio tyranno? Aut quis dicet se esse Oresten, quum sit Pylades, vt pro amici incolumitate occidatur?

Sed hæc magna amicitia in optimum Regem vix cadere potest: adeò enim reliquos ciues excedit, vt nulla æqualitas excogitari possit, neque comparatio, aut similitudo, nisi per summam alicuius hominis virtutem, per quam quidem bono Regi optimè semper conciliatus erit. Sed amicus multo inferior plerumque adulator fit, vt Aristoteles scribit. Præterea quum familiaris consuetudo, assiduusque conuictus hanc amicitiam perficiant, hæc cum Rege neutiquam communicari possunt, quem communem penè omnibus & esse & videri expedit. Impar igitur maxima ex parte eiusmodi amicitia esset. Nam Reges ac Principes, homines multo humiliores vix coniuncta consuetudine complecti dignarentur, & similes inuenire, cum quibus versarentur, nequirent. Carebunt itaque hac perfectiore amicitia, qui imperant, quando inter pares æqualesque agitur. Eiusmodi tamen amicitiæ similitudinem, si optarit Rex virum aliquem virtute præstantem eliget, cuius consuetudine fruatur, quum à rebus magnis ac serijs ocium erit. Præstat enim (vt diximus) Regis amicitiam communem esse, vt non vni tantùm, sed omnibus bonis ac doctis viris facilis esse videatur. Vtilitatem quidem ac dignitatem à Principibus complures expectant, proinde facilè quisque sententiam illam Strabonis geographi sibi persuadet, qui ait: *Oratione persuadere, non regium, sed oratorium munus esse: regiam enim persuasionem, in donis ac muneribus sitam esse oportere*: *Reges quidem dynastas, hoc est potentes dici, non autem eloquentes*: Sed si rectè iudicare volumus, Reges non propter

Strabonis sententia.

propter opulentiam, sed propter virtutem obseruare debemus: ipsi verò eos maiore beneuolentia complecti debent, qui per virtutē placere student, quàm illos qui diuitijs inhiantes eis blandiuntur.

Antipater Macedonum Rex dicere solebat se duos Athenis amicos habere, Phocionem, & Demadē, quorum alter muneris à se nihil vnquam accipere voluisset, alter autem donis nunquam potuisset expleri: paupertatem enim Phocion virtutis testimonium esse putabat, & probitatis suæ decus. Nam ex tot imperijs, regumque amicitijs nihil præter laudem vnquam assecutus fuerat. Demades autem multas diuitias turpiter quæsitas, per luxum libidinemq; prodegerat: libido enim in impotentiam prolapsa, nullum modum seruare in profundendo potest. Sed vtri magis putandum est indulsisse Regem Antipatrū? Certe Phocioni, quod quidem etiam exēplo docuit. Nam missus ad eum ab Atheniensibus orator pro pace reconcilianda, eiusmodi conditiones impetrauit, quas præter eum Atheniensium tulisset nemo, quum in bello Athenienses Regi succubuissent.

Dionysius iunior Platoni sæpe magnam pecuniam dono mittebat, ille autem ex ea accipiebat nihil: aderat aliquando Cyrenæus Aristippus, qui ait, *Tutò Dionysius liberalis est, his enim qui multis indigent, pauca mittit: Platoni verò, qui nihil accipit, plurima.*

Sed vt perdifficile est Regibus parem amicitiam inuenire, sic multo difficilius esse videtur priuatis hominibus Regum amicitias inire. Nam si virtute aliqua aut fortuna quispiā Regis vel Principis alicuius animum in beneuolentiam suam flectat, præstò aderunt inuidiæ calumniæque flamina, quæ reflantibus ventis beneuolentiæ cursum remittent, amoremq; omnem labefactabunt, & in odium simultatemque conuertent. Testis sit Dathames natione Cares, vir bello strenuus, & animi fortitudine ac corporis robore eximus: quem Aemilius Probus fortissimū consultissimumque omnium barbarorum ducum atque Imperatorum, exceptis duobus Carthaginensibus Hamilcare & Hannibale fuisse arbitratur. Hic primùm

De eius vita.

nùm in militum numero apud Artaxerxem accitus regiam tuebatur. Inde in varijs prælijs habitus athleta strenuus, ab Rege dux bello præficitur contra Thynum dynastē Paphlagoniæ, qui ab eo defecerat. Quem viuum in bello captum cum vxore & liberis ad Regem duxit, quasi ferū aliquod animal. Qua ex re laudem ac munera opulentissima à Rege assecutus est. Paulò verò pòst vniuerso exercitui præfectus est: quod munus magna cum laude ac dignitate gessit, summamque Regis beneuolentiam adeptus est. Sed Principes qui circa Regem erant, Dathamen tanta simultate atq; odio prosecuti sunt, vt primò eum in fugam timore falsæ simulationis, deinde in voluntariam mortem compulerint. Nec paruam ex illius interitu iacturam fecit Artaxerxes. Nam qui per Dathamen magna facinora gesserat, omnibusq; formidini erat, sine eo nihil laude dignum deinceps egit: & contemptui ludibrioq; gentibus omnibus tandē habitus, nullam victoriæ laudem vnquam attigit.

De sociali amicitia. TIT. XII.

TErtia huius ciuilis amicitiæ species est ea, quæ Socialis appellatur. Hæc harū trium habetur minima, nec vnius tantum beneuolentiam quærit, sed complures plerunq; adhibet. Eam primū vtilitatis causa expetimus, deinde in dies vsu ac cōsuetudine accumulatior fit, adeò vt remota etiam plerunq; vtilitate, grata beneuolentia & amicitia remaneat. Celebratur hæc societas frequentius inter plures, quia multis simul vtiles esse possumus. Vsui inter ciues esse societas hæc videtur, quod manifesta ratione cernitur. Multi enim per se inutiles essent, nihilq; agerent: coniuncti verò alijs, & sibi, & illis, & Reipublicæ plurimum prosunt. Hæc in pace mercatoriam, nauicularam, institoriā, reliquarumq; artium commercia adiuuat. In bello autem Regi ac Reipublicæ pernecessaria est, in pace cum Rege nihil commune habere debet.

Nolo equidem Regem mercatorem, institorem, artifi-

artificem, aut quæstuarium vlla ex parte esse, sed iustitiæ, æquitatisq; dispensatorem, & summi Dei discipulum atque imitatorem eum esse cupio, vt Homerus statuit, cuius poëma ad Regum institutionem, & ad virtutem iustitiamque compositum esse dicebat Anaxagoras. In bello verò Regem socialem esse velim, vt singulis quibusque societatibus nō solùm intersit, verumetiam præsit, & comessationes sodalitatesq; aliquando non fastidiat, quò gratior omnibus fiat. Nulla enim vox iucundior in exercitu atque in omni re militari auditur, quàm quum Rex aut Imperator aut Dux cunctos in bello blando verbo commilitones appellat. Societatem in re bellica Græci συμμαχίαν vocant, & σύμμαχοι dicuntur, qui communem pugnam simul gerunt, siue bellum alijs inferant. Hos nostri propinquo verbo commilitones honoris gratia dicunt. Cum ijs ab ineunte ætate coniunctissimè versari debet Rex, qui conseruandi augendive imperij rationem habet. Nulla enim disciplina aut exercitatio magis ei vtilis ac necessaria est, quàm rei militaris ac bellicæ, cui longè tutius confidere debet, quàm omnibus opulentijs ac copijs. Rex enim qui ocio gaudet, & armorum strepitum ac laborem exhorret, fortunam suam vt in consilio habeat oportet, quę ei caueat polliceaturque perpetuā pacem. Sed si vir esse volet, & dignitatem suam tueri, ac posteros ab imperij successione non defraudare, clarissimorum virorum gesta imitabitur: & illorum præcipuè gloriam ac famam æmulabitur, quorum laudem vniuersi populi ac gentes celebrant, & nullo æuo obscurantur, sed sempiterna ac diuina sit, vt, ait Hesiodus. Magni duces, & Imperatores semper milites suos summa beneuolentia complexi sunt.

Imperatores comes sint erga suos milites.

Alexander Macedo præstantiores quosque ex militia sua adeò dilexit, vt ad parem sui vsque splendorem extulerit, vixq; ab eo vestitu & armis dignoscebantur. Hephæstiona tamen, & Chratherum præter cæteros omnes amauit: verùm illū vehementius amplectebatur, hunc autem maiore honore afficiebat,

adeò

aliud vt omnes dicerent illum Alexandri, hunc verò Regis amicum esse. Gratissimum fuisse ei scribunt errorem matris Darij. Nam cùm in custodia teneretur, ad eam visendã ac salutandam comiter accessit Alexander, præibant eum (vt moris est) nõnulli ex familiaribus, inter quos erat Hephæstion, incessu graui & purpurea veste conspicuus. Illa quæ Regem ignorabat, Hephæstioni, quem Regem putabat, procubuit: dicentibus deinde satellitibus illum nõ esse Regem, sed eum qui sequeretur, erubuit mulier, & veniam suppliciter orabat. Tum leniter arridens Alexander ait, sibi iucundissimum esse, quòd amici sui pro Regibus salutarentur. *Alexandri vox.*

Dilexit alios complures, & dignitatibus, honoribus, præmijs, opulentijsque adeò extulit, vt post illius obitum quisq; eorum regnum affectaret: quod quidem multi etiam assecuti sunt, nec iniuria: eiusmodi namque virtutis, ac venerationis erant, vt singuli Reges putari possent. Formæ enim dignitas, virtutis gratia, sapientiæ grauitas, animi magnitudo omnibus penè par erat: vt non ex vna militia, sed ex toto terrarum orbe electi esse viderentur. Qua ex re nequaquam admirandum est Alexandrum tam breui vitæ spacio tot regiones ac gẽtes subegisse, quum non commilitonibus, sed quasi Regibus gerendarum rerum ministris vteretur. Militibus quoque gregarijs omni pietate omnique beneuolentia ac comitate indulgebat. Quod quidem ex hoc exemplo patere potest. Inhorruerat aliquando hyems maximis gelicidijs, & niuali tempestate: attamen vt cum omni exercitu transmitteret, opus erat. Inter eundem quũ maturaret solito celerius, vidit Alexander militem quendam veteranum vi frigoris stupefactum, tũ confestim eum manu apprehendit, & blandis verbis cõpellans in regiam sellam collocauit, ac facetè ait. *Amici tibi salutare futurum est, quod Persis exitio esse solet, solium scilicet regium occupasse.* *Alexandri compellatio.*

Iulius Cæsar mira quoq; beneuolentia milites suos complexus est: eos namque honore, præmijs, atque omni liberalitatis genere adeò affecit, vt omnes

intelligere possent, se diuitias non voluptatis aut amplitudinis gratia bello cumulare velle, sed vt illis vteretur ad communem militum vtilitatem, & ad præmia virorum fortium: tunc enim opulentiorem se fieri putabat, quum diuitias inter milites pro eorum virtute partiebatur. Quinetiam eos tanta pietate complectebatur, vt audita clade Tituriana barbam submiserit & capillũ: nec antè dempserit, quàm illam atrociter vindicasset.

De hospitalitate. TIT. XIII.

SVPEREST nunc tertia illa Platonicæ amicitiæ species, quæ à Græcis ξενία, à nostris verò hospitalitas dicitur. Est enim beneuolentia illa quæ cum peregrinis & aduenis contrahitur. Hæc quidem præclara virtus est, idcirco (vt Cicero ait) rectè à Theophrasto laudatur: est enim (vt mihi videtur) valde decorum, patere domos hominum illustrium hospitibus illustribus. Huic contraria inhospitalitas dicitur, quæ est opinio vehemens valde fugiendum esse hospitem, eaque inhærens, & penitus insita, quæ ἀξενία seu ἀμιξία Græcè dicitur. Prouerbium tamen vetus est, *neque nimis hospitalem hominem esse oportere, neque omnino inhospitalem.* Et Homerus vt ostẽderet hospitẽ inuitandum, non autem compellendum cogendúmve esse, ait. *Oportere hospitem volentem accipere, nolẽtem vero dimittere.*

Offic. lib. 2.

Vetus prouerbium.

Hospitales admodum extiterunt Germani, vt Cæsar in commentarijs suis refert. Nam non modò violare hospites nefas esse putauerunt, verùm qui quacumque de causa ad eos venissent, ab omni iniuria prohibebant, & sanctos, inuiolatosque esse volebant. Illis etiam omnium ciuium ædes patebant, victumque grato animo communicabant. Quanti autem hospitalitatem fecerit Cæsar, ex oratione quam pro Bithynijs egit, cernere licet, in qua quidẽ his verbis orsus est: Vel pro hospitio Regis Nicomedis, vel pro eorum necessitate, quorum res agitur, aufugere hoc munus non potui. Massurius Sabinus Iureconsulto-

Germani hospitales.

[...]itorum egregius, quum de ordine officiorum loqueretur, ita ait. *Obseruatum esse apud veteres, vt primum [...] tutela daretur, secundus hospiti, tertius clienti, tum [...]nato, deinde affini.* Anacharsin Caduidæ Regis Scytharum fratrem, Græcam habuisse matrē Diogenes Laërtius scribit. Is Athenas philosophandi gratia perrexit, excitatus præcipuè Solonis fama, qui sapientissimus per vniuersum terrarum orbem tunc habebatur. Et vt primùm vrbem ingressus est, rectà ad illius ædes accedit, iubetque fores de more pulsari: adest puer: ecquid velit rogat. Tunc ille: *Dic hero* (inquit) *Anacharsin pro foribus esse, qui eius congressum atque hospitium rogat.* It puer mandata hero perferens. Tum Solon: *Refer* (inquit) *peregrino, in propria patria & domo quærendos esse hospites, non in aliena.* Hæc quum accepisset Anacharsis, domum audacter ingreditur, dicens, at nunc in patria sum, & ad me pertinet hospites facere. Hanc loquendi vrbanitatem admirans Solon, hospitē admisit, & deinceps cum eo diutius coniunctissimè vixit. Huius sapientis philosophi monitis docemur, prius oportere hospitem accipere, quàm ei gratias referre. Est.n. animi ingenui, alijs potius gratificari, quā beneficijs affici. Id quidē superātis est, hoc autē superati. Sed si quis te beneficio anteuertit, in referēda gratia benignitatē illius vt vincas oportet, nisi liberalitate inferior omnino esse velis.

Apelles quum Protogenis pictoris eo tempore peregregij hospitalitatem optaret, Rhodum (vbi ille agebat) perrexit, & confestim ad illius officinam properauit: aberat tunc ille relicta anicula quadam, quæ tabulam ingentis magnitudinis picturæ paratam asseruabat. Tum Apelles arrepto penicillo clam vetula lineam ducit à summo ad imum vsque per tabulam miræ tenuitatis, abijtq;. Reuerso quamprimùm Protogeni, peregrini aduentum, qui eum quærebat, anus nunciat. Tum lineam forte conspicatus, Apellem ex solertia venisse cognouit: nouerat enim in alium quempiam tanti acuminis opus neutiquam cadere. Tunc ducta tenuiore ex alio quodam colore linea discessit Protogenes: redijt interea *Ex Plin. ca. 10. lib. 35.*

Apelles, & vinci erubescens, tertio colore lineas per transuersum secuit, nullum relinquens amplius subtilitati locum. At Protogenes victum se confessus, Apellem magna diligentia perquisiuit: quem tandem inuentum, hilari vultu, ac grato iucundoque hospitio accepit: hæc tabula Romam perlata est, & magna admiratione spectata, in qua tres tantum lineæ cernebantur præ nimia tenuitate aciem oculorum fugientes: quæ gratiores ideò erant, quòd duorum eximiorum artificum hospitalitatem testabantur.

Scipio maior. Masinissa. Hospitalitas certè inter Principes plerunque perfectæ amicitiæ locum tenere solet. Testis sit maioris Scipionis beneuolentia cum Masinissa Numidarum Rege, quæ imperio Romano perutilis fuit. Masinissæ enim nonnulli scriptores Scipionis victoriam magna ex parte tradunt: Syphacem quoque eius opera victum, captumque extitisse omnes fatentur, qua ex re summa penè totius belli pendere videbatur: & quum deinde minori Africano ex meritis maiori se etiam hospitalitate coniunxisset, causam delendæ Carthaginis præbuit, adeò vt tertius duobus illis Aphricanis seruator vrbis Romæ annumerari possit.

Val. Max. li. 8. titu. 3. Alexander quoque hospitalitatis iure plures dilexit, & magnis beneficijs affecit, inter quos Anaximenes philosophus fuit, cuius disciplina summopere delectabatur. Fuit enim aliquando Alexander quàm maxima inuria lacessitus à conciuibus Anaximenis: erat enim Lampsacenus: qua ex re vrbem illam expugnauit, & eam quamprimùm euertere funditus decreuit. Tum philosophus hospitalitate illa qua cū Alexandro tenebatur, fretus, obuiam ei proficiscitur: quem quum intueretur Rex, alta vocē deierat se nihil facturum quod ille à se peteret. Atqui Anaximenes exclamans. *Peto* (inquit) *ô Rex, vt Lampsacum diruas.* Alexander ingenij versutia delectatus, & Græcæ hospitalitatis memor, vrbi pepercit, & æquas pacis conditiones præbuit.

Plut. in vita Antonij. Octauius Augustus victo atque ad mortem compulso Antonio Alexādriam vrbem opulentissimam intrauit

intrauit,in qua multa insolentius egit, vt à victoribus plerumque fieri solet. Magna tamen beneuolentia complexus est Arium philosophum fama inter Alexandrinos tunc celeberrimum. Ille victoris animum blandis rationibus mulcebat, hortabaturque vt modestè ac clementer secunda fortuna vteretur, & pro multorum salute deprecabatur. Aderat Sostratus orator ad dicendam ex tempore disertissimus,cui Octauius propter procacis linguæ petulantiam, morumq; peruersitatem malè conciliatus esse videbatur,& iam eũ à conspectu suo toruo intuitu abegerat. Sostratus supplicium aut mortem sibi imminere formidãs, mutata veste barbam & capillum reorum more submisit,& Arium quocunq; incedebat,sequebatur, versiculumque illum crebris sermonibus vsurpabat. *Docti doctos seruabunt, si docti erunt.* Hunc quum sæpius audiuisset Octauius, Sostratum ab omni metu omniq; iniuria liberum esse iussit:neque id eo egit vt saluti illius consuleret,sed vt Arium ab eiusmodi inuidia liberaret,

Gratus fuit hospitibus suis Iulius Cæsar, & præter cæteros Imperatores omnes hospitalia iura seruauit, non modò in rebus maximis, verùm etiam in minimis,vt ex hoc exemplo patere potest. Cœnabat aliquando Mediolani apud hospitem quendam suum Valerium, Leonem nomine: & quum ei Asparagos apponeret, illos non oleo ,sed vnguento quodam perfuderat. Cæsar tamen dissimulans, ne hospitem perturbaret, nihilominus comedebat, sodales verò reliqui stomacho commoti, illos respuebant, hospitemq; increpabant, & grauibus obiurgabant verbis. Tum Cæsar:*Abstineat*,inquit,*qui non probat*. Rusticus est enim,qui hanc rusticitatem perferre nescit. Quibus ex verbis docuit leuia amicorum, hospitumque peccata ferenda,ac non culpanda esse.

Iulius Cæsar gratus in hospitem.

Non dissimilem modestiam ostẽdit Antonius Cęsar cognomento Pius:nam quum domum Omuli diuitis ac fortunati hominis intrasset, mirareturque Porphyretici marmoris columnas, rogauit vnde illæ aduectæ essent:tum Omulus cõmotior morosiorq;

O multi responsum. factus, horridiore vultu ac voce ait: *Cum alienam domum ingrederis, mutus ac surdus esto.* Tulit amici mores æquo animo clemens ac placidus Imperator, qui tantæ virtutis fuit, vt iure optimo cum Numa Pompilio ab optimis ciuibus compararetur.

Complures hospites inuenti sunt officio, fide, ac virtute præstantes: sed fallaces quoq; atque infidos nonnullo legimus, qui simulata beneuolentia hospitibus suis imposuerūt. *Sempronius Gracchus.* T. Sempronius Gracchus proconsul ab hospite suo Flauio Lucano in insidias per proditionem ductus à Magone Carthaginensium equitum ductore miserabiliter, cum plerisq; alijs militibus Romanis interfectus fuit.

Iuppiter Xenius. Violatæ hospitalitatis vltor ex antiqua religione Iuppiter esse dicebatur, quem supremum deorū putabant. Hoc etiam Virgilius testatur, quum ait:

Iuppiter hospitibus nam te dare iura loquuntur.

Est tamen non omnium ciuium, sed diuitum illustriumq; virorum officium, hospites accipere. *Hospitalitas qualis esse debet.* Indiget enim hospitalitas ingenti sumptu, magno splendore, lauta suppellectile, clarissimis amplissimisque ædibus, & eleganti nitidaque familia. Sed nos de Rege loquimur, cuius magnificentia magnanimitasq; laudatur: non de mediocri aliquo patrefamilias, cuius laus in frugalitate ac parsimonia versatur, dummodo ab auaritiæ sordibus absit, & à rebus alienis manus abstineat.

Hæc virtus plerunq; Principes aut populos coniungit, vt societatem ineant gerendi aut propulsandi belli gratia, communi sumptu, communiq; periculo, *Mithridates. Tigranes.* vt fecisse videmus Mithridatem & Tigranem Reges, qui suscepturi bellum contra Romanos pepigerunt inter se, vt vrbes atque agri Mithridati, homines verò & quæcunque abigi vel auferri possunt, Tigrani cederent. Sed Mithridates ipse adeò benignus ac liberalis in hospites fuit, vt nō modò paternum regnum seruauerit, propagaueritque, verùm externa quoque regna benignitate ac munificentia quæsierit amicorum hospitumque testamentis, vt Colchos, Paphlagoniam, Bosphorum? Phocenses Tarquinio regnāte, effoeti

effœti ac macilenti soli sterilitatem fugiẽtes per Tiberis hostium inuecti magnam cum populo Ro. beneuolentiam iniuerunt. Hi deinde per mare Ligusticum vecti, Massiliam vrbem condiderunt sitam inter Ligures & Gallos ad ostia Rhodani fluminis. Massilienses deinde iacta cum Romanis à maioribus suis fundamenta hospitalitatis diutius seruauerunt: quorum legati, qui à Delphis redibant, quum accepissent vrbem à Gallis captam, rem domi denunciauerunt. Massilienses publico luctu indicto, aurum & argentũ publicum priuatumq; Romanis dono miserunt, ob quod quidem meritum immunitas illis decreta est, & locus spectaculorum inter Senatores datus, ictumque perpetuum fœdus æquis conditionibus.

Achæorum quoque ciuitates, quum seorsum singulæ infirmæ essent atque inopes, nequirentque externa bella propulsare, hospitalem societatem iniuerunt, & quasi vnum corpus atq; vnum imperium ex pluribus membris vrbibusq; confecerũt, sicq; singularum ciuitatum pericula iniuriasq; communibus viribus communiq; periculo vlti sunt.

De concordia. TIT. XIV.

CONCORDIA nunc sequitur, quæ amicitiæ finitima est, vel cum ea potius comitem affinitatem habet. Vt enim amicitia duos aut paucos mutuo amore coniungit, sic concordia plerosque aut cunctos ciues beneuolentia connectit. Et vt amicitiæ virtus mutuus paucorum animus esse videtur, sic concordiæ coniuncta charitas multorum animos concordi voluntate conciliat. Concordiam M. Varro ait dictam esse à cordium congruentia. Hanc Græci ὁμόνοιαν appellant. Virtus ergo hæc in omni ciuitate maximam semper vim habere solet, adeò vt vrbium domina ac regina non immeritò à quibusdam philosophis esse dicatur. Et *ea quidem parua res crescunt, sine ea autem maxime dilabuntur*, vt Crispus Sallustius ait. *Concordia.*

Hæc inter ciuiles virtutes primum semper locum

tenuit, & maxima omnium habita eſt, quum ſine ea reliquæ inchoatæ ſint, nec de ſe perfectum officium præſtare poſſint. Proinde nonnulli philoſophi de ea libros ſeorſum ſcripſerunt, quippe qui illam putauerint præclariſſimarum omnium actionum aurigam eſſe, & maximarum omnium rerum compotem. De concordia quidem Leontinus Gorgias inclytos libros ſcripſit ad ciuitates Græciæ, quæ eo tẽpore inter ſe diſſidebant, & inteſtina etiam diſcordia flagrabant. Sic etiam ciuili diſcordia laborante populo Romano, Demetrius Magneſius librũ ad Pomponium Atticum ſcripſit, quem Cicero quum legiſſet, miſſum ad ſe à Pomponio non contemnendum eſſe dixit.

Concordiæ in primis vincula ſunt beneficium & gratia, quorum alterum corda beneuolentia connectit, altera autem ſtudium ſtabili charitate cõfirmat. Communis ſpes communiſq; metus maximam concordiam pariunt: altera ex opinione futuri boni, quæ animos omnium perfundit ſuaui quadã iucunditate: altera ex impendentis mali timore, qui tantæ potentiæ eſt, vt amicos chariore beneuolentia conſoueat, & inimicos gratia & amore conciliet. Quiſq; enim ſe ſatis tutum eſſe putat, & ab omni metu ſecurum, fretus cunctorum ope, conſilio & auxilio.

A concordia quidem nulla ex parte ſeparari poteſt clementia, per quam ad priſtinam gratiam animi etiam in odium concitati rediguntur, & mira quadã comitate continentur. Ex omnibus Principum ac Regum virtutibus nulla magis concordiam parit, quàm moderatio, quæ æqualitatem quandam communem inter omnes præſtat, ex qua vera concordia oritur, quum quiſque parem quibuſque alijs æquiquitatem aſſecuturum ſe confidit. Hoc Cicero docere videtur, quum ait. *Cauendum eſt ne maior pœna quàm culpa ſit, & ne eiſdem de cauſis alij plectantur, alij ne appellentur quidem.*

Lib. 1. de officijs.

Domitianus. Nihil iniquius tulit Romanus populus quum à ſæuiſſimo Imperatore Domitiano gubernaretur, quàm quòd in eodẽ crimine deprehenſi pauperes capitali

ſupplicio

supplicio damnabantur, opulentiores verò ac diuites, qui etiam auctores diri facinoris extitissent, pecunia multati, vel exuti patrimonijs absoluebãtur. Moderatione & æqualitate inter illos qui sibi parebant, præter cæteros Imperatores ac duces omnes præstitit Hannibal Carthaginensis: quod quidem ex hoc vel maximè videri potest. Exercitum namq; longè à proprijs laribus ex varia ac multiplici hominum colluuione collectum, per inuias alpes, difficiles regiones, ignotas gentes, diuersa pericula, ac tot calamitates duxit, nec tamen factiones seditionésve vnquam vllæ extiterunt, neq; insidiæ, doli, aut fraudes (vt plerunq; fieri solet in collecta ex diuersis hominum generibus multitudine) quamquam magna præmia ab hoste promitterentur, si quis eum necaret, desereret, vel ab eo deficeret. Nitebatur enim hostis pollicitationibus, insidijs, perfidiaq; id assequi, quod nunquã bello atq; armis consequi poterat.

Græci dum concordes inter se conuenerũt, nec intestinis seditionibus laborauerunt, magna cum gloria victores semper extiterunt, & victoriam contra innumerabilem Xerxis exercitum, & contra Mardonium ac reliquos Persas gloriosis certaminibus semper assecuti sunt. Verùm victis profligatisq; hostibus, tanto odio tantaq; discordia atq; inuidia inter se exarserunt, vt victores ipsi etiam victis ludibrio cõtemtuiq; fuerint. Nam Græcia omnis in duas partes distracta, Lacedæmonijs Atheniensibusq; ducibus ab externis bellis feriata ferrum in sua viscera conuertit. Et qui duo populi ex Solonis Lycurgiq; institutis cunctis alijs præstabãt bello inter se, inuido cõcursu certãtes ad parẽ vsq; exitij finem peruenerũt.

Carthago quoq; opulentissima quondam omnium penè vrbium extitit, cuius imperiũ quotidie augebatur terra marique. Et iam Hispaniam, Siciliam & maximam Italiæ partem subegerat, compuleratque Romanos, vt iam pro mœnibus tuendis soliciti essent: verùm tot rebus secundis confluentibus, intestina discordia ac seditio adeò ciuium animos peruasit, vt paruo tempore non modò spem imperij totius

orbis terrarum, & quæcunque tot prælijs adepta fuerat, amiserit, sed propriam etiam libertatem, compulsaq; tandem est ei populo seruire, cui omnium iudicio imperasset, si concordes inter se ciues fausta fœliciq; fortuna vti sciuissent. Regesq; etiam orientales dum inter se conuenerunt, concordesq; extiterunt, victoria semper potiti sunt: verùm cùm consanguinei Reges mutuo odio flagrarunt, omnes orientales regiones à Romanis subactæ sunt. Et de concordia quidem satis: nunc de pietate dicēdum erit. Est enim quarta earum virtutum quas præstat iustitia.

De pietate. TIT. XV.

PIETAS, cuius nomen grauissimum sanctissimumque semper fuit (vt Cicero in libris de deorūm natura definit) est iustitia hominum erga Deum, vel est religiosa quædam Dei veneratio, vt sentiunt Peripatetici. Vt *Pietas.* autem Hermes Trismegistus ait. *Pietas est notio Dei.* Hæc notio ex omnibus animalibus solius hominis esse manifesta ratione cernitur. Proinde qui Deum ignorat, hominis nomen amittit, humanitatemque omnem perdit, & cum feris ac beluis censendus est. Videtur quidem homo ad Dei contemplationem natus esse, quod & forma corporis indicat, & mens ipsa diuinorum compos ac particeps, quæ semper vigilat, nunquam quiescit cogitatione meditationeque humanarum diuinarumque rerum alitur: futura prudenti quadam coniectura assequitur, & ex diuina illa participatione nonnunquam præsagire videtur, & ea sæpenumero inuenit, quæ à nullo vnquam didicit: adeò vt clarè iudicare possimus mentem nostram diuinam habere originem. Sed mens & animus ab his qui purè ac Latinè locuti sunt, indifferenter accipiuntur: sicut etiā apud Græcos νοῦς ϗ φρήν. Quod etiam verum esse auctoritate Democriti Abderitani confirmare possumus. Qui ergo Deum ignorat, seipsum ꝓfectò nescit. Hoc quidē docere videtur *Noste teipsū.* diuinum illud oraculum, quod pro foribus Delphici templi

templi scriptum fuit, γνῶθι σεαυτόν, hoc est, nosce teipsum, quo præcipitur vt diuinitatem (quæ in nobis est) dignoscamus. Ex cuius agnitione Deū Optimum, Maximum, opificem, architectum, effectoremque rerum omniū mente & animo facilè cernemus, & cum omni pietate venerabimur, colemus, atque adorabimus. Qui quum omnia mortalib. bona affatim tribuat, nihil aliud à nobis exigit, nisi vt innocentiam seruemus, pietatem iustitiamq; colamus, & ne ingrati in ipsum, neq; inhumani in genus nostrum, id est, in hominē vlla ex parte simus: nec putemus nos scelera, flagitia atq; impietates nostras auro, argento, thuréve posse expiare, sed sola innocentia animique sinceritate purgare. Impia & detestabilis omnino est eorum sententia, qui Deum inexorabilem esse dicūt, immutabilisq; sententiæ, quum perfacilis sit Deus, atque exorabilis, & pro optimis actionibus proque benemeritis duriorem sententiā mutet, & precibus, ac supplicationibus flectatur, vt Homerus testatur. Quinetiam Musæus & Orphæus absolutiones delictorum per pœnitentiā & sacrificia à Deo impetrari posse arbitrantur. Omninoq; opinemur oportet, impios, scelestos, improbosque omnes scelerum suorum pœnas vel in vita sua vel post interitū esse daturos. Hoc non modò sanctissimi atque innocentissimi patres nostri, qui diuinas institutiones tenuerūt, immortalibus librorum voluminibus testati sunt, illuminati vera saluatoris nostri Christi sapientia, ac diuinis documentis: sed vetustissimi quoque Poëtæ, & præcipuè qui Aegyptiacæ Chaldaicæque disciplinæ peritiam aliquam habuere: nam & Homerus & Hesiodus, & plerique alij qui ante eorum tempora pinguiore Minerua cecinerūt, delectati his quæ prioribus tantum labris attigerant, quum non possent homines rudes adhuc, & agrestes ad iustitiam æquitatemq; redigere, & in veram sententiam pellicere, neque ipsi etiam veritatem omni ex parte tenerent, sub fabularum inuolucro ea scripserunt quæ potuerunt, & tamen si eadem recta mente puroq; iudicio intelligentur, à veritate non vtique aliena sunt. Vt enim

pieta-

pietatem humanitatemq; mortalibus durioribus illis seculis persuaderent, dicebant Deum iustis hominibus postquam vita functi essent, lætis apud inferos regionibus quercus amœnissimas dare, quæ in vertice ac summitate plurimas atque optimas glandes iugiter ferrent: in medio autem apium examina haberent, quæ perpetuo liquore dulcissima stillarent mella, ex ramis autem ac robore lanarum vellera depecterentur, ad vsum vestium maximè idonea, funderenturque illic vina suauissima plenis vsque pateris, & nunquam deficientia. Hæc fingebant, non quòd opinarentur vera esse, sed vt ostenderent ex sola iustitia homines fœlices fieri, & facilè admodum inter mortales agere: at contra iniustos luto perpetuò impeti, atq; obrui, & terebrata vrna semper aquã ferre: quasi fabulosè docentes iniustos homines turpes ac infœlices esse, & frustrà inter alios laborare, quum omnibus odio sint, & magna cũm difficultate in cõmuni viuentium cœtu degant. Vinum perpetuum præmium viris fortibus apud inferos fortè dicebat Musæus Poëta vetustissimus, & alia multa his similia, vt duriores atque indociles ad pietatem religionemque redigeret. Nam & impiorum sempiternas pœnas et tartareos cruciatus canunt Poëtæ, & mitiores etiam manes leuioribus quibusdam culpis adhibent. Sic quoque Elysios campos inducunt, quasi placidiores piorum hominum sedes, in quibus perpetuò quiescerent. Putabãt enim post diuturnam quietem eos qui iustè ac piè vixissent, diuino quodam decreto in heroas conuerti: deinde quum à terrena labe purgati fuerint, ex heroïbus Manes Lemurésve fieri, deinceps quasi mysterijs quibusdam expiatos, omniq; mortali contagione ablutos ad cœlestes sedes redire, & illic æuo sempiterno cum cœlestibus diuis frui, & hoc perpetua summi Dei iussione fieri, vt boni præmijs, mali autem pœnis afficerentur. Qua opinione ductus Deiphilus comicus Poëta ait: *Tu putas mortuos qui impiè vixerunt, Dei iudicium euasisse? Aderit quidem iustitiæ oculus qui omnia cernit.* Existimat siquidem Poëta hic temporibus suis inclytus, eos qui

Priscorum Poetarum sententiæ de inferis.

qui in vita scelerum suorum pœnas non dedissent grauiores multo post obitum esse daturos.

Sed redeat sermo vnde defluxit. Si mites doctissimis illis viris esse volumus, fatebimur eos dixisse quod potuerunt, & dixisse tamen aliquid, quod quale esset non adhuc patebat. Veritas enim ante Christi aduentum mortales omnes latebat, quæ deinde per eum nobis illuxit, & omni cæcitate depulsa nos diuinorum consiliorum compotes effecit, docuitque homines innocenter, piè, ac sanctè viuere: quibus itineribus nos ad veram fœlicitatem atque immortalitatem perduxit. Nam postquam illius dictis obtemperarunt Persæ, desierunt proprias matres, filias, sororesq; nefandis nuptijs sibi coniungere, & Scythæ humanis carnibus vesci, ac filios impijs sacrificijs iugulare.

Derbices quoq; ac Massagetæ parentes propinquos senio confectos alijs edulijs fœdo ac vesano sacrificio miscere. Sic aliæ quoq; gentes vera sanctaque religione imbutæ nefanda impiaque sacra reliquerunt, viamque immortalitatis ac veræ fœlicitatis affectarunt.

Sed ex omnibus humanis meritis nullum gratius nullumq; acceptius pietate Deo præstari potest, & apud veteres etiam ipsos laus pietatis cęteras omnes laudes anteibat: quod ex Virgilio cernere possumus, qui Aeneam pium semper canit, conqueriturque:

Insignem pietate virum tot adire labores.

Quasi afferat solam pietatem innoxiam esse debere, & omnium laborum periculorumque expertem. Quinetiam optimi Reges victis hostibu , subactisq; Regionibus, templis, fanis, delubris, sacrarijsq; nimirum pepercerunt, eorum etiam deorum, quos neq; nouerant, neq; venerabantur. Sapor Persarum Rex sacris Christianis neutiquam initiatus extitit: attamen quum victor in virgines quasdam Christiano ritu diuino cultui sacratas incidisset, custodiri eas intactas inuiolatasq; iussit, & pristino more (nullo prohibente) religione inseruire præcepit, vt Ammianus Marcellinus refert.

Legimus

Legimus quibusdam quoque in templis pecunias resque preciosas depositas, omnes saluas & intactas semper etiam ab hostibus extitisse. Solis delubrum in Cilicia fuit, in quo Alexander Magnus ingentem pecuniam deposuit, vt illic custodiretur ad aduersos fortunæ casus. Inuiolatum etiam templum fuit Samiæ Iunonis, in quo Clisthenes Atheniensis fortis, & magni nominis filiarum dotes deposuit, ne siquid ei accidisset, illæ orbatæ, destitutæ, indotatæq; relinquerentur. Deus enim ipse, quocunq; nomine pro gentium varijs linguis varijsq; religionibus vocetur, semper auguste sancteq; coli ac venerari à mortalibus voluit: ac proinde sacrilegos impiosq; oẽs manifestis pœnarũ exẽplis grauiter etiã semꝑ vltus est.

Iunonis Samiæ tẽplum.

Cambyses Persarum Rex ille numinum contẽptor, qui sacra omnia prophanabat, & ludibrio prædæque militibus suis exponebat, ac sacris etiam simulacris diuorumque imaginibus impias manus admouebat, diuinam in se iram sensit. Hic in Aegypto multa templa vetustissimi operis violauit, diripuit, expilauit, incendit, euertitque, & præcipuè Solis ædem in Heliopoli admirandæ vetustatis ac pulchritudinis: & per Aegyptum, & alias regiones quas inuasit, monumenta impietatis ac vecordiæ suæ reliquit. Templa enim (vt ait Strabo Cretensis) igne ferroque euertit, nec manibus clarissimorum artificum pepercit: simulachra namque, imagines, picturas, obeliscos colossosque omnes mutilabat, excidebat, amburebat, vt cum diuinis numinibus, clarisque opificibus, non cum hostibus bellũ gerere videretur, sed eiusdẽ scelera atque immanitates tandem vltus Deus optimus maximus. Nam quum potentia, viribus, victoria atq; ætate floreret, quumq; se tutum ab hostibus esse putaret, nec quippiam formidaret, & multis quoq; satellitibus stipatus incederet semper, ex equo prosiliens, lapso sponte sua gladio è vagina femur sibijpsi transegit, quo ex vulnere paulò pòst magno cum dolore interijt, pœnasq; impietatis ac scelerum suorũ Deo ita volente pertulit.

Templorum euersores puniuntur.

Xerxes Darij filius malo auspicio inchoatum aduersus

uersus Græcos à patre bellum prosequi instituit, & cum innumerabili exercitu ac classe in Helladiã trãsmisit, adeò vt vix fides scriptoribus adhibeatur, qui præ magnitudine rerum vani ac mendaces esse credantur, præcipuè cùm dicunt flumina ingentissima ab infinita multitudine tam hominum quàm equorum fuisse exhausta, mõtes in planiciem stratos, & diuersa maria pontium iugis coniuncta per vim, iter omnibus præbuisse. Tanti verò exercitus dux, primo in Thermopylis à Leonida Spartanorum Rege superatur, deinde Themistocle duce vincitur, mox Mardonio præfecto relicto, amissa classe, & maxima exercitus parte, trepidus in regnum vna tantum naui se recepit. Et quum ex ignauia ac vecordia contemptui neglectuique suis omnibus esset, ab Artabano eius præfecto trucidatur. Sed si & malorum & exitij huius causam quærimus, sacrilegam impietatem fuisse inuenimus. Ante enim quàm nauali prælio cum Grecis congrederetur, quatuor militum millia ad diripiendum Delphici Apollinis templum miserat, cùm numina etiam bello superare se posse crederet. Qui milites omnes ad vnum vsq; imbribus, procellis, fulminibusq; deleti sunt, vt vix nuntius tantæ cladis euaserit, adeò vt facilè omnes intelligerent, nullas esse mortalium vires aduersus infinitam summi Dei potentiam.

Brennus quoq; Gallorum dux quum Macedonas magno prælio superasset, inani ac futili gloria elatus templum etiam Delphici Apollinis aggredi conatus est, cauillatusque leniter in numen, dicebat Deum diuitem atque opulentum esse, proinde oportere eũ bona hominibus elargiri, quibus neutiquam indigeret. Sed quum impium facinus inchoaret, subito terræ motu Galli omnes repentè in terram prostrati sunt, & quanuis neminem contra se armatum cernerent, multis tamen vulneribus trucidabantur. Inter hæc tempestas quàm maxima inhorruit grandine ac pluuia commista, quæ impios sacrilegosque omnes consumpsit. Dux tanti sceleris Brennus quum dolorem vulnerũ ferre nequiret, seipsum pugione

gione traiecit. Quinetiam hoc memoriæ proditum est, militem nullum ex tanto exercitu incolumem euasisse.

Conochum hominem furacissimum legimus noctu thesauros eiusdem templi conatum effodere, sed repentè maximo terræ motu perterritus è templo euolauit, effossionemq; reliquit.

Antiochus quoque Rex nocturnum exercitum ad diripiendum Dodonæi Iouis templum duxit. Qua quidem re agnita, sacerdotes oppidanos omnes magno tumultu euocauerunt, & concurrentibus finitimis, Rex lapidibus obrutus est, & omnis eius exercitus trucidatus interijt. Dodonæi Iouis oracula omnium templorum vetustissima habita sunt, & multo tẽpore in vniuerso terrarum orbe sola extitere, vt refert Herodotus. Tolosanos quoq; milites quum ex impio sacrilegio quæsitum aurum in patriam referrent, subita lues vniuersos inuasit: verùm oraculo moniti aurum in lacum demerserunt, sicq; confestim ab intolerabili peste liberati sunt. Sed longo tempore pòst Cepio Romanos consul quum famam rei accepisset, aurum iactis in lacum retibus ferreisque vncis expiscatus est. Proinde vt sacrilegij reus concurrentibus in eum ciuibus, pessimè multatus extitit: vnde diutius in prouerbio mansit, vt aurum Tolosanum pro infœlici viatico diceretur. Idem aurum Narbonense à quibusdam appellatur, à prouinciæ nomine: est enim Tolosa vrbs in Narbonensi Gallia.

Sextus Pompeius nauali prælio è Sicilia ab Octauio pulsus, ad Lacinias arces delatus est, ibique templum Iunonis vetustate ac religione sanctissimum, & Regum, ducum, Principum, populorumque amplissimis donis opulentissimum, militibus suis diripiendum præbuit: ex quo quidem sacrilegio miserabiles calamitates pertulit. Nam deinceps semper continuis periculis iactatus est, & diuersis casibus vexatus. Demum autem à M. Antonij militibus victus ac mancipatus est, & ad Titum Antonij prefectum ductus, impio sanguine pœnas commissi sceleris dedit.

Alia

Alia verò ex parte cernimus impiorũ vltores summas gratias à Deo atque hominibus promeruisse. Philippus Macedo Alexandri Magni pater quum magno odio penè omnibus mortalibus esset, & eius fides fluxa ac labilis vulgò haberetur valde suspecta, quando nullam vincendi rationem turpem esse duceret, & amicitias artifici dolo semper simulando ac dissimulando fingeret, hac vna tantum ex re, nempè pietate, beneuolentiam ac gratiam cunctorum penè mortalium sibi conciliauit, regnumque suum nõ modò latius propagauit, verùm etiam ad spem imperij totius orbis terrarum se erexit. Nam contra Phocenses, qui Delphicum Apollinis templum diripuerant, vltor impij sacrilegij extitit, & violatam religionem cæde ac sanguine impiorum expiauit: qua ex re magnam apud omnes gentes gloriam ac famam assecutus est. Cuncti enim illum vindicem sacrilegij, & numinum vltorem extitisse prædicabant, meritoque eundem dignum victoria & maximo quoque imperio exclamabant. Quæ quidem opinio summopere ei opitulata est ad res omnes præclaras, quas deinde gessit, conficiendas.

Getæ pijssimi olim omniũ mortalium habiti sunt, vt qui optimè ac sanctissimè de immortali Deo sentirent. Complures enim eorum animas dicebant sempiternas, quæ etiam post corporis obitum ad beatiorem vitam transirent: qua ex re longe melius esse arbitrabantur mori, quã viuere. Proinde puerperia lugebant, funera autem lusu ac festo cantu celebrabãt. Hactenus de pietate: nunc de religione. *Getæ pijssimi.*

De religione. Tit. XVI.

Religio huic virtuti optima atque inseparabilis comes accedit, de qua pauca dicẽda erunt, tum quòd in superioribus libris nonnulla de ea libauimus, tum quòd qui alterutram laudat, vtramq; effert. Quocirca quęcunque de pietate dicta sunt, communia vtrisq; esse videntur. Nam si pietas agnitio Dei est, (vt diximus)

rectè eam comitatur religio, quæ ex opinione multorum philosophorum scientia diuini cultus esse dicitur. Et quum Sextus Empiricus pietatem scientiã colendi esse dixit, pietatem pro religione posuit. Sic enim philosophi harum duarum virtutum nominibus indifferenter vtuntur, vt poëtæ Prognem ac Philomelam mutua denominatione vsurpat. Religionẽ Seruius Sulpitius (vt diximus in secundo volumine) dictam esse tradit, quæ propter sanctitatem aliquam remota atque seposita sit à nobis quasi à relegando, id est, relinquendo, vt à carendo etiam cæremoniæ dicuntur. Cicero verò religionem esse dicit, quæ superioris cuiusdã naturæ (quam diuinam vocant) curam cæremoniamque afferat. Idem etiam in libris de Deorũ natura religiosos à superstitiosis discernit his verbis. *Non enim philosophi solùm, verùm etiam maiores nostri superstitionem à religione separauerunt. Nam qui totos dies precabantur, & immolabant, vt sibi sui liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati, quod nomẽ patuit postea latius. Qui autem omnia quæ ad cultum Deorum pertinerent, diligenter retractarent, & tanquam relegerent, sunt dicti religiosi ex relegẽdo, vt eligẽtes ex eligendo tanquã à diligendo diligentes, ex intelligendo intelligentes. His enim in verbis omnibus inest vis legendi eadem, quæ in religioso. Ita factum est superstitioso, alterum vitij nomen, alterum laudis.* Hæc ille. Ex his postremis verbis Ciceronis discere possumus religionẽ omni laude dignam esse superstitionem verò explodendam atque eijciendam, qua qui imbutus est, quietus animo nunquam esse potest.

Religio unde dicta.

Lib. 2

Religiosi & superstitiosi in quo differant.

Semper enim mortis, diuinæq; iræ timor ei imminet, ceu saxum Tantalo impendet (vt poëtæ aiunt) aut nudatus ensis Damocli in Dionisij tyranni aula. Eleganter Quintil. religiosum à superstitioso secernit, eodẽ intellectu, quo diligens à curioso seiungitur. Qui veram religionem corde & animo meditatur, semper optimè agit, omnibus siquidem actionibus suis Deum interesse opinatur. Proinde nunquã perperam agit, sed Epicharmi Siculi poëtæ sententiam secum cogitatione recenset, qui à Pythagora didi-

& dicerat nihil clam Deo esse posse, quoniam quidē ipse coram omnia cerneret, nihilque ei impossibile factu esse. Virtutem præterea atque honestatem sedulò ante oculos habet, quibus comitibus se Deo optimè conciliari scit. Vitia omnia exhorret, quasi virtuti deoque inimica, quæque hominem infœlicem faciāt, & turpissimæ cuique seruituti addictum. Inanes superstitiones & fictas vanasque ostentationes spernit, vt qui malit bonus esse quam videri. Pueriles quasdam formidines, & anilia deliramenta respuit, ac bene agendo beneque cogitando optimè sperat. Quinetiam omnia pericula se superare posse existimat: quippe qui pro comperto ducat præmium bonis, pœnā autem malis à summo Deo perpetuò statutam esse. Pœnas siquidem turpiū delictorum daturos post interitum sceleratos homines, nō modò patres nostri sanctissimi, Christi vera illuminati doctrina, verùm etiā prisci, qui studijs sapientiæ perdocti extiterunt affirmant. Vnde Empedocles Agrigentinus eiusmodi sententiam protulit: *Dæmones eos qui turpiter vixerunt, æther & pontus expellit, terra non accipit. Sic ab alio in aliud elementum deiecti, miserabiliter admodum vexantur, donec expiati ac purgati ab omni terrena labe, ad pristinam cœli sedem, vnde defluxerant, redeant & æuo fruantur sempiterno.* Democritus autē dixit Deum omnia agnoscere, omniaq; mortalibus & dare & auferre posse, quippe qui Rex omnium solus sit. Sed ne multis lectorem remorer concludendum esse statuo, decere Regem pium ac religiosum esse, nec quicquam agere aut inchoare nisi propiciato Deo Christianis cæremonijs. Nam cæteri omnes ritus irridendi sunt, & à sanis hominibus contemnendi.

Sola enim hæc religio diuina ac cœlestia præcepta edocet, quibus ad cultum diuinæ maiestatis instituimur, piè ac sanctè viuere erudimur, & ad cognitionē veri atque vnici Dei omnium conditoris atque artificis perducimur, à quo plenam fœlicitatem, perpetuam sempiternamq; nanciscimur.

Quàm deceat Regem religionis obseruantia, Ale-

xander docuit. Nam quum accepisset seruum quendam suum, qui in eum grauiter deliquerat, in asylum per religionem inuiolandum perfugisse, ad Megabyzum literas dedit, vt illum, si ex asylo egrederetur, manciparet, & vinctum ad se mitteret, sin minus id fieri posset, in asylo nullam vim ei afferret, quando per religionem non liceret.

Templum quoq; Dianæ Ephesiæ ius asyli etiam habuit, quod quidē eiusmodi fuit, vt ex eo nemo quouis crimine damnatus educi posset.

Hoc templū Alexander ad stadiū perduxit, & opulentijs compluribus auxit. M. verò Antonius illud etiam mirificè amplificauit. Octauius autem id indignè ferens templum illud funditus euertit, asserens sceleratos homines eiusmodi impunitate in dies magis magisq; audere scelera committere, & alios bonos viros labefactare.

Cadmus asylū primus condidit.

Asylum primus omniū cōdidit Cadmus, vt Thebas quas nuper ædificauerat, maiore populo compleret. Huius exemplum imitatus est Romulus, quum Romam condidisset, vt incolarum frequentiam augeret, id tamen ei posterisq; perpetuo probro semper obiectum extitit à maleuolis obtrectatoribusq; Romani nominis, vnde illud Iuuenalis:

Iuuena. satyra 8. in fi.

Et tamen vt longè repetas, longeq; reuoluas
Nomen, ab infami gentem deducis asylo.

De affectu seu actione.

Tit. XVII.

Affectus & affectio.

Affectum, seu malumus affectionem appellare, iustitia deinde nobis præstat, vtrumque enim nomen à veteribus inuenio vsurpatum, & alterum pro altero sæpe positum, cùm intellectu tamen inter se differant. Est enim affectio generalis quædam inclinatio animi ad dilectionem beneuolentiamq; hominum, quorum rebus aduersis angimur, lætamur autem secundis. Affectus autem est, quum hanc dispositionem perducimus ad actum, vt quum adiu-

mus homini etiam ignoto, ducti hac animi bonitate, & præcipuè in his rebus, quibus facilè sine detrimẽto nostro possumus benigni esse, & opem indigenti afferre, vt monstrare erranti viã, fontem sitienti ostẽdere, lumen pati de nostro lumine accẽdi. Hæc & his similia homini debere videmur quodã iure naturalis affectionis erga genus nostrũ. *Sed naturalis ordo exigit, vt antecedat affectio, sequatur electio, deinde actus, deinceps verò habitus, quem actuum frequentatio perficit*: vt Aristoteles docet. Sumitur etiam pro accidente qualitatis affectio, vt sit animi aut corporis subita alicuius rei causa commotio: vt si quid nobis boni aut iucundi ex tempore nuncietur, tunc repentino gaudio, hilarique lætitia perfundimur, vel si videmus rem diu à nobis desideratam, vel contrà si repentè cernimus rem aliquam quæ nobis timorem, formidinẽ, molestiámve aliquam incurrat. Hæ omnes affectiones dicuntur, quæ suapte natura facilè decidunt, nisi in actu diutius persistant, vnde fiat habitus, qui est quasi quædam præceptio qualitatum. Cicero autem ait habitum esse animi aut corporis constantem & absolutam aliquam perfectionem, vt virtutis, aut alicuius artis.

Nunc verò ad primam affectionis significationẽ redeo, quæ ad institutum ordinem nostrum attinet. Assero nanque affectionem erga homines à natura omnium parente mortalibus inditam esse. Diligit enim quodque animal suum genus, & cum sui similibus facilè cõgregatur. Præterea ingenui hominis est hominem beneuolentia complecti, & id ad ineundã gratiam conciliandasque amicitias plurimùm conducit. At contrà, angusti peruersique animi est, homines odio habere, gaudereque potius malis, quàm bonis eorum lætari, & pro solitudine, æqualiũ congressum consuetudinemque fugere, (quum homo longè magis animal sociale sit, quàm apes, formicæ, graculi, palumbes; & optare calamitates, pestilentias, sterilitates, bella, & alia communia mortalium mala. Eiusmodi homines, *μισάνθρωποι*, hoc est osores hominum à Græcis vocantur, quòd perosi sint omne

genus hominum. Tales fuerunt nonnulli, quorum veteres meminerunt: qui ex morum magis peruersitate, quàm ex virtute aliqua nomina sua obliuione vendicarunt. Lepide, ac facetè iocatus est Plato in morosam atque odiosam Timonis Athieniensis vitam, & tamen ex iocis illis ac salibus facilè intelligere possumus Platonem illius mores exhorruisse, & ea cauillando protulisse, vt ex malis moribus facilius bonos dignosceremus. Virtus enim vix cerni posset, nisi ex vitijs quæ ei contraria sunt ostenderetur: nec perfecta satis haberi posset, nisi aduersis in rebus exerceretur. *Aurum siquidem igni probatur*, vt trito prouerbio dicitur. Bonum quoque ex malo dignoscitur, & malum item ex bono. Similis moribus Timoni extitit Mison, cui ab odio nomen fuit: is quum inter homines versaretur, semper erat mœstus, in solitudine verò ridebat. Similis etiam Apemantus. Sed vt hi omnes homines odio habebant, sic communi hominum odio digni sunt, & quasi rationis expertes cum beluis ac feris à ciuitatibus & ab omni hominũ cœtu extrudendi ac deturbandi. In hominum enim figura torui, truculenti, atq; immanissimi sunt, & animo prorsus efferato. Timon in sepulchro suo pone sterquilinum fieri voluit, & eiusmodi versus inscribi mandauit.

Epitaphium Timonis.

Hic sum post vitam miseramq; inopemq; sepultus:
Nomen non quæras, dij te lector malè perdant.

Execratur eos post interitum, quos perosus in vita perdere nequiuerat.

Sunt etiam quidam, qui animi rigore, ingenijque toruitate immites, inflexibiles, inexorabilesque esse videantur, & id quidem ex habitu corporis ostendunt: proterui etenim sunt, liuidi, macilenti, morosi, anxii, taciti, solivagi, & atra bili semper exuberant: qualis fuit M. Crassus pater eius Crassi, qui cum exercitu apud Parthos interijt, qui omni vita nunquam ridere visus est: proinde vulgò ἀγέλαστος dicebatur, quasi irrisibilis, quum ex contrario, γέλασος, à ridendi gratia dicatur, & Democritus γελασῖνος honoris causa cognominaretur. Nos autem his omissis

missis hominem instituimus: qui non modò plenus sit humanitatis, verùm alijs quoque iure optimo præsit, & beneuolentia ac gratia omnes complectatur, vt quos locupletare liberalitate ac magnificentia nequeat, saltem ab omni contumelia atque iniuria tueatur.

De humanitate. Tit. XVIII.

HVmanitas affectioni coniuncta est, quam quidem cõseruare debemus, si homines rectè nuncupari volumus. Homo enim qui naturæ obsequitur, homini nullo pacto nocere potest. Natura nobis hoc præscribit, vt homo homini semꝑ prosit. Quæ virtus tanti fuit, vt Deo digna esse videretur. Scribit enim Varro Herculẽ honoris gratia ἀλεξίκακον, hoc est malorum auersorem, cognominatum extitisse, quòd semper hominũ adiutor ac defensor esset: est siquidẽ ἀλαλκειν tueri, adiuuare, & hostẽ arcere. Vnde nomen etiam Alex. dictũ putant. Ingenui quidem animi est homines adiuuare, eisq; quibuscunque rebus possumus prodesse, atque opitulari. Qui enim beneficium dant, Deum imitari videntur, qui semper omnibus prodest. Qui verò repetunt, fœneratores haberi possunt. Aedes Gratiarum apud Romanos in medio fori erant, vt omnes intelligere possent homines omnibus hominibus gratos esse oportere, & in referenda gratia abundãtes. Lepidè Plautus ille comœdus ait: *Improbus est homo ille qui beneficium scit sumere, & reddere nescit.* Sed vt pietatem ac religionem Deo semper debemus, sic homini benignitatem ac misericordiam. Iure optimo igitur Athenienses misericordiam non pro affectu, sed pro Dea colebant, vt homines intelligerent se diuina etiam præstare, dum misericordes essent.

Humanitas.

Ædes Gratiarum in medio foro Romano.

Humanitas quidem (vt A. Gellius declarat) est beneuolentia quædam ac dexteritas erga omnes homines permissa, quam Græci φιλανθρωπίαν eleganti verbo, quasi erga homines amorem appellant. Sed quãdo humanitatem plurimum adiuuat prima eru-

A. Gel. ca. 15. lib. 13.

ditio, & puerilis illa institutio, quam παιδείαν Græci vocant, idcirco pro institutione, doctrina, ac disciplina bonarum artium eleganter eam veteres vsurpauerunt, & humanum pro erudito frequenter posuerunt, humanioresque literas dixerunt. Nec id profectò abs re. Eiusmodi enim humanitas nulli animantium generi præterquam homini à natura concessa est. Humanitatis verò comitas illa lepidissima prę omnibus mortalibus Regibus ac Principibus maximè conuenit. Quanto enim opulentiores sunt, tãto pluribus prodesse possunt. Opes autem priuatorum tenues sunt, & in paucos, etiã si velint, humaniore quadam benignitate vti possunt, nisi in his reb. quæ dando non minuuntur nec pereunt: & in his etiam quæ à medijs quibusdam officijs profiscuntur. Lycurgus vt ciues suos ad humanitatem instrueret, eos assuefecit vt neque optarent, neque vlla ex parte scirent seorsum priuatimque viuere, sed veluti apes omnes ad rem communem conuerterentur, semperque circa Regem versarentur. Ad humanitatem vox illa maioris Scipionis pertineret, quum ait malle se ciuem vnum seruare, quàm mille hostes perdere. Nec minus responsum illud Alexandri ad Darij nuncios, qui ei gratias agebat, quòd tam clementer, tam castè, atque humanè se gessisset erga cõiugem ac filias eius, quas captiuas haberet, ait enim. Nunciate Dario, omnia quæ liberaliter atque clementer egi, non amicitiæ eius me tribuisse, sed naturæ meæ. Bellum cum captiuis ac fœminis gerere non soleo, armatus sit oportet quem oderim.

Literæ humaniores.

Cato senior.

Senior Cato magnam apud Romanos sapientiæ laudẽ habuit. Quidam verò obtrectatores atque æmuli eius dicebant illum quibusdam in rebus non satis humanum esse, & præcipuè in domesticis institutis eum carpebant, in quib. humanitatis oblitus esse videbatur, vt fieri solet in rebus prosperis. Consensum enim, beneuolentiam ac concordiam mutuam seruorum, libertorum, & reliquorum familiarium in primis odio suspicionique habebat: proinde illorum discordia ac simultate plurimum lætabatur,

tur, ex qua dicebat longè melius rei familiari ac domesticæ consultum iri, quàm si omnes inter se optimè congruerent: familiæ enim concordiam, conspirationem in patrem familias esse arbitrabatur: satiusque esse dicebat, vt illorum quisque æmulos veritus, delatorē formidaret. Seruos præterea senio affectos aut aliqua ex parte debiliores imbecillioresq; factos quā primùm venūdari iubebat, ac si muta essent animalia, quasi imminuta vtilitate quā antea percipere consueuerat, nihil humanitatis eis impendere teneretur, veluti si non intelligeret non semper exigenda esse ab hominibus ea omnia quæ iure exigi possunt, sed naturæ, atque humanitatis rationem esse habendam: vt sublata etiam vtilitate, humanitatis clementiæque officia eisdē exhibeamus, quū oēs paulò humaniores viri, ex humana quadam vbertate equis ac canibus senio confectis non modò pabulum ac cibū, verumetiam quandam senectutis indulgentiam præbere soleant. Indecorum, indignumque esse videtur, vt seruis, alijsque animalibus veluti calceis vtamur, quos abijcimus postquam vsu fracti atque attriti sunt, nobisque nihil prosunt. Clarus atque illustris vir apud Athenienses, & in omni Grecia habitus fuit Cimon. Is equarum monimenta, quarum opera victor in Olympiacis ludis coronatus fuerat, iuxta sepulchrum suum magna impensa collocari voluit, ne ingratus vlla ex parte mutuis etiam animalibus videri posset.

Pericles quoque Atheniensis Anaxagorę discipulus, vir temporibus suis maximi nominis extitit, & eloquentia adeò clarus, vt cùm concionaretur, Poëtæ dicerent ex illius verbis coruscationes tonitruaq; cieri, & linguam eius fulmen iacere. Attamen ei à plerisque vitio datum est, quòd negligentius se gesserit in præceptorem suum. Erat Reipublicæ intentus Pericles, & Anaxagoras grādior natu inopia angustiaq; rei familiaris premebatur adeò, vt iam per inediam mortem sibi consciscere destinasset. Hoc quum rumore ac fama ad Periclis aures percrebuisset, confestim ad eum perrexit, & supplex effusis lachrymis cū

orauit, obsecrauitque, vt si vitæ iam pertæsum esset, nec vlterius viuere destinasset, sua saltem causa consilium mutaret, sibique viuere decerneret, quando eiusmodi consiliorum socio plurimum egeret. Tum Anaxagoras ait: O *Pericle, qui lucerna indiget, oleum instillat.* Erubuit tunc Pericles, quasi ingratitudinis atque inhumanitatis incesseretur. Ac deinceps liberalitatis humanitatisque munera largius benigniusque ei exhibuit. Tenuiores alere, nudos operire, infirmis opitulari, captiuos redimere à carcere Anaxagoræ.

Lucerna qui indiget infundit oleum.

Homines quoque non omni ex parte noxios liberare, humanitatis munus est peregregium. Phocion vir apud Athenienses summæ auctoritatis, quum ab amicis obiurgaretur, quòd improbum quendam in capitali iudicio defenderet, inquit: Non quidem probus eiusmodi patrocinio indiget. Et quum enixè admodum rogaretur ab affinibus necessarijsque Aristogitonis hominis flagitiosi ac scelestissimi (qui ob sua crimina in carcerem ab Atheniensibus coniectus fuerat) vt ad illum visendum accederet, respondit, nô grauatè se id facturum: tum amicis dehortantibus, conantibusq; eum ab instituto itinere reuocare, *Sinite*, inquit, *& vbinam loci Aristogitonem iucundius quàm in publica custodia visere ac salutare possumus?*

Phocionis responsum.

Scribunt etiam Cimonem virum illum illustrem, cuius paulo antè mentionē fecimus, comites semper seruos secum habuisse, qui pecuniam deferebant, vt si quē inopē, aut indigna egestate oppressum cerneret, quamprimùm illum larga benignitate adiuuaret. Patere etiam atria locupletum mēdicantibus hominibus, humanitati munus est quam maximum. Nec auscultandum Plauto comico poëtæ puto, quanquā Latinæ linguæ pater propter vetustatem dici potest. Senex enim in magna annonæ caritate operam suam præ inopia pistori locauit, & tres in pistrino scripsit comœdias ac vendidit, vt Varro ait. Nam tædio paupertatis affectus, hanc immitem atque inhumanam sententiam effudit: *De mendico malè meretur qui ei dat quod edat, aut quod bibat. Nam & illud quod dat perit, & illi producit vitam ad miseriam.* Longè melius factitabant

Plautus propter vetustatē L. L. pater Plauti inopia.

bant vetustissimi Romani, qui cœnarum reliquias mendicis semper erogabant. Nam postquam ditiores illi ex prima mensa cibum sumpserant, accedentibus bellarijs, (quam secundam mensam appellabant) numinibus coronatis poculis libabant vina, & statim atria expectantibus ante fores tenuioribus aperiebantur, vt ederent, vnde ab inopum clamore, qui sodales deuocabãt, ortum est verbum: Panditur, quasi panis datur: exinde vsu venit, vt pro verbo aperitur, panditur dicerent. Multi etiam eo tempore palam in propatulo vescebantur, vt frugalitatem suam omnibus ostenderent. Neminemque aduenientium à sua mensa acerbant: hoc exemplo ductus Iuuenalis quum mensarum sui temporis voraginem satyrico more carperet, ait:

Quis fercula septem Secretò cœnauit auus?

Deinde ostendit iudiciale quoddam vectigal pẽsitatum fuisse, & in sportulam redactum, quod pauperibus erogaretur, conqueriturque quod à diuitib. diriperetur, idcirco addit:

Quid facient comites, quibus hinc toga, calceus hic est,
Et panis fumusq; domi?

Antiqui Reges ac Principes tibijs præcinentibus cœnæ signa dabant, quum mensæ sternerentur, apponerentur fercula, vt inopes ad esum properarent. Vnum sibi persuadeant Reges, ac Principes oportet, excellentis animi munus esse tenuiores alere, omnibusque benefacere, etiam si ab eis nihil vnquam accepturi essent. Hoc Caius cognomento Caligula, quum imperaret, vel ex hoc comiter egisse laudatur, quòd tenuiores quosdam sæpe inuitaret. Et in epulatione quadam iucundum conuiuis fuit, quòd equiti Romano contra se hilarius iucundiusq; vescenti partes suas de mensa benignè admodum transmiserit.

De

De facilitate. TIT. XIX.

Facilitas. FAcilitatem sunt qui putant ad humanitatem accedere, quæ vel species eius sit, vel comes, & quasi germana soror. Facilitas virtus est in Rege omnium gratissima ad ineundã gratiam, beneuolentiamque seruandam. Nihil iucundius his qui reguntur esse potest, quàm quum intelligunt aures illius qui regnat, eis patere, nec querelis eorum clausas esse. Facetus quidã scurra inter iocandum dicere solebat, *malle se cæcutienti quàm surdastro domino inseruire.* *Dictũ scurræ.* Nam si ille minus cernit quæ facit, magis è re sua esse potest, quàm si minus audit quæcunque dicit. Princeps qui facilè audit, multorum iniurias cohibet. Multi enim qui gratiores acceptioresque sunt principi, iniustiores iniquioresque fiunt, quum cogitant rem posse dominũ latere. At quum secum mussitant, quid si resciuerit? facilè enim aurem præbet, extrudemur, minus nobis fidei habebitur, pœnas dabimus: tunc abstinent, & mitiora melioraque cogitant. Sed nimis multa audire cogitur is cui tota commissa est respublica, nec aliter facere potest, vt sapienter ait Cicero: accedit tamen ad sapientiam & virtutem multos audire. Monemur enim sæpenumero aliorum dictis, & ea perdiscimus quæ nobis obscura sunt, mutamusque sententiam in melius, & errata nostra, si qua sunt, corrigimus.

M. An. Pius. M. Antoninus cognomento Pius, qui sapientiæ studijs, & vitæ innocentia Cæsarum omnium optimus habitus est, sæpe sapientes atque optimos viros clàm accersiri iubebat, & seorsum remotis arbitris ab eis sciscitabatur quid de se quisq; sentiret, loqueretúrve, & ea emendabat quæ iure optimo reprehẽsa esse viderentur: & cautiores melioresque reddebat eos qui ei in consilio aderant: verebãtur enim ne ille extrà ab alijs quæreret quid facto opus esset, & ipsi haberentur aut minus prudentes, negligẽtésve, aut versuti nimis atq; infidi, siue assentatores adulatorésve, qui se putarent obsequium præstare, si consilia eius proba-

probarent, & mores ac vitia imitarentur. Facilitas Philippi Macedonum Regis multarum ciuitatum animos ei conciliauit, adeo vt plures beneuolentia quàm armis subegerit. Principes verò qui cum Alexandro eius filio militabant, illum nonnunquam difficiliorem reddebant, quod quidem eiusmodi exemplo cerni licet. Dinocrates Macedo architectus fuit aetate sua omniū maximus, & in mathematicis scientijs eruditissimus habebatur. Is quum aliquādo principem aliquem quæreret animo & potentia ingenio suo parem, literas à conciuibus suis impetrauit, quibus principibus illis commendaretur, qui Alexandro gratiores erāt, rogabatque vt ei ad Regem aditus pateret: illi Dinocrati officium pollicebātur, verùm lōgis frustrationibus eum illudebant. Hoc ille quum animaduerteret, nouum commendationis genus cōmentus est, quum literæ ei neutiquam prodessent. Erat enim corporis forma ac dignitate conspicuus, toris ac membrorum lacertis Herculis imaginibus persimilis: proinde quum cerneret Alexandrum in magna hominum frequentia ius dicere, vestem qua amictus erat, exuit, & nudus leonis pellem, quam parauerat, induit, & accepta in manu dextera claua, grauiincessu, & toruo trucique aspectu concionem illā circum ire incipit. Nouus itaque hominis habitus, & seuera facies, multorum ora, atque oculos in se conuertebat. Hoc quum cerneret Alexander, insolita re permotus, hominem ad se perduci iussit, & quisnam esset, quáve de re accessisset, rogauit? Tum ille Dinocratem architectum Macedonem se ait, afferreq; ad eum imitationes suas voluisse dignas tanto Rege, & victore orbis terrarum: sed quum ab eius aspectu prohiberetur, nouum hunc habitum excogitasse, vt ad eum admitteretur, quum nulla literarū commendatio satis sibi profuisset. Risit Alexander, & grato hilariq; vultu eum accepit, bonoq; vt animo esset iussit, ac etiam donis eum muneribusq; prosecutus est, & deinceps multis in rebus eius opera vsus & pręcipuè in dimensione Alexandriæ, quam illius iussu statui atque ædificari voluit. Hæc de facilitate satis.

Dinocrates architectus.

Ex Vitruuio l. 2. de architectura in prin.

Dinocratis commentū.

De

De fide. Tit. XX.

Fides, omniū virtutū splendidißima.

Fides superioribus virtutibus finem præscribat: est.n. ex his speciebus quas iustitia præstat, vltima quidem, sed tanto splendore præfulget, vt sine ea omnes Regum ac Principū virtutes obscuriores fiant. Ab ea enim singulæ sic lumē accipiunt, vt à sole luna, sydera, ac stellæ omnes. Prudentia sine fide vana ac mendax esset, & vafra quædam versutaq; calliditas. Tēperātia, tristis ac verecunda: fortitudo, ignaua ac torpida: iustitia autē sæua ac sanguinaria. Quid laudis, famæ, aut gloriæ Princeps habere potest, qui vanus, mendax, aut infidus est? Quid turpius aut fœdius esse potest, quàm fidē fallere? promissa nō præstare, aut dictis conuentisq; non manere?

Sexti Pompeij fides. Menodorus.

Cœnantibus in naui ad Puteolo's Antonio, & Octauio apud Sextum Pompeiū Magni Pōpeij filium, qui tunc conciliati societatem inierant, Menodorus Pompeianæ classi præfectus per internuncium Pompeio significauit, tunc tempestiuum esse parentis ac fratris iniurias vlcisci: quòd si occasionē sumere vellet, se operā daturum vt è nauib. euadat nemo. Cui Pompeius: *Refert*, inquit, *Menodoro, ei sine me id facere licere, qui iam peierare consueuit: mihi autem nefas esset, qui fidem fallere nescio.* Quæ quidē vox & decora fuit, & magni Pompeij filio digna.

Parmenioni quoque suadenti quippiā Alexandro, quod præter fidem ac decorum esset, respondit Alexander: *Facerē id quidem si Parmenio essē, verùm Alexandro neutiquam licet.* Nec id iniuria dicebat Alexander, nouerat enim vir animi tam excelsi, qui sibi orbis terrarum imperium polliceretur, nihil esse posse quod magis gloriam suam obscuriorem redderet, quàm si promissam fidem aliqua ex parte falleret. Fides namque, quam quispiam conceptis verbis hosti quoque iurauerit, præstanda est, licet minus sit è re eius qui pepigerit. Nulla enim vtilitas, nulla potentia, nulla victoria tanti est, quæ cum iurisiurandi religione æquari aut conferri possit. Veteres dixerunt fidem

esse

esse promissorum conuentorumque fidam obseruantiam, vel mutuæ stipulationis exhibitionem. Fidei verò iurisq; iurandi sponsores Deos inuocabant. Quocirca apud Comicos poëtas sæpè dicitur, Dij vestram fidem, quasi Deos fidei sponsores appellent, vt sibi opem auxiliumque afferant, perfidiamque vlciscantur. Quem sermonem Romani etiam vsurpauerunt, vt ex veteribus eorum poëtis, oratoribus, atque historicis cernere possumus.

Solenne erat Epirotarum Regibus ineunte vere Ioui pugnatori sacra facere, hostiasque complures cædere, illic mutuum inter se iusiurandū dabant Reges & populus, accipiebantq;. Reges asserebant se legitimè imperaturos: Epirotæ autē se omnia Regibus exhibituros, quæ per legem deberent: qua religione astricti, magnam inter se concordiam seruabant.

Periuri apud Aegyptios capitali pœna puniebantur, vt Diodorus Siculus testatur: quando & pietatē in Deum violarent & fidem inter homines tollerent. Palici Dij Iouis & Thaliæ filij à poëtis fuisse dicūtur: hi periuriorum vltores à veteribus habebantur, quorum templum in Sicilia fuit, quod Ducetius Siculorum dux statuit, cuius meminit Silius, quum ait:

Periuriū capite vindicabāt Ægyptij.

Palici Dij.

Silius l. 14.

Et qui præsenti domitant periura Palici
Pectora supplicio.

Sed hanc fabulam Aeschylus Siculus tragœdiarum poëta longè ante eum celebrauerat. Qua ex re docemur Deum violatæ fidei vindicem atque vltorem esse, vnde idem poëta ait:

Stant nulla diu decepto gaudia diuis.

Iouem lapidem iurabant antiqui, & quisque iurās lapidem in manu tenebat dicens: Sic *Diespiter salua vrbe bonis omnibus eijciat me, si sciens fallam, vt ego hunc lapidem eijcio.* Cuius consuetudinis meminit Cicero in epistola quadam ad Trebatium.

Iuppiter lapideus.

Epist. fa. li. 7. epist. 12.

Scythæ per regium solium iurabant, quum maximum iuramentum adhibere volebant, & id quoque fallere capitale erat, vt ait Herodotus.

Scytharū iusiurandum.

Melpomene.

Videndum tamen est vt iuramentum rebus bonis, non autem in malis præstemus. Deus siquidem

in

in rebus pulchris iustisque consensum adhibet, non turpium inhonestarumque actionum sponsor accedit, vt Dionysius Halicarnasseus testatur.

Medi & Arabes (vt Herodotus etiam scribit) inituri fœdera, fidemve desponsuri, missum è leuiter vulneratis brachijs aut pollicibus sanguinem inuicem lambebãt, quasi propriam vitam, quæ per sanguinem intelligitur, pro fide præstanda Deo vouerent. Arabes verò in hac sponsione Dionysium Vraniamque inuocabant, vt ex altero orgia sacraque omnia fœderibus adesse ostenderent, (præest enim Bacchus sacrificijs misterijsque omnibus, & pius semper fideique obseruantissimus habitus est heros ille) ex altero autem cuncta numina fidei sponsionem facere testarentur, quãdoquidem Vrania sit cælestium orbium consonantia atque harmonia. Cornelius Tacitus huius consuetudinis meminit in vita Neronis, his verbis. *Mos est Regibus quoties societatem ineunt, implicare dexteras, pollicesq; inter se vincire, nodoq; perstringere: vbi mox sanguis in extremos artus suffuderit, leui ictu cruorem eliciunt, atq; inuicem lambũt: id fœdus arcanum habetur, quasi mutuo cruore sacratum.*

Mos confœderatorũ Regũ.

Romani fœdus firmabant fœdata per sacrificium porca, hoc est saxo contusa, cum imprecationibus, vt sic cæderentur qui rupto fœdere a promissa fide discederent, quod & Mantuana musa edocet quum ait,

Et cæsa iungebant fœdera porca.

Varro fœdera à fecialibus sacerdotibus, qui fœderibus faciundis præerant, dicta putat, cuius verba penè eiusmodi sunt. Feciales, quod fidei publicæ inter populos præerant. Nam per hos fiebat vt iustum cõciperetur bellum, & inde factum vt fœdere fides pacis conseruaretur. Hi mittebantur antequam susciperetur bellum, qui res repeterent ab ijs qui iniurias intulissent, & per hos etiam nunc fit fœdus, quod fidus Ennius scribit dictum in re militari. Hac Ennij opinione ductus Festus Pompeius dixit fœdera ideò dicta, quòd fides in illis interponeretur.

Inexpiabilis religionis est fidem fallere, & nunquam id facinus à Deo inultum permittitur. Prusias

Bithy-

Bithyniæ Rex violatæ fidei prodito Hannibale compulsoque ad necem, miserabiles pœnas dedit. Nam Nicomedes eius filius, cui rerum habenas viuus permiserat, fauente populo illum regno exegit: & quum nemine ferente ei auxilium, in spelunca quadam lateret, ab inquisitoribus inuentus, iussu sæuissimi filij trucidatus interijt. Tarquinij superbi exitium quis ambigit Deo optimo vltore contigisse? Occiso enim Seruio Tullio socero suo regnum per iniuriam inuasit, quo die scelerata Tullia per patris iacentis cadauer carpentum egit, vt virum suum Regem salutaret. Fidem esse regnis etiam præferendam Silius Italicus cecinit his versibus:

Fœdera mortales ne sæuo rumpite ferro,
Sed castam seruare fidem fulgentibus ostro
Hæc potior regnis.

In reliquis deinceps concludit domum, coniugem, familiam, ac vitam eius qui fidem violet, nunquam expertem luctus esse, nec lachrymarum, fidemq; læsam semper eum insequi: nec terram, nec maria secura ei permittere: & Furias infernales consilijs, mensisque eius semper adesse, donec illum in Stygiam paludem mergant. Hæc est aurea illa Ciceronis sententia, quum ait: *Magnam vim esse consciētiæ, & magnam in vtranq; partem, vt neque timeāt, qui nihil commiserint, & pœnam ante oculos semper versari putant, qui peccarint.* *Conscientiæ vis.*

Quinetiam tantæ turpitudinis est perfidia, vt virtutes omnes inquinet atque obscuret, præclara gesta obruat, animi, corporis, fortunæque bona perimat, & nullis quoq; meritis vnquam mitigari aut expiari possit. Quis præstantior ciuis Bruto? quis virtute, moribus, doctrina, genere, dignitate illum anteibat? Aderat etiam quædam honestatis species, vt libertatis vindex ex maiorum suorum imitatione haberi posset: attamen populum vniuersum, & complures clarissimos viros in vltionem Cæsaris contra se armauit. Audi quam sententiam in eum proferat Valerius Maximus. M. Brutus suarum prius virtutum quàm patriæ parentis parricida fuit: vno enim facto & alias in profundum præcipitauit, & omnem nominis sui

memoriam inexpiabili detestatione perfudit. Et quanquam magnificè ad Ciceronem per epistolam loquitur, & se liberatorem orbis terrarum appellat, dicitque seruitutem & contumelias pati peius se odisse malis omnibus alijs, crimen tamē suum fatetur, quum scripsit in quadam alia epistola, cuius meminit Plutarchus vir doctissimus, & acerrimus rerū Romanarum scrutator, bonum virum fuisse Cæsarē, sed maiores suos ita institutos extitisse, vt ne bonos quidem dominos perferre possent. Cassius quoq; quid de Cæsare sentiret, indicauit, quum ad Ciceronem scriberet, quo tempore in Hispania Cęsar contra Pōpeium maiorem bellum gereret, ait enim: *Quid in Hispanijs geratur, rescribe. Peream nisi solicitus sum, ac malo veterem & clementem dominum habere, quàm nouum & crudelem experiri. Scis Cneus quàm sit fatuus, scis quomodo crudelitatem virtutem putet. Si Cæsar vincit, celeriter me expecta, vale.* Atqui Deus ipse huius perfidiæ vltor extitisse videtur. Nullus enim ex Cæsaris percussoribus, aut ex his qui consilium dederant, vltorum manus euasit. Nam aut compulsi sunt ad vim sibijpsis inferendam, vt Cassius, qui eodem pugione quo Cæsarem confoderat, seipsum transegit: & Brutus sibi ipsi mortem post acceptam cladem consciuit: Aut hostili ferro perierunt, & in primis A. Trebonius, qui in Asia à Dolabella per ludibrium & contemptum trucidatus est, nec immeritò: diutius enim cum Cæsare militauerat, à quo honore, præmijs, ac dignitate maiorem in modum honestatus fuerat. C. quoque Octauius, & Lentulus Spinther quòd operis se participes extitisse ostenderent, quum re vera nihil egissent, ab Antonio & Augusto deinde interfecti sunt, & vanæ iactantiæ pœnas dederunt.

Magni quidem viri non modò perfidiæ crimine, sed culpæ etiam suscipione vacare debent. Candida omnino sit fides, & nullis susurris calumniisue obnoxia. Maior Aphricanus quum nauem Carthaginensiū in qua diuites ac fortunati viri vehebantur, in potestate haberet, liberam intactamque dimisit: dicebant namque illi se ad eum oratores à Carthaginensibus

missos

missos esse. Et quanuis ei satis compertum esset, illos vitandi periculi causa legationis nomen commentos fuisse, tamen Romani Imperatoris fidem decipi maluit, quàm minima ex parte suspectam haberi.

Thraces (vt Ephorus scripsit) cum Bœotijs inducias certo dierum numero pepigerant: noctu autem, quum securius illi agerent, agros eorum populabantur. At quum illi violatam fidem conquererentur, negabant se perperam egisse, quum induciæ dierum pactæ esse, non autem noctium. Sed non agit ex fide bona, qui eiusmodi figmentis se tuetur.

Thracũ versutia in Bœotios ex Cic. offic. 1. de iustitia.

Perfidia nonnunquam dissimulatione vlciscenda est. Polemon Rex cum Aspurgitanis, qui inter Phageniam Gorgopiamque habitant, vt facilius tutiusque eis imponeret, amicitiam simulabat: illi dissimulabãt se fraudem intelligere, ac proinde clàm instructi armatique, vt Rex securus se adoriretur expectabant: ille verò, putans se eos facilè inprouisos opprimere posse, rem audacter aggreditur. Aspurgitani inuadentem Polemonem forti animo cum omni eius manu prosternunt, & captũ crudeliter trucidant, ac sic malè simulatam amicitiam vlciscuntur.

Apud Parthos verò dicti promissiq; nulla est fides, nisi quantum eis expedit. Nam tumidi omnes sunt, seditiosi, insidiosi, fallaces, subdoli, & procaces admodum: aiuntq; violentiam virorum esse mansuetudinẽ autem fœminarũ. Taciti semper miro silentio omnia consilia regunt, & ad inuadendum hostẽ per insidias ac dolos semper promptissimi paratissimique sunt.

Romanorum autem fides apud omnes gentes sedula, sancta, firma atq; augusta habita est. Vera enim virtute non fraude aut dolis hostium victores extiterũt. Priscis enim temporibus apud eos sancitum fuit, non aliena iniquitate, sed propria virtute magnum fortemque ducem militare oportere.

Hinc Furius Camillus ludi literarij magistrum, qui Principum filios ad se duxerat, vt per proditionẽ victoria potiretur, victum, verberibusq; ab eisdẽ pueris cæsum obsessis Faliscis remisit. Qui statim vltro non armis, sed tam clementi iustitia victi, se in potestatem

illius dediderunt. Eadem virtute etiam præditus Fabricius Pyrrho Regi, hosti Romanorum acerrimo, vt à veneno caueret monuit, ne si quid ei accederet, suo consilio putaret factum: quoniam Romanis non placeret venenis aut dolis pugnare, sed virtute & armis. At postquã cum infidis ac barbaris bella gerere cœperunt, dolos insidiasque vt cauerẽt opus erat, & vim vi, dolos, dolis vt vincerent necessarium erat, præcipuè contra eos, qui eisdem artibus vtebantur. Tunc vera esse sententia illa Plauti visa est, qui in Bacchidibus ait: *Nullus frugi esse potest homo, nisi qui & bene & malè facere tenet: bonus sit bonis, malus sit malis: vtcunque res sit, ita animum habeat.*

Fallaces valde fuerunt Numidæ, qui per dolũ plerunque vltrò cedebant: ac mox vbi hostes vagabantur, tardiúsve insequebantur, prælium de integro instaurabant, & mira celeritate conuersi maiore impetu quàm si ex prouiso hostes inuadebant.

Sarmatæ perfidia & dolis semper nitebantur, & ad latrocinia potius quàm ad bella intenti, equos ex vsu castrabant, ne quum in insidijs laterent, ab illis proderentur, si ex affectu fœminarũ ferocius prosilirent. Remissa enim Venere canterij taciti fiunt, & longè magis mansueti. Aphri omnes infidi, mendaces, subdoli, versuti, ac fœdifragi (vt ait Ennius) semper habiti sunt. Ipse quoque Hannibal ingenio sæuus atque immanis & callidus fuit, & à teneris annis disciplinæ militari cõsueuit, ex qua humanum diuinumque ius contemnere didicit, nulliusque Dei metu tenebatur: nullum iusiurandum, nulla fides, nulla religio eum coërcebat. Bella enim, cædes & hostiles proditiones solùm tractare didicerat, quinetiam hostibus deceptis semper lætabatur: & quos aperto marte æquare non poterat, dolis se præuertere gaudebat. Proinde nequaquam admirandum est missum fuisse Flaminiũ ad Prusiam Bithyniæ Regem à Senatu oratorem, qui Hannibalem ad supplicium deposceret. Et tamen plerique Romanorum ciuium postquam de nece Hannibalis acceperunt, Flaminium crudelitatis incessabant, quòd auctor fuisset tam præclari Imperatoris

Cantherius equus castratus.

toris

toris interimendi per scelus, à quo nullum vlterius periculum Reipublicæ immineret, quæ iam victrix esset penè omnium gentium: & ille grandis natu, & animi virtute corporisque viribus destitutus, neque opem, neque auxilium aut consilium à quoquam sperare posset. Sed longè melius Carthaginensibus credidisset, de Hannibale Hannoni viro grauissimo credere, qui de eo in Senatu ad hanc sententiam dixit: Ego Hannibalem iuuenem domi tenendum sub legibus, sub magistratibus censeo docendum viuere æquo iure cum cæteris ciuibus, ne quādo paruus hic ignis magnum exuscitet incendium: quod quidem verè vaticinatus est, vt ex euentu omnes facilè intelligere possunt.

Sed magna profectò laus est seruatæ fidei. Nulla victoria tanta gloria affecisset M. Attilium Regulum, quanta eum extulit seruata fides, seruatumque iusiurandum, & si raptus est ad modici temporis supplicium, perpetuis nominis fama illum ab omni obliuione vendicauit. Fides Romani populi perfidis etiā hostibus exploratissima habebatur. Duellius Cornelius Asina in primo Punico bello exercitum in Sicilia habebat: verùm ab Hamilcare & Hannone, qui exercitui Carthaginensium præerant, præstita fide ad colloquium vocatus per dolum interceptus est, & in vincula coniectus. Sed quum aduerso marte Carthaginenses terra marique bello succumberent, placuit vt de petenda pace ageretur, resque Hamilcari & Hānoni à Punico Senatu demandata est. Hamilcar memor violatæ fidei Cornelio Asinæ, ad cōsules ire formidabat. Hanno autem Romanorum fide fretus audacter ad Consules perrexit. Et quum in eum tribunus quidam militum obstreperet, perfidiæque eum in Cornelium Asinam accusaret, vterque consul silentium ei indixit, Hannoniq; ait: Isto quidem te periculo fides Romani populi liberat. *Hamilcar. Hanno.*

Ptolomæus Aegypti Rex agnita Romanorum fide, quum moreretur, Romanum populum infanti filio, cui regnum debebatur, tutorem testamēto reliquit. Senatus verò, ne qua ex parte ille spe sua frustraretur,

Aemilium Lepidum Pontificem maximum, virum grauem atque integrum ad tutelam eiusdem gerendam Alexandriam misit, qui summa virtute, summaque diligentia puero indulsit, & moribus virtutibusque regijs instruxit, regnumq; non modò conseruauit, verum etiam auxit, decorauitque.

Lycurgus quoque legumlator fidem inuiolatam seruauit. Nam quum fratri Polydectæ Regi Spartanorum superstes esset, regnumq; sibi (ciuibus etiā poscentib.) vēdicare posset, Charilao filio eius, qui posthumus natus fuerat, vt primùm adoleuit, summa fide restituit: vt oēs intelligerent eum longè pluris fidem quàm amplissima regna plurimasq; opulētias facere. Proditores sanè omnibus odio sunt, & nō modò his quib. prosunt, abominabiles ac detestabiles esse videntur. Legimus in antiquis fabulis, Scyllam Nisi filiam Minoi (cuius amore flagrabat) Niseam patris regiam prodidisse, & ab eo in profundum maris præcipitem esse datam in præmiū proditionis, cùm ex pacto connubium expectaret. Tatius quoque Sabinorum dux, Tarpeiæ virgini (quæ sibi Capitolium prodiderat) aureas armillas, quas læuo brachio Sabini gestabant, proditionis munus pepigit, eique poscenti dari iussit, acceptus deinde, armis obrutam necauit, vt pacta mercede non defraudaretur, sed morte proditionis pœnam lueret. Propertius autem poëta non armillas, sed matrimonium Tarpeiæ Tatium spopondisse affirmat his versibus:

At Tatius (neq; enim sceleri dedit hostis honorem)
Nube, ait: & regni scande tubile mei.
Dixit, & ingestis comitum super obruit armis,
Hæc virgo officijs dos erat apta tuis.

Eiusmodi exempla secuti sunt Romani: quod quidē vel ex hoc patet. P. Sulpitius, qui cū C. Mario & L. Sylla Romani populi hostis iudicatus est, quum in quadā villa lateret, indicio serui proditus occisus est. Seruus (vt promissum indicij præmiū haberet) à prætore manumissus est, & ꝓpter scelus ꝓditi domini è saxo præcipitatus. Cæsarem dixisse Plut. ait in Thracē Rhumitalcū, qui ei opportuna quędā oppida ꝓ proditio-

Cæsaris sententia.

ditionẽ tradiderat, placere sibi proditionẽ, proditorem verò se odio habere. A qua sententia non absuit Antigonus Rex, qui dicere etiã solebat, se proditores amare dũ proderent: vbi verò prodidissent eos omni odio ꝓsequi, nec immeritò. Quomodo.n.sperandũ est eũ in alienos fidũ fore, qui in suos perfidus extitit? Facetè Philipp. Alex. pater, quanquã decepto hoste semper gaudebat, conquerentiq; Lasthen Olynthio quòd milites eũ proditorẽ vocarẽt, quãdo is patriã Philippo prodidisset. *Noli admirari* (inquit) *hebetes enim ingenio sunt Macedones, & agrestes admodum, vt pote qui scaphã etiã scaphã vocent.* Quo verbo Rex prudentissimus docuit ꝓditores omnib. ludibrio contẽptui que esse debere. Vera fides in reb. aduersis maximè spectatur, in ꝓsperis siquidẽ fidẽ seruare, gen⁹ quoddã aucupij est. Illis enim homines nimirũ fidi sunt, à quib. beneficia maiora sperant. Prudẽter ait Ouidius:

Scilicet vt fuluum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est inspicienda fides.

Imitatus Ciceronem, qui in Lælio ait: *Ita amicitia & fides hominum aduersis probatur, vt aurum igne.* Sed ne vltra metas procurramus (vt dicitur) concludendum erit, fidem nunquam violandam esse, neq; vlla ex parte labefactandam. Eiusmodi enim turpitudinis nota, nulla vnquam obliuione deletur. Peierati quoque iuris crimen nulla religione vnquam expiari potest. Alia autem ex parte proditores omnes (vt diximus) exhorreat quicunque regnat, & quoscunque deprehenderit, omni fœditatis exemplo vlciscatur, meminerit que illius Romanæ veteris sententiæ, de qua paulo antè diximus: Oportere ducem propria virtute, non autem aliena iniquitate victorem fortemque esse.

Et hæc de perturbationibus animorum euellendis, vel leniendis, & de virtutum generibus, earundemque speciebus dicta sufficiant. In sequenti volumine, quoniam satis de his quæ ad Regem instituendum pertinent diximus, de officio eorum qui reguntur, dicẽdum erit. Sicut enim respublica ex ciuibus qui imperio omnibus præsunt, & ex alijs qui æquo animo

obſequuntur, conſtare debet: ſic regnum ex optimo Rege, qui iuſtè imperet, & ex reliquis qui illius dictis omnis ſtudio omniq; diligentia vltrò obſequantur. Sed vt omnia virtutum præcepta quæ Regibus præſcribuntur, communia cum ciuibus eſſe videntur: ſic quàm maximè hæc quæ de fide dicũtur, quæ quidem non modò his qui regunt, ſinguli ciues præſtare debent, ne infidi, impij, ac maieſtatis rei fiant: verùm etiam alijs quibuſcunque hominibus: ſtare enim promiſſis oportet, & conceptis verbis pactam fidem nunquam fallere. Nullum crimen inter mortales grauius perfidia habetur, quod ſemel admiſſum, nunquam aboleri poteſt, aut religione vlla expiari. Perpetuam ignominiæ notam vniuerſis Græcis inuſſit Cicero pro L. Flacco, cùm ait: *Ego Græcis tribuo literas, concedo multarum artium diſciplinam, nõ adimo ſermonis leporem, ingenium, acumen, dicendi copiam: veruntamen hoc dico, teſtimoniorum religionem & fidem nunquam iſta natio coluit, vnde illud eſt: Da mihi teſtimonium mutuum? num Gallorum, num Hiſpanorum putatur? totũ iſtud Græcorum eſt* Quibus ex verbis colligere poſſumus multa animi ornamenta à ſola perfidia obſcurari.

INCIPIT LIBER NONVS.

De officio eorum qui Regis imperio parere debent. TIT. I.

THEOPOMPVS Lacedæmoniorum Rex dicenti cuidam idcirco Spartam optimè ſeruari, quòd Reges bene imperare didiciſſent, ſcitè profectò reſpondit, quin potius quia ciues Regis dicto vltro audientes eſſent. Sed ſi rectè conſiderare volumus, vtrumque eſt neceſſarium in regno bene conſtituto. Qui enim parere quiſpiam poteſt, qui imperare neſcit? Subiectorum enim obedientia à Principis prudẽtia atque doctri-

doctrina proficiscatur oportet. Itineris duces, qui redè antecedunt, ex suis vestigijs hoc prçstant, vt qui eadem terunt, nunquam aberrent. Qui verò crebun di ducunt, & seipsos perditum eunt, & alios in praeci pitium rapiunt. Atque vt equestris munus militiae habetur, mansuetum equum reddere, nec respuentem frena, nec duriore ceruice obluctantem: sic regium officium est, populum vltro obsequentem reddere, & gratia, beneuolentia, aequalitate, benignitateque sic homines sibi deuincere, vt sponte sua parere studeant, nec imperata detrectent, aut iniquo animo obsequantur.

Contrà autem videndũ erit, ne ciues Principis facilitate abutantur. Fit enim saepenumero vt peruersa ciuium petulantia, humanitatemque benignitatemque principum in saeuitiam parsimoniamq; cõuertat. Sic qui mites ingenio principio erant, quum se contemptui haberi cernunt, acerbiores fiunt, duriusque imperare coguntur.

Mitissimus fuit Alexander, donec Darij opes euertit: quum verò à victoria magni cognomentum accepit, tunc prae imperij magnitudine singulos quosq; suorum procerum ex nimia eius benignitate in spẽ regni erexit: qua ex re nonnulli in eum licentius obla trabant, & alij diuturnam ac longam militiam contquerebantur, alij orbitatem suorum parentum, & se omni posteritatis spe destitui insimulabant: alij se promissis defraudari dicebant, & sic varijs susurris Regem accusabant. Hinc conspirationes, coniurationes, nocturnique conuentus fiunt, quibus delatores intenti, Principis aures in vltionem solicitant, & sic qui paulo antè comis, mitis, placidusq; fuerat, saeuus, crudelis, ac sanguinarius fit, non tam sua quàm eorũ culpa, qui illius consuetudine ac facilitate abutuntur. Princeps enim dum sibi cauet, clementiae ac misericor[illegible] obliuiscitur.

Expedit igitur, vt ciues optimo sint animo, & freti propria virtute potius quàm Principis moribus, quaecunq; optant, se assequi posse confidant. Idcirco si hucusque satis diximus quonam pacto oporteat

Regem se gerere in populos ac ciues quibus imperat: non alienum etiã videbitur priuatos quoque paucis instituere, qua ratione Regi obtemperare debẽt: quibus ex rebus & Rex gloriam atque immortalem famam consequetur & priuati omnes ad quietem ac beatitudinem dirigentur.

Qua ratione priuati omnes Regi parere debent. TIT. II.

Regnum præstantissimũ & Deo simile.

IN primis considerare debẽt qui regũtur, nullũ imperium regno esse præstantius, nullumq; Deo similius. Proinde elegãter à poëta summus Deus, Rex hominumq; Deorumq; appellatur. Vt enim Deus in vniuerso omnia mouet, sic etiam Rex in regno sibi permisso per similitudinẽ quandam efficere dicitur. Sed vt ad minora descendamus, nullũ imperiũ magis humanæ naturæ congruit. In animi enim nostri partibus, ratio dominatur: in membris autem corporis cor, in quo principalis animi sedes esse cernitur, quod ex metu & gaudio demonstrari Epicurus opinatur.

Proinde concludere debemus (vt suprà manifestè docuimus) naturale imperium vnius Regis esse, qui ad communem omnium vtilitatem gubernat, cuius imperium paternum est, non autem dominicum. Contenti idcirco ciues esse debent, & Regem venerari ac colere, eiusq; documentis obsequi, consilijsque eius auscultare.

Rex theatrũ quoddã in quo vitia spectantur & Virtus.

Cogitent præterea Regem quasi theatrum esse, in quo omnium virtutes probentur, vitia autem explodantur. Magni quidem momenti est, res præclaras coram eo agere, penes quem præmij pœnęque arbitrium sit. Quod vel maximè in re militari cernitur. Ante oculos enim sui quisque Regis aut ducis ardentius dimicat, & opera virtutis fortius ac diligentius exhibet, morique mauult, quàm aliqua ex parte de gradu cedere.

Idem quoque exercitus qui sine rege cædi fugæq; expositus esse videbatur, aduenienteillo quamprimum

mum victor euadit. Philippus Priscus Macedonum
Rex, qui ex magnis atauis Alexandri fuit, immatura
morte discedens Europum vix anniculum filium vni
cum quem habebat, regni successorem reliquit. Illy-
rici verò populi eo tempore ferocissimi, in re bellica
strenui, contempta infantis Regis ætate, Macedonas
bello aggrediuntur, quos primo prælio superatos,
compluribus cæsis in fugã conuertunt. Atqui quum
anxio animo, quid agerent, Macedones essent, moni-
ti sunt à peritis rerum diuinarum, eos idcirco succũ-
bere, quoniam Regis auspicijs carerent. Tunc verò
instaurato bello Regem suũ pusillum (vt erat) ante a-
ciẽ statuerunt, & conserto rursus prælio, quasi regio
ductu, magna virtute ac fœlicitate pugnã ineunt, &
Illyricos plurima strage edita in turpem fugam con-
uertunt: & qui modò victi de proprijs mœnibus tu-
endis cogitabant, victores magna cum gloria euase-
runt, planeq; docuerunt Regem non virtutem eis in
superiori prælio defuisse.

Athenienses quoque quum infœliciter pugnarẽt
contra Dorienses, oraculo moniti sunt id eis accide-
re, quoniam Regijs auspicijs destituti essent. Proinde
Codrum, Thracum Regem, Imperatorem elegerunt,
cuius auspicijs ac ductu bellum instaurauerunt. Et
quãuis nõ ciuis Atheniensis, sed peregrinus & adue-
na esset, tamen hic Rex tanti Athen. victoriam fecit,
postquam cognouit numinis responso exercitum il-
lum fore victorem, cuius Imperator ab hoste cæde-
retur, vt mutato confestim habitu pannosus mendi-
ci in morem, & sarmenta collo baiulans, hostium ca-
stra penetrauerit, illic à milite (quem astu falce vul-
nerauerat) interfici non ægrè tulerit. Dorienses verò
vt primùm Regis cadauer cognouerunt, omisso prę-
lio discesserunt: sic Athenienses regio auspicio à dif-
ficili bello liberantur, in quo pares per Rempubli-
cam esse non poterant.

Iucundum quoque ciuibus esse debet, Regem iudi-
cem habere potius, quàm multitudinem, vt in rebus
publicis fieri solet, in quibus suffragia numerantur,
non autem expendũtur examinantúrve, sic ad nume-
rum

rum accedit hebetissimi cuiusque ac rusticani hominis sententia, vt acutissimi clarissimiq; viri. Nec aliud in Republica fieri potest, in qua omnia ad multitudinis dispositionem fiunt: nec quispiam æquo animo fert sibi quempiam præferri, sed ad æqualitatem omnia dimetiuntur. In qua quidem nihil tam inæquale est, quàm ea ipsa quæ videtur esse æqualitas. Nam quũ prudentia inter ciues longè impar sit, ius tamen inter eos compar omnino vt sit expedit.

Tessellarum numerus Athenis illustres ciues patria exigebat, & decennali exilio multabat. Non paucorum iudicium, qui rectius sentirent. Ac proinde illis patria carebat, dum proscripti aberant, non autem illis patria, sed parêre voluntati multitudinis cogebantur, & tantisper ab oculis ciuium exularent opus erat, donec æmulorum inuidia deferueret, quæ post quam satis refrixerat, reuocabantur in patriam. Regis autem iudicium semper integrum est, non auro argentóve corrumpitur, eo enim neutiquam indiget.

Non torretur inuidia Rex. Pater enim quibus inuideat, non habet, neminem timet, nullius gratiam expetit. Si verò beneuolentia captanda est gratiáve ineunda facilius vnius viri captatur atque initur quàm multorum, quorum voluntates diuersæ sunt, & studia dissimillima. Facilè est à Principe per virtutem magistratum assequi, à multitudine verò longè difficillimum. Quãta ambitione opus erat apud Romanos, quum dignitas aliqua per suffragium à populo peteretur. Fatuum sese tãtisper fieri dicebat Aphricanus, dum pro amicis ac necessarijs suis aliquid ambiret. Quot rogandi? quot mulcendi? quot etiam prensandi? Verum est vetus illud prouerbium. *Magno emit qui blandè rogat.* Nec id difficile fuit posterioribus modò illis temporibus, quibus amicitia perturbabatur, nec modus, loquendi nec silentij modestia nec sedendi dignitas seruabatur (aperta enim erant suffragia, & concessonum magna licentia) sed priscis etiam illis seculis, quibus castigati magis erant mores, & maior grauitas atque integritas seruabatur.

Africani verbum.

Quid

Quid miserabilius candidatis illis, qui multis comitantibus magistratum petituri in comitiū descendebant? In primis quasi serui venalitij oculis ciuium exponebantur. De forma, ætate, genere, virtute, anteacta vita imperitus etiam quisque iudicabat. Miserum est multorum tacitum iudicium expectare, & varia hominum ingenia experiri. Deinde cuiusque candidati nomen citabatur. Aderat ille, silentium indicebatur. Dicebat pro se nullo aduocato aut patrono, vitam suam ipse exponebat, testes laudatoresque dabat, vel eos sub quibus meruerat, vel eos qui quæstores fuissent. Addebantur etiam aliqui ex suffragatoribus, qui grauiter ac modestè de vita, moribus, & rebus ab illis gestis loquebantur. Proinde absque interiore tunica amicti tantùm corpore super nudo candidati descendebant, vt honesta cicatricis quasi virtutis inducia facilius populo ostendere possent. Nonnunquam candidatus ipse aut natales competitoris, aut ætatem aut mores arguebat. Hæc & his similia non sine pudore ac verecundia candidatorum in magna hominum frequentia fieri poterant, quæ maximè in illis qui repulsam ferebant, cernebantur, quorum nonnulli inuenti sunt, qui vel hostes manifesti patriæ extiterunt, vt Coriolanus, & Themistocles, alij perpetuum exilium sibi indixerunt, alij ruri se abdicauerunt, alij etiam violentàs manus sibi ipsis attulerunt. Quæ quidem omnia, quum res apud Regem agitur, longè faciliora sunt. Non arbitris multis aut testibus opus est: planè enim omnes nouit, & eius arbitria rata sunt. Nemo quoque repulsam ferre videtur, quum vnius voluntati standum sit.

Nec audiendi sunt qui regno rempublicam præferendam putant, exemplo ducti Romanorum, qui quum ab initio vrbis cōditæ essent sub Regibus, eos paulò pòst exegerunt, & Rempublicam constituerunt. Hi fermè non intelligunt nullam apud Romanos Regum fuisse sobolem, & si qua videri poterat, eadem cum Romulo cecidit, qui & ipse centum viros reliquis præfecit: vt omnes intelligerent illum (quoniam progenie orbatus esset) non successore,

Mithridatis in Rom. dictum. sed de Republica cogitasse. Mithridates Ponti dicere solebat, Romanos ideò Reges omnes odio habere, quia ipsi tales habuerunt Reges, quorum etiam nominibus erubescerent, aut pastores Aboriginum, aut aruspices Sabinorum, aut exules Corinthiorum, aut seruos vernásve Thuscorum, aut (quod honestissimum nomen fuit inter hæc) superbos. Erat tamen apud Romanos augustum ac sanctum regium nomen, & maiestas omni sacerdotio consecrata, cuius auspicio Roma condita, & diutius aucta extitit. Superbio odium (qui regiam dignitatem in sæuissimam tyrannidem verterat) causam dedit vt Reges exigerentur, & Respublica constitueretur, nec filij eius regnarent, qui eandẽ sæuitiam exercerẽt, & paternas iniurias vlciscerentur. Quinetiam in cæremonijs ac sacris omnia regio auspicio initiabantur, antistesque sacrorum Rex appellabatur. Sed postquam Reipublicæ pertæsum est (vt enim Comicus ille ait: *Optimum rerum satietas est.*) Romani ipsi ad vnius hominis imperium Rempublicam redegerunt. Qua ex re facilè intelligere possumus ex Romanorum quoque sententia vnius Regis imperium omnes alios ciuiles status longè anteire.

Alia Regis officia in pace, alia in bello esse.

TIT III.

Duo tempora Pacis & belli. Considerare etiam debent ciues duo tempora esse, vnum pacis alterum belli. Pacis artes sunt literarum studia, agricultura, mercatura, res nautica, quibus adduntur artificia, & ministeria. His enim rebus ciues omnes intenti esse debent. Nam desides, & qui voluptati ocioq; indulgent, à ciuium cœtu arcendi sunt, veluti alienata membra à corpore amputantur à medicis, ne bona inficiant. *A Gel. li. 19. cap 10.*

Inertes siquidem illi exemplo nocent, & ignauiæ veneno alios perimunt. Optimè Ennius in tragœdia quæ Iphigenia dicebatur, inquit.

Ocio

Ocio qui nescit vti, plus negocij habet,
Quàm quum est negocium in negocio.
Nam cui quod agat, institutum est, nullo negocio
Id agit, studet ibi, mentem atque animum delectat suũ.
Ocioso in ocio animus nescit quid velit.
Hoc idem est, neque domi nunc nos, nec militiæ sumus.
Imus huc illuc: cum illuc ventum est, ire illinc libet.
Incertè errat animus, præter propter vitam viuitur.

Hæc Ennius prisco loquendi more. Sed quũ ciues quæ pacis sunt curant, bellicarũ artium obliuiscuntur, prelia, arma, cędesq; execrantur, efficiuntq; quod Atheniensium Lacedæmoniorumq; milites post diuturna bella factitarũt. Nam quum annuas inter se inducias pepigissent, canebant inter pocula. *Diu iaceat hasta aranearum telis obsita.*

Fœlices qui in pace somnum capiunt, quos non turbarum clangor, sed gallorum excitat cantus. In pace siquidem ferrum omnes abhorrent. Legimus enim in fœdere quod exactis Regibus Lartes Porsena Thuscorum Rex cum Romano populo pepigit, scriptum fuisse, ne ferro quisquam nisi in agricultura vteretur, dum Bellona & Mars sic resident, & omnes pacis studijs dant operam. Tunc Rex veluti bonus gubernator trãquillo æquore futuræ tempestati se pręparat, arma leuat, oppida munit, fossas ducit, arces, muros, & reliqua munimenta instaurat: tunc etiam militiam scribit, vt quando vsus fuerit, omnia sint parata: his ex rebus pacem tuetur, iuuenes exercet, & malè animatos comprimit, ac nouis rebus studentes coërcet. Belli deinde tempore nullo repentino tumultu terretur, semp enim paratus est, milites dicto audientes habet, & alios omnes studio obsequentes. Eo quippe tempore nemo munia spernere aut imperata detrectare debet, sed omnes vltro obediendi sedulitatem præstabunt.

Vnius itaque imperium sicut in pace & ocio omnibus alijs præstat, sic in bello adeò necessariũ est, vt etiam Respub. quæ multorum imperio in pace reguntur, belli tempore vni se suaque omnia credunt. Quem

Quem si non domi satis idoneum habent, aliunde accersire solent. Carthaginenses domi Rempublicã agebant, militiæ autem Imperatórem vnum semper præficiebant. Athenienses quoq; qui popularem statum seruabant, rei tamen bellicæ Imperatores præficiebant. Quod quum intelligeret Alexander, facetè eos cauillatus est. Dixit enim se summopere mirari vnde tanta copia Imperatorum apud Athenienses esset, vt possent singulis quibusq; annis decem inuenire quos Imperatores eligerent, quum in omni vita sua ex tot gentibus quibus imperabat, non nisi vnum idoneum ducem Parmenionem inuenisset duceretq; nihil in hominum genere rarius perfecto Imperatore inueniri posse.

Lacedæmoniorum Reges in pace paululum quippiam à priuatis ciuibus differebant: omnia enim publico consilio gerebantur, in bello autem cuncta regio ductu, regijsq; auspicijs agebantur.

Isocrates Atheniensis quum de propria patria scriberet, ait, Athenienses, vt qui Reipublicæ studiosissimi essent, sæpè consueuisse duos pluresve ciues vni eidemque bello præficere: quod quidem dum factitarunt, semper infœliciter pugnauerunt. Hoc verò quum perspicerent, vni tantum summam rei crediderunt, & hoc pacto deinceps semper victores extiterunt, quoties vnius Imperatoris ductu certatum est.

Quibus argumentis apparet Regem cùm in omnibus rebus, tum vel maximè in bellica dignitate præstare, & præsertim quum in pace Respublica ab annuis magistratibus commode satis gubernaretur, in bello autem quũ de salute ac libertate agitur, omnino deficiat, nisi vnius imperio saluetur. Proinde dicere possumus status Rerumpublicarum dimidiatos esse, vt ocij quietisque tempora magistratus gubernent, belli verò difficultatumque, Reges, Imperatorésve. Vicissim igitur imperabunt, vt de Castore & Polluce in fabulis dicitur. Alternis tamen vicibus imperare, tutum non esse veteres tragœdiæ docent, quę fratres grauissimis sæuissimisq; bellis inter se certã-

tes

tes induxerunt, & parricidijs monstrisq; horrendis sæuientes. Iniquum certè in Republica esse videtur, vt alij in pace & ocio publicis bonis sine periculo aut labore fruantur, alij autem in rebus trepidis atque aduersis per sanguinem & vulnera communem rem tueantur, & iniurias vlciscantur, & postquam rem fœliciter egerunt, ab ignauis illis ad reddendam impensæ pecuniæ rationem deposcantur, repetundarumque accusentur, & inuidi potius ac detractores in eos audiantur, quàm grati atque optimi ciues: vt maiori Aphricano contigit, qui tamen inuidiæ cedere maluit, quàm patriæ statum, quem restituerat atque instaurauerat, aliqua ex parte labefactare. Sed non omnes tanta animi præstantia affecti sunt, vt priuatam contumeliam atque iniuriam taciti perferant, quò patriæ nullum incommodum faciant. Ingratæ plebis repulsam impiis armis vltus est Martius Coriolanus. Et C. Cæsar vt obtrectatorum in se iniuriam vlcisceretur, patriæ libertati non pepercit. Pisistratus quoque dum contra æmulos à populo satellitum opem implorat, patriæ tyrannidem inuadit. Et sic duæ maximæ totius orbis terrarum vrbes à propriis ciuibus opprimuntur, quæ à tot externis bellis liberæ ac victrices semper extiterant.

Magnum etiam discrimen sæpe est, priuatis ciuibus militare imperium credere, quum id Regi iure optimo permissum salutare semper sit. Raro enim ciues qui fortes ac strenui in bello atque armis sunt, in toga ac pace quieti esse possunt. Testis sit C. Marius, cuius virtutes si cum vitiis conferantur, haud facile dictu erit, vtrũ bello vtilior an in pace perniciosior extiterit. Eam enim Rempublicam, quam armatus ab externis hostibus seruauerat, togatus deinde per ciuilem seditionem euertit.

C. Marius militia vtilis, domi perniciosus.

O

Obedientiæ ac beneuolentiæ munera imprimis ciues omnes Regi præstare debent.

TIT. IV.

Obedientia natura generosæ munus.

DVo in primis præstare debent Regi quicunque parent, obedientiam scilicet, & beneuolentiam. Obediendi virtutem Plato naturæ generosæ munus esse putat, & optimæ institutionis officium. Hæc debetur Regibus, parentibusque, & omnibus his qui per naturam aut per legem dominantur. Quam qui pretermitunt, in maximum crimen incidunt: nam & rei maiestatis sunt, & rerum ordinem peruertunt: in quos si quando Principes sæuiant, neutiquam admirandum est. Desinant enim tunc esse Principes, quum hi qui parere debent, mandata spernunt, nec dicto audiunt, sed imperata detrectant. Quinetiam si segni quadam clementia mitiores lentioresque in vlciscendo eiusmodi facinora Reges Principésve fuerint, inuitant alios dum hæc tolerant, ad multo deteriora scelera. Nam confestim in vnum cõspirant, & soluti legibus, atque omni imperio, sibiipsi præscribunt quemcunque volunt, Regemque ex eorum sententia omnia agere compellunt, vt quondam Mossini Asiæ populi fecerũt, qui cæsa omni regia sobole Reges suffragio eligebant, & eos in vinculis & arctissima custodia asseruabant, vt si quippiam præter eorum voluntatem egissent, inedia ac fame plecterentur. A quibus deinde magnus Alexander, huiusmodi facinoris vindex, grauissimas pœnas exegit.

Mossini.

Luculli successio qualis.

Graue fuit Lucullo, in bello quod iam contra Tigranem ac Mithridatem penè confecerat, à militibus sperni, & Pompeium successorem suscipi, vel accersiri potius per conspirationem, quasi ille ad victoriam a se partam accederet, ambitiosè admodum à militibus aduocatus. Sed difficillimum esse Plato ait iis hominibus imperare, quos prospera fortuna extu-

tmulit:& ex contrario facile esse ijs leges imponere, qui aduersis casibus deprimerentur. Acceperat Lucullus Fimbriæ exercitum nimia licentia in luxuriam libidinemq; prolapsum & illum disciplinæ militari subegerat: verùm milites postquā eius ductu ex manubijs ac præda ditiores facti erant, præ victoria exultabant, & ad pristinam illam insolentiam redire cupiebant: Hæc quū perpeti nequiret optimus Imperator, nonnullos grauiter delinquētes mitissime coërcebat, consiliaq; nòn ad voluptatem, sed ad virtutem ac frugalitatem redigebat. Hinc multitudinis odium contraxit, & per conspirationem cōplures (obedientiæ censura relicta,) liberius in dies exultabant, donec Pompeio accersito Lucullum per calumniam destituerunt. Sunt qui scribant eundem etiam Pompeium apud Pharsalum ideò infœliciter pugnasse, quòd milites durioris ceruicis refractariosq; habuerit. Nam Domitius Aenobarbus Pompeium Agamemnonem Regem per ludibrium vocabat, & L. Aphranius illum detrectare bellum clamabat, quò diutius imperaret. Quibus rumoribus ille impulsus, occasionem ineundæ pugnæ non expectauit, & euentum manifestæ victoriæ amisit. Brutus quoque militibus suis prelium poscentibus, contra voluntatem suam ait: Pompeij magni instar ad pugnam compellimur militum imperio magis quàm nostro arbitrio pugnaturi. Eiusmodi prælia vt malis auspicijs inchoata sunt, ita pessimum etiam exitum habuerunt.

Quædam magnæ Arcadiæ vrbes desertæ à ciuibus destituæque sunt, & ad vastas solitudines peruenerunt propter Principum sæuitiam, qui ex contumacia & inobedientia ciuium malè eis conciliati extiterunt.

Verè profectò à Clearcho Lacedæmoniorum Rege dicebatur, oportere milites in re bellica Imperatores suos magis quàm hostes ipsos metuere. *Clearchus.*

Solicitudinis & vastitatis dominus esse videtur Rex ille, cui ciues non obediunt, nec eius dicto auscultāt. Hic similis est Ptolemæo illi, qui primus Cyrenis regnauit. Nam quum per oratores mortuo fratre in *Ptolemæus.*

Aegypti regnum accitus esset, omnia parricidijs sæuitiaq; miscuit, & populum omni immanitate ac scelere adeò fœdauit, vt cõspiratione facta cuncti ciues cum cõiugum liberorumq; agminibus fugam simul arriperent, solumq; Regem cum pauculis suis in tanta vrbe quanta est Alexandria, relinquerent. Rex verò quum se vacuarum ædium ac vastæ solitudinis Dominum esse cerneret, edicto peregrinos ac conuenas aduocabat. Interea populus Romanus gentium victor ad inspicienda sociorum regna (ne quid iniustè ageretur) tres oratores misit, viros quidẽ clarissimos, Scipionem Aphricanum, Spurium Mummium, & L. Metellum. Quibus Rex quum obuiam proficisceretur, ex corporis habitu & vestitu ridiculus admodũ fuit. Erat enim statura pusillus, vultu deformis, ventre obeso, & sagina totius corporis præpingui, sagina toq; sui quàm homini similior. Hanc corporis fœditatem pellucidæ vestis subtilitas tenuitasq; tegebat, per quàm pudenda tegendaq; membra inspiciebantur. Hi oratores obiurgatum grauiter Regem monuerunt, vt deinceps rectius ageret: aliter Romanorũ arma expectaret, & eiectos omnes ciues patriæ restituerunt, suaseruntq; vt in officio perstarent, polliciti que sunt Regem non nisi quæ iusta atque æqua essent imperaturum, eumq; victurum non ex suo arbitrio, sed Romanis legibus.

Romanorum legati ad Ptolemaeum.

Non dissimili inclementia Harpalus Cyri Regis præfectus Phoceam Asiȩ ciuitatẽ quondam vexauit: qua ex re populus vniuersus eum destituit, & in Italiam classe trasmisit, cuius pars in Lucania desedit, Veliamq; vrbem condidit: pars autem altera in Viennensi prouincia Massiliam statuit. Sed ad propositam rationem redeo. Regnum amisisse videtur, quicunq; Rex obedientiam amisit. Quam quidem seruabit morum dignitas, & iustitiæ, atque æquitatis obseruantia.

De beneuolentia ciuium erga Regem.

TIT. V.

Homo animalium ingratissimum.

PArs altera quæ Regi à ciuibus debetur, beneuolentia est, quam per solam virtutem Reges sibi conciliant, & per honestas actiones hi qui parent, eorũ qui imperant gratiam assequuntur. Est siquidem naturalis quædam obligatio omnium mortalium, vt eos diligant, à quibus gubernantur, quod non modò in hominibus cernitur qui rationis compotes sunt, verũ in mutis animalibus, quæ nullum cum ratione commercium habent. Xenophon tamen Socraticus ingratissimum omnium animalium in rectorem suum hominem esse sentit, quãdo nullum aliud animal insidiosum est ei à quo alitur, nec fructus abnegat, pręter hominem. Laudanda est igitur lex illa Atheniensium, quæ in seruitutem reuocat ingratos libertos, dicente Domino: *Esto seruus, quoniam liber esse nesciuisti.* Oues, opilionis sui vocem sequuntur, sues autem subulci. Compertos esse sues (ait Plinius) quum abigerentur, audita suarij voce, merso nauigio quo vehebantur, inclinatione vnius lateris ad propria stabula remeasse. Cicurem ceruam candidam Q. Sertorium comitatam legimus, quam ipse etiam fatidicam esse in exercitu fabulabatur. Anseres nutritores suos adeò amant, vt quasi sapere & intelligere videantur. Omitto vigilem custodiæ diligentiam, quàm defensio Capitolij testatur, etiam silentibus canibus. Est enim anser animal pauidum, & auditu acerrimum. Hoc enim natura ipsa præscribit, vt quo timidiora animalia sunt, eo diligentiora ad custodiam habeantur, quando metus optimus custodiendi sit artifex. Ita quoque anser perpetuò comes Lacydi philosopho adhæsisse dicitur, vt nusquam ab eo discederet, neque in publico, neque in balneis, non noctu, non interdiu digressus.

Seruus sit qui liber esse nescit.

Cap. 51. lib. 8.

Cerua Sertorij.

Anserum solertia.

Metus custos optimus.

Ex Plin. cap. 22. lib. 10.

Pessimè quidem cum his ciuibus agitur, qui ciuitatis rectorem non diligunt, neq; contenti sunt præsenti rerum statu, sed mutationem semper quærunt.

Nec admodum bene cũ illis agitur, qui re sua familiari nimiũ delectantur. Negligunt enim reliqua omnia, & tam Reipubl. quàm amicis ac necessarijs inutiles habentur. Odio tamen maiore digni sunt illi, q aliena curãt, sua autem neglectui habent. Hi postquam inopes per ignauiam ac desidiam facti sunt, in eos qui publica munera gerunt, oblatrant, vel ad ea non vocati accedunt: qui aut à Principibus coërcendi sunt, aut vbi Principis mandata refugiunt, extrudendi. Rectè enim in eos illud Maronis conuenit.

Geo.4. *Ignauum fucos pecus à præsepibus arcent.*

Persarum regnum. Regem omnes venerari debent, & augustè sanctéque obseruare. Regnum Persarum diuturnum fuit, & imperium suum multo tempore longè latéque propagauit, nullam aliam ob virtutem hominum (vt ait Isocrates) nisi quòd Persæ præter omnes alias nationes regalem maiestatem singulari veneratione coluerunt. Nec mirandum est Magnum Alexandrum postquam illos subegit, eosdem honores optasse, quos Regibus suis etiam ignauissimis præstare consueuerant, ne putarent Reges illos suos veteres diuinos fuisse, se autem terrenum hominem, néve se indignum ducerent, qui eis imperaret, & sic nouis rebus studerent. Nec sapienter Egelotus mihi egisse videtur, quum exclamabat. *Hunc Regem agnoscimus, qui si Iouis filium salutari iubet, & Philippum patrem dedignatur? Actum est de rebus nostris, si hæc perferre possumus. Nos homines solùm, sed numina etiam despicit, qui postulat Deus haberi.* Non ignorabat Alexander se mortalem esse hominem, & Philippi Regis filium: sed vt barbaros quos vt inuaserat magis dicto obsequentes haberet, eorum superstitionibus adnuebat: claréque dignoscebat nonnullos, quos clariore militia extulerat grauiter illius imperium per æmulationem obtrectationemq; ferre: vnde in Meleagrum, qui in eum in cœna liberius quàm par fuerat, loquebatur, nihil aliud respondit, nisi quòd subridens ait: Inuidus homo sui ipsius tormentum est.

Prudentius suis consuluisse mihi visus est Demades orator, qui nolentibus Atheniensibus diuinos hono-

honores Alex. decernere ait: *Videte viri Athenienses, ne dum cœlum Alexandro negatis, terram ei vestram tradatis.* Hæc adulatio, vt Reges ac præstantissimi viri Iouis filij dicerentur, non in solo Alexa. extitit, sed in compluribus etiam alijs. Nam (vt Aulus Gellius scribit) poëtæ Iouis filios appellarunt, plerosque viros prudentia ac fortitudine excellentes, vt Herculem, Aeacum, Minoa, Sarpedona: ferocissimos autem, & immanes, quasi ab omni humanitate alienos, tanquam è mari genitos, Neptuni filios dixerunt, vt Cyclopa, Cercyona & Læstrigonas. Multum tamen inuidiæ contraxit Alexan. ex hac barbarica adoratione, quæ (vt aliqui putant) ei causam necis præbuit. Multorũ enim animos ab eo alienauit, adeò vt Macedones ipsi audita eius morte, non vt ciuem, & tantæ maiestatis Regem illum fleuerint, verùm quasi amisso grauissimo hoste exultarint. Sed paulo pòst diuersis iactati casibus, didicerunt gloriam Macedonum à Philippo inchoatam, cum Alexandro cecidisse. *Alexandrum extinctum. Macedones nõ fleuerunt.*

Ferendi igitur sunt Principum mores, nec pro modico malo plurima bona perdenda sunt. Omnis Græcia Reges summopere venerata est. Legimus enim Lacedæmoniorum Regibus ne in pugna quidem obuios hostes manus temere afferre ausos, sed reti cedere potius consuesse.

Verebantur etiam aliqua ex parte Duces Imperatoresq; Messenij. Hi contra Achæos graue bellũ gerebant. Achæis imperabat Philopœmenes, Dux sciẽtia rei militaris, & omni virtute clarissimus: sed dũ suos fugientes in prælium reuocat, prolapso equo in subiectam foueam præcipitatur, & à concurrente hostiũ multitudine capitur: omnes tamen tanti ducis nomine commoti, manus abstinuerũt, nec quispiam ausus est eum interficere, sed in carcerem ductus paulò pòst veneno enectus dicitur, ne quis etiam hostium imperatorio sanguine pollueretur.

Sanctitatem etiam Regibus inesse prisci sacerdotum libri testabantur: & sanè sacris quoque ceremonijs initiati erant: eorumq; auspicio sacrificia sacræque operationes fiebant. Vnde Romani quòd Regib.

carerent, præfectum sacrorum Regem vocabant, ne regium auspicium in eorum sacris deesset. Venerabimur itaque Reges vt à Deo electos: & vt sacris cæremonijs mysterijsque initiatos, sacros sanctosque esse putabimus.

Cur nonnulli magis à Regibus diliigantur quàm alij.

Tit. VI.

QVERVNTVR nonnulli ciues quòd quum summa obseruantia Principes suos venerentur, ab illis tamen minus diligantur. Quibus fortasse satis esset respondere ex Aristotelis sententia dicentis: *In re amatoria amator nonnunquam queritur, quòd ipse præter modum amans non ametur, non intelligens forsitã se nihil in se habere quod amore dignum sit.* Sed possumus etiam mitius respondere, dicentes Regem se habere ad ciues suos veluti sol se habet ad subiecta ædificia, quæ quidem eodem lumine pariter illustrat, sed ea illustriora videri quæ plures, ac patentiores habent fenestras. Sic Rex subiectos omnes pari studio cõplectitur, illi autem clariores esse videntur quorum ingenia per virtutem ad res gerendas magis idonea esse cernuntur. Nec tamen inficiandum est quosdam ex syderum benignitate aptiores ad gratiam ineundam esse, quod Diogenes Stoicus affirmat. Additq; astrorum ratione prædici posse, quali quisque natura, & ad quam maximè rem aptior futurus sit: idq; omnes veteres astronomi testantur, & Nigidius Figulus clarè edocuit. Præterea nostræ sydera natiuitatis inter se conuenientia, congruentes etiam inter se animos producunt, quod non modò Hipparchus Bithynius, & Eudoxus, & Plato, & alij plures ex eadem disciplina testantur, verùm etiam Hesiodus, Aratus, & plerique etiam alij veteres poetæ affirmant: quos imitatus Persius, quũ ad Cornutum scriberet, ait: *Astrologiæ certitudo.*

Non equidem hoc dubites, amborum fœdere certo

Con-

Consentire dies, & ab vno sydere duci:
Nescio quod certe est, quòd me tibi temperat astrum.
Sin verò hæc astronomorum ac poëtarum opinio minus placet, nonne assiduè cernimus vnum quemque mortalium, ex animi sui sententia aliquos eligere quibuscũ sedulò versetur? Certè, vt facetè ait Plautus, *etiam opilio qui alienas oues pascit, aliquam sibi peculiarem eligit, cui præter cæteras magis indulgeat.* Non erit igitur mirum, Regem ex omni hominum numero aliquot seligere, cum quibus familiariter versetur, quibus arcana sua consilia & secretiora tutò credat. Nec id iniquo animo reliqui ciues ferre debent, cùm id sibi etiam indulgeri velint, vt sine inuidia cum suis amicis versentur.

Non esse inuidendum illis, quibus Reges ac Principes arcana sua committunt.

Tit. VII.

Atqui fortunæ eorum minimè inuidendum puto, quibus Principes arcana quędam atque altiora consilia sua committunt, tum quòd nihil difficilius est (vt inquit Chilo Lacedæmonius, qui vnus è septem Græciæ sapientibus habitus est) quàm secreta credita tacito silentio reticere: tum etiam quòd eadem pluribus commissa, aliena culpa aliquando produntur, & eum quoque suspectum reddunt qui tacuit.

Prudenter itaque egit Philippides comicus poëta. Nam cùm propter morum grauitatem, vitæque integritatem Lysimacho Regi gratissimus esset, roganti eum quandoq;, vt aliquid à se peterer ex his quæ præstare posset, respondit: *Nihil aliud ô Rex abs te peto, nisi vt nihil secretorum tuorum mihi credas.* Nouerat enim vir prudens, quanto periculo occulta Principum seruentur, & quàm multis exitio sæpe fuerint. Proinde cauendum omnino esse ducebat, ne sibi princeps arcana sua crederet: & id pro magno munere habebat. Pompeius iunior magni Pompeij filius Theodorum

Regis arcana securè vitæ fugienda.

libertum suum miserabiliter peremit, veritus duntaxat ne commissa ei secreta alicui proderet.

Ille timendus erit semper, semperq; verendus,
Quem scis scire tuas omnes maculasq; notasq;:

vt ait Lucilius satyrorum nostrorum antiquissimus.

Q. Curtius de fide & taciturnitate Persarum.

Persæ (vt Q. Curtius refert) *arcana Regum mira celabant fide: Non metus, non spes elicere vocem potest, qua produntur occulta. Vetus enim disciplina, Regum silentium vitæ periculo sanxerat. Lingua apud eos grauius castigabatur, quàm vllum aliud probrum. Nec vllam rem agrius sustineri ab eo credunt, cui tacere graue sit, cùm linguam membrorum omnium facillimam ad lapsum natura esse voluerit.*

Hispanorum taciturnitas.

Hac secretorum taciturnitate non caruerunt veteres Hispani, quos sæpe tormentis immortuos pro silentio rerum creditarum testatur Trogus Pompeius: adeò illis fortior taciturnitatis cura, quàm vitæ.

Hoc loco monendi sunt hi quorum fidei Principes secreta committunt, vt nihil magis formident quàm illa prodere: quod quidem crimen parum admodum à perfidia distat. Quicunque non reticendi secreti suspecti sunt, nullam à Principibus gratiam assequi possunt. Fidem enim ac taciturnitatem à seruis in primis domini expetunt, vt Terentianus Simo à seruo suo exigit. Licet itaque alijs virtutibus affluant qui apud Reges sunt, si sola taciturnitate carent, inutiles sunt, & hoc vitio virtutes reliquas obscuriores reddunt, hoc poëtæ ostendunt in ea fabula quam de Tantalo scribũt, quem sitientem in medio aquarum faciunt, & impendentia ori suo poma neutiquam attingentem. Apud inferos enim ob hoc dãnatus hac pœna perpetuo dicitur, quod credita sibi Deorum secreta vulgauerit. Iure igitur à poëta illo dicitur,

Damnauit miserum garrula lingua senem.

Neque

Neque etiam inuidendum est illis quos Reges in consilium adhibent.

TIT. VIII.

NEque etiam inuidendum illis est, quos dubijs in rebus reges consulunt. Fit enim plerumque, vt Principes secunda quęque fœlicitati suæ tribuant, aduersa autem consilijs eorum quos rebus gerendis adhibent. Tutius itaque ducendum est dicto aliorum parére, quàm consilium afferre. Eos enim qui parent, idem exitus manet, idemque periculum, quod reliquos omnes. Qui verò suadent, proprium sibiipsis parant discrimen, & exitum à fortuna expectant. Verè seruus ille apud Plautum ait: *Plus oportere scire seruum, quàm loqui.*

Sunt etiam inuidi qui in domibus Principum semper aluntur, & subitam aliorum fœlicitatem toruis oculis intuētur, omnesque quibuscū illi paulò familiarius versantur, odio habēt & diffidentes virtutibus suis, magno ingenio viris semper obtrectant: omnesque quib. pares virtute esse nequeunt, inuidia ac maleuolentia prosequuntur. Hi consiliorum euentus expectant: qui si fœlices extiterint, fortunam Principis laudant. Sin secus auctores sentētiæ criminantur, eosque callidos versutosque esse dicūt, & non rebus Principis, sed sibi ipsis consulere.

Multa & quidem præclara gessit Alcibiades, atque vtinam temperantior moderatiorque extitisset. Athenienses enim omnes virtute ac rerum gestarum gloria excelluisset. Sed sæpe ex virtute plus inuidiæ quam laudis contraxit, & nunc æmulis suadentibus, Athenienses ei humanam opem interdixerunt, & contumelijs, probris, execrationibusque eum affecerunt, nunc in in cœlum laudibus extulerunt, & honoribus muneribusque, præmijs, precibusque explerunt. Et qualis in eum fortuna erat, talis etiam ciuium aura ipsum prosequebatur. Sed qui ei æmulabantur, tantam ciuibus de illius calliditate opinionem persuaserant, vt omnia

ab eo minus prosperè gesta, non fortunæ, sed illius culpæ imputarent, quasi ei fortuna obsequeretur, aut quid opus facto esset præscriberet. Itaque ipse qui prudens admodum erat, quum in patriam tandem reuocatus esset, concionareturq; ad populum, leniter quidem de exilio suo conquestus est, deinde calamitates omnes quas tulerat, in aduersam fortunam iniquumque fatum suum contulit, in obtrectatores autem suos nihil locutus est, ne vulnera, quæ nondum cicatrices obduxerant, recrudescerent.

Tutiores igitur partes in principis aula habent, qui imperata facessunt, quam illi ipsi qui imperant: hi enim vtcunque res sese habeant, ex præcepto se egisse excusant, isti autem vix calumniam euadere possunt. Rem itaque suam modestè agere, in omni rerum statu tutissimum iucundissimumque esse statuo, dummodo citra iniuriam viuere liceat. Longè enim facilius est, ocij quàm negocij rationem reddere.

Fugiendas Principum aulas Diogenes Cynicus docuit ad Aristippum scribens: *Satius esset* (inquit) *olribus vesci, quàm Dionysio inseruire.* Et rursus Cratero roganti vt ad se accederet, honorificè moderaturus secum imperij sui habenas, respondit: *Salem Athenis lingere malo, quàm tecum opiparis dapibus semper vesci.*

Mordacior fuit Diogenes, sed multa interim scitè ac comiter dicebat, & hoc pręcipuè, cùm aiebat illos rectè sapere, qui se crebrò dicerent velle ad Regem accedere, & tamen nunquam accederent. Qua quidem sententia docet regios familiares multis periculis obnoxios esse, neque omnes fœlices existere, qui regia purpura, regioque auro rutilant.

Longè etenim melius sibi rebusque suis consuluisset Callisthenes, si ad Alexandrum nunquam accessisset, & libertate siue licẽtia loquẽdi, inter æquales ac condiscipulos suos, nõ inter Reges ac purpuratos vsus fuisset. Non enim miserandas pœnas in cauea, vt ferum aliquod animal dedisset.

Prudentius egit Lacydes Cyrenæus, qui nuncijs ac literis accersitus ab Attalo Rege vt ad se acce-

PAGINATION INCORRECT

cederet, quum multa magnifica ei polliceretur, & amicitiam societatemque in rebus gerendis, respondit se gratias peringentes Regi habere: se tamen ad eum neutiquam accessurum, quandoquidem philosophi, vt picturæ & imagines, eminus non comminus videndi essent

Hæc non eo consilio dico, vt doctos atque eruditos viros à Principum consuetudine atque amicitia absterrere velim, sed vt ostendam, inuidos assentatores, adulatoresque in Regum Principumque aula esse cauendos: & vt ciues quoque omnes moneam, ne eis inuideant qui apud Reges agunt quod illis gratiores sint, sed illos potius honore afficiant, ac beneuolentia prosequantur: nec subitam illorum fœlicitatem toruis oculis inspiciant, vt plerique consueuerunt, sed virtute atque obsequio nitantur, vt parem Principis indulgentiam ac gratiam assequi mereantur.

Nec priuandi sunt optione qui imperant, ne eos inter multos eligant, quos velint alijs præficere, & quibus beneficia atque immunitates conferant, quũ vnicuique patrifamilias liceat quemcunque velit in familiam suam accipere, & donis muneribusque afficere: & præsertim quum Regum consilia potiora sint, nec diuino nutu carent: & quæ ex illis admirationem aliquam præ se ferre videntur, occulta certè aliqua ratione promantur.

Alexander quum regnum Sidoniæ inuasisset, statum rerum perturbatum offendit. Erat enim inter nobiliores potentioresque magna super regni successione altercatio. Obierat siquidem Rex, nullo regiæ prolis superstite, neque ipse decedens quempiam instituerat. Proinde omnes Alexandrum orabant, vt optimum aliquem sibi præficeret Regem, qui iustitia & æquitate omnes regeret, & intestinæ seditioni finem præscriberet. Annuit se id facturum Alexander, si prius diligenter indagasset quis diademate inter eos dignissimus esset. Occurrunt ei quidam nobilitate se præferentes, alij dignitate, alij peritia rei militaris, alij consilio ac virtute, alij opibus & poten-

Sidonij ab Alexandro Regem expetũt.

potentia. Quibus omnibus diligenter inſpectis, Abactionum quendam Sidoniæ Regem deſignat. Erat autem Abactonius vir grauis, & integer, ſtudijs bonarum artium eruditus, omni virtute præcellens, ætate maturus & formæ dignitate conſpicuus, ſed adeò inops, vt operam ſuam ſedulo oblocare conſueſſet ad aquam ex puteis hauriendam, hortoſque irrigandos, vt vitam miſerè exigeret. Hic vt primum Rex conſtitutus eſt, tanta virtute, tantaque animi excellentia emicuit, vt omnes liquidò intellexerint ſub palliolo ſordido ſapientiam ineſſe poſſe, & Regum conſilia à ſummo Deo manare. Nam magna cum iuſtitia atque æquitate diutius regnauit: & ſedatis diſcordijs, ciuium beneuolentiam adeò contraxit, vt viuus admirationi extiterit, & poſt obitum filios ac nepotes longa ſerie reliquerit regni ſui ſucceſſores. Ferunt deinde interrogatum Alexandrum à familiari quodam ſuo, cur olitorem hunc inopem, & ſine vlla maiorum commendatione ſpretis tot opulentiſſimis ac nobiliſſimis viris Regem conſtituiſſet, reſpondiſſe: *Nec generis aut potentiæ id, non dantis munus eſſe arbitraretur.*

Alexandri reſponſum.

Reges, ac magnos viros ſyderibus adiuuari.

TIT. IX.

HIPPARCHVS, quem propter magnam rerum cœleſtium peritiam veteres diuinorum conſiliorum compotem eſſe putauerunt, ſyderum cognationem quandam cum Regibus & magnis optimiſque viris putabat, & animum eorum in nouas ſtellas poſt emerita humanæ vitæ ſtipendia conuerti arbitrabatur. Huius tamen ſententiæ primi adſtipulatores, vetuſtiſſimi poëtæ extiterunt, qui maximorum virorum nomina poſt eorum obitum quibuſdam ſyderibus dabant, vt qui putarent illos in aſtra, aut ſtellas tranſlatos eſſe, & cum numinibus æuo ſempiterno frui: & ſic cœlum omne Regibus illis retulerunt, quos iuſtè imperaſſe arbitrati ſunt, & optimè

optimè de hominibus meruisse : quorum primos Cretenses fuisse aiunt : Cœlum, Saturnum, Iouem, & alios, quibus cœli mundique imperium fabulose tradunt. Hoc Diodorus Argyræus testatur, quum ait: *Iouem post obitum in Deum translatum dicunt, quia quum regnaret, omne studium in puniendis sontibus, bonisq; remunerandis impendit, populorum quoque vtilitati semper insuluit. Proinde eum Iouem appellauerunt, quòd benè viuendi hominibus caussam præbuisset.*

Hanc opinionem secutus est populus Romanus Augusto celebrante Veneri genitrici ludos. Nam quũ stella crinita apparuisset, spectatores omnes clamauerunt, animam C. Cæsaris à numinibus in cœlum suscipi. Scribunt enim perempto Cæsare circa solem circulum rubri coloris cum totius penè anni pallore continuo apparuisse.

Magnas Regum ac Principum res sæpe numinibus ac cœlo teste præsagiri certum est. Trallibus in templo victoriæ subito enatam palmam sub Cæsaris statua ante Pharsalicam pugnam, multi scriptores testantur, quæ quidem futuræ victoriæ manifestum indicium dedit.

Sic etiam Octauio primùm post Cæsaris mortem Romam intrante vt hæreditatem adiret, stella cum sole tota die visa indicauit illum fœlicissimum Imperatorem fore.

Nonnunquam etiam maxima bella syderibus portenduntur, vel horrendo aliquo cœli signo, vt quum Philippus Macedo Græciam inuasit cœlum sanguinea specie horrendum apparuit, quo nihil mortalibus terribilius vnquam visum fuit.

Terrificum quoque sydus emicuit antequam Pompeius & Cæsar in Pharsalicam aciem concurrerent. Alijs etiam modis Reges atque Imperatores à numinibus sæpe monentur. Cyro antiquiori inter quietem visus est sol ante pedes esse: verùm ipse ter frustra conatus est manibus appetere; deinde quum se conuerteret, sol elapsus abijt. Hoc somnium quum ad Magos relatum esset, responderunt, triginta annos Cyrum regnaturum, sicque per tripli-

triplicem appetitionem portendi, quod ita contigit. Nam ad ſeptuaginta annos peruenit, quum quadraginta natus regnare cepiſſet.

Deiotarus Rex propoſitum quoddam ac conſtitutum iter ingreſſus, redijt admonitus aduerſo aquilæ volatu, & conclaue illud, vbi manſurus erat, proxima nocte corruit.

Etruſci aruſpices conſulti an prælium in Perſas ineundum eſſet, reſponderunt ex Tarquinianis libris in titulo de rebus diuinis relatum eſſe, quòd ſi ce in cœlo viſa committi pręlium vel ſimile quicquã non oporteret. Sed cùm eis minus fides adhibetur, infœliciter pugnatum eſt, & Imperator Iulianus lethali vulnere transfixus perijt, vt Ammianus Marcellinus ſcribit.

Cicero Cælium ſcripſiſſe ait Hannibalem cùm columnam auream, quæ eſſet in fano Iunonis Laciniæ, auferre vellet, dubitaretque vtrum ea ſolida eſſet, an extrinſecus inaurata, perterebrauiſſe: cumque ſolidam inueniſſet, ſtatuiſſetque tollere, ei ſecundum quietem viſam Iunonem prædicere, ne id faceret, minarique ſi id feciſſet, ſe curaturam vt eum quoque oculum quo bene videret, amitteret, idque ab homine acuto non eſſe neglectum. Itaque ex eo auro quod exterebratum eſſet, buculam curaſſe faciendam, & eam in ſomno columnæ collocaſſe.

Imperium Octauij nonne ex inſomnio prædictum eſt. Comitabatur Cicero Cæſarem in capitolium proficiſcentem, & priſtinæ noctis ſomnium comitibus fortè narrabat, puerum facie liberali demiſſum cœlo aurea catena, ad fores Capitolij conſtitiſſe, eique Iouem flagellum tradidiſſe: deinde repentè viſo Octauio, quem ignotum adhuc pleriſque auunculus Cæſar ad ſacrificium acciuerat, affirmauit ipſum eſſe cuius imago ei inter quietem obſeruata fuerat. Hæc viſio poſt Cæſaris obitum recitata à Cicerone Senatui populoque Romano, effecit vt Octauius ante tempus conſul deſignaretur. Sed quum cerneret deinde

Cicero

Cicero Octauij mentem à Republica alienam, imperioque intentam, & proinde Antonio adhæsisse, exclamauit in Senatu, Rempublicam à se delusam, qui illum ex insomnio Iunonium puerum dixerat, & ad Octauium scripsit cum magna loquendi libertate elegantem epistolam, cuius initium est: *Si per tuas legiones mihi licitum fuisset venire in Senatum.*

Nunc verò ad propositam rationem redeo, atque assero Hipparchum non imprudenter putauisse syderum cognationem quãdam cũ Regibus ac magnis viris esse, & Rom. Senatum optimè egisse, qui bene de hominum genere Imperatores meritos post emeritã vitæ stipendia diuos appellasset, vt qui arbitraretur locum relictum eis in cœlo esse, vt cum diuis æuo sempiterno fruerentur.

Regna quoque, & imperia sæpe à numinibus prædicuntur, & futuri Reges, atque Imperatores ab ipsis incunabulis, à maximis plerumque periculis saluantur. Cyrum legimus vt primùm in lucem editus est, alitibus ferisque fuisse expositum, & tamen diuino nutu seruatum, & à fœta cane vberibus educatum: Sicut conditores vrbis Romæ à Lupa, & Abidus à Cerua.

Sæpe etiam futuri Principum mores diuinitus portenduntur. Phalaridis tyranni mater quum in ventre eum gestaret, visa est secundum quietem videre Mercurium patera, quam dextera teneret, sanguinem fundere, qui statim ferueſceret, adeo, vt tota domus sanguine redundaret, quod quidem somnium diram Phalaridis immanitatem ostendit.

Agrippinæ Neronis matri consulenti imperaturus ne esset filius, responderunt Chaldæi, fore vt imperaret, sed matrem occideret, quibus illa: *Occidat,* inquit, *dum imperet.* *Agrippinæ vox.*

Scriptum est etiam in veteribus Romanorum historijs, Tarquinio prisco regnante, masculini sexus genitale ex igne emicuisse subito: & quum illic sederet Ocrisia vna ex ancillis Tanaquilis reginæ forma conspicua, se tactam exclamans, repente grauida apparuit. Ita Seruius Tullius natus est, qui regno dein-

de successit. Sed quum in cunis cubaret, confestim ei caput exarsit, quo viso Tanaquil, quæ futurorum præscia habebatur, exclamauit puerum esse alendũ, vt qui ex eiusmodi ostentis magnus admodum futurus portenderetur. Creditumque illum Laris familiaris filium esse. Proinde compitalia, & ludi Laribus primùm instituti sunt.

Præscij etiam Reges & Imperatores diuinitus nonnunquam fiunt, quo loci quóve letho perituri sunt. A Chaldæis Alexander monitus est imminere ei fatum, si ad Babylonem accederet. Et Cæsari Spurina vates prædixit, idus Martias ei fatales esse. Et quum iam aduentassent, Cæsar per iocum ad illum ait: *Ecquid scis idus Martias iam venisse?* tum ille: *Ecquid scis illas nondum præteriisse?*

Iulianum quoque Cæsarem Hetrusci vates monuerunt, vt Phrygiæ locum caueret, si sibi, suisque cruentam mortem euitare vellet. Fato quisque suo functus est, quum minus peritorum monitis fidem habuerit.

Concludendum profectò erit, regios ortus atque obitus, & regia consilia, regiasque electiones Deum semper præsidem habere. Parebunt idcirco Regi ciues omnes, quasi diuino numini, & eos quos elegerit, honore & amore prosequentur: vt per illos etiã, si quando vsus sit, maiorem apud Regem gratiam inire valeant.

Ciues de virtute certare debent, & nobiliores ne ab obscurioribus virtute vincantur.

TIT. X.

CErtabunt inter se ciues de virtute: qui clariores erunt genere, omni studio nitentur vt præcellentiores euadant, ne ab obscurioribus superentur. Qui enim nullis maiorum meritis commendantur, propria virtute niti debent vt nobiliores illos præuertant. Nam quanto humiliores sunt genere, tanto maiore virtutis splendore illustrentur oportet. Nec pulchrum est ciues inter

inter se de diuitijs pecuniaq; certare. Quod quidem docuit Aristides, qui cognomento iustus appellatus est. Nam Callias vir prædiues ac fortunatus, per opulentiam non per virtutem priores in Republica partes sibi deposcebat, & Aristidem quem præ inopia contemnebat, quasi in certamen prouocabat. Cui ille responsum afferebat, se longè magis inopia gloriari æquum esse ducere, quàm Calliam maximis illis diuitijs: quum inueniantur complures, qui diuitijs in deterrimos vsus abutantur, pauciores autem qui in optimos conferant: ipse autem eiusmodi vir sit, qui paupertatem æquo animo ferat. Quocirca non sibi paupertatem probro obijciendam esse, quæ nisi his quibus inuitis obuenit, indecora esse non potest, aut his qui rem suam turpiter prodegerunt. Atqui ex his rebus quæ magnum virum Aristidem mihi fuisse indicant, hæc vel sola esse videtur, quòd quum diutius Princeps Reipublicæ extitisset, & tot præclaras res domi militiæq; gessisset, post eius obitũ adeò inops inuentus fuerit, vt propria impensa efferri nequiuerit, & duæ eius filiæ, quæ ei superstites extiterant, publica etiam impensa nuptui traditæ sint.

Hoc idem Epaminundæ Thebano vsu venit, qui quum patriam bellica gloria illustrasset, quæ ante eum non victorijs, sed cladibus insignis erat, adeò pecuniarum contemptor fuit, vt sumptus etiam funeris ei defuerit, nisi publica pecunia suppeditaretur.

Agrippa quoque vir tanti nominis ac dignitatis apud Romanos, quum decessisset, præ inopia publica etiam impensa elatus est.

Et Mummius qui Achaiam vicit, & Corinthum euertit, omnemq; Italiam signis ac tabulis impleuit, in tanta inopia decessit, vt facta rerum omnium auctione, integram filiæ dotem non reliquerit.

Paupertas per seipsam nihil turpitudinis habet, nisi per vecordiam, ignauiam, inertiam, desidiam, intemperantiam luxuriámve contracta fuerit, tunc enim probro ac turpitudini est obnoxia. Eleganter Plautus ait:

Piaculum est nos misereri hominum rem suam male gerentium. In maximis autem viris, & in his qui solertes atque industrij sunt, quique in Republica, vel apud Reges, Principésve in rebus arduis cum gloria ac laude versantur paupertas testimoniũ virtutis, & animi magnitudinis afferre videtur. Quicunque enim magnis functionibus intentus, virtuti laudique indulget, quæ honesta sunt quærit, non autem quæ vtilia. Proinde nunquam animum in res humiles atque infimas deflectit, nec alicuius rei se vnquam indigere putat, quum non modò sibi, sed multis alijs, consilio, auxilioque semper adsit. Non igitur admirandum est, Aristidem, Epaminundam, Agrippam, Mummiũ, Fabium Maximum, Lysandrum Lacedæmonium, & plerosque alios illustres in obitu fuisse inopes, quum in eorum vita respublicas locupletauerint, regna atque imperia auxerint, populos tutati fuerint, & compluribus diuitias erogauerint, & ipsi quoque cum gloria ac dignitate semper vixerint.

Ciues solertes & industrij esse debent.

TIT. XI.

HAec de paupertate non eo consilio dixi, vt velim ciues ab industria atque honestis artibus abducere: sed eos monendos hortandosque esse duco, vt bonis artibus insudent, quibus se familiamque suam modestè alere possint, & in temporum difficultate Principi ac Reipublicæ adesse.

Videndum tamen est, ne iniustum studium quærendæ pecuniæ ciues decipiat, ex quo non diuitias, sed odia plerumque assequuntur. Fœnora, vsuræ, versuræ, & inhonestæ omnes conditiones pactionesque execrandæ sunt, & pœnis supplicijsque coërcendæ. Neque enim permittendum est, vt paucorum immensa vorago multorum patrimonia absorbeat. Conspiratio sæpenumero inopum, & rerum exhaustarum necessitas, causas innouandarum rerum præbuit:

buit: vt Romæ priscis illis temporibus, quibus plebs pressa ære alieno, & fœneratorum improbitate exagitata, nomina militiæ dare, & imperata exequi detrectans, in Ianiculum secessit, & inde à Q. Hortensio Prisco dictatore magnis pollicitationibus deducta est. Nec vera mihi videtur Galbæ Cæsaris sententia, qui dicere solebat, nullos hominum minus metuendos esse, quàm qui de solo victu cogitarent. Verius Lycurgus, qui pauperem, & sine laribus longè magis in Republica timendum esse iudicabat, quam diuitem & insolentem. Et Silius poëta ait:

Est deforme malum, & sceleri procliuis egestas.

Dura quidem consilia eorum sunt, qui pro quærendo pane consultant. Cato senior in maxima annonæ caritate blandam præter naturam suam orationē ad populum habuit, cuius initium fuit: *Difficile est, Quirites, ad carentem auribus ventrem verba facere.*

Formidandam inopum ac famelicorum multitudinem in commeatuum difficultate, multi Imperatorum senserunt, & in primis Octauius qui in maxima frumenti caritate, quum populus Romanus inedia premeretur, infestante Sexto Pompeio Magni Pompeij filio vniuersum mare, & plebis tumultus vndique surgeret, occurrit compluribus rixantibus, paucis satellitibus stipatus, & rationem querelæ à multitudine exposcebat. Turpiter primo irrisus omnibus contemptui fuit. Deinde quum minabundis verbis plebem compellare pergeret, iactis in eum telis repulsus est, nonnullis etiam ex commilitonibus cæsis. Cui Antonius cum multis militibus subuenit, & ab imminenti periculo liberauit, eumque intra domestica penetralia trepidum redegit: neque ante plebi reconciliatus est Octauius, quàm pulso ex Sicilia Sexto Pompeio, tanta frumenti copia exuperauerit, vt nullum murmur super inopia oriretur.

Appius quoque Clodius quum imperaret, & propter sterilitates arctior annona esset, in medio foro à turba detentus est, & conuitijs clamoribusq; infestatus fragminibusq; etiā panis appetitus, adeò vt paulatim non nisi per posticum euadere potuerit. Scitè

Lucanus poëta : *Nescit plebs ieiuna timere.* Nec minus periculum est in re militari, quàm intra muros. Milites Iuliani Cæsaris consumptis frugibus extremam famem timentes, illum probris incessabant. Græculū, ac fallacem vocantes, & specie sapientiæ stolidum, à quibus quidem in eum insultātibus vix euadere potuit. Extrema quidem fames nonnulla horribilia, & dictu aspectuque fœda mortalibus suadet, quæ vix credi possunt.

Cæsar in commentarijs suis scribit Gallos Cimbrorum, Theutonumque bello obsessos, fame atque inopia rerum omnium adeò ad extrema compulsos fuisse, vt corporibus eorum qui per ætatem ad bellum inutiles videbantur, vitam tolerauerint, ne se hostibus traderent: idcirco malesuada fames ex veteri sententia dici potest. Præclarè Silius, *Rabidi ieiunia ventris insolitus adigit vesci.* Sed ad institutum redeo. Quærant opes ciues ex honesto lucro, & neminem circumueniant, aut dolo capiant, neq; iniuria aut vl aliqua afficiant.

Vtile erit si ciues cognoscant Regem omnia scire velle. TIT. XII.

Optimum quidem erit, si omnes ciues intelligent se neutiquam Regem posse celare, vt qui solers & industrius sit & rebus omnibus, vel per se vel per alios adsit. Destinet itaque aliquando Rex homines quosdam, vel humilitate ipsa cauendos, ad colligendos hominum rumores, & populi querelas, qui ei deinde referant quæ audiant quæque videant, vt facilius rebus omnibus agnita veritate consulere possit. Deterrimæ sunt ciuium actiones, quas ij occultas Regi esse student. Nam ea omnia quæ rectè agunt, ad illum perferri cupiunt, tanquam ad spectatorem ac iudicem clarissimarum actionum. Atqui nunquam tutè agere possunt, qui crimina ac scelera occultant: sed qui ab illis omnino abstinent, pœnas euadunt. Semper enim terretur, qui testem ac iudicem formidat. Nihil profectò diutius homines latere potest. Optimè poëtæ

veri-

veritatem temporis & memoriæ filiam esse fabulantur, vt ostendant verum esse quod sacerdotes Aegyptij crebris sermonibus vsurpabant: Alius de alio iudicat dies, supremus autem de omnibus.

Inter præclaras Principis virtutes hæc præcipua habetur, vt multa à diuersis etiam hominibus scire velit, ne si paucis auscultet, ex illorum arbitrio rem gerere videatur.

Probro obijciebatur apud Romanos illud: *At tu ex commentario magistratum geris.* Quod quidem in eos dicebatur, qui non proprio iudicio, sed alieno præscripto imperabant. Talis fuit Vitellius Cæsar, qui obliuiscebatur se Imperatorem esse, nisi ab alijs moneretur. Talis fuit & Iouinianus Cæsar, q. cibo, vino, somno, Venerique indulgens, nihil aliud ex imperatoria dignitate curabat. *Iouinianus Cæsar.*

Qua ex re nocte quadam exanimatus inuentus est ex colluuione ciborum ac crapula, vt omnes penè opinati sunt, quum nullum violentiæ aut morbi vestigium extaret.

Velit igitur omnia intelligere optimus Princeps, ne à paucis illis qui cariores sibi sunt decipiatur, sed in ignoscendo deinde sit clementior. Vera est enim sententia illa Domitij Aphri, qui ait: *Princeps qui omnia vult scire, necesse habet multa ignoscere.* *Domitij Afri sententia.*

Magna atque assidua diligentia in audiendo fuit M. Antoninus cognomento Pius: ad eum siquidem aditus omnibus patebat. Non fortuna, non inopia, non deformitas aut ætas quempiam excludebat. Et comitijs frequenter indefessè ad noctem vsque semperaderat, nec antè è curia discedebat, quàm Senatus dimitteretur, dixissetque consul. Nihil amplius vos moramur, patres conscripti. Is tamen indulgentissimus mitissimusque semper extitit.

Ciues, diuersos Principum mores ferant oportet.

TIT. XIII.

Ferant etiam oportet ciues Principum diuersas naturas, variosque mores. Nemo enim omnium mortalium in omni æuo vnquam inuentus est, cui omnia suppetant, quæ ad omnes vitæ actus pertinent, quippe semper agat quod iustum rectumque sit. Bene itaque dicebant veteres neminem esse, qui omnibus horis perfectè ac pleno pectore saperet. Cæsar ambitionis incessitur, sicut Alexander temulentiæ, Pyrrhus subiti consilij, Hannibal ambiguæ fidei, Fabius lenti certaminis, Marcellus affectatæ pugnæ. Et sic quisque magnorum Principum aliquid in se habuit, quod mutari in melius potuit. Sed pro multis commodis parua aliqua incommoda æquo animo ferenda sunt, quando non omnia possumus omnes, vt pastor ille apud Maronem ait.

Mylasa vrbs Cariæ, de qua Plin. cap. 29. lib. 5.
Ex Strabone lib. 14.

Mylasa vrbs quondam fuit opulentissima, duobus Iouis templis illustrata, & optimis Reipublicæ institutis nobilitata, in ea eodem tempore duo oratores principatum tenebāt, Euthydamus, & Hybreas. Euthydamus perutilis erat Reipublicæ, sed violentus admodum, ac difficilis toleratu, ad quē Hybreas dicere solebat Euthydame, malum es ciuitati necessarium. Nam tecūm molestè viuimus & sine te viuere non possumus. Idē in morosiorē Principem ciues oēs dicere possunt, & difficiliora quædam tolerare debent, ne necessaria quęque amittant. Macedones Philippi, Alexandrique morte lætati sunt, vt qui maiestatem splendoremque duorum Regum, á quibus aucti atque illustrati fuerant, non cognoscerent: Postquam verò varios fortunæ casus pertulerunt, & truculentos crudelesque tyrannos passi sunt, illos ipsos, quos paulò antè oderant, desiderabant, & eorum virtutes, animi magnitudinem, ac rerum gestarum gloriam animo metiebantur. Tum quos ab inferis reuocare non poterant, non solùm humanis honoribus honestabant, verùm

templo

templo, ara, ac diuinis sacrificijs venerabantur.

Athenienses quoque, qui diutius illorum ambitionem odio habuerant, & qui eos hostes atque infensos tulerant, eisque victi succubuerant, eorum quoque desiderio non modo afficiebantur, sed vehementer etiam flagrabant, & præcipuè quum Antigoni sæuo indignoque seruitio vexarentur. Meminerant quidem quàm facilè potuissent illorum hostilem iram placidiorem mitioremque reddere, vt qui excelsioris animi ac spiritus essent, & inuicti ac generosi Reges.

At verò Antigonus crudelis, impius, sæuus, inexorabilis, aspectu fœdo, facieque deformi, & cum altero oculo captus esset, longè deformior videbatur, victu quoque atque vestitu nihil inter alios excellebat, adeò vt non Rex sed vix satis idoneus Regis satelles esse videretur. Attamen fossorem quendam Phrygem fuisse legimus, qui audita Antigoni morte, in agello suo multò altius solito fodere incepit, tum altitudinem scrobis vicinum eius quempiã admiratum, rogasse eum, ecquid quæreret: tunc illum respondisse, Antigonum se quærere, non tamen quòd bonus fuisset Rex, sed quòd in omni vita sua deteriores semper prioribus Principes succedere meminisset. *Antigonus.*

Noscant proinde ciues, Reges suos dum viuunt, & illorum virtutes admirentur, ne post obitum eos desiderent, quos viuos laude ac gloria fraudauerint. Vera est enim vetus sententia, qua dicitur: *Plerique hominum hoc ingenio præditi sunt vt non antè bona sua dignoscant, quàm eadem protinus amiserint.* Hoc populo Rom. cernimus quondam contigisse, qui fractus paucorum auctoritate, Tiberium & Caium Gracchos bene de se meritos malè defendit, verùm deinde cæsos ac trucidatos adeò desiderauit, vt deiectas illorum imagines restituerit, nouasque erexerit, & in his locis in quibus cæsi fuerant, sacella duo ædificauerit, in quibus quotidie sacrificia fierent, conueniretq; procumbens multitudo, vt in aliorum Deorum templis moris erat: & sic capita illa, quæ non puduit Opimium

consulem pari repenso auro licitari, diutius desiderata sunt, & inter numina venerata.

Actiones Principum ab omnibus iudicantur.
TIT XIV.

Conditionem Principis, hi qui parent vel in hoc antecellere videntur, quòd eis longè facilius est vnius viri sententiæ obsequi, quàm tam multis tamque diuersis voluntatibus inseruire, vt Princeps ipse compellitur, cuius actiones in medio positę omniũ iudicia subire coguntur. Neque eis satis est paucorum approbationem habere, nisi assensum vulgi etiam consequatur. Ea enim imperia tuta ac diuturna sunt, quæ totius populi auram colligunt. Nihil tamen instabilius populo est, quem poëtæ fluctuanti ponto similem faciunt, qui compescendus est, & veluti exultans equus firmissimis habenis regendus. Nec permittendum est, vt quisque agat quod velit, sed quod iustum æquumque sit, vt si vlterius quippiam cupiat, id assequi nequeat. Licentia quidem agendi quod quisque velit, ingenitæ hominibus cupiditati habenas laxat, & prauitati calcaria subdit, nec expectandum est, vt audacia longius serpat, sed vt primùm exoritur, sedanda atque opprimenda erit.

Nemo ab initio magno aliquo facinore statum rerum perturbare audet, sed leuissima quædam tentat, quæ vbi successerint, quasi remota custodia grauissima quædam magna cum audacia aggreditur, & quasi rapidissimum flumen disiectis obicibus omnia sternit.

Demosthenes Atheniensis summus ille orator quũ in exilium profisceretur, arcem Athenarum suspexit, & altiore voce dixisse fertur: O Pallas *vrbium custos, cur tribus truculentissimis belluis delectaris, noctua, dracone, & populo*? Quibus verbis populi leuitatem præcipuè accusare videbatur. Sed per hæc tria signa, quæ

Deæ

Deæ tribuuntur, qualis Princeps esse debeat, declaratur, vt vigil, prudensq; sit & populum fautorem habeat. Noctua quidem (vt cernimus) vigilantissima est, & noctu semper excubat. Draco autem peracri acie oculorũ omnia circunspicit, vigilatorq;, quod etiam eius nomen indicat, δέρκειν enim est cernere, & acutè intueri. Idcirco à doctissima vetustate ædiũ sacrarũ, adytorũ, templorum, thesaurorumq; custodia draconi assignatur. Sed noctuæ Athenis plurimę sunt, adeò vt in vetus prouerbium, γλαῦκα εἰς ἀθήνας κομίζειν transiuerit, hoc est noctuam Athenas portas: quo prouerbio Cic. in epist. vtitur, quum dicere vult, *rem quam habes, tibi affero.*

Noctuam Athenas portas, ad Q. fratrem lib. 2. in fi.

Ciues vt bene conciliati sint Principibus, studere debent. TIT. XV.

STudeant præterea ciues, vt optimè semper Principi suo conciliati sint: hoc etsi per virtutem præcipuè comparetur, tamen per bonas artes maximè adiuuatur. Studia disciplinarum cũ vitæ honestate coniuncta, homines præter cætera omnia Regibus Principibúsve commendant. Eiusmodi enim viri non modò sibi ipsis honori atque vtilitati sunt, sed etiam ciuib. suis & vniuerso hominum generi. Alexander potitus illa victoria, non solùm vrbi ac ciuibus pepercit, verumetiam eis maxima beneuolentia indulsit, ductus honoris obseruantia, cuius studiosissimus semper extitit. Lætabatur siquidem loca quædam oculis cernere & propria eorum nomina ab indigenis audire, quorum diuinus ille poëta Homerus meminerat. Nicias verò & Demosthenes Atheniensium Imperatores bellum Syracusanis terra marique inferebant: his Lacedæmonij Gylippo exercitui imperante, auxilio aderant, & diu quidem vario marte pugnatum fuerat, tandem verò Atheniẽsium exercitus succubuit, & adeò profligatus extitit, vt ambo Imperatores caperentur, militumque pars maxima trucidaretur, donec Nicias ad genua Gylippi prouo-

prouolutus, lachrymis ac precibus impetrauit, vt reliqui occidioni subtracti miserã seruitutem agerent. Pessimè enim Athenienses à Syracusanis habebantur. Nam alij per lapidicinas distributi sunt, quorum pars magna morbo aut inopia victus perit: alij ad colẽdos agros ducti, alij inusta caracteris nota in frõte venundati. Insolenter admodum hac victoria vsi sunt Syracusani, vt qui neutiquam dignoscerent longè præstantius esse moderatè victoria vti, quàm vincere. Euaserunt tamen nonnulli, qui studijs literarum dediti, Euripidis tragici amici auditorésve fuerant. Magno enim in honore erant apud Siculos illius poëtæ versus, adeò vt precium subitæ libertatis proponerent captiuis illis, qui ex eis aliquid recitarent. Domini itaque seruos illos libertate donabant, à quibus aliquid ex Euripide didicissent. Qui deinde Athenas quũ redijssent, gratias Euripidi (qui tunc viuebat) quam maximas agebant, quòd per illius tragœdias salui ac liberi euasissent, & reduces in patriam redijssent. Porrò exercitatio rei militaris, in his qui animi virtute, & corporis robore præstant, secundum disciplinas gratissima Principibus semper esse solet. Vera enim est Galbæ Cæsaris sententia, qui dicere solebat, optimum esse milites deligere, non autem emere. Tunc autem Principes militem emunt, quum ex ciuibus suis non habent quem describant, & exercitum conducere coguntur. Mercenarij militis fides ex fortuna pendet, qua inclinante ad hostes, plerumque etiam ipsi spem atque animum eò inclinant.

Classe Carthaginensium apud Aegates insulas à C. Luctatio Catulo Romanorum consule superata, statuerunt Carthaginenses pacem cum populo Romano inire, remque Hamilcaris, qui cognomento Barcha dicebatur, imperio permiserunt, qui tandem multis sermonibus vltro citroque habitis, pacis cõditiones à Catulo consule accepit. Qua quidem conciliata milites qui contra Romanos militauerant, ad numerum circiter viginti millium nouandarum rerum studio à Carthaginensibus desciuerunt,

& con-

& constitutis inter se ducibus, Vticam, Hipponem, & pleraque alia oppida ad defectionem compulerũt, vrbemque ipsam obsederunt. Quibus malis Pœni perterriti auxilium à Romanis paulo antè hostibus impetrarunt. Huic bello Hamilcarem Imperatorem præfecerunt, cuius tanta virtus illuxit, vt hostes à mœnibus repulerit, oppida, quæ defecerant, restituerit, & mercenarios milites eò compulerit, vt locorum angustijs clausi, plures ex eis fame quàm ferro perierint. Qua ex re tantum laudis assecutus est Hamilcar, vt omnium sententia patriæ saluator diceretur. Quo nunc exemplo facile est intelligere, quãto tutior præstantiorque sit propria ciuium nostrorum manus, quàm externa militia. Proinde gratum Principibus esse debet, ex his quibus imperant, militiam scribere, & eosdem in tenera ætate diligere, vt domestico præsidio regni fines tueri possint, exemplo Magni Alexandri, qui triginta puerorum millia non sub lanistis aut mangonibus, sed sub veteranis ac Reipublicæ magistris futuræ militiæ erudiendos tradiderat.

Honestam deinde mercaturam exerceant sine fœnore ac vsura & sine mendacio ac vanitate ex qua se familiamque suam optimè alunt, multis prosunt, & in difficultatibus temporum Reipublicæ adsunt, grati etiam Principibus sunt, & post doctos viros, reique militaris ordinem, in quibus maior nobilitas est, tertium locum tenent. Sic artifices omnes, qui vel ciuitatem ornant, vel rebus necessarijs adiuuãt, chari etiam habendi sunt. Tyrum Phœnicum vrbem artes plurimum extulerunt. Ea purpuram optimã habuit, & quæcunque ad vestes inficiendas attinent. Sidon autem eiusdem regionis vrbs maxima ac vetustissima, artibus compluribus fuit nobilitata, vt Homerus testatur. Memphis autem Aegyptia tenuitate telarum alijs omnibus præstitit. Borsippa Babylonica vrbs Apollini & Dianæ consecrata maximum lini vsum habuit præter alias omnes finitimas vrbes. Qui verò Veneris libidinumque ministeria præbent, hi omnino exagitentur. Tiberius Cæsar vel in hoc sal-

Mercatores. *Artifices.* *Tyrus vrbs Phœnicia.* *Sidon.* *Memphis.* *Borsippa.*

tem

tem laudem meruit, quòd popinas ganeasque inhibuit, vt ne etiã opera pistoria proponi venalia sineret. Sic à Nerone interdictum quoque est, ne quid in popinis cocti præter legumina & olera vaeniret.

Agricola. Agricolas quidem, quorum ars vltra reliquas omnes necessaria est (alit enim ciuitatem vniuersam) magna beneuolentia Principes complectantur oportet: & ex illis quum militiæ delectus habebitur, describant. Sunt enim robustiores corpore, & facilius labores bellicos tolerant, quàm ciuilis iuuentus, quę in vrbanis vmbraculis delitescens, delicijs plurimum profluit. Testis sit C. Marius homo rusticanus, qui durus ac pugnacissimus fuit, & omnium Romanorum Imperatorum ad octogesimum vsque annum militarium laborum patientissimus. *C. Marius.* Rusticus etiam in Hispania fuit Viriatus, & primò quidem pastor, deinde venator: & quum latrocinijs regionem omnem infestaret, magnam latronum (qui vndique ad eum concurrebant) manum cõtraxit, qua paruo tempore Lusitaniam omnem inuasit. Mox contra Romanos vario marte quatuordecim annos bellum gessit, nec vnquã collatis signis deleri potuit. Postremò autem consilio L. Scipionis subornatis quibusdam proditoribus perijt. *Ventidius Bassus.* Ventidius quoque B[illegible] primò quidem mulio fuit, mox autem ad tantam fortitudinis laudem peruenit, vt Imperator ab exercitu appellaretur. Ac deinde consul factus de Parthis triumphauit, cæso Pacoro Rege cum omni eius exercitu. Hunc Ventidium adolescentem cum alijs captiuis in triumpho Aesculano ante currum duxit Pompeius Strabo Magni Pompeij pater: *Pompeius Strabo.* & deinceps tam præclarus euasit in re militari, vt amissa signa consularia, quæ Parthi Crasso ademerant, magna victoria recuperauerit, Romamque triumphans aduexerit. Nec vllo bello Parthi vnquam maiorem plagam acceperunt: vincique potuissent, si Ventidio prorogatum imperium extitisset. Sed æmulorum in nouum hominem inuidia, plus Reipublicæ obesse potuit, quàm optimi Imperatoris virtus prodesse. Redeat nunc sermo vnde fluxit. Subiectos quidem omnes paterna quadam in-

indulgentia Reges complectuntur, sed eos magis diligunt, qui Reipubl. vtiliores sunt, illos autem odio habent, quos præ ignauia ac desidia inertes cernunt, nec sibiipsis, nec alijs ciuibus vtiles. Optima habenda est Aegyptia lex, quam Amasis tulit, vt Herodotus testatur, qua quisque singulis annis apud prouinciæ præsides nomina sua profitebatur, & qua arte viueret, edocebat: vt inertia pariter & incuria coërcerentur grauibus pœnis, industria autem laudis præmiū acciperet. Similiter Athenienses ignauos ac desides ciues veluti facinorosos puniebant. Proinde Areopagitæ quo quisque quæstu viueret, inquirebant, vt inutiles ciues extruderent.

Hebetis profectò ingenij est, & rudissimi cordis, atque hominis nec reddendæ nec accipiendæ rationis capacis, nullam ediscere artem, ex qua necessarium victum percipere possit, & putare se natum ad nihil agendum, & ad desidendum semper inter oscitantes atque ociosos. De huiusmodi hominibus id dicere possumus quod de sue dicebat M. Cato, naturam ei pecori animam pro sale dedisse, ne putresceret. Hic optimis Principibus gratus neutiquam esset. At posset fortasse Syrorum regibus placere, qui vt Dion refert, cum eunuchis & pellicibus clausi vitam agunt, neque in bellum, neque ad exercitum vnquam proficiscuntur. Vel gratus esse in Republica Thiberinorum, qui oram Asiæ fertilissimi feracissimique soli incolunt. Hi enim semper ociosi feriatique sunt, & rerum omnium curam ac diligentiam mulieribus permittentes, in lusu ac ioco summum bonum statuunt.

Suib anima pro sale data.

Syri Reges.

Ciues

Ciues in rebus anxijs Regibus adsint.

Tit. XVI.

IN rebus anxijs atque aduersis ciues omnes certatim Regibus semper adesse debent, & operam ac studium vltro polliceri. Optimè in obsequium animatus populus Principis vires auget, & illius animum alacriorem promptioremque reddit. Secundo populo Principes res magnas neutiquam aggredi ambigunt, aduerso autem semper formidant.

Euentus rerum taciti expectant illi contra quorū voluntatem res agitur: qui si aduersi fuerint, exultāt, & in auctores oblatrant. Sin verò secundi, fortunam sequuntur, & auctoribus adblandiuntur.

Aristides in Atheniensium senatu sententijs suis sæpe aliorum sententias præponebat, tum ne Themistoclem æmulum suum in contrariam opinionē prouocaret, tum etiam ne si quid præter sententiam accideret, in se culpa omnis intorqueretur.

Phocion quoque consilijs Leosthenis semper aduersari solebat: at vbi animaduertit rem per illum bene gestam extitisse, & exinde Athenienses maximè lætari, pœnitentia ductus, inquit: *O quam vellem, viri Athenienses, consilijs Leosthenis etiam sententiam meam adhibuisse.* Atqui si fortuna rebus illius fuisset aduersa, Phocion in illum non tam mitis atque æquus extitisset. Erat enim Phocion sæpenumero multitudini aduersarius: quod quidem ex Apollinis oraculo proditum est. Nam consulentibus Atheniensium oratoribus super statu Reipublicæ, responsum est, virum vnum in vrbe esse, qui à cæteris omnibus dissentiret. Tum clamantibus cunctis, virum hunc quærendum multandumque esse, audacter ait Phocion se eū esse, cui nihil placeret quod à populo fieret. Hac loquendi promptitudine quum plerique in risum conuersi essent, iudicium inuidiamque cunctorum euasit. Senatus Romanus ne tantum oneris subiret, declarandi hostis decernendiq; belli auctorem populum

pulum faciebat, ita quoque firmandæ pacis. Proinde sapientes Principes in rebus arduis populi sententiam scitari solent, quò minus fortunæ & multitudinis inuidiæ obnoxij sint, vtque cum multis onus maximarum rerum sustineant.

Iucundam Regibus esse gratulationem in rebus prosperis.

Tit. XVII.

IN prosperis verò rebus iucunda est etiã Regibus ciuium præsentia: gratulatio enim illa optimè animati populi indiciũ est, & animorum quædam reconciliatio, atque integratio. Ostendit enim gratulatio communem quandam spem, quæ animos beneuolentium e gaudio perfundit ex Regis fœlicitate. Quicunque enim Regi victoriam aut prosperos euentus non gratulatur, suspectum se reddit, & male rebus præsentibus animatum.

Cicero seram gratulationem nequaquam reprehendi oportere ait: vt ostenderet gratulationem non debere leui aura excitari nec vanis auditionibus moueri, sed nuntium veritatis expectare, qui exacta ad vnguem omnia referat: verè enim vulgo dicitur: *Claudus viator certiora refert quàm reliqui.*

Ad beneficia consequenda non est properandum à ciuibus, sed sensim accedendum, ne vtilitatis nostræ causa improbi nimis ac petulantes esse videamur. Importunitas poscentium plerumque molesta est, & benignitatem liberalitatemque dantis tardiorem reddit, ne petulantia potius coactus, quàm animi magnitudine liberalis fuisse videatur.

M. Crassus vir ille opulentissimus principio ætatis suæ auaritiæ crimine non laborabat, sed in omnes necessarios suos liberalior habebatur. Is quum locupletior esset, quatuordecim agri iugera singulis amicorum atque affinium dono dedit. Ex his autem

autem quidam plura etiam petebant, asserentes eadem illis neutiquam satis esse: quibus ille, cupiditatem nimiam eorum obiurgans, respondit, neminem parum possidere, qui ex annuis fructib. se familiamque suam honestè alere possit. Quæ tamen improbitas amicorum Crassum deinceps ex parco auarum reddidit. Eius quidem sentētia vera esse cernitur: *Cui non satis est, se & familiam suam annuis fructibus honeste alere, ei nihil satis esse potest.* Laborat enim cupiditatis vitio & inexplebilis omnino est.

Boni euentus simulachrum. Ex Plin l. 34 cap. 8 vltra medium. Euphranor statuarius.

Volentes veteres ostendere eiusmodi vitæ genus ad fœlicitatem proximè accedere, boni euentus simulachrum pingebant, quod dextera manu paterā, sinistra autem spicam ac papauer teneret. Talis imago Romæ fuit Euphranoris opus, vt ostenderent facilem somnum his obrepere, qui ex fructibus prædiorum suorum affatim alerentur.

Cauendum igitur erit ne nimia procacitas improbitasq; poscendi, liberalitatem benignitatēque Principum auferat, & illorum magnificentiam in parsimoniam conuertat. Auaritia enim (vt Aristoteles ait) magis à natura hominibus insita est: quàm effusio. Plures enim pecuniarum cupidi sunt quàm liberales. Senectus verò, inopia, & imbecillitas, parsimoniam semper suadent.

Gratias pro beneficijs acceptis, Regibus habendas esse.

TIT. XVIII.

Affecti beneficijs, ac muneribus à Regibus Principibusve, gratias illis perpetuas habere debent, hoc est in obsequium eorum semper parati esse. Non enim tanti sunt, vt parem gratiam referre valeant. Non fortè satis id esse putemus quod Deo ac parentibus fit, vt quando merita æquare nequimus, tantùm quisque præbeat, quantum præstare potest. Lycurgus in Lacedæmonia tenuissimas litationes statuit

statuit, quò facilius ex rebus promptis ac paratis sacrificare possent.

Socrates quidem Aeschinem discipulum magna diligentia erudiuerat, adeò vt iam in clarissimum philosophum euasisset. Itaque quum cerneret Aeschines nullum par precium tam præclaro sapientiæ præceptori se pensitare posse, ait: *O Socrates, equidē pauper sum, nihilque habeo quod pro tuis erga me meritis ac beneficijs exhibere valeam, me tamen ipsum tibi polliceor ac dedo nusquam defuturum.* Tum Socrates: *Non animaduertis,* inquit. *ò Aeschines, quàm multa & magna mihi tradis.*

Reges verò ipsi magnanimi etiam in accipiendo esse debent, & parua quæque munera ex dantium voluntate optimè, pro magnis accipere.

Persæ ex patrio more præclara munera Regibus suis iter facientibus offerre consueuerant. Artaxerxi inter eundum (vt Plutarchus ad Traianum Cæsarem scribit) vulgaris quidē operarius occurrens, quū nihil aliud haberet, ambabus manibus aquam è profluenti flumine haustam obtulit. Libenter admodum Rex accepit, risitq; cùm dantis promptitudinem metiretur, non autem rei datæ indigentiam, vt qui non minus regium atque humanum esse duceret, parua promptè grateque accipere, quàm magna liberaliter benigneq; largiri.

Vetustissimi poëtæ, & Hesiodus in primis, multis in rebus Reges similes dijs faciunt, & in hoc præcipuè, quòd quum maxima ipsi quotidie mortalibus elargiantur, paruo thure tenuique hostia contenti sunt. Sic Reges magna dando, parua autem accipiendo lætari debent.

Parthorum Reges sine munere nemo adire poterat. Hoc iniquum autem admodū extitisset, nisi parua quæq; munera læto animo pro magnis accepissent. Atqui sicut numina non aurum, neque argentum ab hominibus volunt, sed synceram mentem, liberamq; voluntatem: sic etiam Reges satis esse ducant, si ciues bene in eos animati sunt, dictis audiunt, & mandatis prompto animo obsequuntur.

Qui aurum argentúmve Principibus dono afferunt (vt ait Isocrates) non tam largiri quàm mercari ac fœnerari videntur. Id enim astutè agunt: donant, vt multo maiora scilicet consequantur. Proinde qui id agunt, vafri ac veteratores habendi sunt, non autem liberales ac benefici. Hac versutia ductus Zeuxis, quum iam opulentior nobiliorque ex arte factus esset, opera sua donare incepit, & Pana Archelao Regi largitus est, Alcmenam autem Agrigentinis, a quibus quidem maiora præmia accepit, quàm si eadem in auctione vendidisset. Ipse quoq; dicebat, se ideò opera sua donare instituisse, quoniam parem emptorem non inueniret, quippe quæ tanti essent, vt nullo satis digno precio compensari possent.

Sed angusti animi Princeps ille esse videtur, qui priuatorum munera expectat, quũ ille nihilo indigeat, & ab indigentibus dona accipiat.

Ita quoque qui aurum in templis ponunt, suam non numinum naturam ostendunt. Nam quum ipsi auari atque venales sint, diuinam gratiam auro licitari putant, & suo ex ingenio Deorum mores probant. Vetustissima olim simulacra ex ligno fuere, vt primùm illud Deli ab Erysichthone Apollini consecratum, quòd ligneum fuit. Sic etiam priscum Palladi quod Athenis erat. Et illud quoque Samiæ Iunonis, vt Callimachus ait. Peras qui primus Argolicæ Iunonis templum côndidit, ex pyri trunco imaginem Deæ fecit. Nefas quidem erat lapidem durissimum in effigiem Dei cædere. Aurum verò & argentum infœcundæ terræ morbos infœlicesque colores esse putabant. Hac opinione ductus Plato in libris de legibus non licere ait ex auro, argento, lapide, ebore, aliáve materia inanimata Deorũ simulacra sculpere. Persius verò Satyricus ille obscurior, aurum in templis esse conqueritur, quasi per illud exturbentur antiqui ritus. ac si nos putemus Deos auaros esse, vt homines sunt qui facile auro corrumpuntur, quum dij ab hominibus mentem bonam, non aurum aut argentum velint, quæ facilè modi-

Simulacra ex ligno.

Plato de legibus dia. 1

co

co farre litare valet. Eius poëtæ versus sunt:

Dicite pontifices, in templo quid facit aurum?
Nempe id quod Veneri donatæ à virgine puppæ.
Quin damus id superis, de magna quod dare lance
Non possit magni Messalæ lippa propago,
Compositum ius, fasq; animi, sanctosq; recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto?
Hoc cedo, vt admoueam templis, & farre litabo.

Nam perinde atque numinibus ne aurea quidem argenteaque munera grata sunt, sed mens bona, quæ careat culpa, & sit cōscia recti, vt in poëmatis nostris diximus: sic Reges quoque studia ciuium optare debent, & animos ad obsequendum promptiores. Persarum Reges obuiis mulieribus aurum dono dabant, viris autem sagittas & iacula: vt ostenderent fœminis frugalitatem ac parsimoniam curæ esse debere, viris autem rem militarem. Proinde singulis quibusque annis prœmia etiam proponebāt his, qui plures filios alerent, quò maior ciuium numerus militiæ adscriberetur.

Pœni Reges caput cæsi à se hostis offerentem, aureo poculo donabant. Pœnorum ductor quidam, qui cum Alexandro militabat, interfecti à se hostis caput præferens, munus patrio more poscebat, tum ridens Alexander, ait: *Reges vestri vacuum poculum fortibus viris tradunt, ego autem optimo vino plenum tibi propinabo*, memor (vt arbitror) Musæi illius vetustissimi poëtæ, qui fortibus viris apud inferos conuiuia disponit, in quibus coronati optimo vino perpetuò se ingurgitant. Quasi ebrietas grata fortitudinis sit merces.

Priuati verò ciues à Regibus Principibúsve alienis preciosa munera neutiquam accipere debent. Cyneas à Pyrrho cum ingentibus donis Romam missus, ciuem nullum inuenit, cuius domus muneribus pateret.

Turpe fuit Demostheni viro omnium Græcorum eloquentissimo, ab Rege Persarum aurum pecuniámve dono accepisse: nullaque res cum ma-

gis odium conflauit, quàm quod aduersus pecuniarum corruptelas minus fortis atque abstinens habebatur. Alijs in rebus præ ingenij magnitudine à plerisque Atheniensium magna beneuolentia complectebatur, & æmulis quoque suis admirationi erat: quod quidem ex hoc intelligitur. Pellebatur in exilium Demosthenes, vt plerisque claris viris Athenis contigit, eique crimini dabatur, quòd aurum dono ab Harpalo accepisset. Egressus non longo spatio vrbem, inimicis quibusdam suis fortè obuius occurrit, qui primò trepidus aliquantulum substitit; illi rectà proficiscentes, blandis placidisq; verbis eum compellant, consolantur, & officium viaticumq; singuli pollicentur. Ingemuit tunc Demosthenes, dicẽs: *Quonam pacto exilium æquo animo ferre possum, cùm ea vrbe trudar, in qua tales inimici sunt, quales amicos in alijs vrbibus difficile est inuenire?* Sed cum pro patria deinde se optime gessisset, mortuo Alexandro omnium penè ciuium consensu reuocatus est: missaq; est ab Atheniensibus longa nauis Aeginam vsque, vt eum reueheret. Cui obuiam profecti sunt sacerdotes & magistratus omnes festo cultu, & multitudo cuncta per sexum & ætatem disposita. Sed vt res mortalium fluxæ ac labiles sunt, non diutius patriæ commodis frui potuit. Nam afflictis Græciæ rebus, cum malè pugnatum ad Cranonem esset, Antipater & Craterus quasi præfecti præsidij in vrbem accepti sunt: qua ex re Demosthenes, & qui cum eo contra Macedones senserant, vrbe profugi capitis sentẽtia damnati sunt. Ad quos insequendos Antipater Archiam Tyrium tragœdum misit, qui cùm accepisset Demosthenem in Calabriã peruenisse, illuc se contulit, & Troëzenem concessit. Hæc vrbs Neptuno sacra, Posidonia, hoc est Neptunia olim dicebatur: iuxta eã in insula Caluaria templum Neptuni antiqua religione colebatur, ad quod fugientes, intacti inuiolatiq; erant. Illuc penetrauerat Demosthenes. Archias præsidio militum septus, templum violare neutiquam ausus est: sed illum verbis blanditijsque pellicere conabatur. Demósthenes autem illi nequaquam auscultans, venenum

quod

quod ad eiusmodi casus secum paratum habebat, ex calamo, vel (vt alij scribunt) ex anulo circulóve aureo sorpsit: & sic Antipatrum Archiamque execratus, veneni vi enectus est. Athenienses vt primùm per temporum difficultatem potuerunt, statuam ei publicè erexerunt, his verbis subscriptam. Si pares ingenio vires Demosthenes habuisset, nunquam Græciam subegisset Macedo.

Sed iam ad calcem præceptorum quæ ad subiectos pertinent peruenimus, quem aliquantulum supergressi sumus, memoria illius diuini oratoris illecti, qui sicut in dicendo aliquid ex eius imitatione fortasse virium nobis præbuit, si id aliqua ex parte assecuti sumus, sic etiam ex miserabili eius historia plurimum nos oblectauit.

Quæ præmia optimo Regi debeantur. TIT. XIX.

EXTREMO huius voluminis loco dicendum erit, quæ præmia optimo Regi debeantur, quæve ipse expetere aut expectare possit. Quæ quidem trifariam sortienda, sunt vt partem ciues ei præbeant, partem ipse sibi statuat, partem vero omnium maximam à Deo Optimo Maximo expectet.

Optimi Regis præmium, quod pro rectis actionibus expectare debet ab his quibus præest, sola est gloria, & honestus honor, qui à multitudine hominum & diuersis populis celebratus, in rumorem primò, deinde in famam illam crescit, quam neutiquam omnino aboleri Homerus sentit, sed præsentem Deam fieri: eius versus eiusmodi est ex Iliados 10. *Præmium Regis.*

Ἀλλὰ μέγα ῥέξας τί καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι.

id est: *Immo facinus insigne peregit, ipsa etiam quod posteritas exaudiat.* Illud quoque.

Fama animus populi diuinæ illabitur inquit.

Quinetiam doctissimi veteres ingenia illa præclara esse putauerunt, quæ gloriæ studio atque æmulatione inuitarentur. A multitudine laudari omnes optant, & id quidem duce natura. Hinc illud Ouidij Poëtæ:

Laudataq; virtus
Crescit, & immensum gloria calcar habet.

Sed vera laus illa haberi debet, quæ à laudato viro proficiscitur. Præclarè Hector apud Næuium quum à Priamo laudaretur, ait: *Gaudeo abs te laudari pater laudato viro.* Quasi præclarã laudem eam tantùm esse putet, quæ ab his manat qui & ipsi cum laude vixerunt. Cicero ad Catonem scripsit: *Et si non modò vnus, verum etiam multi Catones essent in ciuitate nostra, in qua vnum extitisse mirabile est, quem ego currum, aut quam lauream cum tua laudatione conferrem?*

Epist fa. lib. 15. epist. 6.

Principem gloria alendum esse, idem auctor in libris quos de Republ. scripsit, testatur: & eam veram gloriam esse dicit, quæ ex laude rectè factorum magnorúmque in homines meritorum proficiscatur, non modò optimorum virorum iudicio, sed multitudinis etiam testimonio comprobata.

Hanc quoque à sapientibus expetendam esse cõplures philosophorum sentiunt, vt quæ virtutis, laborum, periculorúmque quasi merces quædã esse videatur. Qua detracta, quid esset quod in tanta rerum fortunæque varietate, exiguóq; vitæ spatio nos ad labores periculáq; impelleret? quisque otium & quietem potius, quam negotium laboremque sequeretur. Quis studijs literarum insudare, aut duras longásq; itinerationes obire vellet, ne dicam militiæ labores, discrimináque subire? Quis non beatiorem eum dicat, qui domi ociosus residet, quàm qui longas peregrinationes sequitur? Inter hos claram sententiam tulit Claudianus, quum ait:

Erret, & extremos alter scrutetur Iberos,
Plus habet hic vitæ, plus habet ille viæ.

Hæc sententia numinis iudicio probata fuisse priscis seculis creditur. Gyges quondam opulentissimus omnium Regum in vniuerso terrarum orbe ha-

be habebatur, & cum de fœlicitate ambitiosus esset,
Delphicum oraculum consuluit, quisnam omnium
mortalium fœlicissimus esset, cui responsum est, A-
glaum Psophidium omnes alios fœlicitate anteire.
Erat autem Aglaus vir optimus, qui in angustissimo
Arcadio angulo paruum agellum colebat, annuis fru
ctibus vberem, satis victum suppeditantē, ex quo nū-
quam egressus, cùm tertiam ætatem ageret, nihil vl-
tra cupiebat, minimumque mali perpessus in omni
eius vita fuerat.

Sed redeat sermo vnde defluxit. Non modò ma-
gni viri, sed minimarum etiam artium opifices, lau-
dis studio accendūtur, à qua quidem extrudi iniquo
animo perferunt. Saurus & Bathrachus natione La-
cones, architecti ac statuarij fuerunt peregregij, qui
vt famam sui nominis propagarent, imperante Octa-
uio Aug. Romam concesserunt. Hi templum quod
Octauia vouerat, faciundum cum porticibus condu-
xerunt, in quo quidem opere quum diuites satis es-
sent, complura propria impensa, nequid præclaro o-
peri deesset, construxerunt, laudem solius inscriptio-
nis sperantes: verùm quum præ inuidia atque artifi-
cum æmulatione eis negaretur inscriptio, nec vllis
precibus eandem assequi possent, alio argumento il-
lam vsurparunt, in columnarum siquidem epistilijs
suorum nominum effigiem insculpserunt, lacertum
scilicet, & ranam, σαῦρος enim alter dicebatur, id est
lacertus, alter autem βάτραχος, quod ranam signifi-
cat, & sic se ab obliuione suscepti operis vindicaue-
runt. Puto hos artifices mutuatos fuisse inscriptionis
exemplar à Phidia, qui effigiem suam in clypeo Mi-
neruæ sculpsit, cùm non liceret ei nomen inscribere.

Sed maiorem admirationem mihi affert Q. Fabius
Pictor vir patricius, & pluribus dignitatibus in Re-
publica functus, ac etiam ex ea familia natus, in qua
consules, pontifices, dictatores, & triumphales plu-
res extiterant, vt qui gloria pingendi carere noluerit.
Nam quum parietes ædis Salutis pinxisset, nomen e-
tiam suum inscripsit, ne seipsum ab eiusmodi artis
laude defraudaret.

Studium verò gloriæ (quod non nisi in rebus arduis esse potest) Regibus, Principibus, magnoque ingenio viris magis quàm priuatis ac mediocribus conuenit. Optime Cic. cum de medio officio loqueretur, cauendam esse censet gloriæ cupiditatē, quippe quæ libertatem animi eripiat, pro qua magnanimis viris omnis debet esse contentio. Mediocres enim ciues dum gloriæ student, animum submittunt, multitudini obsequuntur, ex alieno iudicio semper pendēt, nihilque aliud nisi popularē auram captant, qua nihil in rebus humanis tam instabile ac fluxum inueniri potest. Reges autem ac Principes suis opibus suaque potentia nituntur, proinde si gloriæ studiosi sunt, id ab animi virtute manare videtur. Insidet enim cogitatio quædam in eis, quæ dies ac noctes eos famæ stimulis concitat, atque admonet, vt non cum vitæ terminis nominis sui memoriam interire patiantur, sed cum omni posteritate adæquandam putent. Et hæc est ratio illa quæ efficit, vt magnus quisque vir studio laudis trahatur, & gloriæ cupiditate incendatur, qua quidem breuitatem vitæ posteritatis memoria consolatur, & pericula laboresque omnes subeundos putat, dummodo laudis gloriam assequatur. Famæ siquidem cupiditate ductus optat, vt sempiternus de eo sermo inter omnes celebretur. Proinde cernimus nonnullos, qui quum negligentius laudis gloriam à populis Principibúsve acceperint, aliquid dignitatis quasi suo iure sibiipsi vendicant, vt fecit Duillus ille, qui primus Romanorum omnium Carthaginenses nauali bello insigni victoria superauerit, qui sibiipsi sumpsit, tibicine cuius præcinente ad proprias ædes redire, quum ad cœnam ab aliquo inuitatus fuisset.

Officiorū li. 1.

Optima idcirco persuasio in Rege erit, gloriæ famæque cupiditas, qua quidem ad virtutem fit promptior, & vitia longè magis abhorret. Præclarè Aristoteles ait, Principem cui non satis est præmij, honor, & gloria, tyrannum fieri, quando voluptatibus & diuitijs inhiat, & ad rapinam iniuriamque conuertitur. Itaque populi omnes qui Regem, aut Principem debita

Pol. lib. 5.

bita laude atque honore defraudant, illum in ſęuitiã ac tyrannidem compellere videntur & à magnis ac præclaris actionibus abſtrahere. Teſtis Themiſtocles ſit, teſtis etiam Coriolanus, quorum vterque ingrati populi iniuriam paſſus, ad hoſtem ſe contulit, planeque edocuit, fortibus viris famã nequaquã eſſe negãdam. Negatus Cæſari triumphus, molẽ inteſtini belli concitauit, quem ſi ei conceſſiſſet Pompeius primũ, ipſe locũ ſemper in Republica tenuiſſet. Prudentius mitiuſq; cum eo egit Sylla, qui tunc maximus in Republica erat. Nam quum poſt recuperatam Siciliam triumphum peteret, negabat Sylla id ei deberi, tum quòd pro aucto imperio, non pro recuperata prouincia ex antiquo iure triumphus ageretur, tum quòd vix quinq;, & viginti annos natus eſſet. Tũc audentius quàm modeſtius Pompeius ait: O *Sylla, plures quidẽ homines ſunt qui orientẽ, quàm qui occidentem ſolem adorent*. Tum Sylla diſſimulans intelligere id in ſe dictũ eſſe, quando eius potẽtia ſeneſceret, illius autem adoleſceret, exclamauit: *Triũphato igitur*. Et deinceps Pompeiũ ſemper honore affecit: ei namq; priuato caput detegere, de ſella aſſurgere, equo deſcendere cõſueuit. Sed patris memoria Pompeiũ Syllę commendabat: eius quippe partes ſecutus pater, Marium & Cinnam vrbe expulit: & cum illos longius fugaſſet, nec quò ſe reciperet haberet, immineretq; ſubita tẽpeſtas, coruſco cœli fulmine ictus miſerabiliter perijt. Et hic fuit exitus Pompeij Strabonis magni Pompeij patris: cui quũ gratiam Sylla referre non potuiſſet, filio etiam optimè de ſe merito compenſauit.

Erga Cæſarem Pompeius nulla vnquam æquitate vſus eſt, idcirco à multitudine inſolẽtior habebatur, & præcipuè quum Antonio literas ad plebem dediſſet Cæſar, in quibus ſcriptum erat, vt ambo prouincijs decederent, exercitusque dimitterent, plebiſque iudicio ſe ſubijcerent, qua ex re multos in partes ſuas pellexit, & præſertim quum Pompeius conditiones omnes illas repudiaſſet.

Ipſe quoque Sylla ſi mitior aliquanto in Sertorium virum pugnaciſſimum extitiſſet, certè non defectio-

fectioni prouinciarum & longo ancipitique bello causam præbuisset. Nam quum quæstor Marsico bello peregregiè se gessisset Sertorius, confestim Romã rediit: & quum in theatrum spectandi gratia (vt moris erat) concessisset, totius populi plausu præ eius nominis magnitudine exceptus est.

Exarsit inuidia Sylla, & per factionem egit, vt quũ Sertorius tribunatum peteret, repulsam ferret. Qua indignatione ductus Sertorius Cinnæ adhęsit, & cõmissa in foro pugna, victor euasit Sylla. Cinna autem & Sertorius vrbe eiecti sunt. Sertorius itaq; Iberiam pulsis prætoribus occupauit: & Metellum qui contra eũ à Sylla missus fuerat, sæpe cum omni exercitu fudit fugauitq;. Sed mortuo Sylla, cum Senatui Metellus contra Sertorium non satis esse videretur, collega ei Pompeius mittitur, qui equestri etiam prælio ab illo superatus est, & Metellus obsessus ad famem compulsus. Sertorius verò semper in victorijs suis ad Pompeium & Metellum oratores mittebat, qui pollicerentur se positis armis in vrbem rediturum, si per illos id ei liceret, malebatque Romæ (vt dicebat) priuatus ignobilisque ciuis esse, quàm Imperator aliarũ ciuitatum nuncupari, cùm exul esset. At cùm ei nunquam placidè respõdissent, superior semper bellum in octauum vsque annum protulit. Nec aliter vinci potuit, quàm cùm per proditionem in conuiuio à Perpenna cæderetur. Sed quum paulò pòst eius testamenti tabulæ recitarentur, & Perpenna à Sertorio hæres institutus legeretur, omnium militum odium in illum exarsit, quippe qui vulgo dicerent Perpennam nõ in ducem, sed in auum, ac patrem fuisse proditorem. Cùm verò exercitus eius quasi cyclops ab Vlysse oculo orbatus videretur, Pompeius illum inuasit, profligauitque, & captum Perpennam antequã conspectui suo exhiberetur, trucidari iussit, vt pœnas proditi ducis lueret. Pompeius verò Sertorium tanti faciebat, vt primus omnium votiuos ludos voueri se exhibiturum, si illum superaret.

Quinetiam non solùm duces & Imperatores negatam laudem vlciscuntur, sed nonnulli etiam artifices.

ces. Clesides pictor ętate sua perillustris, ad reginam Stratonicem se contulit, eique artis suæ industriam pollicitus est: illa autem eum contempsit, nulloque honore dignata est. Artifex indignatus, voluptatem sub reginæ imagine quasi spirantem pinxit, quæ cū piscatore quodam luderet, faciē exprimente cuiusdam piscatoris, quem mutuo reginæ amore teneri rumor manifestus habebatur. Eam pictor tabulam nouam in Ephesi portu clam proposuit, & confestim vectis raptus abijt. Regina rem dissimulans, tabulam tolli prohibuit, quamuis vtriusque similitudo adeò appareret, vt ab omnibus vulgo dignosceretur. Sed redeo vnde digressus sum.

Principum laudes, populi nequaquam tacere debent, sed eas potius extollere, atque amplificare, meminerintque Aristotelem desiuisse laudem esse voluntatum & rerum gestarum ac verborum illustrium amplificationem, & eorum quæ desunt, accommodationem: vt intelligamus magnos viros nō esse pardè laudandos. Frigida enim laus, species quædam vituperationis est. Vnde idem philosophus vituperationem esse dixit clarissimarum rerum extenuationem, obscurarum verò exaggerationem. Nolim tamen vt qui de Rege loquuntur aut scribunt, ficta aut fabulosa narrent, sed vt veritati inhęreant opto, ne fidem sibi ipsis abrogent, reprehendanturque. Vt à Strabone Ctesias, Herodotus, & Hellanicus, & qui res Cyri & Alexandri scripserunt. Quos ad ineundam gratiam mentitos putat, & fabulam historiæ miscuisse, vt iucundius legerentur.

Hæc satis ad hanc primam partem honoris & gloriæ, quam præmij gratia ciues omnes optimo Regi præstare debent.

Quam sibi gloriam Rex ipse statuere debeat.

TIT. XX.

NVnc altera sequitur pars, qua quidem dicendum erit quam sibi gloriam Rex ipse statuere debeat, & qua in re collocanda sit. Amplissimum virtutis præmium, rectè facto.

factorum solam conscientiam sapienti viro cōplures philosophi putant. Hanc opinionem qui imitantur, dicunt gloriam nō esse expetendam, quandò eadem vltro virtutem sequatur, veluti in sole vmbra corpus comitatur. Laus enim sine conscientia actionum, vt plerunque ab adulatoribus fieri solet, nullum honestatis fructū habere potest. Est enim quasi vana quædam irrisio. At conscientia ipsa satis vberem mercedem habet, etiam si per inuidiam aut ingratitudinem gloria, fama, ac laude fraudaretur.

Illuc spectat sententia illa Bruti, qui ad Ciceronem scripsit: *Quid enim est melius, quàm memoria rectè factorū, & libertate contentum negligere humana?* Magnifica quidem sententia est, & clarissimis viris dignissima.

Quod præmium, quam gloriam à mortalibus maiorem ferre possumus, quàm scire nos rectè egisse?

Quæ laurea aut quis triūphus clarior esse potest, quàm quum animus sibiipsi testis est optimarum actionum suarum? Quem laudatorem aut præconem optat, qui optimè à se gesta planè nouit? Quem maledicum aut obtrectatorem formidat, qui suæ virtutis est conscius? Contētus proinde Rex noster (quem sapientem inducimus) conscientiæ præmijs esse debet, nec aliam laudis gloriam exquirere.

Demetrius Phalereus Theophrasti auditor, quem Cassander Macedonum Rex Atheniensibus (quibus ipse imperabat) præfecit, hac opinione ductus fuisse videtur. Nam quū ob virtutem & pręclarissima gesta trecentæ ei statuæ ab Atheniensibus erectæ fuissent, & post Cassandri obitum, æmulorum inuidia, in Aegyptū fugere compulsus, accepisset eas omnes disiectas esse, & in matulas per ignominiā conflatas, ridēs ait: Statuas quidem euertere inuidi potuerunt, virtutes autem & præclara gesta, quibus pręmio imagines illæ extiterunt, nunquam abolere poterunt. Præclara sanè vox, & magno atque erudito viro dignissima. Declarauit enim vera præmia à conscientia meritorum præberi, quæ neque inuidia aboleri possunt, neque lotio aut ventris illuuie inquinari. Nihil porrò turpius est, quàm per victoriæ insolentiam, inimicorum

rum

rum statuas euertere. Quod & C. Cæsar declarauit qui disiectas omnes Pompeij statuas restitui iussit, deinde Octauius illius exemplar imitatus, quum Mediolani statuam Bruti, quem victor ad voluntariam mortem compulerat, vidisset, Mediolanensium fidē laudauit, qui amicis etiam post aduersam fortunam constantes stabilesque essent, & eam neutiquam deleri permisit.

Secundum numina plurimum tribuit Augustus memoriæ eorum ducum, qui imperium Romanum propagauerant: & quum disiecta multorum opera inuenisset, ea omnia restitui instaurarique iussit, edictoque id egisse professus est, vt & ipse dum viueret, & deinceps futuri Principes illorum exempla imitarentur.

Conscientia rectè factorum, tanti apud sapientes & fortes viros esse solet, vt se ipsa contenta sit, nec auram popularem captet, nec supplex esse patiatur.

Qua quidem fretus maior Aphricanus, quum ei ad populum dies dicta esset (peculatus enim incessibatur, quod ex præda Antiochi ærarium defraudasse criminaretur) Hac die Quirites (inquit) Carthaginem vici, Deo agendæ sunt gratiæ. Et prosequente vniuerso populo Capitolium conscendit, relicto iudicio cum accusatore & præcone tantum. Et quamuis culpam deprecari, & crimen facilè amoliri potuisset, ac etiam tribunitias iniurias propulsare, voluntarium tamen exilium subire maluit, contentus sola innocentia, & conscientiæ sententia absolutus.

M. quoq; Aquilius vir seuerus & fortis virtutis suæ conscius, cùm de pecunijs repetundis causam diceret, iudices nunquam rogare voluit: & iam innoxius damnabatur, nisi M. Antonius orator ille Crassi æqualis, qui causam eius defendebat, tunicam ab eius pectore diloricasset, & honestas cicatrices Reipublicæ causa acceptas populo ostendisset, qua ex re confestim omnium iudicio absolutus extitit.

Partem hanc Rex quum sibiipsi statuet, vix alteram mortalem laudem quæret, vltro tamen delatam non

spe-

ſpernet, & ne videatur multitudinis iudicium contemnere, aut gloriã ſuam neglectui habere. Vt enim auidum laudis affectatorem minimè probandum eſſe duco, ſic eum qui gloriam ſuam negligit, non laudo. Themiſtocles præclarus ille Athenienſium Imperator, qui Xerxis Perſarum Regis claſſem ad Salaminam deleuit, fabulam aliquãdo in theatro ſpectabat, in qua plures agebant, & quum rogaretur à quodam qui ei aſſidebat, quæ vox ei gratior auditu eſſet, leniter ſubridens ait: Ea mihi iucundior vox eſt, quæ in laudem rerum à me geſtarum canitur. Quaſi non ſatis eſſet laudem meruiſſe niſi gloriæ etiam dulcedo accederet.

Themiſtocles.

Neque iniquo animo geſta ſua illuſtrari à Q. Ennio tulit ſuperior Scipio, ſed poëtæ illius effigiem in monimentis Corneliæ gentis collocari voluit, vt ei gratiam referret, à quo laudatus fuerat.

Scipio Ennij effigiem in monumentis Corneliorum collocauit.

Magnus quoque Pompeius Theophanem Mitylenæum ſcriptorem laudum ſuarum pro militũ concione luculẽta oratione laudatum, ciuitate donauit. Videndum tamen eſt, ne nimia ſit laus, adeò vt merita longè antecedat, plus enim inuidiæ quàm gloriæ afferret: ſicut & maxima munera, quæ raro diuturna eſſe ſolent.

Thraſybulus Athenienſis patriam à triginta tyrannis, quos ei præfecerant Lacedæmonij, liberauit. Et quum populus plurima munera ei offerret, nihil accipere voluit, præter coronam ex duobus oleaginis ſurculis factam, aſſerens illam ſatis gloriæ præ ſe ferre, & inuidiæ omnino expertem eſſe.

Thraſybulus.

Pittacus quoque Mitylenæus, qui vnus è ſeptem Græciæ ſapientibus fuit, volentibus conciuibus ſuis ob præclara eius in Rempublicam geſta multa agri iugera ei largiri, pauca accepit dixitque. Hæc modica voluntatem in me veſtram planè oſtendẽt, & paupertatem meam explebunt, cumque parua ſunt, diuturna eſſe poterunt, quando inuidiæ minus erũt obnoxia. Trecẽtæ illæ Demetrij ſtatuæ ambitionem potius nimiamque gloriæ cupiditatẽ videbantur oſtendere quam rerum geſtarum amplitudinem: proindè

Pittacus Mitylenæus.

minus

minus admirandum est mutato rerũ statu eas omnes fuisse deiectas. Nimiam enim inuidiam ex multitudine rerum contraxerant, & vix locum alijs bene agentibus reliquisse videbantur. Idcirco concludendum est, moderatam laudem magis diuturnã fore, & plus fidei apud posteros esse habituram: ita quoque conscientiam honestarum actionum maiora præmia afferre, quàm imaginum ærea illa figmenta, quæ sensibus omnino carent.

Quæ præmia Rex à Deo expectare debet.
TIT. XXI.

REstat nunc tertia pars, quæ præmia illa continet, quæ à Deo expectanda sunt, à quibus impij extruduntur, qui malè de Deo, deque ratione animi sentiunt: & virtutem negligentes, corporis voluptatem omni ex parte amplectuntur.

Quamuis enim sapiens maximum virtutis prẽmiũ in conscientia egregiorum factorũ esse statuat, eaq; satis contentus viuat, tamen diuina illa virtus, quæ in retribuendo semper vberrima est, longè maiora post obitum tribuit, quàm quæ humanis mentibus cogitari possunt. Parui quidem temporis munus est laurea, quamprimum enim arescit. Parui etiam triumphus, quando noua victoria vetus antiquatur, & noua laus veterẽ trudit. *Sicut cursus cursu vincitur, sic in virtutibus virtute virtus superatur*, vt in Antonium ait Ci. Statuæ, arcus, trophæa & alia eiusmodi monumẽta, diuturna magis sunt, non tamen perpetua, *ad quæ discutienda valent sterilis mala robora ficus*, vt Satyricus poëta ille ait. Proinde Deus Optimus Maximus non satis præmij esse putans quicquid à mortalibus tradi potest his qui pietatem ac iustitiam seruarint, & ciuitates, populos, gẽtes, nationes optimè gubernarint, & æterni æui participes eos reddidit, vt cum numinibus vita sempiterna fruerentur.

Hæc est illa beatitudo, quam Plato præmium virtutis esse existimat, quamq; eum secutus Cic. veram

fœlicitatem appellat. Hinc Platonici argumentũ ducunt, quo concludunt maiorẽ fœlicitatem Regũ esse quam priuatorũ, quãdo maiori virtuti maiora pręmia debentur. Atqui regia virtus longè omniũ excellentissima est: per eam .n. nõ solùm seipsum Rex beatum facit, verùm complures alios ad virtutẽ dirigit. Maius autem præmium Imperatori quàm militi debetur. Ille enim disponit, hic autem exequitur. Sic etiam minus gubernatori quàm nautæ, & architecto quàm opifici mercenario. Sed nullius virtutis amor rectè persuaderi potest, nisi his qui planè sentiunt animũ nostrum non vnà cum corpore interire, sed omnino immortalem esse, & emeritis vitæ stipendijs ad cœlestem patriam, vnde manauerat, redire. Eorum nanque impia ac temeraria opinio qui dicebant:

Et cadit in nihilum, quod fuit ante nihil.

Multis argumentis à Platone & Cic. explosa est.

Platonis commentum. Quinetiam vt hanc veritatem ciuibus suis persuaderet Plato, commentitiã quandã fabellam meditatus est, vt cœlestium secretorum optimũ quempiam relatorem videretur habere. Inducit enim militem quendã Pamphylium genere, qui multis vulneribus in prælio transfixus, vitam effudisse visus fuerat. Vndecimo autem die vnà cum alijs peremptis quum ad vltimũ rogũ raperetur, subiecto seu recepto spiritu, seu retẽto, se viuere exclamauit, & conuocatis omnibus ad concionẽ longo sermone de Deo, deq; animi immortalitate disseruit, & ea omnia se vidisse profitebatur, monebatq; omnes, vt iustitiam pietatemq; colerent, quibus virtutibus immortalitatis præmia exposita essent, iniustis autẽ atque impijs hominibus perpetuæ Acherontis pœnæ imminerent. Huius maximi philosophorũ æmulus Cic. quò grauiore teste vteretur, & rẽ minoris miraculi narraret, Somniũ Scipionis inducit, in quo ad supera se pertractum ait, & cœlũ, solem, lunã, stellas, terramq; vidisse, & loca illa in quibus optimè meritorũ animi post emerita humanæ vitæ stipendia futuri sunt, & patriæ victoriam, Carthaginis interitũ, Capitolinum triumphũ. Hæc & similia figmenta illi cõmenti sunt, vt ad virtutem o-

Cic somnium Scipionis quare induxerit.

mnes

mnes incitarent. Quæ nobis, qui religionẽ Christianam profitemur, exploratissima sunt: habemus enim auctorẽ verũ vnicum Dei filium, qui vero testimonio nos omnia edocuit, nec commentitijs fabellis egemus: ad cuius disciplinã confugiẽdum est, si fœlices esse volumus, & cum diuis vita frui sempiterna.

Rex qui cum virtute vixit, demum de successore cogitare debet. TIT. XXII.

DEmum Regi qui optime dum vixit imperauit, & populum sibi creditum per virtutem quoad potuit ad fœlicitatem euexit, expedit vt post vitæ cursum de successore etiam cogitet, exemplò optimi patris familias, qui è vita decedens, de hæredum actoribus impuberumque tutoribus meditatur: ne si quid ei accideret eam familiam moriens destituisse videatur, pro qua summo studio summaque industria in omni sua vita laborauit.

Optabit igitur Rex sobolem ex se genitam similẽ sibi esse, non modò effigie, verùm etiam virtute ac moribus, vt Rex non decessisse, sed iunior factus esse videatur. Filius enim sine periculo regnat, qui optimè antecedentis parentis vestigia conterit. Cernimus tamen nonnunquã ex optimis parentib. deterrimos filios nasci, qualis fuit Cõmodus, qui quũ patrem Antoninum haberet Romanorum principum sanctissimũ, ipse in se vnum omnium dedecorum, ac scelerum colluuionem contraxit, adeò vt multi eum ex adulterio conceptũ fuisse arbitrarentur. Constans siquidẽ fama erat Faustinam eius matrem apud Caietam cũ nautis, lanistis, gladiatoribusq; conditionẽ elegisse, vt qui de Antonini vita scripserunt, testãtur.

Rex sobolem virtute, non facie similem habeat.

Videndũ proinde erit, quis regni hæres nuncupandus sit. De successore diligenter cogitabit Rex dũ viuet, ne post obitũ suũ fortunæ regnum permisisse videatur. Quòd si minus idoneũ ex se genitũ cognouerit, Magni Alexãdri exemplũ imitabitur, qui interrogatus ab amicis, quũ iam deficeret, quẽ imperij hæ-

redem instituerit, dignissimum respondit. Et quum Herculē filium indolis peregregiæ haberet, & Aridæum fratrem iuuenem ingenij comitate eximium, & Rhoxanen coniugem, quæ grauida erat, relinqueret, dignissimum tamen hæredem nuncupauit, oblitus & posteritatis suæ, & omnium necessitudinum, atque aliarum affinitatum suarum. Sed quum iā præclusa voce fari nequiret, & ex incerto sermone altercatio inter Principes oriretur, exemptum è digito anulum Perdicæ dedit, vt quem voce hæredem ac successorem nuncupauerat, tacito indicio elegisse cerneretur. Nec in dissimili exemplo fuit Phrahates Parthorum Rex, qui quum decederet, compluresque filios relinqueret, omnes præterijt, vt qui illos per ætatem minus vtiles regno futuros duceret: & Mithridatem fratrem, virum fortem, ætate integra, & rerum susceptione dignissimum instituit, vt ostenderet Regem longè pluris imperij dignitatem quàm paternam indulgentiam facere debere. Ius naturæ, & gentium consuetudo confirmat, vt maximus natu ex filiis mortuo Regi succedat. Diuisio enim inter plures (vt in priuatis patrimonijs fieri solet) regnum infirmius reddit, & sæpe parricidij causam præbet. Qui enim contēti non sunt portionibus suis, alienas semper inuadere conantur. Alexādri comites, post eius obitum imperiū tot diuersarū gentiū inter se sortiti, mutuis odijs exarserunt: & qui si in demortui locum vel Perdicam vel alium quempiam suffecissent, potuissent imperium diutius propagare, & plures fortasse Alexandros habere, in seipsos impia arma conuerterunt, quibus non modò ipsi ceciderunt, verum vniuersa Philippi atq; Alexandri domus interijt. Cassander enim per quem Alexander enectus credebatur, Arideo, qui Philippi nomine ab exercitu Rex designatus fuerat, id imposuit, & Herculem Alexandri filium qui iam adoleuerat, cum Barsane etiam matre peremit, quum ne Olympiadi quidem pepercisset. In eam nanq; percussores miserat: quæ gladios non muliebriter refugit, verùm Alexandri matrem, & ex Aeacidarū genere se ortam ostendit. Nam quum perfossa plu-

Aridæus Philippi spurius.
Rhoxane Alexandri uxor.
Phrahates Parthorum Rex.

sa pluribus vulneribus cecidisset, iamque deficeret, capillum ac vestem ad talos vsque extendit, nequid ex corpore eius indecori cerneretur.

Itaque si Rex decedens filios imperio dignos habebit, maiorem natu Regem instituat, naturæ ius ac gētium morem imitatus. Hic naturæ consuetudinisque ordo neutiquam præuaricandus est: nisi monstrum aliquod aleretur, quale erat illud (si fabulis sit habēda fides) apud Cretenses, quòd præ sæuitia atq; immanitate Labyrinthi ambagibus coërcendū fuit. Vel si natus ad tantam spem filius eiusmodi vitio animi vel corporis laboraret, vt inutilis qui imperaret esse videretur: qualem historici scribūt fuisse Atym Crœsi filium qui captus auribus erat, & elinguis: attamen regium aliquid in eo natura ostendit. Nam quum eius pater Sardis lateret, irrupissetque iam hostis in vrbem, subita voce exclamauit, qui mutus ad id vsque temporis fuerat, & ait: *Parce patri meo Crœso Cyre, & te hominem esse ex casibus nostris disce.* Sanè vbi indignus erit successor, regno potius consulendum erit, quàm naturæ ordini, aut futuræ posteritati. Aegyptij (vt Diodorus scribit) quò tutior inter plures filios esset hæredis electio, nullum spurium esse existimabant, etiam si ex serua empta quispiam genitus fuisset. Patrem enim solum generis auctorem esse existimabāt: matrem autem, & nutrimentum & locum filio præbere dicebant.

Minotaurus.

Atys.

Spurius nullus apud Ægyptios Reges.

Apud Romanos verò Spurius prænomen honoris ac meriti fuit, quippe quum eum ostenderet qui nō paternis opibus, nec materna commendatione, aut dote, sed propria industria ac solertia rem familiarem statuisset, & propria virtute laudem ad dignitatem assecutus esset.

Iniquus in filios iudex fuit Philippus Antigoni filius, Macedonum Rex. Nam quum a Romanis per Flaminium consulem impetrasset, filiumq; Demetrium natu maiorem, & legitimo matrimonio ortum Romā obsidem misisset, vt Senatui populoque Romano satisfaceret, & is veniam patri contra tot ciuitatum legatos impetrasset, non tamen gratiam sibi à patre

comparauit, sed odium potius, atque inuidiam. Iniquo enim animo tulit, Senatum longè pluris fecisse filij personam, quàm dignitatẽ atque auctoritatem suam. Proinde nimis faciles aures præbuit Perseo alteri filio in Demetrium fratrem oblatranti, quem is primò inuisum, deinde suspectum, deinceps autem proditionis reum patri detulit: quibus ex rebus innocens adolescens Demetrius dãnatur. Hoc parricidio mœstus Philippus, quũ iam cognouisset scelere Persei id esse peractũ, grauem contraxit ægrotationẽ, ex qua paruo tempore interiecto interijt, relicto Perseo Regni successore. A quo deinde Rom. sceleris pœnas exegerunt. In eum nanq; Aemilium Paulũ consulem cum exercitu miserunt, à quo primũ victus fugatusque extitit: deinde captus cũ duobus filijs, & in triũphum ductus, ridiculum de se spectaculũ Rom. populo præbuit. Eius siquidem interitus, Macedonici Regni finẽ præscripsit, defectu lunæ id portendente, vt astrorum edocti prædixerant. Quòd si naturæ ius non violasset Philipp. & Demetrium hęredẽ instituisset, diuturnũ reddidisset imperium. Erat enim Senatui Demetrius optimè conciliatus, vt qui veniã patri non defensionis iure, sed beneuolentiæ ac pudoris patrocinio impetrasset. Proinde non de inferendo Romanis bello, sed de amicitia ac perpetua pace cõseruãda semper cogitasset, vt fecit Masinissa, qui quũ centesimum annum ageret, iamque longo senio deficeret, testamento super regno suo facto, omnia sua Senatui Romano permisit, & Aemilianum Scipionem auctorem, tutorem, curatoremque filiorum ac potumque suorum esse voluit.

De vltimo vitæ die. Tit. XXIII.

Sed iam ad calcem propero, ne voluminis magnitudine lectorem absterream. Plerosque enim vereor futuros, qui me nimis multa collegisse redarguerũt, quàuis plura reliquerim, quæ ad hunc sermonem nostrũ opportunè accederent. Auctore tamen M. Varrone repti-

reprimendũ potius volumen esse censeo, quàm procudendum. Is in fine septimi libri de Latina lingua ad Ciceronem ait neminem reprehendendum esse, qui è segete ad spicilegium relinquit stipulam. Rex ergo qui legitimè imperauit, & bene viuendi rationē obseruauit: de honesto obitu, vt fert mortalium conditio, etiam cogitare debet. Postrema siquidem dies de omnibus superiorib. iudicium affert, vt ad Crœsum Regem Solon Salaminius inquit. Epicurus philosophus moriens quamuis diuersis corporis doloribus cruciatur, tamen ad hanc sententiam epist. scripsit: *Epicurus Idoneo salutem. Cùm ageremus vitæ beatum, & eundem firmum diem scribebamus hæc.* His verbis, & alijs compluribus quæ sequuntur ostendit Epicurus, humanæ vitæ fœlicitatem vltimo vitæ tempore comprobari. Hoc loco quæri solet, an de sepultura Rex quippiam consulere debeat? Idem philosophus asserit sapientem de sepultura curam nullam esse habiturum. Et Anaxagoras cùm cerneret Mausoli Regis Cariæ sepulchrum, quasi eiusmodi opus ac curā contemnens, dixit, monimentum pretiosum, & lapidibus ornatum: sed diuitiarum imaginem potius quàm virtutum simulachrum præ se ferre. Nec multum differt hæc sententia à voce illa: *Linquite me insepultum*, & respondentibus illis, *alitibus ne, ac feris?* *Non*, inquit, *sed bacillum apud me ponite, quo illas abigam.* At dicentibus illis: *Tu quidem nihil senties*: tum ipse: *Quid igitur mihi oberunt nihil sentienti?* Et Cæsar cùm legeret Cyrum Regem quædam de sepultura sua mandasse, talem Regis diligentiam irrisit, rectè enim in veteri versiculo dicebatur:

Cælo tegitur, qui non habet vrnam.

In legibus decem viralibus scriptũ fuit, terræ mandanda esse corpora, vt quæ communis omniũ esset parens. Quo edicto monemur terram terræ reddendam esse sine aliqua marmorum impensa. Frustra etiam putat se quispiam sui nominis memoriā beneficio Porphyretici aut Parij marmoris propagaturũ, si nihil in vita memoratu dignũ gessit aut scripsit. Aegyptij sentiunt domos nostras in quibus viui versamur,

diuerſoria modici temporis eſſe: ſepulchra verò quibus poſt obitum condimur, perpetûa domicilia fore. Proinde in illis ædificandis tenuiores ſunt, in his autem conſtruendis profuſiores. Teſtes ſunt Pyramides, & alia Regum monumenta, quæ inter pauca mundi ſpectacula connumerantur. Sunt etiam qui in hanc ſententiam Homerum acceſſiſſe putent. Inducit enim Hectorem cum Aiace depugnaturum, de ſepultura, ſi caderet, egiſſe. Sed hanc curam Princeps qui cum gloria imperauit, ſi me audiet, poſteris ſuis relinquet, qui iure naturæ eiuſmodi pietatis officia præſtare debeāt. Satis ei fuerit, dum vixerit, ea egiſſe quæ ſecundum virtutem ſunt, & perpetuam poſteritatis laudem meruerunt.

FINIS.

DEX COPIOSISSIMVS
CABVLORVM, HISTORIA-
rum, similium, sententiarum, dictorum, factorumq; memorabilium, quæ in hoc opere continentur.

A Bactionus 590
absẽtia obliuionem parit 416
abstinentia 404
is Nauius 381
pitrum educatio 188
pitrum primus vsus 187
pitrum venatio 188
pitrum mirabilis natura
6
is, magnus Ciceronis
dicio 348
ba ætas à pomis immaris appellata 336
eorum hospitalitas 535
eus Lydiæ Rex auarus
2
llas & Photinus Pompeij interfectores 284
les 435
les Hectori insultauit
3
lis ingenium 22
lis præceptores 106
Nauij statua 112
agistratum nõ diuitiæ,
d virtutes faciunt 502
is ab apro interfectus
2
adrianus 46
adulatores sunt veræ Syrenes 216
adulatores Regibus perniciosi 221
ædificiorum variorum authores 473
ægares insulæ 604
ægritudo 293
ægroti insomnijs agitantur 314
ægyptij 138
ægyptiorum opinio 143
ægyptiorum lex de aleatoribus 197
ægyptiorum regio 346
æmilius Paulus abstinẽs 405
æmulatio 324
æneas pius 146
æneas mens Troiana 436
æolus cur Deus habitus 41
æquanimitas 392
æquitas 392
ærumna 349
æschinis & Demosthenis mutua obtrectatio 328
æschinis in Socratem gratitudo 641
æschilus 65

æschylus 220
æschili mors 251
æsculapius ab Ioue cur fulmine tactus 418
æthiopes duos Deos colũt 91
ætrusci aruspices 592
affectatio verborum 299
affectus & affectio 548
affectum sedes 396
affectus natiui an asciti 353
affectus asciti an naturales 396
afranij distichon de prudentia 368
africani vox de magistratu petendo 572
agamemnon Homericus 68
agamemnon cur pastor ab Homero appellatus 45
agamemnon de regia sorte conqueritur 290
agametus 6
agesilaus claudus 89
agesilaus 504
agesilai dictum 102
agesilaus Lysandri fastum comprimit 118
agesilaus hominum consuetudine delectabatur 198
agesilaus sculpi noluit 126
aglaus 617
agricola 606
agrippæ inuenta 129
agrippæ inopia 595
agrippina à Nerone interempta 80
alauda 282
alcæi epigramma 78
alchimenis sculptoris astutia 591
alcibiades 346
alcibiades artifex amicitiarũ conciliandarum 416
alcibiades adulter 260
alcibiades audax 101
alcibiades docilis 583
alcibiades formosissimus 17
alcibiades tibiã respuit ibid.
alcibiades vt educatus 107
alcmena 256
alea Regibus odio esse debet 196
alecto quid sit 248
alexander 370. & 266
alexander Aphrodisæus 33
alexander beneficus 93
alexander de Protheo 475
alexander erga milites 328
alexander ferociora animalia venabatur 71
alexander Hãmonis filius 45
alexãder Hephæstionis mortem grauiter tulit 338
alexander in Athenienses 576
alexander Iouis filius salutatur 582
alexander mitissimus 569
alexander pilæ lusor 194
alexãder totum fere orbem peragrauit 202
alexander venator 176
alexander voluit adorari 47
alexandri amor 261
alexãdri anim⁹ ingenu⁹ 298
alexandri clementia 321
alexandri continentia 406
alexandri dictum 308

alexandri dictum ad Diogenem 25
alexandri epistola ad Arist. 26
alexandri facetum dictum 440
alexandri facilitas 557
alexandri factum in accusatores 234
alexandri hospitalitas erga Anaximenem 532
alexandri magnanimitas 455
alexandri modestia 398
alexandri mors 462
alexandri mos scribendi epistolas 469
alexandri nimia fiducia 464
alexandri Pherei miserabile funus 76
alexandri responsum 160
alexandri vox 167
alexandrum extinctũ Macedones non fleuerunt 583
alphõsi Aragonij virtutes 4
amantium miseria 257
amare quid 515
amatores non rectè iudicãt 285
ambitio 288
ambitiosus quis 406
ambitus 291
ambronum mulierum facinus 442
amicitia 515
amicitia ciuilis 522
amicitiæ ciuilis secũda pars 524
amicitiæ iam vulgò nõ virtute, sed vtilitate probantur 225
amicitia naturalis ciuilis hospitalis 517
amicitia socialis 527
amicitiæ tres species secundum Platonem 517
amici pro spongijs 494
amicorum omnia communia 524
amicus multo inferior plerunq; adulator fit 525
ammianus de artificiali memoria 370
ammianus Marcellinus 53
amor amicitiæ artifex 416
amor furor diuinus 254
amor quid 256
amor amicitiæ conatus 518
amphibolia 120
amphicratis arrogantia 464
amphilocus diuinandi peritissimus 382
amphion 16
amphitrio 147
amulius Pictor 369
amycla nutrix alcibiadis 102
amyntas 31
anacharsis epistola ad Crœsum 23
anacharsis lusus concessit 130
anacharsis Scyta de sobrio 419
anacreon læderastes 269
anaxagoras de magnificẽtia 475
anaxagoræ dictum 340
anaxarchi constantia 479
anaxenores citharædus 412
Anaxilaus Siciliæ Rex 415

anaximander primus Geographus 212
anion 474
androchadæ fiducia 461
angor 329
angina ibid.
animi munus 239
animus & anima 39
animus innocentiæ suæ cõscius nihil timet 311
annibal 266
annuli aurei 486
annulus militum Rom. in sinistra, non in dextra 451
anserum solertia 581
antæus 78
antigenidas tibicen 412
antigoni dictum 280
antigoni simulachrum 391
antigonus ad Zenonẽ 223
antigonus bellator egregius 439
antigonus crudelis 600
antigonus de proditore 567
antigonus de Pyrrho 164
antigonus Lacedæmonios vicit 335
antimachi indignatio 251
antiochi modestia 399
antiochus à Tauro monte ad Tanaim amnem Romanis imperium Asię cedit 399
antiochus lapidibus obruitur 544
antipatri amici 526
antiphitus Apellis calumniator 233
antiphontis dictum 135
antisthenes Cynicus 11
antisthenis in Ismeniam tibicinem dictum 332
antocydes Philosophus 421
antonij æquanimitas 395
antonij amores 262
antonini Cæsaris hospitalitas 533
antonij cauillum 263
antonij filius 506
antonij gesta 331
antonij mors 350
antonij liberalitas 124
antonij virtutes & vitia 125
antonij vitia 82
antonius docilis 383
antonius eruditus 208
antoninus Imperator 350
antonius in audiendo diligens 599
antonius leones iugo subegit 179
antonius Pius 322
anus in astu venit 390
anxietas nimia fugienda lege 466
apelles 99. & 121
apelles Alexandro gratus 133
apelles astutus 391
apellis fiducia in Alexandrum 403
apellis tabula 332
apellis tabula in calumniatores 333
apelles vt opera sua examinauerit 198
aper Calydonius 181
aphri mendaces, infidi, &c. 564
aphricani maioris conscientia

tia 623
aphricani maioris apophthegma. 513
aphricani minoris parsimonia 416
aphricanus maior 279
aphricanus nandi peritus 167
apollo Marsiam fistula vicit 132
apollinis responsum crœso roganti 389
apollophanes 368
apopthegmata Principi idonea 120
appij Claudij sententia de pop.Rom. 460
appius Claudius 502
aprorum venatio periculosa 181
apri vt pugnent 182
aquila anataria 189
aquilæ exemplum mirabile 189
aquilarum dimicatio 190
aquilis primus honor auiū ibid.
aquilius 243
aquilius 623
arcagatus 320
archelaus Euripidem amabat 26
archiæ mors 511
archias occidit Archilochū 511
archilochus occiditur ibid.
archimedes Mechanicus insignis 128
archimedis sepulchrum ib.
architæ dictum 248
archytam Plato hortatur ad vitam actiuam 362
arcus triumphales 427
arclius pictor quando floruerit 114
ariarates Rex 259
aries bellica machina 446
aristides & Themistocles ambitiosi 291
aristides iustus appellatus 595
aristides iustus cognominatus 72
aristides pictor 99
aristidis simultas cum Themistocle 265
aristides testaceis suffragijs patria exactus 323
aristippi dictum 270
aristocratia 16
aristogiton tyrannicida 429
aristomachus 346
aristomenes Messenius fortis 437
aristoteles 32
aristoteles furti accusatus 69
aristotelis laus 395
aristoteles Platonis discipulus 326
aristotelis sententia de amore 584
aristotimus 392
aristoxenes 139
ars vera pingendi 98
ars linearis 97
arithmetica 124
artauasdes Rex Armeniorū fautor literatorum 26
artaxata ab Hanibale condita

dita 474
artaxerxes 36
artaxerxis gratitudo 611
artifices 605
artium diuisio 134
asconius Ciceronis interpres 495
asellus bipes 459
asiatici vberes 497
assyriorum Reges 262
astrologiæ certitudo 584
astronomia 135
astronomiæ inuentorib. immortalis laus debetur 136
asturia Hispaniæ regio 157
astyages captus à Cyro 403
astyages Medorum Rex 402
asylum Cadmus primus cōdidit 548
athenæ Græciæ oculus 451
atheniensium decretum de Demetrio 225
atheniensium Respublica 576
athenienses libertatis amātes 11
athletæ 86
atlas 40
atlas Herculis magister 128
atalus 512
attici pressi 492
atticus Ciceronianus 275
attilij fortitudo 440
attilij Reguli constantia 481
attilij Reguli fides 565
attossa Cyri filia 459
attossæ consilium Dario Regi 459
auaritia naturalis 610
aucupes ministri gratissimi 187
aucupium 186
aucupij initium 187
audaces dolore cōcitantur 439
audaces fortuna iuuat 441
audacia sine consilio omnia euertit 375
augurum collegium 381
augusti lepidū responsum 345
augustus ad Tiberium 235
aula mendacij & adulationis gymnasium 33
aulæ Principum fugiendæ 558
aurea Catena Homeri 53
aurum ferro potentius 93
aurum igni probatur 550
aurum Tolosanum 544
automedon Achillis auriga 413

B

Babylona condidit Semiramis 473
bacchi triumphi 426
bacchus bibacissimus 421
barcha 604
barula fluuius 327
batrachus statuarius 617
bellerophon 135
belli errata nec gratiam nec veniam

veniam expectant 384
bellum Aethruscum Rom. formidini fuit 476
beneficium & pœna, duo diuina numina 489
benignitatis effectus 356
berosus astronomus 1:6
biantis responsum 444
biantis sententia 280
bibliothecæ Cæsaris 473
bibuli moderatio 414
bion 324
bion de prudentia 368
bionis facetum dictum 365
biorix Cimbrorum Rex 386
bocchus 325
bombardarum forma 445
bonum finitum 365
bonum summum nihil dolere 367
borsippa 605
brennus Gallorum dux 543
bruti cadauer 284
bruti desperatio 310
bruti moderatio 414
bruti perfidia 561
bruti sententia de Cæsare 64
bruti statua 623
brutus in Catonem 349
brutus liberator patriæ 562
brutus sibijpsi mortem consciuit 562
bubaris 31
bucephalus Alexandri 153

C

Cacus 78
caduceus 28
cæcilius respondet legatis atheniensium ibid.
cæsar 343
cæsar Astronomiæ peritissimus 52
cæsar Bibliothecas Græcas Latinasq; maxima impensa comparari fecit 472
cæsar clementissimus 64
cæsar cur sobrius 422
cæsar de proditore 566
cæsar fleuit 470
cæsar iniuriarum quamprimum obliuiscebatur 456
cæsar pila lusit 194
cæsar quoties Celtas vicerit 56
cæsar feræ militiæ pertæsus 164
cæsaris animi præstentia 99
cæsaris beneficia in Remp. 65
cæsaris clementia 150
cæsaris dictum 232
cæsaris elegans sententia 374
cæsaris eloquentia 116
cæsaris fiducia 464
cæsaris & Catonis mutua odia 265
cæsaris innocentia 513
cæsaris misericordia 321
cæsaris prodigentia 245
cæsaris scōma in Brutum & Cassium 331
cæsarem sobrietas à comitia-

mitiali morbo liberauit 422
cæsarion 506
calcei Sicyonis 323
calchas quis 382
calchantis mors 251
caligula 521
caligula vultu toruo 279
caligulæ dictum ibid.
caligula formidolosus 313
caligulæ vox crudelis 521
caligula tenuiores ad cœnã inuitabat 555
callias diues 595
callicratides 452
calliditas 389
callimachi sculptoris nimia diligentia 122
callisthenes ab Alexandro interemptus 47
callisthenes in cauea pœnas dedit 558
calumniatores 233
calumniatores puniendi 235
cambyses 96
Cambyses à bello Aethiopico cur destitit 169
cambysis peregrinatio 203
Campaspe datur in vxorem Appelli 134
campus Martius Romæ 165
candidati 573
canes Alexandro dati 175
canes Capitolij Scipionem nunquam allatrabant 144
canes Caspij 174
canes Salaminij ib.
canis exemplum memorabile 172
canum fides & memoria 171
canis Lysimachi 172
canum docilitas 173
canum solertia in venando ibidem
cantherius equus castratus 564
capitolium igne consumptum 148
carminum Magicorum vis 86
carneades elleboro albo cur se perfundebat 396
carneades Orator Atheniensium 21
carneades Romæ de iustitia disseruit 498
carneadis opiniones de iure naturali 181
carthaginensium mos laudabilis 9
carthaginis imperium 117
casia Susa vocatur 473
carthaginensium Respublica 576
casiã condidit Tithonus 473
cassius Parmensis 316
cassius Scæua constans 479
cassius sibi mortem consciuit 349
cassius de Cæsare 62
castitas 408
castor & Pollux 8
castus sermo 409
castum pro abstinente 409
cataphracti 152
catilina filium suum interemit 258
cato Censorius 183
cato Vticensis similis Nestori 170

cato

cato Saloninus 268
cato in procacem 457
cato à Cicerone increpatus 279
catonis maioris iactantia 286
catonis oraculum 242
catonis vaticinium 498
cato temulentiæ insimulatur 422
cato iuuenis audax 289
cato rem Rom. iam labentem pristinum in locum restituit 418
cato iunior Cepionis fratris mortem moleste tulit 339
catonis inhumanitas 552
catonis prouentus duplex 418
catonis senioris dictum 121
cauendi cura, ac diligentia quanti facienda sit 451
cautio 384
cecrops 18
centauri nubiginæ 220
cephalus 257
cepionis sepulchrum 339
cerberus canis 174
ceres cur Dea 41
certandi genera 164
certiora quæ cernimus quã quæ audimus 373
cerua Sertorij 581
cerui quando cornua deponant 184
ceruorum venatio facilis 183
ceruorum ætas 184
ceruorum velocitas 185
cesellius facetus 119
cesellius à cane defensus 172
chabriæ dictum 65
chaos 141
cherona vrbs à Philippo capta 399
chilo 280
chilo Lacedæmonius 380
chilo falsum testimonium dixit 319
chlœlia virgo 166
christus omnia mysteria aperuit 142
chrysippus 53
chrysippus arrogantiæ incessebatur 463
chrysippus Solensis plurima scripsit 108
cicero dicax 119
cicero de Sylla 506
cicero donum Dei singulare 116
cicero patriç atque eloquẽtiæ pater 507
cic. & Salustius mutui obtrectatores 327
cicero quid de Cæsare sensit 57
cicero facetus 119
Cicero de virtute 364
cicero à Clodio in ius vocatus animum despõdet 335
cicero Furium & Carneadẽ in libro de Repub. disputãtes introduxit 499
ciceronis libri de Rep. desiderantur ibid.
ciceronis filius temulentior 421

ciceronis dictum de atra bili 331
ciceronis monela ad fratrem 250
ciceronis & Hortensij æmulatio 327
cicuta præsens venenum 421
cimbri metus expertes 296
cimon 553
cimon in pauperes liberalis 554
cincinnatus 61
cingulum 474
cinna cæsus 484
circumspectio 377
circus maximus 472
ciues Regibus adsint 608
ciues Principum mores ferant 600
ciues vt bene conciliati sint Principibus studere debent 603
ciues de virtute certent 594
ciues nil occultent 598
ciuium Rom. conditæ vrbes 474
ciuium solertia 596
ciuium beneuolentia erga Regem 581
ciuitates dissidijs plerumq; laborant 60
ciuitatum societas raro diuturna 90
claudianus 106
claudianus carpitur 204
claudij Cæsaris amores 262
claudij Cæsaris inconstantia 215
claudius iracundus 249
claudij Cæsaris commentum 459
cleanthes 364
cleanthis sermo 338
clearchus de militibus 579
clementia Alexandri 321
clementiæ rarum exemplũ 415
cleomenis amor in coniugem 261
cleopatra 125
cleopatra mortem sibi consciuit 350
clinia puer 270
cloacæ Romanæ 402
cloacarum opus maximum 472
clodij adulterium 259
codrus 18
codrus in Imperatorem Athenis eligitur 571
codrus interfectus ib.
cœlus Rex 66
colophonij canum studiosi 171
columella rustico 595
columnæ 427
cõmodi Virgilius erat Martialis 111
commodus 52[illegible]
compitalia 594
concordia 551
concordiæ vincula 536
connidas Thesei præceptor 113
conochus homo furacissimus 544
conscientiæ laus 622

conſcientiæ vis 561
conſcientiæ vis 511
conſiliarijs nō inuidendum 587
conſilia Regum à Deo manant 590
conſilium 370
conſilium malum cōſultori peſſimum 374
conſtantia 478
conſtantiæ & continentiæ differentia 479
conſtantia corporis patientia ibi.
conſtantinus 521
continentia 404
contumeliam ſi dices, contumeliam quoque audies 457
conturbatio 310
cōuerſatio doctorum quos fructus habeat 201
cor corrodere 466
cor non edendum 332
corduham Marcellus condidit 474
corinthiorum mos ſepeliēdi 418
corinthiorum intemperantia 408
corinthus cur euerſa fuit 29
coriolanus patriæ hoſtis 573
cornelia 339
cornelia gens 503
cornelia Gracchorum mater 103
cornelius Nepos 326
cornelius Rufus 85
coſmographia Regi perutilis 206
cotta 55
crantoris quadriuium 277
craſſus 351
craſſi æmulatio 325
craſſi memoria 370
craſſi & Deiotari mutua ſcommata 375
craſſus non auarus 609
craſſus pater Craſſi 550
craſſus ſemel riſit 279
craſtinus 461
craterus 71
credulitas 229
cretenſes mendaces 217
cretenſiū Reſpublica antiqua 66
critias tyrannorum teterrimus 462
crœſus 213
cromyonia ſus 181
crotoniatæ vincuntur 447
crudelitas 505
ctesiphon Architectus 127
cuculi & aliarum auium apologus 82
cupiditatis pediſequæ 241
cur nonnulli magis à Regibus diligantur, quàm alij 584
curſus exercitatio 159
curtij 83
curtius de fide & taciturnitate Perſarum 586
cyclopes 216
cycnus 78
cyneas honoratus à Pyrrho 27
cyneæ lepida facetia 120
cyneæ eloquentia 92

cynici impudentes 404
cyprus facta stipēdiaria 252
cyrenei à Platone leges petunt 95
cyrenaici 395
cyrus 313
cyrus feris expositus 593
cyrus pater vocatur 478
cyrus agriculturæ studiosus 191
cyrus bibulus 421
cyri memoria 370
cyrus à pastore educatus 403

D

Daphitas Grammaticus cruci affixus 238
dardanus 139
darius à patre Artaxerxe viuo Rex factus 520
darij verba de Alexandro 321
darij epitaphium 178
darius Xerxis pater 446
darius à famulis interēptus 284
darius constans 312
darius institor appellatus 478
dathames 527. & 526
debutas Sicyonius 254
decorum orationis obseruare vbique difficillimum 117
deiotarus 375
deiotari & Crassi mutua scōmata 375
deiotarus ostento monitus 592
deiotari frugalitas 409
delatorum rationes examinandæ à Principe 233
delatores à Rege non prorsus exigendos 130
delatorib. nō temere auscultandum 229
delectatio 281
delphidius Orator 119
demades negligens 384
demades Orator diues 240
demades in Demosthenem 328
demetrius Phaleræus 19
demetrius Antiocho & Ptolemæo familiaris 24
demetrij conscientia 622
demetrius Phalereus 222
demetrij statuæ 624
demetrius meticulosus 300
demetrius Antigoni Regis filius 398. eius imago ibid.
demetrius à Plutarcho reprehensus 72
demetrij inuenta 128
demetrij pulchritudo 87
democratia 16
democriti peregrinatio 205
democritus de seipso 467
demodicus Corcyræus 123
demosthenes vrbanus 110
demosthenis clypeus 50
demostheni turpe aurū dono accepisse 613
demosthenem scripta sua perdiderunt 238
demosthenes in exiliū pulsus 614

Demo-

demosthenes quomodo hęsitationem linguæ ac vocis gracilitatem emendarit 401
demosthenes docilitate parum valuit, memoria autē ac diligentia plurimum 384
demosthenes de Athenis 602
demosthenes molli animo 336
demosthenis reditus in patriam 614
demosthenes argento corruptus 92
demosthenis & Aeschinis mutua obtrectatio 328
de officio eorum qui Regis imperio parere debēt 568
desiderium 273
desides à ciuium numero arcendi 574
desiderati in bello interempti 274
desperatio 347
desperatio quid ad fortitudinem 442
deus vnde dictus 41
deus Opt. Max. apud Romanos 356
deus omnia agnoscit 547
deus quid Pythagoræ 142
deus lętus ad vltionem 449
deus quib. reb. præstantissimus esse dicitur 356
dialectici gryphi Regi non conueniunt 149
dianæ Ephesiæ templum 548
dicendi varia genera 497
dictator vnde 60
dictamus 184
dicteria 120
dictum scurræ 556
didymus historicus 286
diespiter 559
dies negociosi 35
dies sacri ibid.
dies vitæ vltimus de vniuerso vitæ tempore iudicat 424
difficile est naturam mutare 438
dignitatis contemptio nascitur ex conuersatione æquali 465
dij sagittarij 169
dij vestram fidem 559
dinocratis commentum 557
dinocrates architectus ibid.
diocletiani Imperatoris scitum 81
diocletiani dictum 458
diodes 259
diodorus Siculus triginta annis opus absoluit 208
diodorus sophista 332
diogenes mordax 558
diogenes Cynicus 358
diogenis epistola ad Alexandrum 398
diogenis Cynici dictum de Atheniensib. 102
diogenis verbum 303
diomedes latrunculorū ludum inuenit 199
diomedis ingenium 22
diomedes athleta 447
diomedis immanitas 77

diomedes modestus 435
dionis modestia 400
dionis scripta 22
dionis Prusensis peregrinatio 208
dionysiodori sententia 36
dionysius Syracusanus 232
dionysius secundus primò non crudelis 237
dionysius Syracusanus filias tonstrinas effecit 76
dionysius 526
diotimus Epicuri inimicus 238
discincti 287
discordia 247
diues quis 242
docilitas 383
dolor quid ad fortitudinem 439
dolus bonus 392
domitianus 508
domitianus Imp. seuerissimus 536
domitianus sagittandi peritus 168
domitianus cruentus 521
domitianus Cæsar 232
domitius 368
domitius Aenobarbus 180
donatus grammaticus 338
dona voluntaria dantibus gratiora 471

E

EBrietas 420
educatio Regis 102
egeria Nympha 381
elementa, iuxta Plutarchũ, natura non intereunt 356
elico Heluetius 386
eloquentia Principi necessaria 126
elpenor 288
elpinice à Polygnoto depingi cupiebat 118
elysij campi 540
empedocles de pœnis delictorum 547
empedocles 533
endymion 137
epaminundæ vox 448
epaminundæ fortitudo 448
epaminundas pecuniarum contemptor 595
epaminundas 236
epaminundas cursor 159
epaminundas Musicæ imperitus 131
epaminundas de auguribus 382
epeus Bœotius 129
ephori similes Tribunis 18
ephorus 69
epicharmus 141
epicteti verbum de tolerantia 444
epicuro voluptas quid 395
epicurus 141
epicurus hortorum magister 192
epicurus voluptatis assertor 368
epicurus de amicitia 523
equarum vsus 154
equæ vento concipientes 158
equi qua forma spectandi 150
equitatio Regi necessaria 152

equus Nicomedis 154
equus Troianus tragœdia 576
erasistratus 264
erigones fabula 173
eruditio fundamentum gloriæ 106
euagoras 376
euagoras Rex Cypri 410
eucratides Bactrianorum Rex 520
eudemus Cyprius 76
eudoxus 136
euentus boni simulachrum 610
euphantus 21
euphranor statuarius 99
eupompi Pictoris respon- 97
euripidis versus in magno honore apud Siculos. 604
euripidis dictum de sophista 370
euripidis versus 110
euripidis fiducia 463
euripus 214
europus Philippi prisci filius 571
euristheus Arcadiæ Rex 147
euthydamus 609
excandescentia. 247

F

Fabii Maximi prouidentia 381
fabius pictor 617
fabius Maximus tolerantia præstitit 483
fabius pater ac seruator patriæ 379
fabius Gurgies 288
fabius seruator restitutorq; Reipub. 514
fabius cognomento Verrucosus 378
fabius Maximus 7
fabius clypeus Rom. imperij 379
fabius degener 503
fabius repulsam passus 222
fabius corona graminea donatus 452
fabricius Pyrrho fidelis 564
fabricij constantia 480
facilitas 556
fagita 321
fama Dea sit 615
fas quid 492
fatum quid 52
fauere 382
fecialis quis 28
fel quid 262
fœlicitas contemplatiua 356
fœlicitatis contemplatiuæ tertius gradus 361
fœlicitas vera 31
fœlicitatis contemplatiuæ secundus gradus 360
fœlicitas contemplatiua & humana 357
fœlicitas actiua 362
ferina dolis capta ignobilior 185

feraria olim Spina diceba-
tur 70
fidei probatio 567
fides omnium virtutū splen
didissima 559
fides potior regnis 561
fides hosti seruanda 558
fiducia 460
fiducia vincendi initium
461
figulus Corinthius 458
fimbria à seruo occisus
484
finis hominis est, similis
Deo fieri 85
flaminij Græcis libertatem
restituit 79
flaminius ad Prusiam mis-
sus 564
flaminius ore deformi
88
flauij Syracusij dictum
81
flaminius 378
flauius homo humillimæ
sortis prætor designa-
tus 483
fœdera ineundi mos
560
fœlix à Solone quis dicatur
84
fœminæ Persicę formosissi-
mæ 406
forma species futuræ virtu-
tis 155
formido quid 312
fors fortuna & eius tem-
plum 51
fortis quis 304
fortes fortibus creantur 332
fortis Deo similis 425
fortis mortem non metuet
307
fortis perfectè, nemo vnquā
exstitit 426
fortem quæ faciant 429
fortitudini vbi locus 428
fortitudo sine ira lentitudo
437
fortitudinis species 453
fortitudo definita 428
fortitudo 425
fortitudinis munus 359
fortitudo quid apud Cice-
ronem 436
fortuna in reb⁹ bellicis plu-
rimùm potest 434
fortuna Adrastia 51
fortuna non est dicenda
Dea 50
fortunæ simulachrum cur
in pila sedeat 55
fortuna Antiana 50
fortuna in Rege optanda
49
fortuna Rhamnusia 51
fortunæ non meminit Ho-
merus ibid.
forum Liuij, Iulij, Pompilij,
cornelij, Sempronij 474
fratrum officium 20
fructus legendi 69
frugalitas 408
fugæ penè çomes interitus
442
furij Camilli stratagemata
439
furius Camillus 61

G Galba

G

Galba 26
galbæ somnium 314
galba de militibus 604
galba Imperator trium arbitrio regebatur 459
galliæ populi cur Italiam primò tantopere appetiuerint 386
galli virtute non dolo certant 455
galli molliter ægrotant 479
gallorum inopia 598
gallorum mos in educandis liberis 103
gallus poëta sibijpsi manus infert 352
garamantum Rex à canibus ab exilio reductus 172
garamantes formidolosissimi 313
gelo Syracusanus 476
genius in certaminibus coronabatur 59
genius, vitæ preses 461
gentium templa Romæ 145
geographorum lectio vtilissima 211
geometrica studia 127
geomanici carmina de Astris 138
germani hospitales 530
getæ 359
getæ pijssimi 545
getarum mos 37
gilippus 67
gloria periculorum merces 616
gloria Regi conueniens 621
gloria expetenda 616
glycere Thespiensis 114
gordius Dei iussu Rex constitutus 63
gordianus nodus ib.
græcè & Latinè instituendus Rex 108
græci adulatores 221
græcorum concordia 537
graminea corona 7
grammatica Regib. discenda ibid.
gratiæ pro de beneficijs habendæ 610
gratiarum ędes in medio foro Romano 551
gratitudo 610
gratitudo reliquarum virtutum mater 476
gratulatio sera 609
gratulatio iucunda Regibus ibid.
gyges Regũ ditissimus 617

H

Haliætus 189
hamilcar Hannibalis pater 342
hamilcaris perfidia 565
hamilcar patriæ saluator 605
hamilcar 163
hannibal 2
hannibalis moderatio 415
hannibalis astutia 390
hannibalis fortuna 433
hannibalis iudicium de Scipione 514
hannibalis vita & mores 342
hannibalis somnium 316

hannibalis modestia 400
hannibal venenum exhausit. 434
hannibal indefessus 483
hannibal 165
hannibal exul 226
hannibal de Fabio & Marcello 379
hannibal ingenio callidus 564
hannibalis æqualitas 537
hannibalis stratagema 306
hannibalis ac Scipionis cõgressus apud Zamam 433
hannibal & Scipio fortissimi Imperatores 433
hanno primus leonem mansuefecit 179
hannonis vaticiniũ de Hannibale 565
harmodius tyrannicida 479
harpali inclementia 580
harpalus Cyri præfectus 443
hasdrubal cæsus 343
hecatæus 207
hecatombe 334
hector Troiana manus 436
helepolis Demetrij inuentum 129
helicum Cyzicenus 137
hellanicus Epirota 391
heluetiorum legati 455
heraclitus 360
heraclitus irrisit Hesiodum 52
hercules cur subeat Atlantem 41
herculis visio 355
hercules bibacissimus 421
hercules monstrorum domitor 78
herculis pharetra 348
hetruria 426
hiero Syracusanus 410
hieroglyphica 187
hieronymus Rhodius 367
hiliscus Thascius 346
hipparchus 368
hippasus Metapontinus 13
hippocratis fiducia 464
hipponax Poëta deformi facie 87
hippsicratea 262
hircius 50
hispanorum taciturnitas 586
historiæ præstantia 112
historiographi legendi ib.
homeri peregrinatio 207
homerus Alexandro ab Aristotele datus ibid.
homerus 911
homerus rei militaris viaticum 25
homerus nullas coronas viris attribuit 58
homeri aurea catena 53
homero maior fides quàm Ctesię autHerodoto 209
homeri patria 274
hominis est vesani quæ ante oculos sunt non cernere,& cœlestia speculari 363
homo animalium ingratissimum 581
homo solus luget inter animalia 38
homo solus in sui similes sæuit

uit ibid.
homo ex luto primus factus 332
homo ad Dei cōtemplatio-nem natus 538
homo animantiū domitor & dominus 489
honestas 411
honestas præ omnib. expe tenda 422
honestum quid 411
honoris tēplum ex manu-bijs Siracusanæ prędę 454
honos alit artes 211
honos 426
horatius Cocles 166
horatij Coclitis statua 112
horatius Puluillus 340
hortensia causam egit 103
hortensij & Ciceronis æmu latio 527
horti in Veneris tutela 192
hospitalitas 530
hospitalitas qualis esse de-bet 554
hospiti secundus gradus 531
hostis à se cæsi caput offe-rens aureo poculo dona batur 613
humanitas 551
hydruns obsidetur 7
hyle 141
hiperidis furta 69

I

IAct antia 285
iani templum 43. annis clausum 34
iani templum pacis tempo-re clausum 381
ida Phrygiæ silua 181
ideæ Platonis 95
ideæ Platonicæ 361
imperatoris nomen regio maius 227
imperatores Romani doctis simi 27
imperatore perfecto nihil rarius 576
imperatores comes sint er-ga suos milites 228
importunitas molesta 609
inconstantia animi est stulti tia 479
incubus 314
india feras truculentissimas alit 182
indigentia quid 241
indigetes qui 35
indulgentia 518
inertia punita 607
infectum nō fit quod semel factum 438
ingemiscere 337
ingenium 370
ingenia prisca cur nostrati-bus præstabant 210
ingratitudo humanæ socie-tati inimica 476
in inuidum lepidum scom-ma 324
innocentia 509
in rectè factis neque addi neque demi quidquam potest 365
insulæ fortunatæ, vbi sitæ 468

insu-

insultatio 283
integrum quid 130
intellectus 372
intellectus & intelligentia quid differant 372
intemperantia 394
inuidia 322
inuidia quid ibid.
inuidia in magnis domibus dominatur 226
inuidia altiorą petit 324
inuidus homo suipsius tormentum 582
inuidi aulici 587
inuidendũ nõ esse illis, quibus Reges ac Principes arcana sua committunt 585
iouinianus 599
iouinianus Cæsar 423
iouis Olympij simulacrum 94
iræ definitio 247
ira cos fortitudinis 22
iræ natura 253
ira quid ad fortitudinẽ 437
ira consilium perimit 438
iramus 430
ironia Socratica 120
irus Homeri 224
isæus 393
ismenia legatus ad Artaxerxem 46
isocrates 76
isocrates de patria 576
isocrates de tragœdis 345
isocrates tres fuerunt 21
isocratis præceptum regiũ 460
isonomia 17
italorum mos 166
iudicium 495
iuliani castitas 268
iulianus Græculus ac fallax dictus 598
iulianus perijt 592
iuliani abstinentia 405
iuliani modestia 400
iuliani Cæsaris scitum 119
iulius Cęsar notatus Tyrannidis 82
iulius Cæsar Antonij præceptor 126
iulius Cæsar perissimus Astronomus 136
iulij Cæsaris beneuolentia in milites 529
iulij Cæs. fiducia 463
iulij Cæs.continentia 406
iulij Cæsaris agilitas 153
iulij Cæsaris modestia 399
iulij Cæsar magnificentia 471
iulius Cæsar solus hostes inuasit 403
iulius Cæsar gratus in hospitem 533
iulius Cæsar nando liberatur 165
iulius Valens 437
iuno Lacinia 97
iunonis Samiæ templum 542
iupiter ad Aethiopes cur diuertebat 123
iuppiter lapideus 559
iuppiter Xenius 534
iureconsultorum libri 501
ius 52
iusiurãdum Scytharum 559

iuris

iuris interpretes mali 396
ius summum, iniuria summa 393
iustini verba de verecundia & pudore 404
iustitiæ definitio 496
iustitiæ partitio 488
iustitia iudicialis 495
iustitia naturalis 490
iustitia ciuilis 491
iustitia diuina 488
iustitiæ comites 508
iustitiæ simulachrum 497
iustitiæ sedes in Zodiaco 487
iustitia alienum bonum 77
iustitiam Aegyptij qua nota scribunt 458
iustitia humanæ societatis firmamentum 504
iustitia bonum omniũ maximum 488
iustitia Regis proprium munus 72
iustus & iniustus 490
ixionis fabula 220

L

Labeo 65
laberius 432
laberij dictum in Ciceronẽ 121
labienus Cingulum condidit 474
laborum merces gloria 616
labores nõ sunt graues nec Imperatori nec militi 341
labores & molestiæ Magistratuum 341
lacedæmonij 103
lacedæmoniorũ institutum 334
lacedæmoniorũ institutum de sobrietate conseruãda 419
lacedemoniorum varius immolandi ritus 452
lacæna quædam 339
laconum Reges 576
laconismus laudatur 118
lactis materni vis 101
lacydes 558
lælij castitas 268
lætari nõ est sapientis 276
lætitia gestiens 376
lais meretrix 256
lamentatio 244
lamentationes Heroum apud poëtas ib.
lampsacus 13
laodice Mithridati venenũ miscuit 259
latrunculorum ludus 199
laus quid 621
laus vera 616
leæna meretrix 479
leges 12. tabul. decemuirales 337
leges bonæ ex malis morib. oriuntur 501
legis virtutes imperare, vetare, &c. 496
legibus parendo, simus beati 500
legum seueritas puniendi mansuetudine coërcenda 393
lemures 540
leo mortuus non mordet 469

leones vt capiuntur 180
leones quingenti in spectaculo lacerati 179
leonidas Alexandri Pædagogus 107
lepidus 347
lex Aegyptia de professione 607
lex Romanorum 225
liberalis qui 93
liberalitas in Rege magnificentia 149
liberalitas Principem commendat 243
liber pater cur Deus habitus 41
libido 241
libri de concordia 336
licentia agendi 602
licinius 60
linus Mosaicæ sapientiæ nō expers 140
leochares 71
litera Pythagoræ Y 267
literæ humaniores 552
literarū disciplina apud Aethruscos prima fuit 476
liuij monela ad filium 126
liuij laus ib.
locrenses 271
locrensium crudelissima vltiō in Dionysium ib.
lollius sui ipsius iudex 289
lotus arbor 302
lucanus quidam 264
lucerna qui indiget, infundet oleum 554
luctus 336
lucullus 83
lucullus in Mithritadem & Tigranem 325
luculli facetum responsum Pompeio 41?
lucullus sumptuosus 416
luculli successus qualis 578
lucullus togatorum Xerxes 417
ludendum quandoque 195
ludus gemmarius 199
luscinia 281
lusitani fortissimi ac ferocissimi in re bellica 385
lusus auari omnes prohibiti 196
luxuries Romanorum vnde 494
lycisci 175
lycurgus 367
lycurgi institutum 170
lycurgus solitudinē dissuadet 552
lycurgi fides 566
lycurgi leges 504
lycurgus de paupere 597
lydorum equi velocissimi 156
lyrici nouem 131
lysander 118
lysander 367
lysandri versutia 391
lysander vicit Athenienses 19
lysander iracundus 249
lysimachus Philippidē amplexus 223
lysimachus leonem occidit 180
lysimachus leoni obiectus 47

lysimachus Præceptor Alexandri 07
lysippus 98
lysippus 71

M

MAcedones agrestes 567
macedones Alexandri morte lætati 600
macedones à quibus illustrati 420
macrobius Bacchanaliũ cantor Syllæ familiaris 374
macrobij populi 87
mæcenas pila lusit 431
magicorum carminũ vis 86
magistratum assequi à multitudine difficile & cur 572
magistratus perpetuus melior annuo 91
magnanimitas quæ laudatur 450
magnesia 13
magnificentia 471
magnificentia Regibus & Principibus tantum competit 471
magnificus à liberali differt 471
magno emit qui blande rogat 572
maledici floccifaciendi 13
maledicere angusti animi 457
maleuolentia 278
malum infinitum 366
mãdanius philosophus 398
manes 540
manlius 322
marcellus 354
marcelli infœlicitas 55
marcelli mors 379
marcellus Rom. pugnacissimus 279
marcellus Syracusas expugnauit 128 eius laudes ib.
marcellus Cordubam cõdidit 474
marcellus quinquies consul. 379
marcellus ensis Rom. imperij ibid.
marcellus Fabij collega factus 279
marci Varronis institutum
marius 249
marij tolerantia 482
marius varicosus 479
marij cautio 385
mari⁹ homo rusticanus 606
marij & L. Syllæ æmulatio 325
marius ludibrium fortunæ 349
marius septies consul ludibrio habitus 417
marius septimũ consul 316
marius senex agilis 161
marij modstia 400
marius militiæ vtilis, domi perniciosus 577
marsyas fluuio nomen dedit 132
marsyas 327
martha mulier fatidica 144
masinissa à canibus custoditus 171

masi-

masinissa Numidiæ Rex sobrius 424
massilienses 535
mathematici 60
megabyzus 31
melancolici præstantiores sunt ingenio 131
memnon 237
memoria artificialis 370
memoria ibid.
memphis 605
menandri sententia 258
menander comicorum maximus 359
mendacium à Rege sit alienum 217
mēdacij & adulationis gymnasium aula 33
mēdicis cœnarum reliquiæ erogabantur 555
menelaus breuis in dicēdo 18
menelai peregrinatio 262
menodorus 558
mens hominis 39
mentiri an liceat 219
mentiri turpe 217
mercatores 605
mergys Cyri filius 48
messâlina Claudij vxor intemperantissima 410
messenij 583
metellus iniustè Dalmacis bellum mouet 511
metellus qui Pius dictus 519
metellus quis 400
metelli iactantia 286
meton quidam 423
metrodorus Sceptius mithridatis pater appellatus 24
metus 293
metus custos optimus 581
metus species 294
midas Rex 56
militis mirabile exemplum 440
milo athleta 447
miltiades reb. bellicis præstantissimus 465
milui artem nauigandi ostēderunt 190
mimallones 144
minerua Demadis in adulterio deprehensa 328
minerua Iouis cerebro nata 369
mineruæ simulachrum ib.
minos 69
minutij Pauli sagacitas 388
miseratio 320
misericordiam Athenienses pro numine habuerunt 319
misericordia 318
misericordia pro Dea culta 551
misericordia C. Cæsaris 321
misij deicolæ 359
mithridates 343
mithridates docilis 383
mithridatis in Roman. dictū 575
mithridatis benignitas in hospites 534
mithridates venator 176
mithridatis amores 262
mithridatis memoria 370
moderatio 413

modestia 397
mœror 333
mœroris verum etymō 334
molestia 347
molossi 174
mopsus diuinandi peritissimus 382
mors quid 307
mori præstat quàm precariò imperare 458
mores nouos inducere apud Persas capitale 494
mos priscorum 244
mos quid 492
mos antiquus eluendi culpas 355
mos confœderatorum Regum 560
mossini 578
muli Mariani 340
mulieres Teutonicæ 409
mulieris prouocatio ad Philippum 420
mulieres duæ gaudio pereunt 276
multitudo imperita mari comparatur 433
mummij inopia 595
mummius abstinens 405
Mummius Corinthum euertit 417
munus Regis 90
musæ Principum optima relaxatio 124
musæus 59
musica 130
musonij sententia 292
mutius Scæuola 166
mutius Scæuola Augur intrepidus 305
mylasa vrbs Cariæ 600
myson Cheneus solus quãdoque ridebat alioqui tristis 332

N

NAbis Lacedæmoniorũ tyrannus 78
nandi vsus 165
natura omnium parens 443
nauius Poëta 237
nec auidè viuendum nec libenter moriendum 432
necessitas efficacior omni arte 442
necessitas naturam instituit 442
necessitudo 518
nefarius 492
nemesis 324
nemesis 51
ne quid nimis 397
nero 376
nero ludorum actor 493
nero poësis studiosus 113
nero aleator 197
neronis fiducia 460
nero delatoribus addictus 130
nero conuiciorum patientissimus 235
nero amicos trucidabat 374
nestor Homericus 68
nestor grandæuus 436
nicias solis defectu perterrefactus 138
nicias timore perijt 295
nicocles Cypri Rex 22
nicomedes Bythiniæ Rex 80

nigidianę commentationes 138
nihil agit, qui omnia satagit 344
nihil agendo homines malè agere discunt. 460
nihil difficilius quam bene imperare 341
nitias 246
noctis diuisio in castris triplex 124
noctuam Athenas portas 603
norbanus 351
nosce teipsum 559
nouellius tricongius 421
numa pompilius 144
numæ Pompilij prouidentia 381
numæ Pompilij responsum ad legatos Romanorum 34
numantini 443
numidæ equites boni 156
numidæ fallaces 564
nuptiarum venia impetrabatur in Asia 283
nutrices quales diligendæ 102
nux pinea 119

O

OAxis 213
obediētia ciuium 578
obedientia naturæ generosæ munus 578
oblectatio 282
obscœnitas verborum procul amouenda 105
obsequium 388
obtrectatio 327
occasio 376
occisorum numerus à Sylla 506
ochus 36
octacilius Crassus 441
octauiam Nero exturbat 81
octauius Augustus 344
octauius Cæsar 58
octauius Cæs. cur Augustus dictus 66
octauij crudelitas 506
octauius Cæsar vrnam Magni Alexandri inspexit 109
octauius fortuitò seruatus 296
octauij frugalitas 422
octauius fortunatissimus 197
octauij imperium ex insomnio prædictum 592
octauius lautæ suppellectilis præcupidus 417
octauij leuitas 197
octauius meditata oratione vtebatur 117
octauij stella 591
odium turpis fuga 295
oculi animi indices 372
odium ab ira manat 253
odyssea Homeri 216
oligarchia 17
olitor Rex factus 590
olympiadum anni vnde 446
omen 382

omnia

omnia homni, dum viuit, ſperanda 352
omuli reſponſum 534
oneſicritus 2. 25
oninius diſpenſator pecuniæ 459
oppius hiſtoricus 353
optimates 16
oraculum 382
oracula velamenta fortitudinis atque ignauiæ 382
oratio Regis qualis 118
orationis proſæ origo 15
oratores inuiolati 29
oratoris munus 30
oſiris orbem peragrauit 205
othonis Imperat. temeritas. 387. eius libido, luxus ibidem. præceptor Nero 161
otto 195

P

PAchetes Athenienſis 352
pædagogi graues pueris adhibendi 105
palici Dij 559
pallas 131
panderus pictor 94
pantheon M. Agrippa Romæ dicauit 473
panætius 380
papirij creditoris libido 593
papyrus curſos 160
parcæ 150
parcitas 416
parrhaſij linteum 373
parſimonia 416
parſimonia qualis virtus 416
parſimoniæ præcepta 418
parthi fallaces 6
parthi equitandi periti 156
parthis nulla fides 563
parthorum mos militaris 6
patauium mater optimorũ equorum 157
patienti 484
patientiæ exempla 479
patrią noſtra vera 358
paulus Aemilius 55
pauor 309
pauper Reipub. pernicioſus 597
pauperum exempla 596
paupertas 595
paupertas Imperatori non eſt probro 246
paupertas procliuis ſceleri 597
pauſanias ab Argilio accuſatus 260
pauſanias iuuenis Philippum ius ſibi reddere negligentem interemit 329
pecuniæ nerui ſunt belli 449
pedanius à ſeruo interfectus 260
pelopidas 161
pelopidas 447
Pelopidas venationis ſtu-

diosus 177
pelopidæ obitus 453
peregrina pro meretrice 202
peregrinatio Regi perutilis 201
peregrinatio ad sapientiam necessaria 204
perfidiæ effectus 561
perfidiæ exemplum punitũ 563
perfidia perpetuam ignominiæ notã Græcis inussit 568
periander vxorem interemit 249
pericles ægrotans 86
pericles capite oblongo 87
pericles lingua fulmen iacit 553
periclis ambitio 113
periculorum merces gloria 616
perilli peccatum 127
peripatetici 85
peripateticorum opinio de fœlicitate 318
periurium capite vindicabant Aegyptij 559
persæ 214
persarum mos venerãdi Reges 46
persarum taciturnitas 586
persarum Reges magicę artis peritos esse oportebat 381
persarum regnum 582
persarum legati ad Amyntam 30
perseuerantia 486
perseus 352
perseus meticulosus 297
persica salutatio 47
pertinacia vnde dicatur 485
pertinacia solitudinis comes 279
perturbationes animi 240
peruicacia 485
phæræ vrbs Thessaliæ 76
phalaris 593
phalaris tyrannus 127
pharnus Stoicus amicus Bruti 65
pherecydes Thaletis obtrectator 14
phidias sculptor 94
phidiæ mors 113
philippus Macedo insolens 301
philippi pietas 545
philippus in Macedones 567
philippi facilitas 557
philippus Macedo amans 268
philippi moderatio 415
philippus Macedo dicax 122
philippus à Pausania interemptus 329
philippus Alexandrũ canẽtem obiurgat 134
philippus proditor appellatus 567
philippus Lysimachi frater 160
philippus Macedo 93
philippi modestia in Dioge-

genem 399
philippidis petitio à Lysimacho 585
philoctetes 348
philopœmen deformis 88
philopœmen venator 178
philopœmen Achæorum Dux 351
philosophiæ diuisio Platonica 139
philosophorum duodecim sectæ 363
phocion 93
phocion adulationis expers 278
phocion Atheniensis 237
phocion consilijs Leosthenis aduersatur 608
phocion Atheniensis 239
phocionis innocentia 515
phocionis responsum 554
phœbades 144
phœnices 41
phryges 63
pictor Amulius 369
pictor Fabius 617
pictura Principibus perutilis 211
picture initium 97
pietas 519
pietas 538
pietas scientia colendi Dei 546
pigritia 299
pilæ lusus 192
pila vnde dicta 194. eius species ib.
pila benè lusit Scæuola 931
pindarus Pythagoricus 141
pindari mors 169
pirithous quomodo ab Hercule ab inferis reuocatus 174
pisistratus 268
pisistratus breuis in dicendo 118
pisistrati epist. ad Solonē 18
piso Frugi 409
piso Frugi 244
piso in Othonem ib.
pittacus 61
pittacus de ebrietate 429
pittacus oblata non accepit 624
plagæ ex impetu fortiores 161
planetarum effectus in animalibus 151
plato rationem honesti declarauit 84
plato nouam Remp. scripsit 95
plato de sapiente 356
plato improbat fabulas nutricum 104
plato mulieres certare iubet 169
platonis præceptor Socrates 363
plato in Dionysium 457
plato excusatus 170
plato in Timonis vitam 550
plato cur Eudoxo & Architæ succensuerit 126
platonis verba 245
plauti inopia 554
plautus comicorum face-

tissimus 329
plautus propter vetustatem Latinæ linguæ pater 554
plebs 17
plinij præceptum de Principe 100
plinij secundi dictũ de morte 340
plinius Secundus ad Cornelium Tacitum 177
plotinus 357
plutarchus 262
podius imperialis 4
pœna & beneficium duo diuina numina 489
pœna ne maior, quam culpa 536
pœna eorum, qui seruos atrociter tractarunt 484
pœna vnius metus multorum 234
poëtæ primi omnium philosophati 488
poëtarum fabulæ 147
poëtæ obscœni negligendi 111
poëtica antiquissima disciplinarum 14
polybius 107
policletus pictor 98
polydamus pugil 447
polygnotus pictor 113
polyphemus 216
polyphemus temulentus 421
pompeianorum securitus 467
pompeij solertia bellica 56
pompeij metus 297
pompeij sepultura 469
pompeij ambitio 325
pompeius ibid.
pompeij Strabonis exitus 619
pompeij securitas nimia 467
pompeij fœlicitas in rebus gerendis 54
pompeij excidium 55
pompeium perdidit ambitio 486
pompeius erga Cæsarem 619
pompeius insolens 301
pompeius cæsus 403
pompeius venationis studiosus 178
pompeius incautus 385
pompeius negligens 57
pompilius legatus ad Antiochum 28
pompilius legatus ad Antiochum ibid.
pomponius Atticus 218
pomponij Attici moderatio 414
pomponij constantia 480
pomponij innocentia 514
pomponij Attici parsimonia 416
pompilius Silo ad Marium 386
Pappæa coniunx Neronis 81
popularis status differt à plebeio 17
porcus Troianus 183

porsenæ fœdus cum Romanis 575
porsena 475
posidonius 364
præiudicium 495
præiudicium quid 77
præmia Regis 615
praxiteles Phrinem nudam sculpsit 114
priamus 46
princeps quorum consuetudine delectari debeat 200
princeps sit continens 272
princeps fidibus non discat canere 130
princeps gloria alendus 616
princeps vitæ exemplar 240
princeps strenuus ignauos odit 147
princeps liberè loquatur non licenter 122
principes grauius peccant exemplo quam culpa 33
principis personam sustinere magnum onus 470
principes quales, tales ciues 493
principis amor 272
principis mutatio, totius ciuitatis mutatio est 493
principum diuersi mores 600
principe bono nihil inuentu difficilius rariusque 459
principis in vultu qualis modestia 397
principum actiones ab omnibus iudicãtur 602
principatus vnius optimus 59
principia naturalia 491
priscorum Poëtarum sentẽtiæ de inferis 540
priuati qua ratione Regi parere debent 570
priuati minus luxuriosi 32
prodigalitas 287
proditionis pœna 566
proditores odiosi ib.
promachus mero bibulus 421
prometheus 40
propertius 213
prothei iocus 475
protesilai domus 359
protogenes & Apelles 533
protogenes ab Apelle victus 532
protogenis tabula 122
prouerbium 446
prouerbium 456
prouerbium 372
prouerbium 376
prouerbium 530
prouidentia 389
prudens fortunam semper in consilio habet 369
prudentia intellectiua 370

prudentia & eius species 167
prudentiæ species 371
prusias Rex adulator 224
prusias Bithyniæ Rex 434
pseudophilippus 79
ptolomæus 164
ptolomæus Rex Cyprius desperauit 252
ptolomæus cur Euergetes dictus 79
ptolemæus Macedoniæ Rex 521
ptolomæi statuta 580
ptolomæus fautor doctorũ hominum 86
ptolomæus Alexandri frater 315
Ptolomæus Cosmographus 208
ptolomæi Regis pergrinatio 203
ptolomæus Stilponem amplexus 924
pudere & pigere 304
pudicitia 424
pudicitia 409
pudor custos decori & mater honesti consilij 401
pudor moderator cupiditatum 402
pudoris definitio 303
pumiliones 104
pygmalion 272
Pyrithous & Theseus 109
Pyrrhi inconstantia 486
pyrrhi magnificentia 476
Pyrrhon 13
pyrrhus 463
pyrrhus Molossorum Rex 486
pyrrhus 164
pyrrhus de seipso 481
pythagoras 59
pythagoras de esu animalium 359
Pythagoras de virtute 364
pythias 52

R

RAdamanthus 66
rascopolis 390
ratio ib.
ratiocinatio 371
ratiocinatio est consultatio ibid.
reges prisci hastis pro diademate mare vtebantur 341
reges Asiæ virginum flores primi carpebant 283
reges, pastores 505
reges discipuli Iouis 488
reges nostri sint contenti iure Romano 504
reges syderibus adiuuari 590
reges inuidia rarò torquentur 52
regionum nomina mutata 70
regis finis similitudinẽ Dei imitari 512
regis definitio 73
regis arcana securè victuro fugienda 585
regis obseruantia in victu

qualis 465
regis officia in pace & bello 574
reges quos debeant imitari 326
regis amicitia sit communis 525
regum consilia diuina 589
regnum præstãtissimum & Deo simile 570
religio 545
religio quid 142
religio vnde dicta 546
religiosi & superstitiosi in quo differant ibid.
respub. num regno præferenda 573
rex Deo similis 1
rex per misericordiam similis Deo sit 321
rex quorum consuetudine delectari debeat 104
rex patris instar 20
rex ius animatum 77
rex belli cor 449
rex non astutus 201
rex omnia scire vuult 598
rex in ciuitate quasi paterfamilias 523
rex theatrum quoddam in quo vitia spectantur & virtus 570
rex sit metus expers 295
rex iudex 571
rex Deo conciliatus multa præsagit 461
rex sacrorũ antistes appellatus 574
rex formosus gratus 87
rhodij mediocres 497
rhodius quidam 352
romanorum fides 563
romanorum religio 145
romanorum laus 158
romani Geographiæ studiosi 212
romanorum legati ad Ptolemæum 580
romanorum peregrinatio 203
romulus à Senatoribus discerptus 505
romulus ex pastore Rex factus 473
roscius Syllæ familiaris 374
roscius histrio 345
rotæ natura 220
rutilij obitus 332

S

SAagacitas 388
sagæ anus 388
sagittandi exercitatio 108
saguntini 443
sallustiana sententia 453
sallustius carpitur 117
salutatio Persica 47
salutis ædes 617
sambucistriæ 494
sapiens vnius Dei imitator sit 556
sapiens sit oportet, qui norit sapientẽ explorare 353
sapientem inuenire difficile est ibid.
sapor Persarum Rex 541
sappho 257
sapphûs mors 274
sardanapalus 148

sardanapali Epitaphiũ 282
sason insula 7
satietas optimum rerum 575
saurius statuarius 617
scæua Iulij Cæs. miles 447
scæuolæ nandi peritia 168
scæuolæ factum 28
sceptici, id est, considératores, cuius sectæ erant Pyrrho & Aristo. 394
scientia sine exercitatione parum prodest 365
scipio maior continens 405
scipio Africanus 341
scipio Corneliæ pater 350
scipio victor 433
scipio & Hãnibal fortissimi Imperatores 433
scipio amori Masinissæ non indulsit 264
scipio Ennij effigiem in monumentis Corneliorum collocauit 624
scipionis beneuolẽtia cum Masinissa 532
scipionis maioris religio 144
scipionis dictum 71
scipionis & Hannibalis cõgressus apud Zamam 433
scipio Nasica vir bonus 463
scipionis liberalitas 246
scopa Thessalus 244
scipio maior patrem liberauit 163
scythæ moderati 105
scythæ equitandi periti 156
scytharum iusiurandarũ 559
secreta Regum 585
securitas fœlicitatis effectrix 469
securitas 466
segnes dolore torpent 419
seleucus Rex 263
semiramis prima masculos castrauit 304
semiramis 259
semiramis condidit Babylona 471
semiramis filiũ amauit 266
sempronius Gracchus 314
seneca 376
senecæ Tragici sententia 465
senecæ mors 375
sensus quibus homo cæteris præstat, quibusque vincitur 373
sepeliendi mos apud Caspios 174
sepulchrum Simandij Regis 473
serapion adolescens 194
sertorij tolerantia 483
sertorius à Perpenna cæsus 468
sertorius agilis 161
sertorius simulator 280
sertorij cerua 581
sertorij cerua 144
sertorius cautus 400
sertorius honestissimus 413
sertorij fortitudo ex dolore capta 440
sertorius à periculis vires sumebat 446
sertorius nandi peritus 167
serui atrienses 124
serui heri sui mortẽ vlti patientia 312
serui Tyriorum occisis dominis

minis Regē eligunt 48
Seruum plus oportet scire quam loqui 587
seruilia Catonis soror 265
seruilia Bruti mater 63
seruus sit, qui liber esse nescit 581
seselis 184
seueritas Regem decet 505
seueritas iustitiæ quasi perseuerantia 505
sextus Pōpei⁹ instabilis 487
sextus Tarquinij filius 75
sextus cœlius I.C. 393
sexti Pompeij mors 544
sexti Pompeij fides 558
sidon 605
sidonij ab Alexādro Regem expetunt 589
silenus Bachi alumnus 36
silij Italici dignitas 85
eius mors 86
silij versus 157
similitudo in simultatem versa 327
simonides 444
simulachra ex ligno 612
smyrna vrbem sui nominis ædificauit 473
sobrietas 419
sobrius 419
societate hominum Deo nihil acceptius 362
socrates 364
socrates sophronisci fili⁹ 363
socrates Xenophontis præceptor 270
socratis sententia 32
socrates musicæ sciens 130
socrates Ethices inuentor 363
socratis æquanimitas ib.
socratem edocuit Gymnosophista Indus 359
socrates bardus Zopyro dictus 332
socrates adulationis impatiens 224
socrates pugnauit ad Potideam 108
socratis pudor 404
socrates sobrius 424
sol Deus apud Persas 48
solicitudo 545
solicitudinis efficacia in bonis ingenijs 346
solis defectiones 137
solon ad Arnacharsin 531
solonis epistola 18
solonis sententia 231
solon sapientissimus 531
solonis lex de coitu 425
solonis lex 304
solonis lex 399
solonis de ebrietate 420
sophocles 110
sophoclis responsum 268
sophonisbæ Reginæ mors 264
sorex Mimorū princeps Syllæ familiaris 374
sositheus Poëta 238
sostratus orator 533
sothares Atheniensis 341
spadones 104
spargapises 213
sparta Hecatompolis 334
spartanæ mulieres 296
spartanorum Respublica 67

sparta-

ſpartanorum legatus 71
ſpes Regina hominum 308
ſpes Regina hominum 444
ſpes in vita hominib. dulciſſima ibid.
ſphæræ inuentum 128
ſtabilitas 484
ſtallius Epicureus amicus Bruti 65
ſtatuarij duo 17
ſtatus popularis 617
ſtatuæ Romanæ laudabiliores Græcis 112
ſteſilia Chia 265
ſtilpo Megarenſis 332
ſtoici ab Ariſtotele diſſentiunt 250
ſtoici veri Philoſophi 84
ſtrabo Romæ vixit 208
ſtrabonis ſententia de Rege 525
ſtrabonis ſententia 214
ſtraton à ſeruo conſeruatus ad regnum peruenit 49
ſtratonicæ à priuigno adamata 263
ſtrato Lampſacenus 148
ſubiectorum obedientia à Principis prudentia 568
ſuibus anima pro ſale data 607
ſulpitius occiſus 566
ſulpitius Gallus Aſtronomus 138
ſuperbius 574
ſuperſtitioſi & religioſi in quo differant 546
ſybaritæ luxurioſi 148
ſyceta Diogenis pater 358
ſyderum cognatio cum Regibus 593
ſylla 61
ſylla venator 469
ſyllæ inuidia erga Settorium 620
ſyllæ æmulatio & Marij 123
ſylla venationis ſtudioſus 177
ſylla ambitioſus 281
ſylla fortunatus 374
ſyllæ mors 249
ſylla cantor 131
ſylla ſæuus 249
ſylla Romanorum ſæuiſſimus 595
ſyllæ familiares 374
ſylla intemperans 367
ſylla moderatus 415
ſylla in Pompeium 619
ſylla crudelis 283
ſyracuſani Ancona ſtatuere 474
ſyrenes 216
ſyri Reges 607

T

TAbula Apellis 92
tabulæ victoribus poſitæ 427
taciti verba 289
taciturnitas Perſarum & Hiſpanorum 586
tantalus ib.
tarentinorum iuuenum procacitas in Pyrrhum 120
tarentum Venus expugnauit 258
tarpeia virgo proditrix 566
tarquinij exitium 561
tarquinius Superbus 192
tatius Sabinorum dux 566

temo-

temeritas 384
temeritas quid 436
temperans quis 395
temperantia 394
temperantiæ comites 397
temperantiæ definitio generalior 394
temperans homo 396
templorum euersores puniuntur 542
templũ Dianæ Ephesiæ 548
tempora duo : Pacis & Belli 574
tenfa Regina 30
terpander citharædus 124
terra mater 507
terror quid 304
testudinis cautio 387
teucer Salaminam condidit 474
thamyras 127
thamyras oculis priuatus 463
thalestris 267
thales Milesius 141
thalethes 163
thebani voluptuosi 148
thebani Musicæ studiosi 132
themistocles laudis auidus 624
themistoclis simultas cum Aristide 565
themistocles vbi sepultus 13
themistocles hostis patriæ 573
themistoclis exilium 523
theodorus Byzantius 313
theodolus 322
theognidis sententia 200
theophrastus 364
theopompus Lac. Rex de obsequio 568
theopompus Lac.Rex 524
theseus 369
theseus Herculis sectator 181
theseus & Pyrithous 109
thraces modestissimi 105
thracum versutia in Bœotios 563
thrasibuli epistola 75
thrasibulus 624
thrasonis Philosophus abstinens 255
thusci apri 182
tiberius adulationis impatiens 228
tiberius meticulosus 294
tiberij modestum responsum 399
tiberij somnium 314
tiberio obiecta multa crimina 507
tiberij dictum 341
tiberius erga filios 521
tiberij negligentia 300
tigranes inconstans 314
tigranis Regis Põti fastus 82
timanthis pictura 309
timocreon Poëta 323
timonis epitaphium 550
timor 306
timotheus cononis filius 72
timotheus Musicus Alexandro charus 132
timotheus Atheniensis 735
tirones Alexandri 162
tithonus Casiã condidit 473
titus humani generis deliciæ 236
tolerantia 414

tolomnius Veientum Rex Roman. violauit legatos ibid.
tomyris 213
tragici legendi 110
trebonius 562
troglodytæ optimi cursores 160
tragœdia 545
trallibus enata palma 591
tribuni 18
tributa apud Persas à Dario primum instituta 478
tristitia in bonam partẽ 333
tristitia 331
tritamnius 427
tullia scelerata 561
tutor filij Ptolemæi Aegyptij Regis pop. Rom. 565
tyberij robur 86
tyrannis quid 77
tyrannus odit optimos magis quàm deterrimos 74
tyrannus 16
tyriorum serui occisis dominis Regem eligunt 48
tyrones præliorum 445
tyrtæus Poëta fœdo aspectu 58
tyrtæus Poëta & Imperator 110
tyrus vrbs Phœniciæ 605

V

VAlerij Publicolæ paupertas 246
valerius coruinus sobrius 424
varro decem Sibyllas recẽset 143
varro Cannensis cladis caussa 222
varronis temeritas 448
vatinius 119
vectigal ex cloacis Latinis publicis 419
vectigale iudiciale 555
venatio bello comparatur 176
venatio 170
venatio Principibus grata 175
venatores 176
veneti obsident Ferrariam 70
ventidius Bassius mulio 606
venus legitima non abhorrenda 425
veneris ludus 591
venus Apellis 275
verecundia 401. Pudor ib.
verecundiæ & pudoris differentia 303
veritatis definitio 228
veritas & virtus idem 217
veritas temporis filia 218
versutia 380
vespasianus maledicta pertulit 235
vespasianus 494
vespasiani sobrietas 422
vettones populi 158
vexillum rubrum futuræ pugnæ signum 586
vinum sanguis terræ 421
vinum fortibus perpetuum præmium 540
viriatus rusticus 506
viriatus ex venatore Imperator factus 178
viriatus ex venatore Dux con-

constitutus 452
vir bonus ad viuendum sibi sufficit 509
viri Ciuiles 362
viri & vxoris officia 20
virgilius Homerum imitatus 326
virgilius 391
virtus, perfecta natura 491
virtus pertinax vincit omnia 485
virtutum exemplar in Deo solo 356
virtutum diuisio 354
virtus voluntaria 365
virtutis imago vnde dicta 357
virtutis præmiū, honor 523
virtus ciuilis 364
virtus 355
virtus iuxta Aristotelem quid 365
virtute nihil amabilius 517
visus omnium sensuum acerrimus 372
vita duplex 357
vitellius 260
vitellij inconstantia 486
vitellij ignauia 232
vitellius 599
vitellius primus Cæsarem adorauit 227
vitis honoris gestamen 427
vitis in Bacchi manu 427
vitruuius 129
vlysses pacatus 435
vlyssis ingenium 22
vnitas origo multitudinis 59
voluptates Campanæ 277
voluptas ibid.
voluptas 355
vrbanitas 390
vrbium ædificatores 473
vsura pœnis coercenda 596
vuarum tres species 420
vultus in homine tantū 470

X

XAntij 443
xantippe Socratis coniunx 323
xantippus 89
xenocrates 29
xenophanes 353
xenophanis sententia 1
xenophili Musici vita 89
xenophon 340.
xenophon mendacij arguitur 100
xenophon Musa Attica 170
xenophontis dictum 449
xerxes ab Artabano trucidatur 543
xerxis exercitus ib.
xerxis liberalitas in Themistoclem 13

Z

ZAlcucus 69
zelotypia 328
zeno Citticus 83
zenō de virtute 364
zeuxis pictura 97
zeuxis & Parrasij de pictura certamen 373
zeuxis opera sua Regib. donat 612
zeuxis vua 373
zalus 14
zopyrus physiognomus 331

FINIS

FRANCISCI PATRICII SENENSIS, PONTIFICIS CAIETANI,

DE INSTITVTIONE REIPVBLICAE LIBRI IX. AD Senatum Populúmque Senensem scripti.

Opus sententiarum ac Historiarum varietate refertissimum: cum Annotationibus margineis; Indiceq; vocabulorum, factorum dictorumque memorabilium, copiosissimo, serie Alphabetica digesto.

EDITIO POSTREMA.

ARGENTINAE,
Impensis LAZARI ZETZNERI.
cIↃ IↃ XCIV.

TITVLORVM AC CAPITulorum libri primi Index.

PRæstantiorne sit Respublica, an vnius Principis imperium, tit. j.
Platonis, Xenophontis, Aristotelis, & Ciceronis libri de ciuili societate, quibus rebus inter se differunt, tit. ij.
Ciuilis societatis ratio & inuentum, tit. iij.
Quot Reipub. status sint, & quis singulorum finis esse videatur, tit. iiij.
Optimam Remp. eam esse in qua leges dominantur: de legum virtute, quæ quidem magistratibus semper præesse debent. De legum inuentione. De legum latoribus, tit. v.
De æqualitate ciuium inter se, & de his rebus quæ concordiam pariunt, tit. vj.
Quid cum agricolis, & rusticis agẽdum sit in Rep. tit. vij.
Opifices & mercatores quomodo accipiendi sint in Repub. De suffragijs reddendis, tit. viij.
De ædificandi ratione, quam architecturam dicimus, & de eius inuentoribus, ac septem mundi spectaculis, tit. ix.
De pictura, sculptura, & cælatura, & de earum inuentoribus, & qui in singulis profecerint, tit. x.

Secundi libri Index.

DE literarum inuentoribus : de Grammatica. tit. i.
Mathematicam ciuili viro necessariam esse, tit. ij.
De Arithmetica: de Geometria, de Musica: de Astronomia, de earum ratione, & inuentoribus. iij.
De medicina & eius inuentoribus, tit. iiij.
De Eloquentia, & de eius virtute, & vtilitate, & inuen-

toribus: de dialectica, & eius inuentoribus, tit. v.
De Poetis & eorum virtutibus, & qui legendi quiq; ex theatris exigendi sunt, tit. vj.
De ludis gymnicis: de ludis Circensibus: de ludis gladiatorijs: de ludis Scænicis: de pugilum certaminibus: de ludis Lupercalibus, tit. vij.

Tertij libri titulorum Index.

DE ordine magistratuum, tit. j.
De officio priuatorum in eos qui magistratum gerunt: de officio eorum qui magistratum gerunt in priuatos: de virtutibus eorum qui Reipub. præsunt: distribuendam esse ciuitatem ad eligendos magistratus, & tutius ciues quàm peregrini imperant, tit. ij.
Quid obseruare debeant senatores, tit. iij.
De eligendis magistratibus: de ambitu comprimendo: de diuinis magistratibus: nihil in Repub. agendum esse, nisi ritè propitiato sacrificijs Deo, tit. iiij.
De Pontifice, & eius nomine: de summo magistratu, quem consulatum Romani appellant, cui duo præesse debent, vnus domi, alter militiæ, tit. v.
De magistratibus qui iuridicundo præesse debent, & de litibus, tit. vi.
De vadimonij iustitijq; temporibus & de causis defendendis: de Censoribus, & eorum duplici munere, quid sit mos, quid sit consuetudo, quid sit censere, quid sint capite censi, quid sint proletarij, tit. vij.
De iudicio capitali more Romano: De triumuiris capitalibus, tit. viij.
De quæstoribus, tit. ix.
De ærarij ratione. De viris monetalibus, & de nummis: de excubijs vigilijsq; exercendis, tit. x.

De præfectis vigilum: de præfectis annonæ, quid annonæ nomen significet, tit. xj.
De ædilibus qui ædib. sacris præsunt, vijs publicis, aquarum ductibus, pontibus, & cloacis, tit. xij.

Quarti libri titulorum Index.

MOdum priuatis agris præscribendum esse, tit. j.
De similitudine rei familiaris, & Reipub. de officio patrisfamilias: de seruitijs & eorum vsu, tit. ij.
De connubio maritali, veram amicitiam inter coniuges esse, tit. iij.
De officio mariti, tit. iiij.
De officio vxoris, de virginitate, & pudicitia, tit. v.
De officio parentum in alendis, educandisve liberis, de doctis, eruditisq; fœminis: de tribus generibus virtutum: de liberalibus artibus, tit. vj.

Quinti libri titulorum Index.

OPtimi ciuis præcepta, Institutio ciuilis vitæ. Et quæ ad tranquillitatem ducit: de vrbanitate: de astutia: qui sunt habendi ciues: de patria germana: de patria iuris, tit. j.
De ciuili viro: de concordia ciuium: de animi ratione, de ciuilibus virtutibus: de fortitudine, & eius comitibus: de iustitia, & eius comitibus, tit. ij.
De vtilitate ciuili: de artium vtilitate, tit. iij.
De beneficentia: de gratijs: de liberalitate: de vanitate, & mendacio: de iureiurando: de modestia sermonis: de opportunitate silentij, tit. iiij.
De adulatione: de recto consilio: de iracundia: dissimulandam esse aliquando sapientiam, tit. v.

De virtute cuiusq; ætatis, tit. vj.
De spatio humanæ vitæ: de modestia vitæ, tit. vij.
De secunda mensa: de vtilitate rei rusticæ, tit. viij.
Sumptus oēs comprimēdos esse: de impensis funerū, tit. ix
Sepulchrorum modus, tit. x.

Sexti libri titulorum Index.

DIuisio ciuitatis, ordo ciuilis. quid sit nobilitas, tit. j.
Regionis, agrorumq; diuisio, tit. ij.
De priuatis patrimonijs, tit. iij.
De officio ciuium in peregrinos, qui ciuitate donandi, quique exigendi sint, tit. iiij.
Quæ vitanda, quæve obseruanda sint, ne ciuilis status euertatur: Virtutem solam Remp. augere, vitia Remp. labefactare, tit. v.
Periculosas omnes institutionum mutationes, delectum inter ciues esse habendum, super ciuibus publicè esse decernendum, tit. vj.
Pulchris nominibus ciues esse nominādos, de nominibus, de prænominibus, de cognominibus, propriorum nominum interpretatio, tit. vij.

Septimi titulorum Index.

DE situ vrbis & regionis, de loci oportunitate, de eligēdo solo, agroq; qui ea omnia suppeditet, quæ ad viuendum spectant: animalia ac plantas cum regionibus cæli conuenire, de regionibus cæli, tit. j.
Italiam regionum omnium temperatissimam esse, tit. ij.
De ventis & eorum regionibus, tit. iij.
De vbertate soli eligenda, tit. iiij.
De silua: de nemore, & eius arboribus, de silua cædua &

eius arboribus, de silua materiaria, & eius arboribus, de tempore cædendi, de castratione arborum, de lunæ obseruatione, tit. v.
De materia lapidea ad vsum ædificandi, tit. vj.
De calce, tit. vij.
De arenarum generibus, tit. viij.
De laterculis, tit. ix.
De aqua, & diuersis eius virtutibus, tit. x.
De balneis, & medicis aquis, tit. xj.
De optimo vrbis situ: de regionis forma, tit. xij.

Octaui libri titulorum Index.

ARchitectum optimum adhibendum esse cùm vrbs statuitur, tit. j.
Loci genium antiqui propitiare consueuerunt antequam vrbem conderent: de genio, de dijs penatibus, de dijs patrijs, de dijs Samothraciæ, tit. ij.
De facie ac forma vrbis, de pomœrio, siue agro effato, tit. iij.
De munimentis loci, de mœnibus vrbis, tit. iiij.
De turribus, & earum forma, tit. v.
De pinnis turrium, & murorum, tit. vj.
Anfractus, & præcipitia optimè munire vrbem, de fossa, & aggere: De munimento contra ictum arietis, tit. vij.
De portis, tit. viij.
Sit ne statuenda arx in vrbe liberæ ciuitatis, tit. ix.
Viarum ratio, de porticibus & compitis, tit. x.
De priuatis ædibus, tit. xj.
De publicis ædificijs, tit. xij.
De foro, tit. xiij.
De theatro, & scena, tit. xiv.
De bibliotheca, tit. xv.
De ædibus sacris, tit. xvj.

Noni libri titulorum Index.

DE belli ratione, & consilio, periculosum in Rep. esse se belli authorem polliceri: Sitne decernendum bellum propagandi imperij gratia, moderandam esse cupiditatem viuendi, fallacem esse belli fortunam, tit j.
De Imperatoribus belli eligendis: quibus virtutibus atque artibus abundare debeant; de Imperatoris officio, praecepta frugalitatis, astuciae, & prudentiae, Imperatoris ingenij magis quàm virium munera praestent, tit, ij.
De officio Imperatoris, qui militiae vrbanae praeest, praecepta calliditatis, praecepta custodiae, de clementia Imperatoris in subiectos, tit. iij.
Scribendae militiae ratio, de aetate, forma, & indole tyronum, de ludicris armorum certaminibus, tit. iiij.
Qua aetate milites praeficiendi sint, principia, & castrorum magistratus, tit. v.
De praemijs, ac muneribus militaribus, tit. vj.

FINIS.

AD SENATVM POPVLVMQVE SENENSEM FRANcisci Patricij Senensis, Pontificis Caietani,

EPISOTLA.

DIVTVRNAE peregrinationis meæ honesta causa efficit, vt desiderium optatæ patriæ tolerabilius perferã. Nam si qua alia ratione tandiu abfuissem, certè senio atq; mœrore iampridem confectus essem. Sed Pontificij Caietani (cui per religionem Christianam præsum) munere impeditus æquiore animo patria consuetudine, & suauissimis conciuium meorum sermonibus hucusq; carui. Adblanditur sanè mihi non parua ex parte amœnitas Caietanæ vrbis, & ciuium in me indulgentia: qui non vt peregrinum & aduenam, sed vt indigenam ac conciuem, me omni officio omniq; pietate complectuntur. Additur etiam mirifica quædam regionis vbertas, & admiranda cœli salubritas, quæ homines ad multam vsque ætatem sanos incolumesq; alit. Proinde minus admirandum est, Scipionem Aphricanũ solitum fuisse dicere, se repuerascere, cùm ad Caietam vna cum Lælio amico suo conchas legeret, & vmbilicos. *Ex secundo de Oratore.* Nunc autem negocijs quibusdam necessarijs expeditus, effectisq; pro tẽpore rebus ijs, quibus vrgebar, spero me aliquãdo in patriam reuersu-

rum : tum vt eius desiderio me tandem expleam, tum vt ciuium vernacula festiuitate fruar. Interea tamen dum absum, partium mearum esse duxi, libros quos nuper de Institutione Reipublicæ absolui, ad illustrem Senatum clarumque populum Senensem mittere, vt aliqua ex parte conciues mei me reducem in patriam cernere possint. Nihil enim esse potest, quod magis hominem indicet, quàm sermo. *Sermonis vis.* Sensum enim mentis aperit, & animũ ipsum exprimit, qui & diuinus est, & maxima atque optima hominis pars esse perhibetur.

Socratis dictum. Hinc illud Socratis, cùm tacenti adolescenti ait: *Loquere, vt te videam*, cùm non ex corporis facie sed ex animi habitu hominem intuendum esse censeret. Nec verò adeò arrogans sum, vt præcepta ciuilis sapientiæ viris Senensibus me tradere posse existimem : cùm hoc mihi omnino persuaserim, nihil de humana societate præcipi posse, quod vestris institutis ac legibus non omni ex parte perfectum absolutumque sit. Recensebo tamen vetera nonnulla, quæ auditu fortasse non erunt iniucunda : & quæ si lautam supellectilem vestram non illustrabunt quidem, ostendent certè prisca cõsuetudine instituta vestra comprobata esse, & ex ipsis sapientiæ fontibus hausta. Gratum enim viatoribus esse solet, eorum vestigia terere, qui rectè ambularunt. Et optimi gubernatoris est ea arte cursum dirigere, qua facilè plurimi in portum delati sunt. Vnum tamen patrio iure impetrare à vobis cupio, vt vindices librorum meorum esse velitis. Scio enim obtrectatores mihi non defuturos, & præsertim cùm cernam optimos quosque scriptores præclarissimarum artium ab illis ad vnum omnes laceratos esse : & Homerum in primis, qui Poëtarum parens fuit, & omnium disciplinarum dux. *Homerus ab inu dis laceratus.* Is enim æmulos complures habuit, & Zoïlum præcipuè Macedonem, qui vt ingenium suum diuino Poëtæ præferret, ausus est in Iliadem, Odysseamque scribere, cognomenque inde Homeromastigis affectauit. *Zoilus Homero mastix.* Qui igitur inuidiæ morsibus

vrsibus carere potero, nisi vos adiutores, ac vires impetraro. Sed si forte vitio mihi detur, & præsertim ab ociosis vitiligatoribus istis atque oscitantibus (qui in alienis libris ingeniosi videri volunt, & illis inuident, quibus esse pares animo desperant) quòd pleraque à Græcis scriptoribus transtulerim, & complura etiam ex Latinis acceperim, inque vsum meum conuerterim: his respondendum esse censeo, me parum admodum fidei rebus meis facturum fuisse, si solùm authoritate mea niterer, & præsertim in ciuili institutione, quæ exemplis potius est persuadenda, quàm argumentis extorquenda. Est & præterea hæc consuetudo omnium scriptorum, vt aliena suis misceant, tum vt certiora scribant, tum vt gratius iucundiusque legantur. Et alioqui, vt Flauius Albinus ait, fructus quidam legendi est, æmulari quæ in alijs probes, & quæ maxime inter aliorum dicta mireris in aliquem vsum tuum opportuna deriuatione conuertere. Aphranius quoque Togatarum Poëta, cùm responsum afferret his qui eum insimulabant, quòd plura sumpsisset à Menandro: *Fateor* (inquit) *accepi non modo ab illo, sed vt quisque habuit quod conueniret mihi: & à Latino etiam, quodcunque me non posse facere melius credidi.* Præcepit etiam Quintilianus, (quod & Macrobius recensere nititur,) apes nobis imitandas esse quæ diutius vagantur, vt flores carpant, deinde quicquid attulerint disponunt, fauisque suis inserunt, succumque varium proprij oris spiritu in dulcissimum illum nulli similem mellis saporem conuertunt. Hoc etiam sentire videtur Cicero, cùm ait: Nos quidem ea tuemur quæ dicta sunt ab his quos probamus, eisque nostrum iudicium, nostrumque scribendi ordinem adiungimus. *Lectionis fructus.*

Neque hoc nouum aut inusitatum videri potest: cùm cernamus omnes authores, cùm Græcos tum Latinos, manifestè aliena in rem suam conuertere. Multa Plato à Pythagora, complura Aristoteles à Platone, pleraque Theophrastus

ab Aristotele accepit : quæ quidem ex eorun facilè cerni possunt.

Omitto Chrysippum, qui tanta licentia alter cepit, vt cùm Euripidis Medeam quasi totam ampuisset, per risum discipuli Medeam Chrysippi, non Euripidis tragœdiam illam appellabant. Ab Homero autem non modo Poëtæ omnes decurrunt, vt flumina omnia ab Oceano defluunt, verùm scriptores etiā aliarum rerum. Nam & Strabo Cretensis totus Homericus est, & Dio, & Philostratus, & innumerabiles alij. Latini etiam à Græcis & à nostris magna cum libertate acceperunt, & Cicero in primis, qui à Platone & Demosthene magna ex parte decurrit, & virtutes omnium Græcorum, quos probauit, in Latinū eloquium transtulit. Sic Quintilianus à Cicerone manat, & omnes qui post eum Latinè & eleganter dicere conati sunt. Virgilium etiam non puduit millia versuum ab Homero transferre, & affectus omnes imitari. Sic etiam ab Hesiodo, Apollonio, Theocritoq; plurima accepit. Sumpsit quoq; pleraq; à Latinis, & cùm nonnullos minima ex parte probaret, rogareturq; cur eos legeret, & excerperet? respondebat se margaritas ex cœno legere. Grati tamen animi esse duco, eorum nomina profiteri, quos imitamur, & à quibus accipimus. Nam ingenui pudoris est (vt ait Plinius) fateri per quos profecerimus: & hæc quasi merces authori iure optimo pēsitanda est, ne fures esse videamur. Ad hanc sententiam Cicero loqui videtur, cùm ad Brutum ait: *Tu quidē à Neuio vel sumpsisti multa, si fateris: vel si negas, surripuisti.* Nos quoque id docuit Thales Milesius. Nam cùm senex admodum admirandam quandam rationem de Sole commentus esset, eandem Mandritum Philosophum Prienensem edocuit: qua quidem noua inuentione ille delectatus, cùm prius gratias egisset, optare iussit quam mercedem pro tanto documento repēdi vellet? Cui Thales: *Satis*, inquit, *mihi fuerit mercedis, ô Mandrite, si id quod à me didicisti, cùm proferre volueris, tibi non adscimeris, sed eius rei me potius, quàm alium repertorem prædicaris.* Non igitur id mihi vitio dandum erit, quod antiquis

Chrysippi Medea.

Virgilij dictum.

q omnibus ceessum fuit, & inter eorum laudes co meratur & præsertim cùm doctiores essent & us aliena pis indigerent. Ab eiusmodi igitur repi ensoribus, & dignitate, & authoritate vestra met. amini opus est, viri Senenses, & doctrina ac sapie a defendatis. Nihil enim aliud causæ esse puto, cu mmos os, magnosq; Principes ac populos in l libris iptores implorent, nisi quod maleuoli ė btrei ores longè magis obloqui atq; oblatrare f nida in eos, quos talibus defensoribus munitos è ce unt.

AD SIX PONTIFICEM MAXIM RANCISCI PAtricij Senen..., Pontificis Caietani, de institutione Reip.

PRÆFATIO.

Ad Sixtum Pontificem maximum.

INSTITUENTI mihi, Sixte Pontifex maxime, lucubrationes quasdam meas de Ciuili societate literis mandare, modesta sanè cogitatio occurrebat, quæ industriam meam non parua ex parte imitteret: plerosq; enim fore verebar, qui me petulátia acieuita accusarent, vt qui ea attingere auderem, quæ summo ingenio exquisitaq; doctrina Philosophi, atque Oratores omni studio omnique diligentia tractauerunt, & præsertim nostris temporibus, cùm minor doctissimorum hominũ numerus sit, minór que librorum copia, quàm priscis illis seculis, quibus disciplinæ omnes bonarum artium vbique gentium florebant, & singula quæque nobilissimarũ vrbium, bibliothecis multis voluminum millibus refertis abundabant. Quibus respondere possem, par esse omnibus o-

PAGES PARTIALLY ILLEGIBILE

omnia experiri, multaq; ecij à rebus suis illis da[...]s, qui aliena mod[...] statuant industria. Labor enim hic meus non illiberalis, si pauci proderit, nemini tamen obesse poterit. Possum etiam mitius [...] destiuq; agere, & praesertim cum his qui aquiores erunt [...] que inuidia laborabūt, me hoc cōsilio munus scribendi de insti tione Reipublicae accepisse, quòd antiqua satis esse videre[n]tur, & alijs gentibus praecepta, ea quae a summis illis viris scri[pta] sunt. Non enim perpetua semper esse possunt, nec omnibus ho[ne]sta videri omnia quae de ciuili vita praescribuntur. [...] Mu[t]a[n]tur siquidem hominum mores, & iudicia saepenume[ro] in va[r]ias partes distrahuntur.

Aristoteles honestū quomodo definierit.

Proinde minus admirandum est, Aristo[te]lem à solo euentu honestum definiuisse, cùm ait id esse honestum [e]x quo aliquis splē dor aut honor ad eum manauerit, qui aliquid gesserit. Et Cicero id honestum esse dixit, quod multitudinis rumores laudent. Cuius enim illa laus popularem auram captat: [...]oque vix diu stabilis esse potest, aut omnibus pariter place[re] [...] [n]eque verum est, quod sibi plerique persuadent, nihil rectu[m] esse nisi quod suis moribus conuenit, nihilq; turpe nisi quod a [...] abhorret. Nam libera sunt hominum iudicia, & quisque ad ea studia incenditur, quae patria consuetudine laudātur.

Musica in pretio apud Graecos.

Epaminūdas musica delectatus.

Themistocles lira imperitus Tuscula. 1.

Musices laus in omni Graecia quàm maxima habebatur: nec quisquam satis egregius satisque eruditus videri poterat, qui eiusmodi disciplina expers esset. Quo circa inter excellentes Epaminunda Thebani virtutes eum commodè ad numerum saltasse referunt, & scienter admodum ad cytharam cecinisse. Et Themistocles cum in epulis oblatam sibi de more lyrā recusasset, habitus est indoctior: vt refert Cicero. Romani verò hanc laudem in suis Imperatoribus maximè desiderarunt; quam tamē tanti Socrates apud Platonē facit, vt mutationē quoq; musices periculosam Reipublicae arbitretur, perinde ac si ciuium fortuna ex fidibus penderet.

Atheniēsibus licuit sororem ducere vxorē.

Licuit Atheniensibus eodē patre natā sororē vxorem ducere: quod & multi alij, & in primis Cimon Miltiadis filius effecit, qui Elpinicem germanam sororē duxit. At id apud Romanos nō modo nephas, verùm execrabile omnino fuisset. Virgines Spartanae ante nuptias luctabantur in palestra, viduae autem mercede conducta in scenam prodibant. Quis igitur Romanis temporibus aut nostris etiam hoc ferret? Contra verò quaedam nostris hominibus pulchra videntur, quae ab alijs improbantur. Vxorem in conuiuiū ducere, laudi nostris est, apud

PAGES PARTIALLY ILLEGIBILE

apud Græcos verò nephas. Tenent primum locum adiũ nostra fœminæ, & in celebritate hominum versantur: illorum autem in penetralibus sedent, neminique ad eas aditus est, & rarò admodum prodeunt. Hæc & similia multa inueniũtur, quib. docemur non omnino alienum esse, ciuilia præcepta nostro tempore perscribere, & ex diuersis veterum voluminibus quæ optima sunt delibare, ex nostris quoq; moribus quæcũq; vtilia videbuntur admiscere. Atqui si impar diuinis illis ingenijs omnino ero, non pudebit eorum vestigia venerari, & cum Persio dicere:

Ad sacra vatum carmen adfero nostrum.

Et si ex primis subsellijs spectare non potero, honestè in tertijs quartisq́; sedebo. Licet enim de eisdem rebus complures scriptores legere, nec præcipuis illis solùm contenti esse debemus. Vera namq; est sententia Plinij, qui exprobranti cuidam, quòd minus probata volumina lectitaret, respondit, nullum se librũ tam malum inuenire, qui non aliqua ex parte prodesset. Multi Græcorũ de ciuili societate scripserunt, & in primis Pythagoras Samius, à quo Crotoniatæ, omnesq́; ferè Italiæ populi præcepta Reipublicæ acceperunt. Summa laude extulerunt veteres duos Pythagoræ discipulos, Zaleucum, qui leges Locrensium scripsit, & Charondam, cuius institutis vsi sunt Cappadoces. Fuerunt etiam Pythagorici Parmenides & Zeno, qui Eleam Lucaniæ vrbem communem patriam ciuilibus præceptis optimè instituerunt. Tarentini quoq; Pythagorica præcepta tenuerunt, & Architam egregium ciuem quasi præceptorem popularis disciplinæ diutius obseruauerunt. Hippasus Lacon patriam Rempublicam scripsit quinq; voluminibus. Eudoxus Gnidius ciuibus suis leges & ciuilia præcepta tradidit, sicut & Protagoras Abderites Tyrijs, Phaleas Carthaginensibus, Ephorus Cretensibus. Hippodamus Milesius de optimo etiam statu Reipublicæ scripsit. Sic etiam Heraclitus Ephesius, Aeschines etiam Milesius inter scriptores habitus est. Zeno Citticus Stoicorum princeps de ciuili societate libros edidit. Eius auditor Chrysippus ea licentia de Republica scripsit, qua pleraq; alia. Nam & matrum & filiarum congressum permisit, & alia multa, quæ sermonem reformidant. Complures etiã alij ciuilis societatis præcepta literis commendarunt, quos consultò prætereo, ne nimius in re minus necessaria esse videar. Sed Plato & Aristoteles sicut omnibus alijs in rebus, sic in ciuili institutione cæteros omnes antecellunt, quorum quidem libri non

Qui de ciuili societate scripserint.

Legũlatores.

modo legendi sunt, verùm etiam ediscendi. Peregregius quoque habendus est in alio quasi ciuili genere scribendi, Xenophon Socraticus, qui Pædian Cyri scripsit, quam tanti fecit Scipio Aphricanus, vt eam se lectitando contriuisse gloriaretur. Multa scitè ac sapienter dicit, & quæ omni ex parte vrbana præcepta adiuuant. Tenuit cum eo similitudinem quandam quasi æmulus Onesicritus Diogenis discipulus. Nam sicut ille Cyri Pædian, sic hic Alexandri tyrocinia prosecutus est. Meruit & laudem suam in eodem scribendi genere Euphranitus Olympius: nam Antigonum Regem instituit, & regni præcepta ad eum scripsit. Ex nostris autem solus (vt arbitror) Cicero emicuit, qui sex illos suos eloquentissimos libros scripsit, cùm gubernacula Reipublicæ teneret, vt ipse ait. Hi cum multis alijs perier[unt], quorum quidem desiderium me impulit, vt tentarem quid meditari possem de ciuili societate. Partem illam de somnio Scipionis omnino intactam relinquens, quæ diuina quadam sapientia ab eo scripta, naufragium supernatauit. Quod si Aristoteles æquum esse putauit rursus de Republica scribere, cùm Platonis (apud quem duodeuiginti annos operam dederat) libri in manibus essent & si Theophrastus eodem exemplo cogitationes suas de eadẽ literis mandauit, cùm Aristotelis præceptoris ciuiles libri magna gloria legerẽtur: cur erubescendũ mihi erit si quid scripsero, cùm Ciceronis volumina interierint, nec Latini alij inueniantur, qui de ciuili societate scripserint? Sed si patrocinium causæ meæ susceperis, Pater clementissime, magna me molestia liberabis. Nam cùm sis omnium Philosophorum ac Theologorum nostri temporis maximus, possisq́ cum omni antiquitate certare, facilè omnes tuo iudicio contenti, conticescent: vel si qui obstrepent, licebit mihi dicere, quod dixisse Antimachum clarum Poetam referunt: qui cùm in magna populi concione libros suos legeret, & eum auditores omnes præter Platonem reliquissent. Legam, *inquit,* nihilominus: Plato enim mihi vnus instar est omnium. *Non equidem ingenium tuum minoris facio, quàm Antimachus Platonis, ideirco tu mihi sis instar omnium. Et si hæc mea probaueris, edantur iube: sin secus, donentur marito Veneris. Vereor tamen summoperè, ne huius voluminis lectio importuna nimis numini tuo esse videatur. Diuina enim mens tua magnis consilijs cogitationibusq́ occupata, quibus penè vniuersum terrarũ orbem gubernat, indigna est his interpellationibus*

Cyripædia.

Quanti Platonem fecerit Antimachus.

nibus vexari. Sed fretus facilitate tua, qua Regibus Principibusq; omnibus præstas, oro atque obsecro paululum quippiam ocij à summis negocijs tuis velut subripias, & his nostris meditationibus lectitandis impartias, vt partem actionum tuarum Musæ illæ, quæ te ab ineunte ætate semper aluerunt, iure suo sibi vendicare videantur.

AD SENATVM POPVLVM-QVE SENENSEM.

RAdamanthus Gnosius, viri Senenses, vir fuit summa iustitia, summaq; sapientia præditus. Is ciuilia instituta Cretensibus dare constituit: verum cùm cogitaret authoritatem suam non satis esse ad ea quæ scripserat persuadenda varijs populis (erant enim eo tempore in Creta plurimæ vrbes, sed præter cæteras illustres tres, Gnosos, Cortina, & Cydonia) commentus est, se Iouem (quem præstantissimum Deorum fabulabatur) in consilio habere, cuius nutu singula quæque decreta ad Cretenses deferret, quo inuento ciues penè omnes dicto audientes habuit, & ad frugalitatem ęquitatemq; redegit. Longè pòst Minos animaduertens adhuc multa sapientiæ modestiæque præcepta deesse, sectatus Radamanthum, in antrum Iouis descendit, vt ait Plato in libro de legibus, & noua quædam instituta deferens, consulta mandataque Iouis esse disseruit. Qua persuasione Minos principatum, Cretenses autem maris imperium primi mortalium consecuti sunt. Hunc imitatus est Lycurgus, & legum suarum Pythium auctorem esse Lacedæmonijs persuasit. Hæc mecum animo volutanti mihi occurebat optimum factum esse, si Pontificem maximum Sixtum, virum sapientia & doctrina præstantissimum, & religionis Christianæ columen sanctissimum, consiliorum sentẽtiarumq; mearum auctorem facerem, cùm quod ea quæ is probasset, faciliorem persuasionem apud quasque gentes ac nationes haberent, propter mirificam eius dignitatem atq; auctoritatem: tum vt genium fœlicitatis libris meis

Minos.

Lycurgus.

adhiberem, qui inuidiam vinceret, & eos ab omni obliuione liberaret. Hac opinione ductus, libros numini eius dedicaui. Is ſereno eos vultu excepit, & inter obeunda totius orbis terrarum negocia, magna diligentia lectitauit, probauit, edendoſque omnino eſſe cenſuit. Diuino igitur Sixti iudicio fretus non formidabo volumen hoc, quantumcunque eſt, omnibus hominibus lectitandum exhibere, & præcipuè ſi principes Reipub. meæ, & reliquos conciues meos vindices huius operis impetrabo. Hic enim omnes ſtudioſi libertatis ſunt, & ciuilem ſapientiam optimè callent. Nec alienum hoc aut arrogans videri poterit, cùm exemplo vtar tot clariſſimorum virorum, qui ciuilia præcepta ciuibus ſuis inſcripſerunt: & præſertim cùm ciuitas noſtra (vt nō ſolùm ex memoria hominum, verùm & ex antiquis Reipublic. pignoribus cernere licet) diuturna, ac pene perpetua libertate vſa ſit: adeò vt cùm pleræque Italiæ vrbes variante fortuna modò à Regibus, modò à Ducibus, modò à Tyrannis tenerentur, hæc cum paucis admodum alijs, intacta ab omni ſeruitutis iugo hactenus extiterit, & ciuium fortitudine, conſilio, & ſapientia, non modò ſe ab omni periculo vindicauerit, verùm in dies magis magiſque aucta ſit. Nunc autem ad præcepta deſcendamus.

Ciuitas Senenſis ab omni ſeruitutis iugo aliena.

Nam quæ ad patriæ laudem ſpectant, alio tempore literis commendare deſtinauimus.

PRAE-

PRÆSTANTIOR NE SIT RESPVBLICA, AN VNIVS *Principis imperium.*

TITVLVS PRIMVS.

VETVS admodum & promulgata disceptatio est inter præclaros philosophiæ scriptores, quid præstantius sit, quidq; ad benè beateq; viuendum aptius: An ab optimo Principe gubernari, eique iustè imperanti parere, an in liberâ ciuitate optimis legibus ac moribus constituta degere? Et planè video vtriusque sententiæ adstipulatores complures esse, qui dum vnam tutantur partem, alteram diruere conantur, ancipitesque nos reddunt, cùm ingenij laudem quærunt, quid magis optandum à mortalibus esse videatur. Nam Xenophon Socraticus (cui musæ Atticæ propter sermonis suauitatem cognomentum fuit) quamuis Athenis natus esset, & in Lyceo à Socrate institutus, tamē à Platone condiscipulo suo (quē philosophiæ quasi numen veteres esse voluerunt) & à plerisque alijs eius familiæ omni ex parte desciuit. Pluris enim Cyri iunioris Persarum Regis amicitiam fecit, quàm patriæ instituta, ac disciplinæ præcepta. In libris namq; illis, in quibus res præclarè domi militiæq; gestas à Cyro superiore refert, benè etiam institutæ Reipublicæ principatum præferre videtur.

Scripsit de eadem re. Volum. 18. Zuingerus. Iust. Lipsius lib. 2. Cap 2. Monarchia, Aristocratia.

Xenophon musa Attica dictus.

Et certè si principia humanæ societatis considerare volumus, & historiarum monumēta reuoluere, inueniemus gentium imperia penes Reges & Principes extitisse. Vni siquidem viro iustè ac legitimè imperanti parere, æquius esse videtur, quàm compluribus, ac penè infinitis, & (vt plerunque accidit) imperitis rerum gerendarum. Fit enim, nescio quomodo, vt quos singulos veluti operarios ac baiulos contempserimus, eos deinde coniunctos, vix vereri possimus. Firmant etiam hanc sententiam Homeri testimo-

Sallustius de coniurat. Catilin. Et Iustinus lib. 1. Cic. 3. de legibus.

testimonia, qui in secunda rhapsodia ait, *non posse rem bene geri multorum imperijs.* Accedit præterea imitatio naturæ, vt quemadmodum Deum vnum conditorem rerum omnium ac motorem cernimus, cuius imperio omnia reguntur, sic nobis æquum esse videatur, dicto vnius excellentissimi Principis audire atque obsequi. Diei præsidem vnicum Solem esse cernimus, noctis autem Lunam, quam quidem inter sydera & stellas regnare aspicimus, & maiori lumine minora astra obscuriora reddere. Sed vt ad minora descendam, nónne bruta animalia nonnulla sunt, quæ imperio vnius obtemperant? munera imperata non detrectant, & tanquam sub Imperatore pugnant? Regem suum apes habere quis ambigit, qui populum nutu & arbitrio regat, & sedulas apes ad munera obeunda, fauosque componendos reddat? Hæc cogitatio principio fortasse vagis ac dispersis hominibus ferarum more persuasit, vt ab agresti vita discederent, & in vnum locum congregarentur, Principemque sibi præficerent fortitudine, prudentia atque eloquentia præcellentem, cuius arbitria pro legibus obseruarent. Sed, vt omnia in peius descendunt, & potentia homines superbos ac petulantes reddidit. Qui initio mites ac faciles imperio videbantur, iniqui admodum ac crudeles euaserunt: populusque tyrannorum sæuitiam iam pertæsus, de libertate aliquando cogitauit, & qualem potuit Rempub. ciuilemque societatem constituit, sicque quasi Regem perpetuò loquentem leges sanciuit, magistratus ordinauit, qui prius parendo, imperare discerent. Nec admirandum censeo, quòd populi Reges & Principes exegerint, sibique consuluerint: cùm raro admodum accidit, Principem eo animo regnare, quo imperium accepit. Ex tanta ac penè infinita Cæsarum serie, qui omnes imperio deteriores facti sunt, *Vespasianus solus omnium ante se Principum in melius mutatus est,* vt Cornelius Tacitus refert. Vnde non inscitè Mimus ille scurra Claudij Neronis dicere solebat, *bonorum Principum facies in vnius annuli pala facilè*

Plinius lib. 11. Virgil. lib. 4. Georgic.

Lucan. lib. 8. mitissima sors est Regnorum sub Rege nouo Vid. Iust. Lips. Politic. lib. 2. Cap. 5.

Cæsares imperio deteriores facti.

Mimi dictũ.

facilè perscribi posse, vt facetè admodum Flauius Syracusanus meminit, qui etiam ait Diocletianum dicere solitum, *Nihil difficilius esse, quam benè imperare.* Initia principatus faciliora sunt, quò ad populi fauorem sibi concilient: sed postquam potiti rerum sunt, sæuitia ac libidine omnia pessundant: nullus Dei metus, nulla religio eos coërcet: & tandiu insaniunt, donec à populis opprimantur. Verè igitur mihi videtur illa peregregij illius Satyrici sententia.

Ad generum Cereris sine cæde & vulnere pauci
Descendunt Reges: & sicca morte tyranni. *Iuuenalis Satyra 10.*

Quæ quidem mens non caret minore authoritate. Thales enim Milesius (qui primus omnium sapiens appellatus est) interrogatus à familiari quodam suo, quidnam in omni vita difficillimum vidisset? *Tyrannum*, inquit, *senem*. Nec medius fidius iniuria. Nulla enim imperia difficilius exercentur, quàm in homines: vt etiam apud Xenophonta. Nullum siquidem aliud animal in pastorem suum seditiosum est, vt parcere nolit, fructúsve abneget, præter hominem, qui infensus semper eis qui sibi præesse aut imperare quærunt, insidias meditatur, nouisque rebus studet. Facilius Athenienses Regem Cecropa, quamuis Ægyptius esset, tulerunt, quàm Pisistratum loci indigenam. Ille namque mitiore ingenio fuit, & æquo penè iure cum ciuibus viuebat, legesque ac iudicia ad seruandam ciuilem societatem constituebat. Cuius quidem tempore Attica regio summopere aucta est, non modo agricultura, verùm & mercatura & nauigatione: quocirca ab eius nomine Cecropia appellata est. Atqui nullam aliam ob causam à Poëtis fictum esse arbitror, quòd tum iudicium Neptuni & Mineruæ agitatum sit, nisi quòd excolendis agris, plantandis oliuis, inserendisque arboribus studuerit, & mercaturæ, ac rei nauticæ. Pisistratus autem, qui fuerit Solon, ad Athenienses literis edocuit, cùm inquit nequaquam Deo acceptum esse, quòd per eorum vecordiam dira imperia tolerarent, pignoraque dedissent, vt duram seruitutem paterentur,

Diogenes Laert. in vita.

Cecrops.

Laertius in eius vita.

Pisistratus.

tur, quibus verbis populum in tyranni cædem visus est adhortari. Non tamen hoc consilio hæc dixi, vt Respublicas omnes iustas, sinistros autem omnes Principes asserere velim. Exurgunt nanque subinde factiosi ciues, libidine & auaricia ducti, qui statum opmorum ciuium pessundent, vt nullo sanguine satiari possint. Et hic exitus est ferè omnium Rerumpublicarum, vt viuant, crescant, incolumesque sint, quandiu à seipsis manus abstinent. Principes etiam legimus secundo populi rumore omni vita imperasse, & Cyrum in primis Persarum Regem, si vera sint quæ de eo à Xenophonte scribuntur, & Antoninum, Stoicum Philosophum, quem propter vitæ innocentiam ac sanctitatem omnibus Romanis Principibus prætulerunt: cum quibus si ageretur, nihil de Republica cogitandum esset. Quid enim suauius, aut magis optandum mortalibus esset, quàm sub optimo Rege & Principe priuatam vitam agere sine iniuria, aut populorum ambitione? Sed quia non immortales aut immutabiles natura Principes dedit, & eorum posteri, quòd ab assentatoribus delicatè admodum educati sint, deterioresque plerumque euadunt: tutiorem vitam arbitrandum esse censeo benè moratæ Reipublicæ, quàm cuiusque Principis. Illa siquidem diuturna ac penè immortalis est, hic paruo temporis curriculo senio ac morte conficitur. Præstare etiam videtur Respublica, quia in Principe non possunt singula absoluta ac perfecta esse. *Nihil enim* (vt ait Oratorum maximus Cicero) *in simplici genere natura omni ex parte expolitum reddit*. Quod quidem exemplo probauit Zeuxis, cùm simulacrum Helenæ pingeret. Ex diuersis namque puellis perfectam imaginem delineauit. Alium siquidem iustitia, alium fortitudo, alium liberalitas, aut facilitas, commendatum efficit. Vnus autem qui virtutes omnes complectatur, vel nunquam, vt arbitror, iuuentus est. Sed cum in Republica complures sint, vnusquisque partem aliquam virtutis ac prudentiæ habet. Quocirca in vnum

Antoninus Princeps Philosophus.

Præstat Respublica Principi.

Zeuxis pictor: de Helena e-dius Ælianus lib. 14. C. 47. Val. Maximum lib 3. C. 3.

vnum collati ciues, quasi vnum hominem præstant, qui multiplici ingenio ac memoria pollet, oculis pluribus cernit, operatur manibus multis, & pedibus penè infinitis nititur. Et vt philosophorum acutissimus Aristoteles ait: *Alij quidem aliud, cuncti autem cuncta decernunt*. His rationibus adductus, aliquid pro ingenij mei imbecillitate de Republica scribere constitui, & instituta quædam nostrorum temporum veteribus admiscere. Neque industriæ meæ, me vlla ex parte pœnitet.

Natus siquidem atq; educatus sum in libera ciuitate, optimis moribus ac legibus constituta: q̃ si non secundum, saltem tertium locum inter Respublicas nostri temporis omnium iudicio habere cernitur. Cui si qua ex parte prodesse possem, & iuniores ad meliorem (vt aiunt) frugem redigere, id mihi iucundissimum esset. Sin secus, expergiscentur fortassis aliqui, qui acumine ingenij & doctrina maximè præstabunt, & opus eiusmodi congressi, secundo magis vento nauigabunt, remque hanc hebetiore ascia dolatam, lima ac pumice expolitiorem nitidioremque reddent. *Laus Reip. Senensis.*

Platonis, Xenophontis, Aristotelis, & Ciceronis libri de ciuili societate in quibus differunt.

TIT. II.

INSTITVTA ciuitatis scripturus Plato, non Atheniensium Rempublicam in qua natus erat descripsit, neque ciuilem aliquam societatem quæ suo tempore esset, vel aliquando extitisset: sed nouam ac commentitiam finxit. Difficile namque ei factu videbatur ciuibus illis iustitiam persuadere, qui ad eam ipsam colendam à teneris (vt aiunt) vnguiculis non fuissent instituti. Hanc rationẽ cùm sibi etiam persuasisset *Plato de Rep.*

Xenophon, de more Persarum laudabili.

sisset Xenophon, & ciuilem Persarum societatem sub Rege Cyro laudare vellet, asseruit pueros apud Persas ita iustitiam discere oportere, vt apud alias gentes literas & studia bonarum artium discunt. Fecit nempe Plato vt bonus architectus, qui demoliri mauult malè ædificatas maleque materiatas ædes, easque solo adæquare, quàm instaurare atque emendare. Cuius etiam exemplum imitatus Aristoteles, in plerisque ciuilem disciplinam instituit, & præcepta benè moratæ ciuitatis tradidit, partim noua ac sua, partim è superioribus eruta, partim autem Rerumpub. vsu comprobata. Noster autem Cicero, qui in Republica vixit, quæ totius orbis terrarum imperium tenuit, satis esse iudicauit, si in libris suis quos de Republica scripsit, præcepta atque instituta maiorum referret, & ea præcipuè quibus imperium domi militiæque propagatum esset. Nec, mediusfidius iniuria. Nulla enim exempla virtutis in ea ciuitate deerant, in qua quasi theatrum omnium præclarissimarum actionum cernebatur. Cuius leges non vt aliarum vrbium vnis tantùm mœnibus arcebantur, verùm diffusæ per vniuersum orbem, ciuilem disciplinam omnibus mortalibus præscribebant: quarum quidem nostro tempore fragmenta illa quæ supersunt, ciuilem normam adeo in se continent, vt nihil eis deesse videatur: si quid autem demeretur, manca potius, & inchoata ciuilis sapientia relinquatur. Et profectò si Iureconsultorum volumina integra extarent, nec adeo fracta & mutilata essent, lucem nobis præberent clarissimam, ac perspicuam, non modo ad hanc ciuilem societatem conseruandam, verùm ad moralem quoque sapientiam, & ad vsum maximarum rerum. Sed ad Ciceronem redeo, qui sapienter admodum mihi egisse videtur, cùm maiorum instituta recensuit, eaque penè satis esse dijudicauit, quando ex illis talia incrementa perspiceret, quæ satis vtiquæ fuerant ad constituendum imperium omnium gentium: & si qua maiora aut seueriora occurrerent, quoniam minus persuaderi imperitæ multitudini

tudini possunt, potius à sapientibus cogitando ac meditanda sint quàm præcipienda. Quotus enim quisque in populo est, qui præcepta sapientiæ discere, atque ijs auscultare valeat? Non enim cum sapientibus, qui sibijpsis omnia, quæ ad vsum vitæ pertinent, optimè præscribere callent, sed cum populo ac multitudine res nostra agitur, quæ quidem facilius ad temeritatem ac modestiam redigitur. Concedendum præterea est aliquid consuetudini, quæ quidem diuturnitate temporis efficit, vt nonnulla toleranda esse videantur, quæ contra ius boni & æqui omnino esse cernuntur. Eius autem diuini Oratoris, Philosophi peregrij, & senatoris excellentissimi libri de Republica si extarent, liberarent me ab hoc munere, quod præter vires meas, præterque ingenij ac doctrinæ facultatem suscepi. Animaduerto siquidem me obnoxium fore obtrectatoribus atque inuidis, & præcipuè his qui ocio, atque desidia oscitantes, aliena carpere malunt, quàm sua aliquando edere. Quos ego in omni vita non tanti feci, vt verbum vnquam vllum contra illos dixerim. Opus igitur meum prosequar Deo Optimo Maximo benè volente, & in eo enarrabo quæ mihi pertinere videbuntur ad institutionem ciuilis societatis. In quibus si operæ precium fecero, id mihi erit quàm iucundissimum: sin secus, industriæ meæ neutiquam pœnitebit. Malo enim aliquid agendo, maiorem à me doctrinam desyderari, quàm nihil agendo, prudentior doctiorque iudicari. Gymnosophistarum siquidem ratio semper mihi cordi fuit, eamque laudandam ac comprobandam censeo, qui à suis discipulis seuerius ocij quàm negocij rationem exigendam esse arbitrantur.

Consuetudini concedendũ.

Desiderantur libri Ciceronis de Repub.

Gymnoso-phista.

Ciuilis societatis ratio & inuentum. TIT. III.

Vide Zuingerum lib. 4. Volum. 18. Et Iuuenal. Sat. 15. fine.

Homo animal sociale.

CIVILEM societatem quam ciuitatem appellamus (vrbis enim nomen ædificijs tantùm ac mœnibus continetur) hominum inuentum esse vtilitatis gratia duce natura, nequaquam mihi ambigendum esse videtur. Est enim homo sociale animal longè magis quàm apes, formicæ, grues, & eiusmodi genera, quæ gregatim aluntur gregatimque se tuentur. Prima societas est, vt in omnibus alijs animalibus, sic longè magis in hominibus, qui rationis participes sunt maris & fœminæ generationis gratia, quæ nisi simul commistis illis fieri non potest, & alter ab altero (præscribente natura) vix diuellitur. Pignora siquidem natorum, mutuum inter illos amorem adeò conciliant, vt in commune semper studeant, & liberis pari admodum indulgentia ac sibi ipsis incumbant. Non enim hominibus accidit, quod reliquis penè animantibus, quarum solæ fœminæ curam alienorum filiorum suscipiunt, & id paruo quidem tempore, dum materna ope indigent. Videmus enim aues, pullos suos educare quamdiu implumes sunt atque inuolucres, sed vt primùm cernunt eos alis vti sensim è nidis abducunt, & circumuolantes antecedunt, quoad firmiore nixu regantur: quod cùm primùm posse cernunt, libero cœlo filios permittunt. Neque eorum deinde curam aliquam habent, aut aliquando internoscunt, sed matrem rursus quæritant, nouæque proli indulgent. Homo autem cùm cernit liberos suos, tanta indulgentia afficitur, vt nihil magis studeat, quàm victum eis parare, & patrimonia adeo ampla, vt perpetuò nihil eis posterisq; deesse possit.

Hinc ortum est seminarium ciuitatum, quod cùm vir & fœmina domum fecerint, crescente filiorũ & nepotum numero, domus alias addere opus fuerit,

cũ vna eos nõ caperet, & sic pagos erigere, & societatem ex pluribus domibus constituere: & cùm sensim deinde cernerent quantæ vtilitatis esset huma- .cietas, quamque facilius victum simul com- ites quam singuli compararent, tutiusque ab in- .ursu ferarum degerent, pagos pagis adiungere, & familias familijs adijcere cœperunt, & de communi vtilitate cogitare. Hinc munimenta tutioris vitæ gratia inuenta sunt. Nam locis editis fossam ducere, & vallo circundare non dubitauerunt: & sic vrbes atque oppida inchoauerunt. Quocirca Varro ait vrbem dici, quòd aratro præfinita esset. Et Pomponius Iureconsultus peregregius vrbem dictam asserit, quòd vrbare, aratro definire sit. Varronem optimum vetustissimorum verborum indagatorem præterea dixisse ait, curuaturã aratri appellari, quòd in vrbe condenda adhiberetur. Opidum etiam dici Varro testis est, quod munitur opis causa. Sic etiam mœnia, quòd vrbem muniant, appellata sunt: & murus à munitione. Quibus ex rebus constat primam rationem eorum qui ciuilem societatem instituerunt, fuisse, vt tutè degerent, & à vi atque impetu munirentur. Tranquillitas namque vitæ dux illis extitit ad innumerabiles commoditates excogitandas. Credendum siquidem est sermonem humanum, quo quidem homo cæteris animantibus præstat ante ciuilem societatem neutiquam distinctum fuisse. Vocem siquidem communem habemus cum reliquis mortalibus, quæ gaudium aut tristitiam imprimis demonstrat, & cupiditatem nonnunquam, aut metum. Sed proprijs vocabulis res discernere, & cogitationes nostras atque affectus claro sermone præfinire, iustum ab iniusto, vtile ab inutili separare, id certè non nisi ciuile inuentum esse potuit: quod quidem vel ex hoc liquidò cerni potest, quòd non modo singulæ prouinciæ, sed singulæ quoque penè ciuitates suum sermonis genus habere videntur, in quo quidem ab alijs etiam finitimis differunt. Studia præterea virtutum, & bonarum artium disciplinæ, certè non à solivagis hominibus, & ab his qui

Vrbs vnde.

Isidorus l. 15. Cap. 2.

Opidũ vnde. de ling. Latina lib. 4. Ibidem.

Studia in celebritate hominum debẽt versari.

ferarum more in siluis degebant, sed à ciuili viro, qui in cœtu hominum versaretur, multa audiret, multa differeret, refelleret nonnullos, refelleretur etiam à plerisque, inuentæ excultæque sunt. In ciuitatibus namque bene moratis præmia proposita sunt his qui virtute aliqua excellunt, & gloria & honore honestantur. *Honos* enim (vt ait Cicero) *alit artes, omnésque incendimur ad studia gloriæ*. Et Plato: ζητεῖ ἀρετὴ ἑαυτῇ δόξαν ἔγγραπτα λιπεῖν. Opificia præterea, & ministeria minimarum etiam artium in ciuitatibus, vel inuenta, vel ex agresti vita accepta, longè in dies meliora reddita sunt. Et denique, ne singula percurram, quicquid egregium studio vel opera sua mortales habent in vita humana, id omne aut à ciuitatibus fluxit, aut in illis cultum nitoremque accepit. Homo præterea qui in communi societate educatus est, quàm differt ab eo qui in agresti tugurio aut in montana solitudine, aut silua viuit? Hic enim cum feris ac brutis animalibus ad sæuitiam natus esse videtur: ille autem cum homnibus ad iustitiam & humanitatem. Verum namque est quod Aristoteles ait. *Beluam, non hominem esse eum, qui ciuilem societatem fugit*: & qui ciuitatis pars aliqua esse recusat, impius omnino vt sit necesse est, & rapinæ potius inhumanitatique studeat, quàm iustitiæ, aut alicui virtuti. Fugit siquidem congressum hominum, ne compellatur legibus ac iudicijs parere, & legitime imperanti obtemperare, qua quidem re nihil perniciosius esse potest: nihilque magis ab humana natura alienum. Ciuilium namque bonorum maximum est iustitia, quæ quidem fundamenta humanæ societatis iacit, & sine qua nulla ciuilis congregatio esse potest. Huic igitur incumbat vnusquisque ciuis opus est. Nam sine ea truculentæ feræ potius quàm hominis nomine dignus esset. Vt enim idem Philosophus asserit, optimus omnium animalium homo est qui perfectè viuit: sic pessimus omniumque deterrimus qui à legibus iudicijsque secernitur.

Tusculã 1.
Plato.
Aristoteles.
Iustitia. Iustus Lipsius lib. 2. Polit. Cap 11.
Leges Persarum.

Persarum leges, vt Xenophon scribit, in primis ad

iustitiæ

iustitiæ cultum instituunt, & ita ab ipsa pueritia ciues erudiunt, vt nihil inhonestum, nihil turpe aut iniustum appetant: quæ quidem persuasio omnium optima mihi esse videtur. Et si quo pacto fieri posset, vt omnes hac doctrina instituantur, magna parte laboris nostri liberati essemus. Nam si ciues optimè animati, æqui bonique studio adducti ad Rempublicam accederent, superuacua præcepta essent, quibus humana societas instituitur. Vnusquisque enim sibi præscriberet quid facto opus esset, & simul coniuncti, nulla cupiditate, aut alia omni perturbatione affecti, optimè de rebus consulerent: nec alium ambitio, alium auaritia, alium simultas, alium inuidia, adeo quersum raperet, vt à veri ratione distraheretur, vt priuatam vtilitatem, aut insanam voluntatem potius quàm commodum publicum aut veram rationem sequeretur. Sed quoniam non cum perfectis hominibus viuitur, sed cum his, quos & laudamus & admiramur, si simulacrum aliquod virtutis præ se ferunt, adhibenda sunt præcepta, & instituta quibus ad honestè viuendum, si non vltrò (vt par esset) homines inducantur, saltem bonorum exemplo, & legum formidine ad meliorem (vt aiunt) frugem instituantur. Atqui vtinam hæc præcepta ne contemptui plerisque potentioribus sint, qui omnia per vim potius quàm per virtutē in Republ. agere student, de quibus rectè sentire videtur Artaxerxes. Nam cùm audiuisset Solonem legibus scribendis apud Athenienses incumbere, impensè eius operam ac diligentiam irrisit, *asserens leges illas aranearum telis similes esse futuras, quæ minora volatilia comprehenderent, scinderentur autem à maioribus*: quam sententiam deinde crebris sermonibus vsurpabat Solon, nec iniuria. Nam in magnis sæpenumero ciuitatibus, & in quibus etiam studia bonarum artium vigent, complures videmus qui turpius degunt, quàm si in siluis ac montanis regionibus educati essent, quibus profectò id accidit quod Indis, qui ad solem orientem nascuntur, & noctis calore corpus inficiunt.

Artaxerxis dictum de legibus Solonis.

Sed iam tempus est vt ad præcepta descendamus, & singulatim singula suo ordine tractemus, & imprimis disseramus, qui status sint Rerumpublicarũ, & quem ex omnibus probabiliorem esse ducamus, vt omnibus clarum sit, quorsum huius ciuilis disciplinæ spectent præcepta, & à quibus carceribus decurramus ad metas. Ne qua tamen in verbis controuersia sit, aperiendum imprimis arbitror, quid sit Ciuitas, quidque etiam Respublica. Ciuitatem itaque appellandam esse censeo, collectam hominum multitudinem ad iure viuendum. Multitudinem ideo addidi, quia pauci nec benè, nec tutè commodè viuere possent. Institutionem autem eorum qui in ciuitatibus degunt, Rempublicam appellabo. Et ciuem, indigenam loci, ingenuis parentibus oriundum, vel eum qui à magistratibus vel legibus ciuitate donatus sit. Volo enim eum participem publici muneris esse posse: aliter ne ciuem quidem habendum cẽseo: nec placet per affinitatem ciuem vocari, nec per vicinitatem, vt aliquando fieri solet. Et si domum vel fundum peregrinus quispiam mercatus fuerit, inquilini potius quàm ciuis locum tenere debet, donec ciuitate donetur. Sed de hoc loco suo dicemus. Nunc autem ad id quod instat.

Ciuitas quid? Pontanus lib. 4. de obed.

Respublica quid?

Ciuis quid?

Quot Rerumpublicarum status sint, & singulorum finis. TIT. IV.

Zuingerus li. 4. Volum. 18. Status Rerũp. triplex. Corn. Tac. lib. 3. Popularis status.

STATVM Rerumpublicarum (siquidem de Rege & tyranno nihil dicere constituimus) triplicem principaliter ponimus. Vna namque popularis est, altera in qua optimates agunt, tertia quæ in paucos diffunditur. Popularis Respub. est in qua res agitur ad imperium multitudinis, cuius nutu leges describuntur, & magistratus omnes eliguntur, & quod pluribus videtur, id commune omnium esse iudicatur. Hanc apud Herodotum laudat Othanes cùm de insti-

stituenda Persarum Republica agitur, eamque etiam à nomine admiratione dignam censet. Dicitur enim ἰσονομία quasi iuris æqualitas, quando in Republica in qua multitudo dominatur, æquo inter omnes iure omnia administranda sunt: iubetque vt in ea magistratus sorte ducantur, qui gestorum omnium rationem reddant: vultque vt omnia consilia in commune referantur. Huius finis est libertas. Nihil enim magis cupit popularis multitudo, quàm potestatem viuendi habere vt velit: quam quidem libertatem Cicero esse affirmat. Florentinus autem Iureconsultus libertatem esse dixit naturalem facultatem eius quod cuique facere libet, nisi quod vi aut iure prohibetur. In ea autem in qua optimates rerum potiuntur, soli qui in ciuitate cum virtute degunt, quique optimi sunt, Rempublicam administrant, nec multitudinis fauor, neque diuitiæ, aut nobilitatis gloria opitulatur: sed sola honestas illos ad magistratus ac dignitatem prouehit. Hãc in eadem Persarum disceptatione apud Herodotum miris effert laudibus Megabyzus, remque omnem optimis viris permittendam statuit, à quibus nihil vnquam formidandum sit: & ex optimis hominibus optima consilia manare consentaneum est. Huic sententiæ hærere videtur Dion in libris suis, qui de regno inscribuntur, vbi ostendit longè maiora geri paucorum consilio, quàm multitudine, aut viribus fortissimorum iuuenum: quod etiam Homeri sententia comprobatur, cùm Agamemnonem inducit asserentem longè facilius se posse rem Troianam euertere, si decem Nestores, aut Vlysses in cõsilio haberet, quàm si totidẽ Aiaces, & Achilles fortiter dimicantes. Horum igitur qui à virtute censentur, quiq; optimates appellantur finis est virtus, ad quam quidem omnia dirigunt: quem animi habitum Cicero esse voluit, naturæ modo ac rationi consentaneum. Hanc & à viro dici idẽ author est, quòd ex omnibus animantibus soli viro congruere videatur. Tertia in qua pauci dominantur, quoniam pauciores diuites pauperibus sunt, paulùlum quippiam à tyrannide differt. A censu

Isonomia Vi. Iust. Lips. Polit. lib. 2. C. 2.

Cic. Paradox.

Virtus lib. 2. de Inuent.

Pauciores diuites.

enim & diuitijs magistratus eliguntur, & sola opulẽtia dominatur: neque libertatem sibi, aut virtutis finem præscribit, sed solas diuitias, quas Cicero belli subsidia, & pacis ornamenta, esse affirmat. Sed malè cum diuitibus res agitur, cum nullus locus virtuti est, & plebs humiliter famulatur. Horum imperium periculosum esse Periander docuit, cùm eminentiores spicas metendo segetem adæquauit, & Thrasybulo per internuncium consulenti tali exemplo responsum dedit. Neque me fallit alia etiam genera Rerumpublicarum describi solere, sed hæc tria authore Socrate & nonnullis alijs Philosophis censentur. Accidit sanè nonnunquam, vt in aliquibus ciuitatibus soli opifices, & agrorum cultores dominentur: qui quoniam multitudini præstant, nobiliores pessundant, & virtute præditos, bonisque artibus eruditos ludibrio contemptuique habent. Et fieri quidem per fortunam potest, vt eiusmodi ciuitas tutò aliquandiu ac quietè se habeat: sed inclinante fortuna facilè cernitur quàm difficile sit cum eiusmodi hominibus benè agi. Qui enim in agris aut officinis aluntur, omni rerum experientia carent, submissoque animo regunt, nec doctrina aut genere, aut magnarum rerum experientia adiuuantur: & dum nobiliores formidant, temerè omnia aut crudeliter agunt. Plebs namque omnis aut humiliter seruit, aut cum magna crudelitate imperat. Est etiam contra, vt nonnullas ciuiles societates soli nobiliores regant: quorum quidem imperium neutiquam comprobandum censeo. Aduersantur enim plerunque plebi, nec societatem inferiorum æquo animo perpeti possunt, vt de nobili Claudiorum familia legimus, ex qua penè omnes aduersus plebem adeò violentos ac contumaces fuisse constat, vt ne capitis quidem quisquam reus, ad populum mutata veste prouocare, aut veniam gratiamque deprecari voluerit: quin Appius Regillanus, cum Decemvir esset legibus scribendis, & virginem ingenuam per vim libidinis gratia in seruitutem conaretur asserere, causam plebi dedit

Diuitiæ belli subsidia.

Periandri factum.

Plebis imperium crudele.

rursus

rursus à patribus discedendi. Nec minorem violentiam in plebem ostendit Claudia eiusdem gentis fœmina, quæ cùm in conferta multitudine vix carpento deuehi posset, palàm exclamauit: *Vtinam reuiuisceret Claudius Pulcher, iterumque classem amitteret, quò minor turba mihi obuiam daretur.* Et quanquam nobiles viri animo excellentiores sunt, tamen proniores ad bella esse cernuntur, quæ quamuis imperia aliquando augeant, plerunque tamen vrbes funditus euertunt. *Claudia Vestalis.*

Lacedæmonij, vt Dionysius Halicarnasseus scribit, aduersa in Leuctris pugna, (in qua mille & septingentos ciues amiserunt) nunquam amplius ex calamitate ciuitatem eruere potuerunt. Thebani quoque & Athenienses ex infelici euentu pugnæ apud Cheronem, non modò principatu Græciæ à Macedonibus, sed patria etiam libertate priuati sunt. Iniquum præterea esse videtur, vt cùm ciuitas ex solis nobilibus extare nequeat, sed longè maior sit reliqua multitudo, soli nobiles imperent, reliqui autem omnes famulentur. Alimenta namque naturalia agricultura nobis suppeditat, mercatura autem reliqua necessaria. Quo fit, vt nec sine cultoribus agrorum, nec sine mercatoribus ciuilis societas esse possit. Non igitur à publicis muneribus auocandi sunt, quorum vsus Reipublicæ necessarius esse cernitur, sed his muneribus honestandi, quæ facilè per sese gerere possunt, vel collegis adiuuandi, à quibus eorum gressus adeo regantur, vt nihil incommodi ciuitas capiat, & tenuiores à maioribus non videantur omni ex parte destituti.

Quotiescumque Romana plebs à patribus secessit, non sine periculo magno semper renouata extitit. Fuit Marco Agrippæ summæ laudi eiusmodi conciliatio, & fabella sua docuit Senatum & populum vnum corpus esse, quod quidem discordia rumpitur, concordia autem in dies magis magisque augetur: effecitque vt Tribuni ex plebe crearentur, qui libertatem publicam à superbia nobilitatis tuerentur. Mediocris certè, qui neque abie- *Senatus & populus vnum corpus.*

cti sunt, neque opulentia nobilitatis nimis exultant, longè modestius præsunt.

Sed si alterutrum necessarium est, vt vel sola nobilitas, vel sola plebs imperet, longè tutius arbitror cum nobilitate quàm cum plebe agere. Rarò enim turpiter aut indecore agit, qui maiorum suorum laudem secum periclitari cernit. At ille qui per sese ignotus est, & maiores suos lõgè obscuriores habet, paruam admodum iacturam sibi facere videtur, si aliquando deliquerit. Sunt præterea ingenitæ nonnullæ virtutes nobilioribus, vel eas assequuntur persuasione maiorum. Brutos legimus libertatis studio præter patricios omnes flagrasse. Exemplum credo posteros secutos Bruti illius, qui & violatæ libertatis ac pudicitiæ vltor fuit.

Bruti libertatis studiosi.

Sic etiam Decij, pater, filius & nepos, qui ignobiles erant pro patria se deuouerunt, & perpetuæ nobilitatis gloriam assecuti sunt. Quæ quidem persuasio reddit posteros promptiores alacrioresq; ad bene de patria merendum. Non desunt tamen exempla rusticorum, ac ignotorum hominum, qui fortiter pro patria dimicarunt. Nam alios ab aratro accersitos, alios à grege, vel alieno armento aduocatos legimus, qui magnas populo Romano victorias pepererunt. Ego autem in eorum numero sum, qui optimam Rempublic. esse dicam, quæ ex omni genere hominum commixta sit. Multis in Republica potestatem faciendum esse Solonis ratio præcipit, potius quàm paucis, licet optimi sint, & virtute præditi. Quocirca admittendam is multitudinem esse censet, ad repetendas rationes rerum gestarum, cùm in bello, tum in pace. Sic etiam ad suffragia electionesque magistratuum, & ad complura alia, in quibus maiora consilia ineunda sunt. Idem accidere ait in Musica, pictura & Poëtica: in quibus artibus non modo docti, sed etiam indocti probabile nonnunquam iudicium afferant, nec iniuria. Nemo enim inueniri potest etiam ex sapientiæ professoribus, qui se scire omnia profiteatur: & ille propius ad sapientiam accedit qui quæ nouit, dignoscit pauciora esse

Optima Respubl. ex omni hominum genere.

esse ijs quæ ignorat. Alij enim per naturam vel experientiam sciunt, quòd plerosque alios latet: quocirca coniuncti plures, pauciora ignorabunt. Nec Lycurgi instituta improbanda sunt, quæ Rempublicam Lacedæmoniorum ex parua admodum, ad imperium ac dignitatem prouexerunt. Ille munera ciuitatis inter omnes penè partitus est, & paucorum potentiæ popularem statum coniunxit, optimumque effecit temperamentum, & ex pluribus voluit constare Rempublicam, quò melior firmiorque esset. Tempora tamen & diuersi hominum mores diuersæque regiones alia, atque alia instituta præscribunt. Idcirco longiore ordine quam Rempublicam magis probandam censeam, deinceps tractabo. *Val. Max.*

Optimam Rempublicam esse, in qua leges dominantur: & de legum virtute, quæ quidem magistratibus præesse debent, & de legumlatoribus.

Tit. V.

Optimam Rempublicam appellabo, in qua non singuli, aut plures ad nutum suæ voluntatis imperant, sed eam in qua lex tantùm dominatur. Aequalitas namque inter ciues, societatem ciuilem stabilem reddit: quæ tunc vel maximè viget, cùm æquo iure omnia censentur. Fit enim plerumque, vt affectibus iudicia hominum perturbentur, & alium amor, aliũ odium, alium metus, alium ambitio, aut auaritia compellit ea iudicare, quæ non modo iniusta, verum etiam contra mentem eius sunt qui iudicat. Videmus nempe sæpenumero iudicem affectu quodam concitatum ea decernere, quæ paruo demum interuallo libenter commutaret: id quod exemplo luculento declarauit Philippus Macedo, Alexandri pater, qui cùm Machetæ causam, quam negligentius audiuerat perperam iudicasset, exclamaretquè, Macheta, & se prouocare diceret, iratus admo-

Plato, Aristoteles, Lipsius, Politicis.

Philippus Macedo.

admodum Rex ait: Ad *quem prouocas?* At ille: *Ad te ipsum* (inquit) *cùm attentius me audieris*. Et tùnc quidem iudicium Philippus distulit: at paulò post cùm ad se rediisset, diligentiusque rem cogitasset, sententiam mutauit, & Machetæ ius neutiquam per desidiam suam pessundari passus est. Lex autem nullo affectu mouetur, non irascitur, non odit, nulla ambitione ducitur, diligit omnes, pariterque omnibus indulget, quæ dum dominatur, nunquam permittit aliquem per ambitionem surgere, qui populum ducat, turbulentasque factiones agat, sed optimè ciuium Rempublicam gubernat: multitudoque vniuersa potestatem habet collecta in vnum, vbi de Republica sit agendum: dimissi autem singuli, rem suam agunt.

Lex nullo affectu mouetur.

Legem porro, quamuis viri prudentes & consulti quidem condere debent, tamen promulgandam esse dico, vt Romani consueuere. Rogatio enim apud populum Romanum trinundino promulgabatur, antequam sanciretur, vt vndeuiginti dierum spacio (tot enim inter trinas nundinas dies intercedunt) optimè deliberare possent, vtrum condenda lex Reipublicæ conduceret. Eius deinde cùm populus acceperit, obseruantiam magistratus curare debent, quæ longè tum facilior est, cùm plebs vniuersa sciuerit, quàm si à paucis clanculum scribatur. Nam populi consensus firmiores leges efficit, & promptiores ad parendum potentes reddit. Facilius enim tueri possumus, quod à pluribus custoditur: & multitudinis authoritas non est parui momenti. Legem Pomponius Iureconsultus communem Reipublicæ sponsionem appellat, ductus duntaxat hac ratione: Veteres legumlatores à Diis se leges accipere gloriabantur, vt maiorem authoritatem in populo haberent. Minyas AEgyptiorum Rex primus omnium eis leges tulit: quarum quidem authorem Mercurium finxit. Minos verò in Creta Iouem Saturni filium numen legum suarum fecit. Lycurgus autem Apollinem. Zamolxis qui Getis leges dedit, Deam sibi prætulit Vestam, quæ præsens numen apud

Legum promulgatio.

Multitudinis authoritas non parui momenti.

Teste Valerio li. 1. C. 3. Hero. li. 1. Plutarch.

pud illas nationes habetur. Apud Romanos Numa Pompilius sanctionibus suis Egeriam Nympham præfecit, quò facilius eas populus acciperet. Parui namque momenti esset optimas leges scribere, nisi in earum obseruantiam multitudo conueniret.

Ex senatusconsulto (quo maior legibus authoritas esset) Spurius Posthumius, Albinus Aulus Manlius, & Publius Sulpitius Camerinus legati Athenas missi sunt, qui inclytas leges Solonis deferrent, qui anno tertio postquam abierant, leges scriptas retulerunt, quæ populo Romano gratissimæ extiterunt. Aristoteles legem esse ait communem ciuitatis consensum, qui scriptis mandat quomodo vnum quodque agendum sit. *Præcipit enim recta* (vt ait Cicero) *praua autem depellit.* Eius namque virtus est, vt Modestinus refert, imperare, vetare, punire, permittere. Et in primis videndum est, vt ea Reipublicæ accommodetur, non autem Respubl. legi. Proinde falsum est quod à quibusdam dicitur, leges omnes omnibus ciuitatibus conuenire. Lycurgi legem esse scimus, qua præcipit fœminas in palæstra etiam nudari: diuque id apud Lacedæmonios obseruatum est. Persuaserunt siquidem sibi, sobolem longè magis robustam futuram, si ex vtroque parente luctatore nasceretur. Nec admirandum tum quidem id in illis erat: studebant namque omnes venationi ac rei militari, & reliqua omnia studia neglectui contemtuique habebant. Quin etiam furta rerum esculentarum iuuenibus suis permittebant, & lege quidem lata, vt Xenophon ait, quò paratiores alacrioresque essent ad prædam. Fuit etiam lex apud AEgyptios, vt qui rem furto amisisset, quarta eius parte mulctaretur, quæ furi (qui principi sacerdotum nomen suum professus fuisset) dabatur, cuius rei testis est Diodorus.

Non omnes leges omnibus ciuitatibus conueniunt.

Talia autem apud Romanos, qui omni virtutum genere excellebant, vitio ac ludibrio habita sunt. Seueritas namque illis non minus in re militari, & in castris, quàm intra mœnia, & in rebus vrbanis grata extitit. Videndum igitur erit, quo in populo, quáve

lo, quáve in vrbe leges præscribendæ sint, si Reipub. optimè consultum esse velimus. Tempora præterea efficiunt, propter eorum vicissitudinem, vt non omnes leges perpetuò stabiles sint, sed eis quandoque derogandum, quandoque autem abrogandum sit. Non licuit quondam per leges veteres, libertinos tribubus Romanis aduocare, sed cùm pestilentia, & bello aliquando populus Romanus exhaustus esset, legibus abrogatum est, libertinique in tribubus accepti sunt. Laudumque haud minimam tulit Fabius Rullianus, cui Maximo ob virtutem cognomentum fuit, quòd cùm censor esset, eos describendos esse censuit. Mutatio etiam morum plerumque mutationem legum exigere videtur. Nulla fuit quondam prouocatio à magistratibus: sed cùm per licentiam nonnulla perperam iudicarentur, legem de prouocatione à magistratibus ad populum Lucius Valerius tulit, quæ quidem res tam grata fuit populo Romano, vt Publicolæ nomen meruerit: & cum deinde diem obijsset, publico sumptu sepultus est matronis etiam in annum luctu indicto.

Legũ mutatio morum mutatione.

Præsint oportet magistratibus leges, & sic legitimè imperabunt, populumq; dicto audientem habebunt. Iure enim ac scitè dicitur magistratum esse legem loquentem, legẽ autem mutum magistratũ. Magistratũ verò qui gerũt, in his potestatem habere debent, in quibus leges expressè cauere nõ possunt. Difficile enim factu est, generali legum sermone quæcunque animaduersione indigent complecti. Plurimum itaque prodesse ciuibus suis legumlatores, nemo ambigit. Quos tanti fecit optimus Philosophorum Socrates: vt eos Respublicas beatas facere arbitraretur, quorum nomina in omni æuo nunquam obliterari poterunt. Moses quòd apud Hebræos primus omnium legem scripserit, nónne in summa veneratione semper extitit? Phoroneus Inachi filius, qui Argis leges statuit: Et Mercurius Trismegistus qui AEgyptiis, Draco, & deinde Solon qui Atheniensibus, Minos autem qui Cretensibus, & Lycurgus qui Lacedæmonijs sanctiones

Magistratus, lex loquens. Lex mutus magistratus.

suas

ſuas ediderunt, quantam ſibi gloriam vendicarunt, quamque optimè meriti de ſuis ciuitatibus eſſe dicuntur?

Horum ſcripta Romani adeo venerati ſunt, vt Decemuiros ex ſenatuſconſulto conſtituerint, qui leges à Græcis ciuitatibus peterent, quas in decem æreis tabulis vel (vt Liuius ait) in æs inciſas, pro roſtriſque editas populum docuerunt, & duas ipſi addiderunt, ne quid perfecto operi deeſſet. Cicero in libris ſuis de Oratore ad Quintum fratrem, Craſſum loquentem facit, & duodecim has tabulas diuinis penè laudibus efferentem, cùm ait. *Fremant omnes licet, dicam quod ſentio: Bibliothecas me hercule omnium Philoſophorum, vnus mihi videtur duodecim tabularum libellus, ſi quis legum fontes & capita viderit, & authoritatis pondere, & vtilitatis vbertate ſuperare.* Has tamen leges Romani Iureconſulti multò meliores reddiderunt, vt ad cumulum perfectæ laudis nihil deeſſe videatur. *Lib. 1.* *Legum 12. tabularũ laus.*

Proinde ſublatus mihi videtur temporibus noſtris labor ferendarum legum, ſatis nobis ſuperque erit, ſi Pontificij, & Romani iuris optimi imitatores erimus. Nihil enim illis deeſt quod ad ciuilem ſocietatem conſeruandam pertinere poſſit. Ex illis namque dignitas omnis expetitur, cùm omnis induſtria, omniſque honeſtus labor honoribus, præmijs, ſplendore, gloria decoratur: vitia autem hominum ac fraudes damnis, ignominijs, vinculis, verberibus, exilijs, morte multantur. Legem tamen ſi qui ſcripturi ſunt, naturam vt imitentur oportet, quæ quidem ſolos homines rationis participes ex omnibus animalibus fecit. Ratio eſt, quæ oſtendit quæ agenda, quæve fugienda: eadem habitu mentis confirmata prudentia in nobis efficit, quæ ſeminarium morum & legum eſt, & fundamenta iacit omnium præclariſſimarum actionum. Hæc docet hominem ad iuſtitiam eſſe natum. Nam cùm genus ſuum amet, ac congregabilis ſit ac ſociabilis præter reliqua animantia, & nulla ſocietas ſine iuſtitia firma aut ſtabilis eſſe poſſit, ad illam vel imprimis *Legem ſcripturis, naturam imitandam eſſe.* *Rationis definitio.*

Homo ad iustitiam natus. *Primum iustitia munus, Pietas.*

mis natus homo cernitur, cui præcipuè indulget. Primum autem iustitię munus est pietas ergaDeum: cuius quidem virtutis nullum animal aliud præter hominem particeps esse cernitur. Solus homo Deum cognoscit, eumque vt authorem mundi effectoremque rerum omnium reueretur, & colit, à quo quidem se participem rationis factum esse dignoscit. In quo cùm iustitiam summam esse cernat, iustitiæ se imitatorem vt ostendat oportet, si sui similem esse vult, & à natura sua neutiquam aberrare. Præbuit Deus humanæ naturæ seminarium virtutum, vel igniculos quosdam (vt aiunt) qui si adoleuerint, nec à malis moribus deprauati fuerint, perfectam in nobis naturam pariunt: quæ quidem virtus est quæ nos beatos efficit, & vt Stoici affirmant, sola satis est ad benè beateque viuendum. Naturam igitur imitatur in legibus suis legumlator, quæ virtutis & honestæ vtilitatis rationem habet, vt æquum ac bonum spectet, & vtilitati omnium ciuium, si fieri potest, vel complurium saltem consulat.

Quales leges esse oporteat.

Videat in primis, vt leges suæ emendatrices sint vitiorum, commendatricesque virtutum, adeo vt ab illis viuendi disciplina ducatur. Cuius rei materiam vberem philosophia præstabit, vt Cicero in libris quos de legibus scribit, manifestè docet.

Legis virtus.

Sit lex omnis ad salutem ciuium, conseruationem humanæ societatis, incolumitatem ciuitatis, vitamque singulorum quietam ac beatam: quæ persuasio efficit, vt populi æquo animo scita illa accipiant, quæ etiam aliqua ex parte libertati singulorum obesse videntur. Defendat ac tueatur bonos, malos autem supplicio afficiat: ea tamen ratione, vt malit ciues emendare, quàm interimere. Regionis quoque rationem legislator habeat: nam diuersæ regiones diuersas exigunt leges. Homines consideret, & eorum mores, ac viciniam ipsam, cum qua studendum est vt amicè viuatur. Fides namque viciniarum maximum vrbis refugium est.

Solonis leges quam Draconis mitiores.

Solonis leges quòd mitiores essent, longè gratiores Atheniensibus extitere, quàm Draconis, qui leuia etiam

errata

errata capitali pœna animaduertenda censuit. Vnde Solon eas omnes propter nimiam asperitatem aboleuit, præter illas quæ de cæde erant, æquum esse statuens, interempti hominis facinus morte vindicare. Sed Draco vnam ferè omnibus mortem pœnam iudicabat. Quocirca Demades orator dicere solebat, *Draconem non atramento, sed sanguine leges suas scripsisse.* Seueræ Lycurgi leges apud Lacedæmonios videri possunt, habent tamen pœnitentiæ & confessionis criminum rationem, & vitæ ciuium plurimum indulgent. Boni quidem ciues virtutis studio à prauis actionibus declinant, mali autem plerunque pœnarum formidine abstinent, & leuioribus pœnis adfecti ad meliorem vitam rediguntur.

Draconis leges sanguine scripta.

De æqualitate ciuium inter se, & de his rebus quæ concordiam pariunt.

Tit. VI.

Æqualitas inter ciues concordiam parit, sine qua infirma nec stabilis omnino ciuilis societas esse cernitur. Nullæ enim vires satis esse possunt, nullum præsidiū, nullæ opes, nullaque vectigalia his ciuitatibus quæ intestino bello laborant. Rursus autem nec parua nec parum diuturna ciuitas erit, quæ ciuium concordia munita est. Elaborandum igitur in primis erit, vt æquali iure inter se ciues viuant, & ne alijs perpetuo imperent, alij autem perpetuò famulentur. Instabilis enim omnis societas est, in qua non omnes pari iure censentur. In primis itaque videndum est, ne alij in iudicijs à pluribus defendantur, alij verò à plerisq; expugnentur. Parit enim discordiam maximam, vbi eorum qui in pari crimine deprehensi sunt, alij grauiter plectuntur, alij autem intacti omnino relinquuntur. Quinetiam cogitādum, *ne maior pœna quam culpa sit*, vt ait Cicero. Qua quidem in re Stoicorū sententia minimè probanda mihi esse videtur, qui peccata omnia paria esse voluerunt. Longe enim durius animaduertendum esse arbitror in eum gubernato-

Zuingerus l. 2. volum. 21. Æqualitas concordiam parit.

Peccata omnia paria secundum Stoicos.

tẽ qui nauim onuſtã auro & argento euertit, quàm in eum qui arena aut figulari creta oneratam amiſit, quamuis ſuum vterque officium neglexerit. Ea enim quæ pluris ſunt, maiorem diligentiam exigere videntur. Quæ Stoici dicunt vera exiſtimanda ſunt, ſi res inter ſapientes viros ageretur, apud quos in leui etiam culpa idem eſſet, ac ſi longius progreſſum eſſet. Sed alia ratio nos ducit in ſocietate ciuili, in qua res eſt cum multitudine, & non cum paucis, qui ſibi & alijs legem præſcribere poſſunt. Erit igitur ſtudendum, vt iuſti inter ſe ciues ſint, & ad virtutem omnia dirigant, contentique rebus ſuis, non appetant aliena. Ocioſis in Republ. nullus ſit locus, per deſidiam ſiquidem, ac ſocordiam omnia perperam agunt. Vnde verum eſt illud Marci Catonis oraculum: *Nihil agendo, homines male agere diſcunt.* Induſtriæ bonorum ciuium ſemper inuident quibus cùm ſimiles eſſe nequeant, ſimulate & odio eorum ſtatum labefactare conantur. Excludendi igitur ſunt à publicis functionibus, quia nec dignè imperare poſſunt, & parére atque obſequi detrectant: quibus rebus omnis ciuilis ſocietas continetur. Præclari ſiquidem ciuis eſt optimè imperare cùm præeſt, & modeſtè parére cùm ſubeſt. Magna itaque ratio in ordinandis magiſtratibus habenda erit, ſi æqualitatem conſeruare volumus. Præclarè Ariſtoteles Rempublicam eſſe ait inſtitutionem ciuitatis circa magiſtratus honoreſque publicos, quemadmodum debeant impartiri. Per vices ciues imperent oportet. Sic etiam per vices pareant, ſi libertatis ſtudioſi eſſe cupimus. Nulla namque perſuaſio in ciuili ſocietate præſtantior eſſe poteſt, quàm libertatis, ad quam animus omnium ciuium dirigendus eſt: quod facile factu erit, ſi plerique omnes ſperabunt ſe aliquando magiſtratu potituros. Honori ſiquidem quiſque ſtudet: quem cùm videbit ſibi præreptum, ſpeque ſe eſſe fraudatum, nunquam animo quieſcet, & vel negligentior in Rep. erit, vel malè omnino animatus. Hinc ſeditiones inter ciues oriuntur, hinc ſimultates & inuidiæ, quæ quidem res ſtatum publicum infir-

Ocioſis in Repub. nullus locus.

Catonis ſcitũ.

Reip. definitio.

infimiorem reddunt. Proinde non modò dignitatis, sed muneris quoque in deligendis magistratibus ratio habenda est. Præfinitum tempus magistratus habere debet. Nam perpetuò imperare in libera ciuitate, odiosum est. Parere enim, vt imperare discat, optimo ciui expedit Et dum imperat, optimum est vt meminerit non diu post fore vt pareat. Hoc propositum præstabit, vt faciliora imperia illius sint, qui non se Regem aut tyrannum esse sentiet, sed publico munere ad diem fungi: & plures ciues muneribus honestabuntur. Plures magistratus ab vno eodem tempore geri iniquum videtur: tum ab vno melius vnum opus perficitur quàm complura: tum quòd inuidiam vel maximè facit apud alios qui eodem munere se dignos esse arbitrantur. Et quanquam hoc pessimum apud Carthaginenses erat, & nostro etiam tempore in nonnullis ciuitatibus vsurpantur: alienum tamen à ciuili societate est, & ad inuidiam promptissimum. Benè igitur Lacedæmonij ex Lycurgi legibus edixerunt, nemini licere plures magistratus gerere. Cuius sententiæ adstipulator est Socrates, & Aristoteles ab eius iudicio non aberrat, sed eius authoritatem confirmat. Optimum puto ad æqualitatem ciuium seruandam inter se, si omnes senserint se participes esse publicorum munerum. Non laudandum censeo quod in plerisque ciuitatibus nostro tempore vsurpari solet, & à nonnullis doctissimis viris argumento etiam defendi, vt familiæ complures perpetuò ab omni publica functione excludantur. Id quod vtile esse ideò affirmant, quòd longè magis diligentes ad custodiam reliqui fiunt, cùm intelligant intra mœnia esse quos formidare debeant. Qua in re inprimis peccatur, & iniusti sumus erga conciues nostros, qui cùm onera nobiscum ferant, à muneribus omnino excluduntur. Deinde ciues illos ignauos reddimus, cùm perpetuæ seruituti addicti sint, vixque eis liceat de Republica cogitare, nec benè animati esse possunt, aut de Republica promereri, qui pœnam semper formidant, & præmia nunquam

Plures magistratus nullus eodem tempore gerat.

expectāt. Sint igitur inter se ciues munerum participes, sperentq; se aliquando magistratibus fungi posse, si per eorum virtutem, & populi suffragia licebit: & sic nemo formidabit se suspectum esse cōciuibus, aut opinabitur precariò se degere in libera ciuitate. Et alia ex parte nemo insultabit in eum, quem immunem ac suspectum reliquis ciuibus arbitrabitur. Optimus paterfamilias ingenuos omnes, quasi participes, in familia habet: sed alium ætate, alium virtute, alium sexu præfert. Sic optimis ciuibus in Republica accidit, si virtutis, ætatis, sexus, atque ordinis rationem habeant. Et sic libertati omnes studebunt, nec alius putabit se à communi bono eiectum, alius se hæredem publici patrocinij testamento institutum.

Duo numina in Rep. veneranda, præmiū & pœna. Duo numina in primis veneranda in Rep. Democritus asseruit, sine quibus in ciuili societate nihil benè aut iustè agitur: *præmium scilicet ac pœnam.* Optimi nāque ciues, & bene de Repub. meriti, muneribus honoribusque honestandi sunt: deterrimi autem omni fœditatis exemplo adficiendi, quocirca qui delinquerunt, multandi sunt, parcendum est tamen eorum posteris. Fieri enim potest, vt optimis parentibus orti, pessimi fiant, & ex deterrimis nonnunquam optimi.

Iunius Brutus. Iunius Brutus vindex Romanæ libertatis, qui Tarquinium (cui à moribus Superbo nomen fuit) exegit, quanta pietate in patriam fuit, quantaq; indulgentia in ciues? Is quāuis libertatis author fuerit, & violatæ pudicitiæ vltor, filios tamen adeò habuit degeneres, vt cū Aquilijs ac Vitellijs coniuratos ad recipiendū rursus in vrbem tyrānos inuenerit, & virgis cæsos securi peuti iusserit.

T. Gracchus. Tiberius & Caius Grachi. Titus Grachus pater, summæ probitatis vir extitit, & de Rep. deq; hominū genere optimè meritus: hic tamē filios habuit Tiberium & Caiū Grachos, qui turbulentissimi, & seditiosissimi extiterunt. Et alter in Capitolio ob Reip. salutem à Scipione Nasica oppressus est, alter ad voluntariam mortem compulsus. Claudius Pulcher, qui classem apud Siciliam per contemptum religionis perdidit, quiq; viatorem suum in discrimine publico ludens Dictatorem dixit, filium quidem habuit miræ probitatis,

& qui sibi ipsi potius quàm parenti similis haberetur. Ideò videndum erit, ne facinus vnius multos perdat, neve pœnas luant nati natorum, & qui nascentur ab illis, vt ait Ennius. Aequius namque est sontem absoluere, longeque magis tolerandum, quàm innocentem condemnare. Ad fœlicitatem se dirigere debet animus cuiusque, & cùm quiescere vult, nemini ludibrio habendus erit. Eleganter Cicero ait, *perbeatos sibi videri eos, qui in optima Rep. cum honoribus, & genere dignitatum floreret, eum vita cursum tenere potuerunt, vt vel in negocio sine periculo, vel in ocio cum dignitate esse possent.* Non igitur posteri arcendi sunt parentum culpa perpetuò à Republica, ne omnino felicitatem desperent, cùm videant nullam veniam sperandam esse, nullaque virtute sese redimere posse. Fit enim sæpenumero, vt eorum animi ad res nouandas prōptissimi sint: & desperatio aliquando in virtutem conuertitur. Facilè enim qui periclitantur Maronis doctissimi Poëtarum sententiam vsurpant:

Vna salus victis nullam sperare salutem.

Hæc igitur vitanda sunt, vt tutius in Republ. viuatur, vtque omnes pariter libertatis ac pacis studiosi sint, & publicæ vtilitati incumbant. Nulla enim societas sanctior est, quàm benè institutæ ciuitatis, in qua æquo iure sine discordia ac seditione viuitur, & omnibus honestè viuentibus beatis ac fœlicibus esse licet.

Iam tempus est vt de magistratibus deligendis disseramus. Et primo videndum est, si ex omni populo designandos esse censemus, vel si aliquam partem excludere volumus, aliquam autem præferre: & quid cum agricolis & rusticis agendum sit, quorum labore naturalia alimenta vniuersæ multitudini comparantur.

Quid cum agricolis & rusticis agendum sit in Rep.

Tit. VII.

Varro, Cato de re rustica. Isidorus l. 17. cap. 1.

MArcus Terentius Varro, qui inclytos libros de Agricultura scripsit, iniquo animo se ferre ostendit, quod ciues Romani temporibus suis rebus vrbanis potius quàm agrestibus inseruirent, & falce & aratro relictis, fabellis indulgerent, & in circis potius ac spectaculis versarentur, quàm in agris, ac vinetis: quinimo ea admirarentur, quæ ad effœminandos homines quasi virus quoddam spargerentur: ea autem quæ ciuitatem alunt, non modò negligerent, verùm etiam contemptui haberent. Quę quidem sententia declarat verum esse quod à Cicerone scribitur: *Omnium rerũ, ex quibus aliquid exquiritur, nihil agricultura melius esse, nihil vberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius.* Et profectò nisi nos ipsos nimiùm amamus, nobisque ipsis blandiri volumus, & molitiem quandam muliebrem sequi, agricultura sola est cui & ingenium excellentes viri & manus admouere debeant, tum propter necessitatem, cùm sine ea neutiquam viuere possumus, tum etiam quòd quæstum nobis honestissimũ, & sine fallacia ac mendacio prębet. Quæ quidem res tanti fuit apud vetustissimos, vt complures doctissimi viri non solùm de ea breues commentarios, sed plurimos libros consertos omni disciplinarum genere scripserunt. De qua primus omniũ apud Latinos scripsit Marcus Cato Censorius, & post eum Sarsenæ duo, pater ac filius, deinde Tremellius Scropha longe maiore eloquentia quàm superiores. Tum Marcus Terentius Varro, Celsus Cornelius, Iulius Atticus, Iulius Græcinus, Lucius Moderatus, Columella, & alij complures: qui nunquam onus scribendæ agricolationis suscepissent, nisi se facturos operæ precium cernerent, & rem dignissimã posteris commendaturos. Atqui tanto studio flagrarunt huius disciplinæ Romani ciues, vt Magonis Carthaginensis (quem rusticationis parentem Colu-

Agricultura laus l. 1. officiorum.

Agriculturæ scriptores. Isidorus l. 17. cap. 1.

lumella appellat) octo & viginti illa memorabilia volumina ex Senatusconsulto in Latinum sermonem conuerti iusserint. Nec puduit Roma. non modò ad minimos magistratus, sed & ad summum etiam ab agris rusticos accersire, & Quintum Cincinnatum Dictatorem dicere, & ab aratro deuocare: qui sextodecimo die victis hostibus triumphauit, dictaturamque cùm deposuit, ad agrum rediјt, quasi ad inchoatum opus perficiendum. Proceres enim ciuitatis in agris morabantur, ex quibus cùm Senatus cogeretur, patres à viatoribus euocabātur. Conuentus prӕterea nundinarum Lucius Columella propterea vsurpatos esse ostendit, vt illis diebus tantummodo res vrbanӕ agerentur, reliquis autem rusticӕ. M. etiā Varro libro secundo de re rustica, idem testatur his verbis: *Nonis modò diebus antiqui vrbanas res vsurpabant, reliquis septem vt rura colerent: quod institutum dum seruarunt, vtrumque sunt consecuti, vt & cultura agros fœcundissimos haberent, & ipsi valetudine firmiores essent.* Ex hoc possumus colligere etiam nundinas dictas, qua si nouendinas, quòd nono quoque die agerentur. Ad agrum rediјt Fabricius victo Pyrrho, & ex Italiӕ finibus pulso. Ad agrum etiam M. Curius Dentatus victis Sabinis rediјt: quem quidem non minore industria coluerunt, quàm fortiter armis pugnauerant. Et certè robusti magis & longè melioris valetudinis iuuenes in agris fiunt, quàm in vrbana vmbra, in qua somno & libidinibus indulgentes, imbecilles fiunt, malӕque valetudinis. Non igitur admirandum est, si in agris obduratos iuuenes Romani extulerunt, cùm imperium orbis terrarum non ignauia & desidia, sed robore & fortitudine quӕsierint: nec per leges apud Romanos licuit auitum agrum alienare, nisi prius pararetur alius non minoris prouentus. *Quin etiam fundum malè colere, censorium indicabatur.* Et vt Cato refert, cùm virum bonum colonumque dixissent, amplissimè laudasse existimabantur. Non autem agriculturam quasi sordidum quӕstum fugimus, & agricolas ludibrio habemus, eosque tanquam seruos, aut ad perpetuum laborem ad-

Vide suprà pag. 18.

Nūdinӕ vnde?

Plutarchus Lib. 4. Cato de re rustica.

dictos contemnimus, plurisq; mercium ac pigmentorum institores, vel cocos, aut fartores facimus, quã optimum quemque agricolam: cuius industriã tunc omnes alios opifices vincere dicimus, cùm populus famelicus opem alimoniamque implorat, & ieiunus admodum sæuit & timere nescit, vt præclarè Lucanus asserit. Sed si Platonem auscultare velimus, eiusque disciplinam aliqua ex parte sequi, inueniemus ciuitates ab initio vtilitatis gratia cõstitutas. Nam cùm nemo sibi satis esset, nec quispiam inueniretur tantæ industriæ, tantæque solertiæ, vt necessaria omnia solus sibi comparare posset, societas hominum adinuenta est, vt dando, accipiendo, commutando, communicãdo, alter alteri quod satis esset suppeteret. Et cùm homo tribus imprimis indigeat, alimento, domo, ac veste: congregatione adiutus, ea quæ per se minus habere posset, facilè ab alio accipit. Alimenta nobis sola agricultura præbet, ædificium adiuuat, & vestimentum pene suppetit. Nam pascendo pecori solus agricola incumbit: quæ res tanti fuit apud veteres, vt interrogatus Cato, quidnam agendo celeriter quispiam locupletari posset. *Qui bene pasceret*, (inquit) Rursus quid deinde faciendo? *Si satis benè pasceret*. Quæ quidem responsio ostendit mediocrem etiam domini diligentiam in pascendo pecora alios fructus superare. Quinimo nulla ars, nullaque hominum industria efficit beatum hominem, quàm agricultura. Quod quidem Delphico oraculo comprobatum fuisse doctissimi veteres perhibent. Aglaus enim Psophidius senex agricola, qui in angustissimo Arcadiæ angulo paruum prædium annuis tamen victibus abundè sufficiens colebat, ex quo nunquam egressus, nihilque vlterius cupiens, vitam placidè finiuit, ab Apolline fœlicissimus est iudicatus. Et Homerus vt in clypeo Achillis præclaras hominum artes insigniret, agriculturam expressit. Nam aratores, ac messores posuit, & eos qui vindemiam exercebãt. Nec aliud causæ fuisse puto, quòd Euboici Hesiodũ in carminis certamine prætulerint Homero (si verũ est epigramma, quod in tripode scriptum fuisse referunt)

Ciuitates vtilitatis gratia constituta.

Homo tribus indiget.

Catonis dictũ.

Agricultura beatos facit.

Aglaus.

ferunt) nisi quòd argumentum rei iusticæ, & agricolarum magis probauerint, quàm bellatorum ac rei bellicæ. Illud enim mortalibus vitam ac fœlicitatem pollicetur, hoc autem mortem ac miseriam. Vtrum tamen inter se certauerint Homerus & Hesiodus, obscurum est. De eorum namque temporibus veteres varia scripserunt. Nam aliter Socrates, aliter Philochorus sentit. Et complures dicunt Homerum post Troiam captam anno centesimo septuagesimo secundo humanis rebus excessisse, centesimo sexagesimo antè Romam conditam: inter quem & Hesiodum (qui olympiade prima obijt) anni circiter centū & triginta octo interfuerunt. His argumentis & rationibus dicere possumus, ad ciuilem societatem seruādam necessariam imprimis esse agriculturam. Quocirca si iusti esse volumus, & ciuitatem conseruare, non excludendum à publicis muneribus agricolam esse iudicabimus. Sed taliter agendum, vt ciuitas benè regatur, & agricultura neutiquam negligatur. Vera siquidem est Magonis Carthaginensis sententia, in qua docet, villas rusticis parandas esse, & in agris eos habitare oportere, cùm ait: *Qui agrum parauit, vrbanam domum vendat, ne malit vrbanum potius quàm rusticum larem colere.* Nam cui magis cordi fuerit ciuile domicilium habere, rustico prędio neutiquam opus est. Erit igitur hoc pacto agendum, vt cùm in vrbem diuerterint ex agris necessitatis gratia, grato animo à ciuibus suscipiantur, adeo vt intelligant sese ad communem patriam accessisse, & ad eam quam suis fructibus alunt. Laudanda est eorum industria, vt liberius ad agros redeant. Non tamen vrbano munere alliciendi sunt. Agriculturam nanque destituerent, & rem vrbanam pessimè agerent. Fiunt siquidem acciti in Republica seditiosi, ac turbulenti, & diuites fieri quamprimum cupiunt, statumque optimorum ciuium pessundāt. Proinde vt vtiles admodum in prædijs colendis arbitror, sic in tractandis rebus vrbanis deterrimos. Munera exerceant rustica, & magistratus illos quibus in agris opus est. Ciuem siquidem eis præficere, inhumanum omnino esset, & ab omni vr-

Agricultura vitā, res bellica mortem hominibus pollicetur.

Vide Vell. Patercul. Scalig. de re Poet. Virgil. Polydorus. Gellius lib. 3. cap.

Laudandi sunt agricolæ, agriculturam ne deserant.

banitate alienum. In deligenda militia belli tempore, cùm agricolationem minus exercere possunt, nō alienum puto strenuissimos ac fortissimos quosque ipsorum describere. Sunt enim robustiores propter assiduos labores: & fide ac diligentia peregrinũ militem antecedunt. Atque stipendia illis impertiri in bello, cum quibus optime in pace agitur, animi gratissimi esse cernitur: & illos ad promerendum in pace promptiores alacrioresque reddimus, quibus in bello consulimus, & eorum operam non negligimus. Hæc ideo de rusticis dixi, quoniam ab agresti vita discessimus, & ocio atque vmbra gaudemus. Planè enim cognosco consuetudini aliquid concedendum esse & difficile admodũ esset nos omni ex parte ab ignauiæ studijs homines deuocare. Sed vtinam melior esset vrbana vita (quam omnes sequimur) quàm rustica illa prisca, quam remis velisque (vt dicitur) fugimus. Sit igitur contentus agricola noster rusticis muneribus raroq; se in vrbem conferat: *Rusticus enim ambulator* (vt Cato ait) *odio dignissimus est.* Nunc de opificibus aliquid dicendum censeo, & qui accipiendi in vrbem sint, quique exigendi: & si ad vrbanos magistratus admittendi sint deinceps dicam.

Ex agricolis fortes fiunt milites.

Rusticus ambulator odio dignissimus.

Opifices & mercatores quomodo accipiendi sunt in Repub. TIT. VIII.

OCII magis quàm negocij rationem exigere debent, qui Reipublicæ præsunt, & optimi etiam patres familiàs ab his quibus imperant: quod quidem & doctissimi veteres censuerunt: & Gymnosophistæ nudi illi sapientes, qui in India degebant, nihil magis odio prosequendum arbitrabantur, quam segnitiem, ac torporem animi. Quocirca antequam epularentur, adolescentes ad mensam deuocabant, [illegible] eisque rationem exigebant quid officij, quidue negocij per diem peregisset, & illis solis esculenta apponebant, quorum industriam comprobabant: illos autem ex cœnáculo extrudebant, qui per ignauiam, & inertiam

Aristoteles, Cicero.

Gymnosophistarũ mos in educandis iuuenibus.

tiam nihil egiſſent, & cibum officio negocióve, vt lucrarentur imperabant.

Hanc igitur imprimis operam ſuſcipiant, qui Reipublicæ præſunt, vt iuuenes diſciplinis vel ſtudijs bonarum artium imbuantur. Cura enim diſciplinarum præcipua omnibus eſſe debet, in omni libera ciuitate. Nam beatas fieri Reſpub. Plato ait, quæ à ſapientibus & doctis viris regerentur: vel ſi minus (quando non omnes doctiſſimi euadere poſſumus) mercatura nautica, aliæúe artes ciuili ſocietati vtiles exerceantur. Pro ſe laborare quiſque debet, vt vſui ſit ſibi, familiæque ſuæ, & alijs conciuibus. Exemplum ſiquidem formicarum & apum omnes ſequi debent, & quaſi in commune laborare, vt omnia quæ neceſſaria ſunt, humano vſui ſuppeditentur. Inter ſeueriſſimas Droconis leges, illa etiam fuit, vt ocij damnati, capite punirentur. Quæ quidem quamuis durior eſſe videtur: & ab humanitate aliena, tamen ratioñe neutiquam caret. Scribit etiam Diodorus legem fuiſſe apud Aegyptios, qua ſinguli cogebantur nomina ſua apud præſides profiteri, & qua arte quóve lucro viuerent, oſtendere: & ſi qui mentirentur, aut iniuſto quæſtu viuerẽt, capite damnabantur. Nec medius fidius iniuria. Ocioſi enim & ignaui iuuenes venenum ciuitatis ſunt. Proni ad libidinem fiunt, bonis inuident, aliena appetunt, & denique ſeditioſi, & turbulenti euadunt, adeò vt peſſimè cum illis agatur. Ideo neque admittendi ad munera publica (vt ſuperius dixi) ſunt, ſed ad frugalitatem redigendi: vel ſi hoc minus fieri poteſt, mulctandi ſunt bonis, vel extorres agendi. Fit etiam ſæpenumero, vt eiecti patria cùm peregrinantur, & à parentum delicijs abſunt, egendo diſcant quærere, & parta nõ modo luxu prodigere, verùm omni parſimonia conſeruare. Hæc diligenter conſideranda ſunt. Nam nihil per ocium marceſcere debet, aut vitam noſtram oſcitando conterere. Optime M. Cato in libris de morib. ſcripſit, *vitam humanam eſſe vt ferrum, quod ſi exerceas vſu conteritur, & cum ſplendore quidem, ſin minus exerceas, rubigine exeditur: ſic* homines

Aegyptij ſua nomina apud præſidem profitebantur.

Iuuenes expulſi à parentum delicijs, ſæpe plus proficiunt.

Vita humana ferro comparatur.

Laudat Gell. lib 16. cap. 1.

homines se exercendo honestè, conteruntur: si non exercentur inertia atq; torpedo plus illis detrimenti affert, quàm industria. Pulchrè admodum idem Cato in oratione quā Numantiæ apud equites habuit: *Cogitate animis vestris milites* (ait) *siquidem per laborem rectè facitis, labor citò recedit, benefactum remanet. Si quid autem per voluptatem nequiter feceritis, voluptas cito abibit, nequiter autem factū perpetuò manebit.* Quę quidem sententię declarant nihil deterius esse ocio, nihilque laudabilius industria. Fouendi igitur erunt mercatores & opifices omnes qui labore & industria victum quæritant, & ciuitates longè magis abundantes reddunt his rebus, quę vsui esse possunt. Sed quoniam factu vtile est vrbem condere in huiusmodi solo, in quo omnia suppetāt, quæ ad ciuilem vsum necessaria sunt: & alia ex parte singulæ quæque regiones quasi peculiari quodam fructu abundant: necessarios mercatores esse opinor, qui quæ nobis supersunt euehant, & permutando ac vendendo ea aduehant, quæ necessaria sunt. Consuetudo tamen Gallorum qui Belgæ appellantur, in hoc mihi probanda esse videtur, quòd minimè ad se mercatores venire patiantur, qui ea importent, quę ad effœminandos animos pertinent. Fit enim temporibus nostris, vt irritamēta Veneris, & libidinum illecebræ ab extremis vsque oceani partibus vndique apportentur: eiusmodi nauigationem neutiquam necessariam, minus laudandam esse censeo, sed eam duntaxat, quę superflua cum his commutat, quę nobis vsui esse possunt. Hoc mercaturæ genus Cicero vituperandum esse non existimat, si copiosè agatur, multis etiam sine vanitate impertierit, dummodo finem aliquando quæstui imponat, & vt ex alto in portum, sic ex ipso portu in agros & possessiones se conferat, & sapienter quidem. Fortuna enim illa semper apta, studentibus minus optanda est: vt glorianti mercatori quòd in omnes oras maritimas nauigia dimisisset, dixisse fertur Lacon quidam. Finis præscribendus est lucro, propter varios fortunæ casus: ne paruo temporis momento id mercator amittat, quod in omni vita sua perlucratus est, cogaturq; decoquere: quod quidem

Citat Gell. li. 11. cap. 2.

Vrbes in fertili solo locādæ.

Gallorū mos laudabilis.

Vide Lipsij notas ad Politica.

Off. lib. 1.

Lucro finis præscribēdus.

quidem sine ignominia ac probro nequaquam accidere potest, etiam si id sine culpa aliqua fieret. Quod Cicero in secunda Philippica Antonio obijcit, his verbis: *Tenésne memoria, prætextatum te decoxisse? Patris (inquies) ista culpa est, concedo etenim, est pietatis plena defensio: illud tamen audaciæ tuæ, quòd sedisti in quatuordecim ordinibus, cùm esset lege Roscia decoctoribus certus locus constitutus: quamuis qui fortunæ vitio, nō suo decoxissent.* Eiusmodi ignominia vt careant mercatores, auiditati finem imponant, ne pauperiem in senectute cum irrisione etiam pati cogātur. Ab his autem magnis mercatoribus ementes vt rursus alijs vendant, vituperandos censet Socrates, nisi adeo imbecilles & inualidi sint, vt aliud viuendi genus minimè exercere possint. Opifices autē necessarios esse in omni ciuitate quis ignorat? *Quamuis nihil ingenuum habere posse officinam,* Cicero refert. Sed qui parant ea quæ vsui nobis sunt, & sine quibus minus commodè viuitur, non modo tolerandi sunt, sed inter honestos ciues censendi. Flatores, fusores, statuarij, cælatores, excussores, figuli, vitrarij, sutores, lanarii, vestiarij, coriarij, textores, fabri lignarij, lapidarij, cęmētarij, ferrarijq́;, & alij complures id genus partim admittēdi sunt, ꝙd quæ vtilia sunt parent, partim quòd vrbem diuersis ornamentis illustriorem reddant. Vellere suo Seres laudantur, Tyros, & Memphis tenuitate telarum. Quocirca non contemnendos opifices esse ducimus, qui opere & artificio alijs præstant, eos namque vtiles admodum fuisse ciuibus suis aliquando legimus. Demetrius cui ob crebras victorias Poliorcetæ, id est, vrbiū expugnatori cognomentum fuit, Rhodum accedebat ab ea parte muri, in qua notissima illa Protogenis Caunij tabula collocata erat. Et cùm iā incendium vrbi pararetur, certior ab oppidanis factus eius rei, ne præclari artificis incendio monumenta deleret, vrbi, & ciuibus pepercit. Olympij Iouis statuā diutius Phidię nomen seruauit: Capitolini autem Mentoris. Tales opifices ciuitates illæ quę protulerunt inter suas laudes rectè connumerare possunt. Solonis lex præcipuè laudatur, qua quidem sanciuit filiū nequaquam

Cic. Philip. 2.

Virg. Georg.

Demetrius Poliorceta.

Narrat hanc historiam Pl. l. 35 cap 10.

Protogenis tabula.

Lex Solonis.

parentu

parenti necessaria vitæ subsidia debere, à quo nullam artem accepisset. Et sic omnes ferè ciues hac sanctione ad popularia omnis generis ministeria adeò pellexit, vt vrbem omnibus artificijs abundātissimam paruo tempore effecerit. Vtilitas homines coëgit, vt in superioribus diximus, vrbes condere, & ciuitates constituere, quo tutius beatiusque degerent. Vtrumque enim facilius consequentur, si opificum solertia aduentitijs institoribus minus egebunt, & sibi ipsis omnia suppeditabunt, quæ in pace ac bello vsui esse poterunt. Plerisque visum est, & doctissimis quidem viris mercatores, & opifices ad Reip. munera non esse admittendos. Cicero opifices omnes in sordido quæstu versari arbitratur, non solum illos qui illiberali mercede victum quæritant, vt sunt mercenarij, quorum opera, non quorum industria emitur, verùm & reliquos omnes. Nihilque ingenui officinam habere asserit, & sordidos etiam quos putat, qui emunt à mercatoribus, quod statim minutatim (vt aiunt) vendant. Quinetiam magnam mercaturam quæ multis etiam sine vanitate impartiatur, non laudat, sed asserit eam non admodum esse vituperandam. Titus Liuius in primo Punico bello refert, Qu. Claudium Tribunum plebis aduersus Senatum vno Patrum adiuuante Caio Flaminio legem tulisse: *Ne quis Senator, quiue Senatoris pater fuisset, maritimam nauem, quæ plusquam trecentarum amphorarum esset, haberet.* Additque præterea Liuius, id satis habitum esse ad fructus ex agris vectandos, quando quæstus omnis Patribus indecorus visus fuerit. Quibus ex verbis assequimur veteribus Romanis non placuisse, vt qui Reipublicæ præessent, mercaturæ etiam indulgerent. Socrates autem mercatores & opifices publicis oneribus ne honestandos quidem esse, satis manifestè ostendit: & Aristoteles, mercatorum opificumque vitam ignauam, virtutique aduersam putat, & proinde eiusmodi viros ad magistratus non esse admittendos. Horum authoritates tanti faciendas censeo, vt durum admodum mihi esse videatur, contra eorum præcepta aliqua ex

Et sic Lipsius quoq; videtur in Politicis.

Quæst. omnis indecorus.

ex parte conari. Et nonnullas etiam ciuitates video eiusmodi quæstuarios exegisse.

Lacedæmonij, vt ciues suos ab omni quæstu abducerent, & ad agriculturam, venationem, remque militarem impellerent, aurum & argentum tãquam pestem ciuium ex sua ciuitate eiecerunt, & ferream quandam pecuniam grauioris ponderis instituerũt, vt ab omni commercio vicinorum excluderentur, & aduenientibus omnib. carerent. Thebani quoque legem sanciuerunt, nemini licere ad honores Reipublicæ admitti, nisi prius annos decem ab omni quæstu & mercatura abfuisset. Et pro comperto arbitrari possumus, si de optima Republica consideramus, de ea quæ ad fœlicitatem omni ex parte ducat, lucro intentos homines non admittendos huc esse. Malè enim de virtutibus merentur, qui pecuniæ intenti, lucelli potius quàm honestatis rationem habere volunt. Aurum Crates Thebanus Philosophus cum abijceret, rationem neganti respondisse fertur, neminem posse & opibus & virtuti simul indulgere. Et aurum adeo contempsit Aristippus Cyrenaicus, vt cùm pecunia onustum seruum tardius incedentem itineris comitem haberet, inquit: *Effunde pecuniam puer, quò celerius ambules.* Monimus autem Syracusanus cum mensarius esset, insaniam simulauit pecuniam abijciens, quoad à domino respiceretur, dimittereturque à mensa: à qua quidem fugiens confestim se ad Diogenem cõtulit: maluitq; lucro quàm sapientia carere. Gratias fortunæ peringentes egit Zeno, cùm ex Phœnice mercatus purpuram ad Piræum naufragium fecisset, & ad Cratem Philosophum se contulit, apud quem annos viginti in disciplina desedit, cum annos ante triginta natus esset. At cùm se cerneret ex mercatore Philosophum præclarum euasisse: *Tunc secundis ventis nauigauit*, inquit, *quando naufragium feci.* Atqui verum esse illud opinor, quod à plerisque Philosophorum dicitur: Tantum cuique fœlicitatis esse, quantum virtutis, & sapientiæ. Et vtinam tales omnes essemus, qui Stoicorum sententiã facilè nobis persuadere possemus,

Lacedæmoniorum mos.

Thebanorum lex.

Monimus.

Zeno.

solam

ſolam virtutem ſatis eſſe ad benè beateq́ue viuendũ, pauculis enim præceptis opus eſſet, ſi id nobis verè eſſet perſuaſum. Sed quando optima vitæ præcepta partim vtilitas, partim voluptas, partim mala conſuetudo nobis eripit, mitius agendum eſſe cenſeo, & pleraque toleranda, quæ nonnunquam minus digna eſſe videntur. Proinde modeſtè mercaturam agẽtes, & qui non fœnus faciant, (quod proximum homicidio M. Cato declarauit, cùm interroganti, quid fœnerari ſibi videtur eſſe: *Quid hominem*, inquit *occidere*?) quique non mentiantur, nec de periurio mendacioq́ue alios decipiant, Reip. muneribus honeſtandos cenſeo, opifices autem honeſtioris queſtus, nõ operarios, ac baiulos, voluptatum aut libidinum miniſtros, ſed alios qui ciuitatẽ rebus neceſſarijs augeant, vel ſpeciem vrbis decorent, neutiquam excludendos iudico, ſed taliter cum his agendum, vt cognoſcant induſtriam ſuam nõ eſſe pœnitendam, & ſi illis locus inter primarios non ſit, inter reliquos honeſtè eſſe videtur, & ad concordiam inter ciues ſeruandam maximè accommodatum, ſi hi ſine quib. ciuitas vix eſſe poteſt, quique participes onerum ſint, honorum etiam participes aliqua ex parte reddantur. Sordidi verò quæſtus opifices, & voluptatum miniſtri, quiq; gulę ac Veneris irritamenta parent, nõ modo admittendi in Remp. ſunt, ſed ciuitate etiam extrudendi. Suis namq; ganeis ac popinis, plurimis obſunt, proſunt autem nemini. Marcus Varro in libris quos de rebus humanis ſcripſit, cùm cupedinarios & macellarios odio à maioribus eſſe habitos oſtenderet, inquit: *Numerius Cupes eques Romanus, & Macellus ciuis itidem Romanus, ſingulari latrocinio multa loca habuerũt infeſta: hi in exilium acti, bona ipſorum publicata ſunt, ædes verò vbi habitabant, diruta, & ab altero Macellum, ab altero verò forum Cupedinis appellatum eſt.* Quæ quidem nomina à latronibus locis indicta, declarant quanti fecerint, quantoque odio maiores noſtris eiuſmodi artifices proſecuti ſint. Leues etiam artes qui exercent, & ex quibus nihil conſequi poſſunt, neglectui contemptuique habẽdi ſunt: quod quidem vel vno exẽplo

Fœnerari eſt occidere hominem.

Numerius Cupes & Macellus.

Cupedinis forum.

plo Alexander Macedo declarauit. Nam cùm à quibusdam admirantibus adduceretur, vt quendam conspiceret, qui ciceris grana ex longo spacio in acum perforatam sine frustratione cursum insereret, hominem irrisit, & eum ciceris modio donari iussit, quo quidem præmio industriæ leuitatem significauit. Tales igitur homines ludibrio potius habendi sunt, quàm aliquo munere honestandi. Sed in suffragijs reddendis, honestatis & virtutis prima ratio est habenda: secunda verò liberalium disciplinarum, quæ fructum in ciuitate habent vberrimum. Tertia autem nobilitatis. Nam quorum maiores illustri aliqua gloria floruerunt, non sunt filij posterique negligendi, nisi sua ignauia maiorum suorum laudes obscuriores reddant. Quarta deinde sit ratio eorum qui mercatura, artificio, & industria ciuibus prosunt, & vrbem opulentiorem nitidioremq; reddunt. *Alexander Macedo.*

De ædificandi ratione, quam architecturam dicimus, & de eius inuentoribus, ac septem mundi spectaculis.

TIT. IX.

Ædificandi rationem, quam longè clarius architecturam appellamus, non modò in pace ad vrbium ornamentum atque vtilitatem necessariam esse duco, verùm in bello ad repugnandum oppugnandumque. Quæ quidē si vrbi statuendæ principio adhibetur, non speciem modò præstantiorem efficiet, verùm quoque oportunam magis aptamque reddet, & ab hostium insultu opugnationeque tutiorem. Sed qui architectus non modò manu & experiētia, verumetiam doctrina & bonarum artium studijs indiget, non vtique exploratum est, interne opifices, an magis inter disciplinarum professores censendus sit. M. tamen Vitruuius in libris suis excellentissimis, quos de Architectura ad Octauium Cæ- *Architectus debet esse doctus.*

sarem scripsit, hanc doctrinam ex ratiocinatione solertiç ac rationi subijcit, quòd plurib⁹ disciplinis varijsque eruditionibus indigeat, sine quibus neque perfecta neque absoluta esse potest: *Fabricam autem esse vult meditationem quandam longo vsu continuatam, atque tritam, quæ manibus perficiatur, & materiæ cuiusque generis opus sit ad formationis propositum.* Quocirca architectum sine literis, omni authoritate carere asserit, tametsi exercitatione præstet: quòd si solummodo literis abundet, manu autem careat, verba nō rem eum assecutum putat. Quo quidem iudicio non iniuria inter opifices collocare eum poterimus, quamuis etiam inter reliquarum doctrinarum professores non immerito esse possit: & præcipuè si Platoni auscultare volumus, qui disciplinæ species tres adserit: vnam quæ in actione consistat: alteram quæ ex operis effectu constet: tertiam quæ speculationi studeat. Secunda illa Architecturā complectitur, quippe quę opus suum quamprimùm consummatum ostendit. Huius artis siue disciplinæ inuentorē Aegyptij Vulcanum fuisse perhibēt, qui Mercurij successor fuit in regno. Is Astronomiæ peritissimus fuit, & astra ignea esse censuit, omniaque ex igne creari, ædificia tamen eius arte cōstructa fuisse neutiquam legimus, sed aurificinas, aurifodinas ferrariasque ab eo inuētas multi adserunt. Forcipem ex ære, & arma bellica, & agrestia ab eo prius inuenta Græci volunt. Dicuntq; eum in re militari plurimum valuisse: & quod vulnus in pede accepisset, claudus factus est. Alij Dedalum Architecturæ inuentorem faciunt, qui in Creta regnante Minoë Labyrinthum miro gyrorum ordine ædificauit ad eius similitudinem, quem diu ante Myris (nonnullis Myro appellatus) Aegyptiorum Rex pro sepulchro sibi opulentissimo cōstruxit, quod etiam Labyrinthi nomine nuncupauit: cuius quidem aditus ingredientibus facilis erat, exitus autem perdifficilis, nisi beneficio ducis itineris peritissimi. Plinius in septimo libro naturalis historiæ, *Dedalum materiaria fabricæ inuentorem fuisse refert, & in ea serrā, asciā, perpendiculum, terebrum, ac glutinum primū inuenisse testatur.* Curabunt igitur qui Reipub. præsunt, ne desint ar-

Fabrica, quid.

Disciplinæ tres species.

Vulcanus architecturam inuenit.

Dædali Labyrinthus. Myris.

Cap. 6.

chitecti: nam sacra quidem vel publica ædificia vbi malæ dimensionis errata ostendunt, argumento peregrinis esse possunt, neque Principes Reipu. elegantes esse: priuatæ vero ædes malè materiatæ, maléve distinctæ, & luminibus ineptè illustratæ indecoræ sunt, & ad habitandum minus accommodatæ. Speciem idcirco vrbis, & ædium, domorumque vtilitatem respiciet architectus in pace, & ocio: belli verò tempore machinis, tormentis lapidumque balistis adeò vtilis erit, vt magno etiam honore publicisque functionibus adficiendus sit. Vrbes sanè nonnullas obsidione liberatas vnius architecti solertia legimus, nonnullas autem diutius defensas. Scimus Syracusas opulentissimam Siciliæ vrbem ab exercitu Romanorum Marcello consule triennio fuisse obsessam antequam expugnaretur, virtute & solertia Archimedis huius artis peritissimi, qui diuersis machinis tormentisque tandiu eam defendit, donec inopia rei frumētariæ & fame deficiente populo, expugnata euersaque extitit. Ipse autem architectus, cùm vrbs diriperetur, iamque hostes inuasissent, mensuris machinarum intentus, à milite quodam, cui superbum respōsum reddidisset, interemptus est. Cuius obitum Marcellus iniquo animo tulit, funusque eius lachrymis & exequiarum pompa prosequutus est. Vtilitatem etiam non mediocrem Atheniensibus attulit Philo architectus, qui eis armamētarium fecit, quē Cicero dicendi quoque peritissimum fuisse ait, nec patrono vlla in parte indiguisse, cùm disertissimè populo rationem operis sui reddidisset. Sic etiam Dinocrates Macedo perutilis fuit Alexandro Regi, & patriæ suæ, in qua iuuenes plerosque erudiuit, artisque suæ veluti diuturnum seminarium reliquit. Nec minus ciuibus suis profuit, minorémve laudem meruit Ctesiphon Gnosius, qui ædem Ephesię Dianę mirabili artificio ædificauit. Nonne etiam summa laude adficiendi sunt architecti, quorum opera vrbes illustratæ videntur? Videmus nanque singulas penè vrbes præclarum aliquod opus Architecturæ præferre, & inter laudes suas connumerare, non sine

Syracusas Marcellus euertit.

Archimedis solertia.

Philo. Cic. de Orat. lib. 1. Val. li. 8. c. 13. Pl. l. 7. cap. 37.

Dinocrates Macedo.

Ctesiphon Gnosius.

magna omnium gentium admiratione. In omni tamen terrarum orbe septem præcipuè spectacula quondam laudabantur. Quorum primum in Aegypto habebatur. Thebæ, vrbs magnitudine, mœnibus, ædificijsque admiratione dignissima, quippe quæ centum haberet portas mirabili quodam artificio distinctas. Muri deinde Babylonis, quos Semiramis cocto latere & bitumine condidit, ad mensuram in circuitu stadiorum trecentorum octoginta quinque, & altitudo inter turres cubitorum quinquagenum, latitudo verò pedum triginta erat, secundum spectaculum præbuerunt non modo propter amplitudinem ingentem, verùm propter fabricæ excellentiam mensorumque præstantiam. Tertium in Caria habebatur sepulchrum maximum sculpturis atque opere excellentissimum, quod Artemesia Mausoli Regis vxor viro suo, quem præter omnes humanos amores adamauit, constituit. Eius monumenti præstantiam egregijs voluminibus complexi sunt Satyrus, & Pythius veteres Architecti, nec immeritò: Singulis nanque eius frontibus singuli artifices certatim sculpserunt partes, quas miro artificio ornarunt, Leochades, Bryaxis, Scopas, & Praxiteles: quorum quidem artes, & ingenij magnitudo opus perpetuæ famæ commendarunt. Pyramides in Aegypto turres adeo excelsę, vt alto fastigio opera omnia manufacta excedant, vmbrarumque mensurā egrediantur, quartum inter res spectandas, & admiratione dignas locum tenuerunt: hæ tres erant numero, & à Memphi, vt Diodorus asserit, centum & viginti stadijs distabant. Quarum maxima quatuor fuit laterum, quorum quodque ab inferiore parte iugera septem complebat, amplitudo verò sex iugera excedebat. Erat autem Pyramidum fabrica ex lapide durissimo, aduecto longo itinere ex Arabia, quod quidem opus ideo admirabilius fuit, quod in solo arenoso erectum sit, nullumque vestigium cæsi lapidis agnoscatur. Quintum verò spectaculum fuit nobilissimus ille in Rhodo (Iouis, vt Strabo Geographus ait: vt verò Gregorius Nazianzenus, Apollonis) Colossus: altitudinis septua-

Miracula orbis septem.
Thebæ de quibus Plinius.
Mausoleum.
Artemesia.

ſeptuaginta cubitorum, quem Chares Lydius Lyſippi diſcipulus fecit. Capitolium Romę (cuius temporibus noſtris vix fundamentorum veſtigia videntur) ſextum orbis terrarum ſpectaculum habitum eſt, fabrica, lapide, atque omni ſtructura excellētiſſimum. Septimum in Cyzico Hadriani ſepulchrum habuit cum Cyzico antiquorum laudem, cùm propter delubrum Dyndimenæ matris Deûm ab Argonautis ædificatum, tum propter aliorum operum dignitatem, de qua Ouidius. *Sepulchrum Hadriani in Cyzico.*

Hinc Propontiacis hærentem Cyzicon oris:
Cyzicon Aemoniæ nobile gentis opus.

Infinitum eſſet reliqua numerare, quæ cum admiratione hominum, laudem Architecturę in omnibus pene vrbibus teſtantur: & idcirco, vt diximus, accipiendi ſunt in ciuitate: & non modò non contemnendi, verum gratia quoque & honore adficiendi.

De pictura, ſculptura, & cælatura, & de earum inuentoribus: & qui in illis profecerint.

TIT. X.

PIctura eruditionem maximam prę ſe fert, & commercium cùm poëtica & Oratoribus habet. Sextus Empiricus ex Simonidis poëtæ ſententia, *picturam dixit eſſe tacentem poeſim, poeſim autem loquentem picturam.* Et certè magni ingenij eſt, & diuinam propè cognitionem attingit, varias animalium rerumque ſpecies ſic mēte concipere, vt penicillo & varijs coloribus adeo exprimantur, quaſi nihil in illis præter ſpiritum deſit. Ac ſanè cùm optimam picturam cernimus, id dicere poſſumus, quod Valerius Martialis de catella picta cecinit. *Plin. l. 35. c. 4.* *Sexti Empirici dictum.*

Ipſam denique pone cum tabella:
Aut vtranque putabis eſſe veram,
Aut vtramq; putabis eſſe pictam.

Legimus bouem ad aſpectum pictæ bouis mugiiſſe, & pictis vuis nonnullos fuiſſe deceptos, aueſq; ad pictam ſpeciem ſui generis excitatas. Pictura quoq;

non modo gratiam habet, & delectationem mirificam præbet, verùm præteritarum rerum memoriam seruat, & historiam rerum gestarum ante oculos nostros perpetuò præfert. Quinetiam legendo picturas, in quibus præclara facinora exprimuntur, excitamur ad studium laudis, & ad magna negotia obeunda, veluti si alicuius historiæ monumenta volueri- mus. Locum igitur habeant in Repub. pictores, & honestum quidem, vt studio gloriæ incendantur & ad parem laudem adolescentuli inuitentur. Non puduit Fabium Patricium illum Romanum optimo genere oriundum, qui maiorum suorũ nobilitatem ab Hercule vsque recensebat, pictura exerceri, & ab ea cognomentum accipere. Nec diu pòst pœnituit Marcum Antoninum doctissimum ac sanctissimum Imperatorem operam picturæ dare sub Diogene præceptore, quamquam illustrioribus disciplinis indulgebat, & magistris quibusque eruditissimis vtebatur. Legimus etiam Platonem picturæ studiosissimum fuisse, & Cicero in ea oculos eruditos se habere asserit. Quocirca non erit verendum, ne manus adolescentulorum coloribus inquinentur, cùm proxima doctrinæ accedat pictura. Huic fundamentum præbet ars illa σφραγὶδ@ quam Græci appellant, nos autem signandi nuncupare possumus, vnde & signa dicuntur, & per diminutionem sigilla. Hanc artem Aristoteles summopere laudat vultque vt pueri eam ediscant, quãdò alijs plerisque artibus necessaria sit, non modo sculpturæ, & cælaturæ, quæ sine ea nullo modo esse possunt, verùm alijs compluribus, & præcipuè Architecturæ, de qua superius diximus. Primi pictores, quorum opera apud veteres gratiam aliquã meruerunt, Polygnotus, & Aglaophon fuerunt, qui simplici duntaxat colore vsi sunt, & sui studiosos complures habuerunt, propter simplicitatem illam, quæ fundamenta artis sola imitatione naturæ iecit. Fuerant tamen alij ante eos. Et Canachus in primis cuius signa rigidiora extitisse, quàm vt imitarentur virilitatem, Cicero ait. Dura etiã Calamidis fuisse ait, sed tamen meliora quàm Canachi, Myronis propius ad

Fabius Patricius dictus Pictor.

Plin. & Sigonius de nominibus Romanorum.

M. Antoninus. Plato picturæ studiosissimus.

Ciceronis iudicium de picturis.

Signa, & sigilla.

ad veritatem accedebant. In Protogene, Actione, Nicomacho, & Apelle iam perfecta omnia videri idem adstipulator est. Nihil enim simul, & inuentū, & perfectum esse docet. At verò Zeuxis, & circa eius tempora Parrhasius (cuius sermonem aliquando cùm Socrate fuisse apud Xenophontem legimus) plurimum huic arti addiderunt. Nam Zeuxis luminum vmbrarumq; rationem inuenisse dicitur: Parrhasius autē lineas examinasse subtilius traditur, & geometricam quandam rationē picturę addidisse. Suam quoq; laudem meruit Aristides Thebanus, cuius tabulam vnā talentis centum mercatus dicitur Rex Attalus. Cæsar quoq; Dictator eiusdem pictoris tabulas duas octoginta talentis emit. Philippus Macedo, & eius filius Alexander, quandoquidem pictura delectati sunt, artem hanc summopere extulerūt, quorum temporibus præcipue floruit, & diuersis virtutibus laudabatur. Nam Apelles decorū optimè seruauit, & suæ cuique personæ modum dedit, ne aut nimium ostenderet, aut parum defraudaret, qua in re alios quoque pictores peccare dicebat, qui non sentirent quid esset satis. Eius prudentia maximè apparuit, cùm Antigoni imaginē pinxit, quam latere tantùm altero ostendit, vt amissi oculi deformitas lateret. Nec minor prudentia habēda fuit Timantis Cythnij in ea tabula qua Coloten vicit; nam cùm in immolanda Iphigenia tristem Calchanta fecisset, tristiorē Vlyssem, & mœstum admodum Menelaum: consumptis omnino affectibus, obuoluendum caput Agamemnonis esse duxit, vt videntibus cogitandum relinqueret summum illum luctum, quem penicillo non posset imitari. Protogenem verò cura commendabat, ratio autem Pamphilum, sicut facilitas Meluntium. Antiphilus per id ferme temporis concipiēdis visionibus laudem meruit, vt diligentia & decore Polycletus, cui plerique ad palmam hoc vnum tantùm defuisse volunt, quòd pondere quodam careret in pingendis numinibus: & humanæ formæ aliquid suprà veritatem adderet, ita aliquid de authoritate Deorum demeret, atqui leues duntaxat genas pingere nitebatur, grauiorem

Pictores primi.

Pictorum inuenta.

De his omnib. vide Pl. l. 35.

Aristides Thebanus.

Antigonus altero oculo captus.

Timanthis solertia in pingēda Iphigenia tabula.

Polycletus.

autem ætatem consilio fingebat. Huic contrarius, quamuis sculptor, fuit Phidias, nam longè melius Deos quàm homines expressit. Is magnam assecutus est gloriam ex Iouis Olympij simulachro, quod ex ebore purissimo fecit: quo (confessione omnium) nihil in eo genere fortius inueniri potuit. Lysippus tñ & Praxiteles eius artis artifices peregregij ꝓpius ad veritatẽ accesserunt, quod precipuè ostendit Praxiteles in Cæo Veneris imagine, cuius pulchritudinem nullus artifex imitari vnquam potuit. Nec Callicles etiam in hac arte paruam laudem meruit, adiutus non modò disciplina, sed acri oculorum acie. Sculpsit namque ex ebore tam parui corporis formicas, vt earum artus vix inueniri potuerint, qui distinctè cernerent. Scribit Laërtius Diogenes Socratem Philosophum hac arte delectatum lapides sculpsisse, opusque eius Gratias esse quæ Athenis in arce erãt. Hæc sculpturæ ars, quæ à pictura descẽdit, & ab eius commercio nusquam segregatur, magnam laudem meruit, & quasi præmium attulit viris optimè de Rep. meritis, & alijs qui in studijs literarum præcellentes extiterunt. Nam apud Athenienses Harmodius & Aristogiton, quod tyrannum interemerunt, primi omnium statuam meruerunt, eodem anno quo Brutus Romanos Reges exegit. Spuriũ Cassium regnum affectantem eius pater interemit, cui à populo Romano primùm ærea statua decreta fuit. Gorgias quoque Leontinus Orator insignis auream statuam (quam ex doctrinæ suæ mercede lucratus fuerat) sibi erigi voluit. Et Accius poëta in Camœnarum æde maxima forma statuam sibi poni voluit, cùm ipse esset pusillus. Quinetiam fortibus viris id laudi fuit, præmium equestri vel pedestri imagine ab Imperatoribus vel populo donari, vbi quippiam præclarum egissent. Quæ clarissimorum virorum statuæ, iuuenum animos erigunt, & ad parem laudem consequendam excitant, vt de Iulio Cæsare legimus, qui quæstor in Hispaniam missus, cùm Gades venisset animaduersa in Herculis templo magni Alexandri imagine ingemuit, quasi pertæsus ignauiam suam,

Spurius Cassius à patre suo occisus.

Corda iuuenũ stimulant clarorũ virorum statuæ.

suam, quòd nihil adhuc memoria dignum egisset in ea ætate, qua ille magnam orbis terrarum partem subegisset, missionemque à Senatu postulauit, & eiusmodi memoriæ gloria excitatus, paruo tempore gesta ac laudem Alexandri Macedonis superauit. Et Cato Censorius vix æquo anima statua caruisse videtur, cum interroganti cur inter multos imaginem nō haberet? respondit: Malo equidem bonos viros ambigere quare id non meruerim, quàm (quod grauius est) mussitare cur impetrauerim. Quocirca etiam huiusmodi artifices chari admodum habendi sunt ab ijs qui Reip. præsunt, nam eorum opera vrbes adeò ornant, vt nonnunquam victis vrbibus, à victoribus ad memoriæ laudem transferatur. Lucullus ex Apollonia Ponti vrbe Apollinis Colossum triginta cubitorum altitudinis Romam deuexit, & in Capitolio, magno totius populi plausu erigi iussit. Gratum etiā populo Romano extitit quòd Claudius Cæsar Iouis statuam in campo Martio dicauit. Tarentini Iouis statuā cubitorum quadraginta à Lysippo factam inter ornamenta vrbis suæ primaria connumerarunt, & summopere admirati sunt, quòd tali libramento facta esset, vt manum mobilem haberet, quę tamen nulla procellarum vi auelleretur. Horum artificia quo magis laudantur, eo magis adolescentes ad sua studia incitant. Sed ignauia temporum, & diuitiarū admiratio, eiusmodi artes minores effecit, quas aliquando Principum studia erigere poterunt, & præcipuè cùm pace & officio fruentur. Cicero scribit primis illis temporibus Romanos picturis minus fuisse delectatos, & idcirco paucos habuisse pictores, ac sculptores: sed crescente imperio, post oriētales, & post expugnationes Græcarum vrbium, inter triumphales pompas, statuas, & omnium generum signa ac picturas victores Romam aduexerūt, & prouinciarum præsides, alijq; qui cum imperio erant, cum liberiores ad rapinam per superbiam, ambitionem & auaritiam facti essent, eiusmodi præclara opera rapere non dubitarunt? quod & in Verrem Cicero ipse testari videtur, & Satyricorum excellentissimus non

Cato Censorius.

Iouis statua cubitorū quadraginta.

Pingendi sculpēdique artes vt minores sint habita.

sine dolore, & stomacho refert his versibus:

Iuuenal. sat. 8.

Non ijdem gemitus olim, nec vulnus erat par
Damnorum socijs florentibus, & modo victu,
Plena domus tunc omnis & ingens stabat aceruus
Nummorum, Spartana chlamys, conchylia Coa,
Et cùm Parrhasij tabulis signisq; Myronis
Phidiacum viuebat ebur, necnon Polycleti,
Multus vbique labor, rarae sine Mentore mensae
Inde Dolobella est, atque hinc Antonius, inde
Sacrilegus Verres referebant nauibus altis
Occulta spolia, & plures de pace triumphos.

Theba.

Quocirca ex omnibus penè vrbibus quicquid praeclarum ex eiusmodi artibus inuentum est, Romam pertulerunt. Multa signa ex Aegypto deuecta sunt, & praecipuè ex praeclara Thebarum vrbe, quae priscis seculis condita, ambitiosum nomen habuit à magno poëtarum numero, quae tantae praestantiae extitit, vt prouincia Thebarum nomine nuncupata fuerit, ea quidem antè imperium Romanum direpta fuit. Nam principio imperij Carthaginensium, improuiso Paenorum exercitu oppressa extitit. Et deinde cùm magna ex parte restaurata esset, Rex Persarum Cambyses eam inuasit, opesque inuadens diripuit, nec simulachris aut templis Deorum pepercit. Longè verò post Romanorum prouincia extitit, cui primus omnium pòst mortem Cleopatrae & Antonij praefuit Cornelius Gallus, Caesare Octauio res Romanas tenente, poëta ille peregregius, cuius non sine obscuriore quodam fletu meminit Virgilius in extrema Bucolicorum parte. Is in ea prouincia optimè se gessit, vt Strabo refert, nam & Heroum vrbem, quae defecerat, in potestatem Caesaris redegit: & ortam in Thebaide seditionem propter imperata tributa, optimè composuit. Inuidiam tamen superare nequiuit: cum namque nonnulli nobiliores, qui poëtae foro Iuliensi vixdum ciuitate donato prouinciam creditam iniquo animo ferebant, Octauio insimularunt, quòd Thebas exhausisset, intercep tis signis, ac statuis com pluribus. Proinde Imperatoris iussu populatae prouinciae accersitus est, vt factorum rationes redderet: inui-

Cornelius Gallus poeta foroiuliensis.

inuidiam itaque nobiliorum timens, & præcipuè cū accepiſſet eiuſmodi curam ab Octauio æmulis illis ſuis traditam eſſe, in deſperationem verſus, cum eiuſmodi indignitatem minus ferre poſſet, ſtricto enſi incubuit, & hunc Galli finem fuiſſe, Amianus Marcellinus refert, vbi de geſtis Iuliani Cæſaris ſcribit, & Euſebius eius mortis memoriam facit: qua tamen vi occiderit tacet. Grammatici qui in Virgilium ſcribunt, ſiue conſilio ſiue alia ducti authoritate, vel quòd Virgilij taciturnitatem in his quæ contra Octauium dici poſſent, ſequi velint, dicunt Gallum amicum primò Octauij fuiſſe, poſtea verò cùm veniſſet in ſuſpicionem quòd contra eum coniuraſſet, interemptum. Suetonius verò contra Tranquillus Octauium dicit Gallo (quem ad Aegypti præfecturā prouexerat) domo prouincijsque ſuis interdixiſſe, ob eius ingratum ac maleuolum animum. Sed cùm accepiſſet deinde eum accuſatorum damnationibus & ſenatuſcōſultis ad necem compulſum, pietatem pro ſe tantopere indignantium laudauit, obitum verò poëtæ illachrymauit, vicemq; ſuam conqueſtus eſt, quòd ſibi ſoli non liceret amicis quatenus vellet iraſci. Huius præclari poëtæ memoria me ab inſtituto diſtraxit, fecitque longiorem, ſed ad propoſitum redeo. Pictura, Sculptura, ac Cælatura, artes ſunt peregregiæ, & ad diſciplinam literarum proximè accedunt, adeò vt nulla ex parte ciuili viro pœnitendæ eſſe videantur.

AD

AD SIXTVM QVARTVM PONTIFICEM MAXIMVM

Proœmium.

Bonarum artiū honos res militaris gloria præstat.

Ægyptij Reges longè maiorem gloriam disciplinarum bonarum artium esse dixerunt, quam res bellica. Proinde omnes studijs sapientiæ mira quadā diligentia incumbebant, nec quispiam se satis dignè imperare arbitrabatur, qui non præter cæteros in aliqua doctrina excelleret, & operam suam alijs compluribus nauaret. Hoc studio incitatus Ptolemæus illustrem illam bibliothecam Alexandriæ cōparauit, vt sapientiæ seminarium in posteris propagaret, & ciuibus ac peregrinis prodesset. Musis præterea & Apollini ludos dicauit, & Poetis & Oratoribus in certaminibus veluti athletis magna præmia summosq; honores constituit, vt diligentius literis insudarēt. Fuit sanè apud Ægyptios antiqua valde eruditio. Eorum namq; sacerdotes, qui cum Regibus versabantur, primi mortalium in mathematicis clarissimi habiti sunt, ad eos quoque ex omni terrarum orbe discipuli confluebant, vt doctiores euaderent, nec quispiam satis eruditus videbatur, qui Ægyptiaca disciplina expers esset: ad quam perdiscendam (vt Diodorus Siculus refert) Orpheus, Musæus, Melampus, Dædalus, Homerus, Lycurgus, Solon, Pythagoras, Plato, Eudoxus, Democritus, Euripides, & complures alij accesserunt, qui disciplinas omnes omniū gentium illustrarunt. Gratia igitur peringētes habendæ sunt Deo Optimo Maximo, Sixte Pontifex maxime, qui tibi vices suas nostro tempore inter mortales permisit, imperiumq; religionis Christianæ credidit. Nunc planè cernimus Platonicam illam felicitatem, qui ait tunc beatas fore Respublicas, cùm à sapientibus & doctissimis viris regerentur: nunc omnes qui in studijs bonarum artium ocium contriuerunt, sperare possunt, sese laborum suorum quamprimū præmia habituros. Docti enim doctos amabunt,

Ptolemæi bibliotheca.

sunt,si erunt docti,vt est in Græco prouerbio. Ego hos libros meos antè pontificatum tuum ad vmbiculum vsque deductos, planè destitueram,vt qui nequaquam me facturum operapretium putarem, propter temporum infœlicitatem: nunc autem spe tui numinis erectus,affectos è vestigio confeci,& tuo nomini dedicaui.Et si eos probaueris,omnino decreui, quicquid ætatis mihi superest,id omne in rebus perquam tibi gratissimis scribendis consumere. Sin secus egeris,perpetuum silentium mihi indicere destinaui, vt ingenium meum vnà cum corpore senescat,& obscura obliuione occidat. Sed ad institutum nostrum redeamus, & de liberalibus disciplinis suo ordine disseramus.

Senescentis corporis animus gloria iuuenescit.

DE LITERARVM VTILITATE, ET EARVM INVENTORIBVS, *& seorsum de Grammatica.*

TIT. PRIMVS.

LITERAS in primis, omnibus (si fieri potest) ediscendas esse censeo:nec illis assentior, qui eas ingenij memoriæque pestem esse affirmant, quamuis adstipulatorem habeant Platonē, qui literarum vsum memoriæ obesse asserit,quādo illa quæ scriptis reposuimus, veluti custodire desinimus: sicut illa quæ in scrinijs optimis etiam clauibus asseruantur, neglectui nobis sunt.Etenim inter hominum inuēta haud scio an aliud præclarius dici aut excogitari possit: quin admirationis videtur esse pauculis admodum notis infinitas hominum voces, innumerabilia verba innumerabilesque sententias complecti.Mortales siquidem omnes doctrinæ essent, mortalia hominum præclarè gesta, nisi literarum monumentis seruarentur: quæ tanti ex-

Literarum vsum memoria obesse scribit Plato.

Literarum fructus.

extiterunt, vt earum inuentum plerique populi & excellentissimi viri sibi vendicarint. Neque enim Plinio viro doctissimo assentiri possum, qui eas æternas arbitratur, sed præclarissimi alicuius ingenij inuentum fuisse opinor, quod diuersis deinde notis ab alijs atque alijs gentibus vsurpatum sit. Earum primi inuentores, vt Platoni, & ex nostris Cornelio Tacito, nonnullisq; alijs placet, Aegyptij fuisse perhibētur, qui animalium figuris, literarum loco vtebantur, veluti cùm tempus scripturi essent, serpentem in circulum reuolutum caudam sibi deuorantem pingebant. *Et lubricā anguillam, vbi inuidiam significare vellent.* Vbi verò *naturæ vocabulum, vulturem pingebant,* quia mares nullos inter illas alites inueniri naturali ratione ostendunt. *Cùm autem Regem scribere vellent, apem mella conficientem pingebant*, ostendentes moderatori ac Regi cum tranquillitate ac iucunditate aculeos nesci debere. Harum literarum authorem Mercurium Nili filium præferunt. Arcades tamen, & omnes ferè Græci Cadmum Agenoris filium literarum inuentorem fuisse aiunt, qui ex Phœnicibus in Bœotiam delatus, Græcos quosdam docuit, qua ex re Phœnices liter[illegible]ctas esse credunt, quamuis Lydi ductum id nomen arbitrantur à Phœnice eiusdem Agenoris filio, à quo eas primùm repertas asserunt. Alij tamen Linum Chalcidensem ex Phœnice literas ad Græcos tulisse volunt, & eum Herculem docuisse. Quidam Cecropem Atheniensium Regem, alij Palamedem Argiuum tempore Troiani belli sexdecim literarum formas, mox Simonidem cæteras reperisse aiunt. Phœnices à Iudæis primò literas accepisse plurimi affirmant. Quarum apud Iudæos author fuit Moses, qui Chaldæos ac Syrios secutus est, qui earum omnem originem in Abraham referunt. Nicostratam cognomento Carmentem Latini literarum authorem habent, quæ cum Euandro filio ex Arcadia in Italiam nauigauit: & cum vaticinandi perita esset, responsa petentibus carminibus dabat, & futuros canebat euentus: quem quidem vsum literarum à Græcis mutuata Latinis tradidit, quas Euander

Ægyptij, animalium figuris pro literis vtebantur. Hieroglyphica nota.

Linus Chalcidensis Hercu. lē literas docuit. Cecrops. Palamedes.

der illius primus didicit, & complures Italos docuit. Quocirca Tacitus Cornelius, & alij nonnulli Euandrum Latinarum literarum inuentorem esse dicunt. Sunt etiam qui dicant Pelasgos (quæ regio Bœotia quondam vocabatur) primos omnium in Latiū literas intulisse: Aethruscis autem primus dedit Demaratus Corinthius Tarquinij prisci pater. Quorsum hæc tam longa literarum ab incunabulis, vt dicitur, commemoratio? vt intelligamus eas tāti fuisse apud præclaras quasque nationes, vt earum inuentores diuinis penè honoribus honestati fuerint. Eas igitur non modo ediscendas esse censeo, sed vix arbitrari possum in libera ciuitate quemquam sine literis ingenui ciuis nomen mereri. Qui enim sine literis, non solùm liberales disciplinas, sed minimas quasque artes ediscere aut tueri possumus? Nec mercatura ipsa aut agricultura sine eis satis tuta esset. Hæ nanque memoriam rerum conseruant, posteritatem instituunt, præterita futuris connectunt, & ratiocinationem totius vitæ nostræ perpetuò agunt. Idcirco optimum quidem factu eis, pueros imbuere priusquam alijs artibus incumbant, si eos viros aliquando euadere volumus, aut in ciuium numero censeri. Erit igitur officium optimi cuiusque patris familiâs, summa diligentia curare vt filios saltem his primis literis eruditos habeat. Prouerbium namq; Græcum est, *hominem sine literis similem esse infructuosæ arbori.* Dimittant deinde eos ad quascunque artes videbuntur aptiores: longè facilius longeque commodius eas exercebunt. Sed postquā à nobis eò ventum est, vt de primis (vt aiunt) elementis sermonem fecerimus, non erit alienum de singulis bonarum artium studijs disserere. Nam si de optima Republica scribere volumus, partium nostrarum etiam erit, dicere quibus disciplinis erudiri volumus ciuem nostrum, quem partē ciuitatis nostre facimus. Curabūt, qui Reip. præsunt, & publica quidem mercede, vt singulæ queq; doctrinæ optimos præceptores habeant, qui publicè instituant. Non enim priuati omnes possunt victum filijs suppeditare, & mercedē præceptoribus

Patris familias officium in erudiendis liberis.

rib' pensitare. Egregij sint Grammaticæ professores, & non modo literis, sed & moribus probatissimi. Periculosum namq; est (vt in prouerbio dicitur) *ouem lupo committere*, & eum quem præceptorem pueris adhibueris, corruptorem experiri. Vitia siquidem, quibus ea ætate pueri inquinantur, perpetuò remanent, vel cum magna difficultate tolluntur. Tradidit Diogenes Babylonius Leonidem Alexādri Macedonis pręceptorem, eum vitijs quibusdam imbuisse, quæ maximum etiam Regem ab illa puerili institutione prosecuta sunt. Eorum itaque sermo purus ac nitidus sit, & ab omni barbarie alienus. Iacit enim Grammatice fundamenta omnium disciplinarum. Proinde videndum est vt solida sit, si alias artes ediscere volueris, quandoquidem inconcinnæ & rudes admodum reliquæ doctrinæ videntur, quæ infantes sunt, & barbaro eloquio hærentes. Grammaticem Romani tanti fecerunt, vt in triuijs eam ex Senatus consulto publica mercede docere edixerint, quocirca triuialis scientia diutius nuncupata est. Hanc artem primùm inuentam esse in Memphi Aegypti oppido, cùm Osiris Rex imperiū teneret multi sunt authores, sed deinde à Græcis adeò exculta, vt ad summum vsque peruenerit: à quibus quidem Latini nostri haustam grauiorem nitidioremque rediderunt, & relictis quibusdam quasi superuacaneis rebus, quod satis est, nobis tradidere.

Leonides Alexandri pædagogus.

Grammatica omniū disciplinarum fundamentum.

Mathematicem ciuili viro necessariam esse & seorsum de Arithmetica, Geometria, Musica, & Astronomia, & de earum inuentoribus.

TIT. II.

Petrus Ram. l. 2. Proœmij Mathe. Zuinggerus l. 3. Vol. 3. Isidorus l. 3.

PYthagoras Italicę Philosophię princeps, quem Plato penè in omnibus imitatur, à quo etiam disciplinam Reip. Crotoniatę didicerunt, ciuili viro quadripartiam Mathematices scientiam necessariam esse putat, frustraque opinatur quemquam philosopha-

tij qui

ri, qui eam non modo primoribus labris, vt dicitur, attigerit, verùm omnino exhauserit. Censet enim sapientiam earum rerum esse quæ sunt, quæque substantiam immutabilem habent, veram rectamque cognitionem. Esse autem ea solum putat, quæ cùm immutabilis substantię essent, neque intentione crescerent, neque detractione minuerentur, néve accidentibus vllis variarentur, sed propria vi, propriaque natura semꝑ niterentur, veluti sunt qualitates, quantitates, formæ, magnitudines, paruitates, æqualitates, habitudines, actus, dispositiones, cæteraque eiusmodi quæ corpori coaugmentantur. Intelligibilia namque omnia esse dicimus, videri autem corporea. Talia per sese spectacula semper eodem modo inueniuntur: iuncta verò corpori variantur, quippe quæ omnia suapte natura incorporea sunt, vigentq; immutabilis substantiæ ratione, sed corporis contagione mutantur. Essentia itaque omnis bifariam diuiditur: vna siquidem continuata est, quæ magnitudo dicitur, vt arbor, lapis, & reliqua huiusmodi corpora, quę nullis distributa finibus, suis partibus continuantur. Altera autem discreta à se, & partibus circumscripta, sed in vnum quasi redacta concilium, cui multitudini nomen est, vt plebs, populus, concio, aceruus, & alia eius generis, quæ partes proprijs extremitatibus terminātur, finibusque inuicem discernuntur. Hæc contrariam penè inter se habent proprietatem.

Essentia duplex.

Quantitas discreta multitudo.

Nā multitudo à finita, & ea quidem minima quantitate, vtpote ab vnitate, quæ minima est, initium sumens nullum incrementi finem nanciscitur: crescit enim per numeros in infinitum. Magnitudo verò finitam suæ mensuræ recipiens quantitatem, infinitū decrementum accipere potest. Secandæ siquidem magnitudinis nullus inuenitur terminus. Rursus multitudo ipsa aut per se est, vt duo, tria, quatuor, & denique numerus omnis, qui per sese existens nullo indiget: aut ad aliud quidpiam refertur, vt duplum, triplum, dimidium, sesquitertium: quæ quia ad aliud referuntur, per se esse non possunt. Horum alterum Arithmeticę, alterum Musicę speculatur. Sed magni-

Magnitudo bipartita.

motu omni per se caret, vt terra, cuius scientiam Geometria profitetur: altera verò nunquam conquiescit, mobilique ratione vertitur, vt Sphæra mundi, orbesque cœlestes, qui rata semper & infinita celeritate rotantur: & huius quidem notitia Astronomia est. Necessaria igitur erit ciuili viro, quem sapiētem esse volumus, huius quadripartiæ scientię cognitio. Arithmeticen, & Geometriam teneris ætatibus ediscendam M. Fabius Quintilianus asserit, earum namque cognitio animum agitat, ingenium acuit, celeritatē percipiendi tradit. Numerorum siquidem cognitio singulis penè artibus necessaria est, aut enim numerandum est digitis, aut scribendi numeri sunt, supputandæque rationes ad vsum ratiocinandi, qui quotidie penè singulis vsu venit, sine qua rudes omnino homines esse videntur, & inurbani. Sic etiam dimensionis disciplina artes singulas adiuuat. Vix enim quidpiam agere possumus sine mēsura. Et turpe admodum videbitur, in singulis quibusque dimensionibus hærere virum, qui in cœtu hominum negociationibusque versatur. Hebetis namq; ingenij est, vel manifestæ omnino negligentiæ, ea ignorare, quæ singulis quibusq; horis necessaria sunt. Harum inuētorem primum Thaletem Milesiū fuisse dicunt, paulo ante Pythagoram Samium qui eas omni vultu absolutas reddidit. Mamertium tamen Stesichori fratrē initia & elementa Geometriæ primū inuenisse nonnulli Græcorum referunt, quæ deinde secutus Pythagoras absoluerit. Sed Aegyptij longe ante alios Geometriæ inuentione gloriantur, vt Phœnices Arithmetices & Astronomiæ. Sine his igitur duabus scientijs, vt supradicta ratione patet, neque Astronomiam, neq; musicam discere possumus, & architecturam omnino ignoramus. Astrologiam publicam esse in omni Rep. pluribus rationibus, & exemplis comprobare possumus, cum propter agriculturam (quæ magnam rationem ab ea accipit.) Nam syderib⁹ suis vertendam esse terram docet Maro, & Hesiodus arandi serendiq; tempora syderum ratione significat, veluti cùm ait:

Arithmetica & Geometria iuuenib. ediscenda.

Astrologia vsus.

Pleia-

Pleiados est subigenda seges Atlantidos ortu,
Hac autem sese stella condente serendum est.

Lucius verò Columella *singulos quosque dies Astronomica ratione obseruari* præcipit, tum propter rei rusticæ vtilitatem, tum propter pericula quamplurima, quæ moniti à peritis eius disciplinæ, cauere possum. Anaximander Milesius Lacedæmonijs prædixit, vt ciuitatem ac tecta custodirent, instare enim terremotum hac disciplina præuidit: quod quidem effectum est, & magna pars eius vrbis, montisque Taygeti cõcidit. Sic Hippocrates venientem ab Illiricis pestilentiam prædixit, discipulosque circum vrbes Græciæ dimisit, vt ægrotantibus adessent: pro quo beneficio omnis Græcia eos honores illi, quos Herculi, decreuit. Pericles Atheniensium Imperator, exercitum suum solis defectione perterritum, iam iamque hosti veluti propitiore numine adiuto, tropheum concedentem liberauit, reddita ratione, id syderis natura fieri, non ira Dei aut prodigio aliquo accidere. Qua disciplina nisi caruisset Nicias, nunquam pulcherrimum exercitum in Sicilia amisisset, simili motu confusum: quæ plaga Atheniensibus non mediocris extitit, sed principiũ multorum malorum. Atqui ne idẽ accideret exercitui Romano, cui Lucius Paulus imperabat, Sulpitius Gallus, multo antè de lunæ defectione disseruit, ne veluti prodigio diuinitus facto militum animi deficerent. Huius artis inuentores Assyrij primi fuisse dicuntur. Hi propter planitiem magnitudinemque regionum quas incolebant, cùm cœlũ omni ex parte patens, atque apertum intuerentur, quibus notatis, memoriæ prodiderunt, quid cuique signaretur: qua in natione Chalibes, qui deinde gentis vocabulo appellati sunt Chaldæi, diuturna obseruatione syderum scientiam quãdam effecerunt, quà futura prædicerent, & ea populos monerent quæ cauere deberent. Quam quidem artem etiam Aegyptij diuturnitate temporis consecuti sunt, à quibus edoctus Pythagoras, Astronomiã auxit, & pleraq; adinuenit. Nam (vt Parmenides ait) ipse omnium pritudo bipertitò quoque intelligitur: altera namque

Sparta & Taygetus mons corruerunt, terra motu.

Pericles.

Chaldæi.

mus Hesperum & Luciferū idem sydus esse docuit. Eam igitur ciuili viro non esse negligendam, superioribus argumentis facile iudicare possumus. In hac itaque disciplina & in cæteris mathematicis plurimum claruit apud Romanos Publius Nigidius, cui figulo cognomentum adhæsit, propter pulchrum eius scientiæ commentum. Nam cùm disputaretur cur gemini diuersa haberent fata, cùm & geniti & orti iisdem syderibus essent, & ipse artis suæ partes tueretur negaretque id fieri posse, propter celerem cœlestium orbium motum, id hoc pacto ostendit. Figuli rotam magna vi concitauit, & in eadem duas atramenti guttas liquauit: & desistente motu, longo interuallo in extremitatibus rotæ guttæ inuentæ sunt. Quomodo igitur (inquit) opinantur, cùm tam celeri vertigine cœlum rapiatur, posse & gigni & oriri geminos eodem sydere, cùm figuli rota paruo concitata cursu excussas guttas eodem momento tā diuersis locis ostendat? Hoc quidem inuentum tam gratum audientibus fuit, vt disputationis palmam, & perpetuum cognomētum authori suo dederit. Quid de musica dicemus, quam necessariam esse ciuibus Socrates asserit? Et ad eius numerum plæraq; in Republica constituit, mutationemque harmoniæ deterrimam esse dicit, & ciuitati periculosam admodum. Quocirca eam in senectute didicit, ne huius eruditionis expers esset. Et Themistocles cùm in epulis recusaret lyram, habitus fuit indoctior. Hanc Lycurgus adeò probauit, vt eam à natura hominibus traditam ad tolerandum facilius labores assereret. Et tibias in re militari constituit, quibus progressui recessuiq; canerent: & animos militum adeò incitarent, vt ignauissimi etiam eiusmodi concentu concitati, fortissimi aliquando euaserint, patriæque victoriam peperint, veluti in bello contra Messenios: in quo quidem iam pene succumbebant in acie Lacedæmonij, quod animaduertens Tyrtæus tibicen peregregius, mutatis tibię modulis adeò militum animos in pugnam concitauit, acrioresque reddidit, vt Messenios iam penè victores Lacedæmonijs subiecerit.

Nigidius vnde dictus figulus.

Themistocles neglecta lyra indoctior iudicatus.

Cretē-

Cretenſes etiam impetum in hoſtes facturi lyræ modulis incitabantur: Argiui autem tibiæ, ſicut Latini tubarum clāgore, & Galli cornuum ſtrepitu. Huius magna vis eſt ad animos in quemcunque affectum commouendos. Pythagoram enim accepimus concitatos iuuenes ad vim pudicæ domui afferendam mutatis in ſpondeum tibiæ modulis, compreſſiſſe. Eius quoque diſcipulus Empedocles Agrigentinus furibundum adoleſcentem (qui eius hoſpitem damnari patris accuſatorem gladio adoriretur) cantu reuocauit, & placatum manſuetumque reddidit. Et Caius Gracchus ſæpe populum Romanum in voluntatem ſuam pellexit, cùm concionanti ſibi ſeruus aſſiſteret, qui fiſtulæ modulis, affectus orationis longè præcellentes redderet. Complures ſcriptores Græci (inter quos Dio Pruſenſis) aſſerunt, Timotheum muſicum illum excellentiſſimum, cùm ſe Alexandro Regi oſtentare aliquando vellet, peritè adeò & muſicè modulatum, vt Regem nihil tale per id tempus cogitantē, quaſi numine aliquo percitum ad arma compelleret, victoriæq; occaſionem præberet. Sed hæc viri virtutes excitat, non tamen ignauos atq; effœminatos fortes efficit. Nam (vt idem Dion ait) Sardanapalū ad tripudiū muliebrémve ſaltationem, non ad arma excitaſſet, cui ſi vel Mars Olympius, vel Minerua ipſa in bello præcíniſſet, nunquam animi vires addidiſſet, vel à turpi fuga reuocaſſet. Quocirca Ariſtoteles ciuili viro hāc tribuit, ſed ambigere fatetur, vtilitatis ne magis gratia, an delectationis id efficiat. Ego autem eam admittendam cenſeo in libera ciuitate, etiamſi nihil aliud quàm delectationem præ ſe ferat. Non enim in negocio ſemper eſſe poſſumus, & eiuſmodi oblectatio in ocio honeſtiſſima eſt. Nam vt eleganter Cicero ait: *Liberi hominis officium eſt, aliquando nihil agere, & animum à diuturna cura reuocare*: quod quidem in primis efficit Muſice, quæ muneri nobis à natura optima omnium parente tradita eſſe videtur, vt laborum & erumnarum aliquando obliuiſcamur. Pythagorici cùm vellent diurnas curas ſomno recreare, quibuſdam cantilenis mu-

Cretenſes lyra, Argiui tibys, Latini tubarum clāgore.

Caius Gracchus.

Thimotheus muſicus.

Muſica natura munus.

sica ratione ad id inuentis vtebantur, quo somnus leniter irreperet. Sed mascula debet esse, non effœminata, vt animi vires adiuuet potius quàm frangat atque eneruet. Veteres ea vsi sunt in conuiuijs ad Deorum laudem, & virorum fortium commendationem: quorum nonnullos legimus donatos à Senatu vt tibicine vti possent in premium virtutis, veluti Lucullum veterem post nauticam victoriam, qui ab amicorum cœna tibicine lenius præcinente, ad proprias ædes remeabat. Musicam tamen longè pluris faciebant Græci quàm Romani. Etiam Principes ciuitatis nonmodò canendi, sed & commodè saltandi periti erāt. Efferunt Epaminundam miris laudibus, & præclarè cum citharam cecinisse dicunt, in qua præceptorem habuit Dionysium citharœdum temporibus suis præstantissimum, & ab Olympiodoro carmina ad tibiam cantare didicit, saltare verò ad numerum à Calliphrone. In philosophia autem Lysiam Tarentinum Pythagoricum doctorem habuit, à quo non modo vt discipulos omnes superaret, sed ad parem vsque laudem extitit edoctus. Musicam Plato triplicē fecit: Vnam voce sola constare ait, vt in cantu humano cernimus: Alteram verò voce simul & manu, vt cum neruorum pulsibus oris modulatione concinimus: Tertiam solis manibus perfici ait, vt silente organo, vocis citharam percutimus. Veteres citharistæ vtriusque manus fungebantur officio. Dextera enim plectro vtebatur, & foris canere dicebatur: sinistra autem digito cordas carpebat, & intus dicebatur canere. Vnde illud Virgilij.

Senatus Romani gratitudo in Lucullum.

Musica triplex.

Foris canere.

Intus canere.

Atque eadem digitis iam pectine pulsat eburno.

Hanc Pythagoras disciplinam non hominum inuentum esse putat, sed opificis mundi, qui orbes cœlestes harmoniam quandam interuallis ac motionibus ciere fecerit, ex qua humana musica manauit. Cui sententiæ Poëtę accedentes, cœlestem musicam sub fabularum tegmento ostenderunt, cùm nouem Musas facerent, & vnam concinentiam esse voluerunt, & omnium primam Vraniam appellarunt, secundam Polymniam, quam ad Saturni globum canere

nere dicunt, tertiam ad Iouis sphæram, quæ Euterpe dicitur, deinde suo ordine Erato ad Martem, Melpomene ad solem, Terpsichore ad Venerem. Calliope ad Mercurium, Clio ad Lunam concinit, Thaliam terræ assignant, ludentemque eam inter flores & herbas relinquunt. Harum moderatorem & quasi ducem Apollinem faciunt. Est enim Sol dux & quasi Princeps orbium: quocirca cum moderator effectorque reliquorum luminum sit, mens mundi, & cœli cor à nonnullis Poëtarum nuncupatur. Cantũ, Iouis inuentum Heraclides Ponticus fuisse asserit, quem primum edocuerit Amphionem ipsius Iouis & Antiopes filium, & à quo deinde Linus Euboëus doctus fuisse dicitur, quem Apollinis & Musæ filium fuisse perhibent: hunc lyræ inuentorem nõnulli Græcorum adserunt, cum quo etiam Aures Antiodonius præclarè cecinit, & eodem ferè tempore Pierius Macedo, & Philammon Delphus Thamyræ pater. Eum poëtæ cum Musis certantem inducunt, & idcirco aciem oculorũ amisisse dicunt. Claruit in musica eadem ferè tempestate Demodocus Corcyræus, qui excidium Troiæ cecinit: claruit & Phemius Ithacensis, qui reditum Græcorum scripsit. Terpãder primus lyræ regulas composuit. Clonas autẽ tibiæ. Hiagenes primus omniũ tibia vsus dicitur apud Grecos. Is Marsyam filium docuit, qui discipulum habuit Olympium, à quo Olympio Mysiæ monti nomen fuit. Sunt qui asserant Apollinẽ citharam, & tibiam inuenisse, vnde eius simulachrũ Deli ostendebatur: quod quidem in dextera arcum, in sinistra autem Gratias treis habebat: quarum vna citharam, altera tibias, media autem ore fistulam tenebat. Macrobius tamen Musicæ inuentorem Pythagoram fuisse vult, Plinius verò Amphionem, & Cethiona. Lamisus verò Heroneus Chabrini filius, quem Periandri loco vnũ è septem sapientibus Græciæ quidã numerant, primus librum de Musica scripsisse dicitur. Tubarum inuẽtores Tyrrheni fuisse à quibusdam dicuntur, & Phrygij tibiarum. Latini complures asserunt Apollinẽ citharam solùm inuenisse, Mercurium lyram, Phanium

Linus lyræ inuentor.

Apollinis simulachrum treis habens Charites.

verò fiſtulam. Sed nihil ad rem noſtrā facit hæc tam antiqua & varia propter diuerſos ſcriptores recenſere. Satis nobis ſit, exēplo rationeq́ue docuiſſe Muſicam ciuili viro vtilem eſſe, & nō modo animum oblectare, verùm & ingenium fouere, & promptiores, alacrioresq; viros reddere: non ſolum ad rem militarem, ſed & ad ſumma quæque negocia obeunda. Quinetiam à Pæone & nonnullis alijs medicis ægrotos penè deſperatæ ſalutis, muſicæ oblectamentis curatos fuiſſe legimus, & inſanos quoſdam mētis compotes fuiſſe factos. Idcirco in eius commemoratione fuimus longiores.

De Medicina, & eius inuentoribus.

TIT. III.

Theod. Zuingerus l. 2. vol. 3. Iſidorus l. 4. Plin. paſſim.

SI corporum noſtrorum, & tranquillitatis vitæ (quæ ſine ſecunda valetudine vix eſſe poteſt) rationem habere volumus, fatebimur medicinam excellentiſſimam mortalibus neceſſariam. Namque vt Cornelius Celſus (qui libros elegantiſſimos huius diſciplinæ ſcripſit) refert, alimenta ſanis corporibus agricultura, ſanitatem autem ægris medicina promittit. Deo Optimo Maximo primùm gratias habere debemus, qui vitam nobis elargitus ſit, medico deindè, qui eam nobis conſeruat, diuturnioremq́ue facit. Idcirco non eſt admirandum quòd excellentiſſimus Poëtarum medicum virum pluribus alijs dignitate præfert, cum ait:

Agricultura ſanis alimentum, medicina ægris remedium promittit.

Ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Id eſt, Medicus vir multis æquiualens alijs. Pro multis enim vnus laborat, & vitam bonamq́ue valetudinem duo munera ingentiſſima ſe nobis præſeruaturum pollicetur. Quocirca inter ciuiles diſciplinas hanc vel præcipuam eſſe ſtatuo, tum propter vtilitatem, tum etiam quòd ſecreta naturæ diligentiſſimè ſcrutatur. Hanc omnium diſciplinarum antiquiſſimam eſſe doctiſſimi Græcorum authores perhibent, Eius namq́ue inuentor (vt aiunt) extitit Apis Phoronei & Pythonis filius, qui & Aegyptiorum Rex fuit.

Et ob

Et ob hoc saluberrimũ inuentũ in numẽ relatus est, & Osiris nũcupatus, quod eorũ lingua occultum significat, propter mirificam eius prudentiam, ingeniique magnitudinem: Et quamuis Aegyptij eum Apollinem crederent, & vaticinandi peritissimum, fatum tamen suum ignorauit. Nam Ochus crudelissimus Persarum Rex, cui Macheræ Acadæ nomen fuit, eum obtruncauit, & quod immanissimum putandũ est, amicis suis in mensa epulandum posuit. Hunc secutus dicitur Aesculapius, qui primus omnium de medicina scripsit: Hic filios habuit Machaonẽ & Podalyrium, qui in bello Troiano ducem Agamemnonem secuti, non mediocrem opem commilitonibus suis attulerunt. Hos Homerus vulneribus ferro & medicamentis mẽderi solitos refert. Chiron & Peon Heroum medici fuisse dicuntur. Nihil tamen in ea arte scriptum reliquerunt. Multi ex sapientiæ professoribus huius disciplinæ peritissimi extiterunt, & in primis Pythagoras Samius, Empedocles Agrigentinus, Democritus Abderites eius discipulus. Hippocrates Cous artem hanc à sapientia separauit absolutamq; reddidit: Post hunc Diocles Carystius claruit, deinde Praxagoras & Chrysippus, quos secuti sunt Herophilus, qui venarum pulsus in musicos pedes discreuit, & Erasistratus Aristotelis filia genitus, qui ob seruatum Antiochum, à Ptolomæo eius filio donatus est talentis centum. Fuit & Serapion medicus peregregius, quem secuti sunt Apollonius Glaucidas, & Heraclides Tarentinus: innumerabilesque alij in hac disciplina claruerunt vsque ad tempora Galeni Niconis geometræ, & architecti filij, qui compluribus voluminibus artem hãc locupletissimam reddidit. Medicinam veteres trifariam diuiserunt, vt vna pars esset quæ victu, altera quę medicamentis, tertia quę manu mederetur.

De Theombroto eadem refert Pl. l. 7. cap. 37.

Galeni pater.

Medicina tripharium diuiditur.

Huic parti plurimum profuerunt inuenta Alcmæonis Crotoniatæ physici, Pythagoræ auditoris, qui singuli humani corporis membris atque articulis refectis, intimis omnium vitalium partium scrutatis, primus cadauerum lacerationem (quam

Anatomia. Græci ἀνατομίαν appellant) excogitauit. Fuit verò Alcmæon acerrimo ingenio, summaque doctrina, & de animo suam etiam protulit sententiam, quę quidem ex Solis reliquorumque syderum natura constare voluit: quippe qui seipsum moueat, & à se etiã vt lumina alia mouentur. Sed ad hoc Physice potius quàm animi natura, ediscenda fuit. Curabunt igitur qui Reip. pręsunt, vt summa diligentia medicina ediscatur, medicumque honoribus afficiant: tum propter excellẽtiam disciplinæ, tum propter vtilitatem, quãdo (vt dixi) mortalibus vitam ac salutem largitur.

De eloquentia & eius inuentoribus.

TIT. IV.

Cic. Quintil. Aristot. Rhetoric. Zuingerus volum. 2. lib 2. SI medicina corporis in optima Republ. necessaria est ob varia genera ægrotationum, quæ quotidie mortalibus accidũt, vt integris validisq; corporibus benè degere possimus, quãto magis necessaria erit animi medicina, sine qua nèc corpora ipsa benè valere possunt aut officio suo rectè fungi? Quamuis enim omnium animalium infirmissimum sit homo (est enim pluribus morbis obnoxius, propter varia escarum genera quibus vescitur, vt ait Homerus) tamen animi morbi non pauciores sunt quàm corporis, & quibus longè magis vexamur, & maiore discrimine periclitamur. *Animi morbi.* Qui morbus iracundiæ esse videtur? qua cùm laboramus, parum admodum ab insanis & furiosis secernimur. *Iracundia morbus.* Qui morbus auaritiæ? quo quidem perciti, non patriæ, non parentibus, non liberis, non nobis ipsis grati esse possumus. Quid metus, quid formido, quid ignauia ac socordia in nobis efficit? quid lætitia gestiẽs, innumerabilesque aliæ animi perturbationes? quibus cùm tenemur, non modò animo, sed corpore etiam laboramus. *Animi medicina.* Animi medicina in primis eloquentia est, quæ Philosophiæ rationibus ad vitia nimium elatos comprimit, deiectosque erigit, & ignauos fortes efficit. Vera est enim illa Euripidis sentẽtia qua dicitur. *Omnia conficit oratio, quæ etiã hostilis*

hostile ferrum neutiquam efficere valeat. Quæ enim alia vis quàm eloquentiæ potest furentem populum cõprimere, aut metu perculsum excitare? Quod vt exprimeret diuinus poëta Maro, Oratorem numine afflatum, & populum maritimæ tempestatis instar cõturbatum comparauit his versibus:

Virg. lib. 1. Æneid.

Ac veluti magno in populo cùm sæpe coorta est
Seditio, sæuitq; animis ignobile vulgus,
Iamq; faces & saxa volant, furor arma ministrat.
Tum pietate grauem ac meritis, si fortè virum quem
Conspexere, silent, arrectisq; auribus astant,
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.
Sic cunctus pelagi cecidit fragor, æquora postquam
Prospiciens genitor, cœloq; inuectus aperto
Flectit equos, curruq; volans dat lora secundo.

Eloquentiam veteres rerum dominam esse dicebant, & eam Ennius flexanimam appellauit, quòd animum in quamcunque partem vellet raperet: nec in pace & ocio solum vtilis habetur, sed & in bello atque tumultu vires alias omnes antecellit. Quod quidem verum esse asseruit Pyrrhus Epirotarum Rex, nã cùm bellum in Italia gereret, comitem quasi gerendorum ac sociũ Cyneam Thessalum Oratorem, Demosthenisq; discipulum accepit, eiusque opera impensè admodum vtebatur: nam ad ciuitates quas vi & armis subigere non poterat, eum oratorem mittebat, quas magna ex parte in sententiam suam adducebat, adeò vt sępenumero Pyrrhus diceret, plures à Cynea vrbes eloquentia in potestatẽ suã redactas, quàm à se armis esse superatas. Et si rectè iudicare volumus ex omnibus disciplinis nulla magis cõgruit ciuitati, quàm oratoria. Versatur namq; in triplici causarum genere: quorum primum suasionem & dissuasionem continet, quod totum ciuile est. Quæcunque enim in Repub. deliberãtur, suasione aut dissuasione indigẽt, vt veritas eruatur. Quocirca *Orator, id est vir bonus dicendi peritus*, vt Cato definit, suadebit, quæ vsui esse videbũtur, ne populus falsa opinione dilabatur, & ea comprobet, quæ paulò post aut mutare cogatur, aut pœni-

Eloquẽtia rerum domina.

Pyrrhi dictũ de Cynea Oratore.

Ars oratoria circa tria causarum genera versatur.

pœnitentia ductus iniquo animo ferat. Est & secundum genus, quod demonstratiuum appellant, quod in laude vel vituperatione versatur. Hoc commune est aliis duobus generibus, & Reipubl. necessarium. Accidit enim in Senatu sæpenumero vt laudãdi sint homines, laudandi mores, laudandæ leges: nonnunquam autem contrà vt vituperandi arma ab Oratore sumenda sint vt aliquid dissuadere possimus, ne quid deliberetur quod Reipub. deinde pœnitendum sit. Tertium autem genus est, quod in iudiciis versatur: id in accusationem & defensionem tribuitur. Nonne necessarium erit, in ea Reipub. in qua præmium & pœnam quasi pro muneribus ponimus, vt Democritus ait, quamque iustissimam esse volumus, improbos accusare, & innocentes defendere? Et denique Oratione efficere, vt ius suum vnicuique tribuatur, siue res apud populum, siue apud indices agatur? Harum causarum patroni semper apud veteres eloquẽtissimi Oratores extitẽrũt. Testes sunt Demosthenis, Aeschinis & Lysiæ orationes apud Græcos: apud nos autem Ciceronis. Ex quibus quidem cernimus eiusmodi causas omnes ab eo fuisse tanta eloquentia tractatas, vt nihil præclarius dici aut excogitari possit. Sed malus istis temporibus nostris error plerasque vrbes inuas[illegible] in quibus causidici dicẽdi ignari, vel potius rabulæ (vt prisci appellabant) causas agant, quos nullum operæprecium audire esse cẽseo. Hi quæstus gratia garriunt, & idcirco lites producũt & pene diuturnas faciunt: quæ res in ciuitatibus perniciosa est, parit discordiam ciuium, simultates, & odia. Quocirca optimè à Romanis hac in re cõsultum fuit lege Cincia: qua cauebatur ne quis ob causam orandam pecuniam donúmve acciperet. Sed apud Venetos quorum Respub. iustitia, imperio, opulentia & ciuium splendore, non modo in omni Italia, verùm in vniuerso quoque terrarum orbe præclarissima habetur, doctissimi quique in arte dicendi ex omni nobilitate causas dicũt, ex quibus diuturna exercitatione id assequuntur, vt disertissimi in eorum Repub. quamplurimi euadant. Dabimus igitur operam,

Rabulæ forenses.

Imò Cincia dicta fuit illa lex. Cornel. Tacit. lib. 11. Annal.

tiam, vt in Repub. nostra multi (si fieri potest) iuuenes his humanitatis studijs incũbant, & præcipuè hi qui ingenio præstant, & exercitationi per naturam apti sunt. Natura enim doctrina & exercitatio Oratorem perficiunt. Sed præmia orantibus causas, nõ omni ex parte auferenda censeo. Idcirco optimè arbitror Appium Claudium legem Cinciam temperasse cùm inquit: *Quoniam eloquentiam non contingere gratuitò constat, & studia præmijs sublatis pereunt, modum precijs accipiendis pro oranda causa ad dena sestertia adhibemus: egressos autem repetundarum teneri placet.* Primi huius artis scriptores post illos, quorum Poëtæ meminerũt, fuerunt Corax, & Tisias Siculi, qui præcepta sua paucis quibusdã documẽtis distinxerunt. Post eos fuit Gorgias Leontinus Empedoclis discipulus, & Thrasymachus Chalcedonius, & Prodicus Chius, & Abderites Prothagoras, tum Hippias Seleneus, & Alcidamas Eleates, quem Plato propter dicendi præstantiam Palamedem appellat. Orationem solutam primus omnium Pherecydes Syrus, vel (vt Quintilianus ait) Antiphon scripsit. Multum oratoriæ contulit Isocrates Gorgiæ discipulus: cuius frequentiam cùm cerneret Aristoteles, qui iuuenis Philosophiã disceret, eamque ab eloquentia separaret: mutato consilio vtramque coniunxit. Et medius fidius non iniuria. Eloquentia namque sine sapiẽtia parum prodest. Inanis siquidem sonus verborum sine sententiarum põdere, irridẽdus omnino esse videtur: Philosophia aũt sine verborũ ornatu & lumine orationis mãca & debilis erit, affectus oẽs frigidiores habebit. Quocirca qui Oratores euadere volunt, vtramque disciplinam optimè callere debent, & Ciceronem imitari, qui eas in omnibus penè libris coniunxit, & vnus omnium ferè Græcorum virtutes in se contulit. Nam vim Demosthenis, copiam Platonis, iucunditatem Isocratis (vt Quintilianus refert) complexus est, & temporib. suis in iudicijs regnare dicebatur, apud posteros autem consecutus est, vt eius nomen non vnius Oratoris, sed totius eloquentiæ habeatur. Verùm id in Cicerone esse cernitur, quod quasi vaticinari videtur poëta.

Legis Cinciæ temperamentum.

Oratoriæ artis primi scriptores.

Eusebio teste.

Ciceronis laus.

poëtarum more Silius Italicus, cum de Tullio eius patre loqueretur, quem contra Hannibalem fortiter militantẽ inducit his versib⁹. Punicorũ libro octauo.

Tullius aratas raptabat in agmina turmas,
Regia progenies, & Tulli sanguine ab alto,
Indole proh quanta iuuenis, quantumq; daturus
Ausoniæ populis ventura in secula ciuem.
Ille super Gangem, super exauditus & Indos
Implebit terras voce, & furialia bella
Fulmine compescet lingua, nec deinde relinquet
Par decus eloquio cuiquam sperare nepotum.

Eò namque eloquentiæ prouectus est, quò nemo vnquam se venturum sperare potest. Eius igitur imitationem ante oculos nobis proponamus, & eos plurimum in dicendo consecutos esse arbitremur, qui à Ciceronis eloquentia minus aberrant. Prima enim sequentem (vt ipse ait) honestum est in secundis, tertijsq; consistere.

De Dialectice & eius inuentoribus.

TIT. V.

Cic. Academ. Arist. Zuingerus volum. 2. lib. 4 *Dialectica.*

Dialecticen, quam superiori comitem nõnulli Philosophorũ faciunt, Aristot. verò æquilancem, nõ negligendam ciuili viro opinor, tum quòd iter ad alias quascunq; disciplinas adolescentib. aperire videtur, tum quòd ingenium acuit, & ad veritatem cernendã maximas vires habere cernitur. Nam cùm duo sint orationis genera, alterum perpetuũ cui oratoria præest, alterum concisum, cui dialectice: vtrumq; necessarium est, vnum probare, alterum persuadere volẽti. Tametsi prius illud magis ciuile esse videatur, quando suadendo aut dissuadendo molliori quadam via animos in voluntatem suam alliciat: hoc verò secundũ magis extorquere videtur, quod probare nititur, & quibusdam concisis orationibus nos in sententiã suam rapit, cogitq; ea fateri verbis, quæ nonnunquã animo nequaquam assentiri possumus. Has tamen disciplinas Zeno adeò coniunxit, vt hanc compressę in pugnum

Vis omnis dicendi in duas partes distributa, teste quoque Cic. l. 2. de finibus.

Dialectices commẽdatio.

pugnum manus, illam verò explicitæ ac palmæ similem esse diceret. Vtcumque tamen sit, Rhetoricen sine dialectice imbellem, dialecticen autem sine rhetorice rudem omnino & quasi elinguē esse arbitror. Sedulam itaque operam nauent huic iuuenes, quò melius definire ac diuidere valeant, & sua acrius probare, aliena verò fortius infringere, vtq; ad alias disciplinas parati magis accedant. Huius inuentores sunt qui dicunt fuisse etiam Aegyptios, à quibus Parmenides institutus eam deinde ad Græcos transtulerit: Aristoteles tamen, & nonnulli alij Peripatetici eiusdem inuentorem Zenonem Eleatem fuisse affirmāt. Et planè cernimus eundem in ea disciplina fuisse acerrimum, & pleraque inuenisse quibus acumen ingenij sui indicarit. Is si quidem magnitudinem animi sui, & pietatem in patriam, hoc vno exemplo ostendit, quo & Aristogiton non inferior ab vniuersa Græcia iudicatus est. Tyrannus crudelissimus Clearchus nomine, eius patriam prouinciamq; omnem inuaserat, quam quidem non modò sæuitia, verùm libidine quoq; & auaritia omnis fœditatis exemplo pessundabat: Zeno autem vt ciues suos à seruitutis iugo liberaret, tyrannum inuadere conatus est: verùm minus succedente fortuna, cùm à socijs destitueretur, comprehensus est: tormentisq; coactus vt cōiuratos proderet, tyranni amicos conspirationis socios fuisse asseruit: quos confestim mancipatos tyrannus interimi iussit. Sed cùm vlterius etiam sciscitari vellet, simulauit esse aliquid quod in aurem Principis loqui vellet: quam cùm ille exhibuisset, is eam mordicus auulsam in conspectu tyranni expuit: & sic eum amicis destitutum, & auricula inhonestum reddidit, & ciuibus vniuersis adeò infestum, vt paulò post lapidibus obrueretur. Astu igitur & prudentia assecutus est, quod viribus minus consequi potuerat.

Cic. l. 2. de fin.

Laert. lib. 8. & 9.

Zeno Eleates.

De

De Poëtis & eorum virtutibus, & qui legendi, quiq; ex theatris exigendi sint.

Tit. VI.

Francisc. Patric. de regno l. 1. tit. 1. Cic. pro Archia. Arist. Horat. Isiodorus, Pli. Lib. 2. de Rep. Poeta à Rep. exigendi.

POëtæ, si Platoni auscultare volumus, exigendi potius quàm admittēdi in Remp. erunt. Asserit namque eorū fabulas, quas maiores appellat, quarum penè authores sunt Homerus & Hesiodus, inutiles admodum esse iuuenibus, & præcipuè cùm de Dijs aut prauè sentiant, aut minus dignè fabulentur. Ego autem hanc causam indignam omnino esse puto, vt ob eam ex ciuitate doctissimi Poëtę excludantur, ad qui minimi etiam artifices admittuntur. Nam si nulla alia ratio me moueret cur bonos Poëtas omni laude dignos esse ducerem (quamuis suppetant & aliæ complures) hæc sola mihi esse dignissima videtur, quòd stultissimas gentium de dijs opiniones, vanasque ac fatuas superstitiones, fabularum ludibrio contempserint. Quos enim nouerāt mortales fuisse flagitijs ac sceleribus inquinatos, non poterant Deos fateri, quamuis plures authores haberent, contra quos sentire periculosum admodum arbitrabantur. Fabularū igitur inuolucris ea, quæ minus apertè dicere poterant, concinnabant. Non enim latebat poëtas, Iouem Cretensium Regem, Deum Optimum Maximum nō fuisse, sed hominem mortalem, impium in parentes, atque omni turpitudinis scelere infectum, qui ne sorori Iunoni, nec filiæ Veneri pepercisset, Phrygiumq; Ganimedem stupri causa raptum ad pocula admisisset. Hunc igitur Deum doctissimi Poëtarum iudicassent? Hunc etiam immortalem, cuius sepulchrum in Creta versibus etiam decorassent, & præcipuè cum dignoscerent eiusmodi esse assentatorum voces, qui vt Principibus suis temerè blandirētur, quò eorū gratia abuti possent, prædicerent etiam eos inter numina referendos, Deosque cùm à mortalibus discessissent? Quid sibi aliud vult Aegyptiorum fabula, qua dicunt Osirim Solis Deum factum esse, præstantissimumque prouinciæ propitiandum esse, cùm scirent

Iupiter.

Ganimedes.

Osiris.

mor-

mortalem genitũ eum Phoronei & Pitonis filium, & ab Ocho Persarum Rege, siue Typhone fratre impio (vt Diodorus Siculus scribit) crudeliter interemptũ, socijsque sex & viginti epulandum appositum in mensa, quò eos pari scelere deuinctos fidos haberet in regno? Diodorus tamen non eũm absumptum, sed absconditum refert, & ab Iside vxore deinde inuentum, sepulchroque nobili cum pigmentis atque odoribus conditum, Typhone etiam, & cædis socis ad vnum vsq; interemptis. Poëtæ huic opinioni ideo alludebant, vt Regis memoriam optimè de omni hominum genere meriti diutius seruarent, vtque coniugi eius Isidi (quæ mœrore & vlulatu angebatur) consolationem aliquando afferrent. Nónne eiusmodi opiniones falsos populos plerumque tenuerunt? Scimus Aeneam in Numiciũ cecidisse, & nusquã amplius apparuisse, quippe q vndis submersus in mare deuectus esset. Fabula tamẽ in eius exercitu orta est, qua plerique omnes sibi persuaserunt, eum deuolasse in cœlum, indigetemque Deum esse factum. Scimus Romulum Romanę vrbis conditorem, cùm iam senio esset confectus, à Senatoribus (quibus propter morositatẽ iam odio erat) fuisse discerptum, locũq; fabulæ datum esse, ne à populo lapidibus eius percussores obruerentur, eum in numen Romanæ vrbis fuisse relatum, & Altellum, seu Quiritum se velle appellari, & templo, ara, alijsque diuinis honoribus honestari. Indignum Poëtis videbatur, illos fateri Deos, quos mortales extitisse animaduerterent. Proinde cùm apertè non possent vanas superstitiones, & deliramenta imperitæ multitudini tollere, illorum vitam carminibus ita ornabant, vt mortales ostenderent, & cum hominibus taliter versatos, vt nihil humani à se alienum putarent. Idcirco aliquando eos fortes bellatores inducunt, & mortalibus multis in rebus adesse faciunt: aliquando eos turpes atque effœminatos. Herculem quem aëris gloriam nunc interpretantur, nunc cœlum vertice sustinere faciunt, nunc Amazonas vincere, nunc Anteo congredi, aut Nemæum leonem lacerare, aliquando eum colum

Ochus.
Typhon.
Æneæ mors.
Romulus.
Altellus Romulus, vt ait Festus.
Hercules. Vide Comitis Natalis Mythologias.

trahentem, imperataque pensa ab Omphale Lydiæ Regina, quæ calathos, fœmineosque cultus cum sagittis, claua leonisque tegmine commutauisset. Aliquando verò ira propter amissum pusionem turpiter eiulantem inducunt.

Hi sunt hominum mores, hi mortalium affectus, qui animos nostros huc atque illuc rapiunt. Cùm maiora rebus humanis cogitabat, syderumque rationem contemplabatur Hercules, tunc caput inter sydera condere videbatur. Cùm fortiter cum hominibus aut cum belluis pugnabat, tunc fortissimus iudicabatur. Cùm verò libidinibus intentus, vix compos mentis erat, & imperio vnius mulierculæ parebat, tunc à se discedere dicebatur. Age num eũ mortalem ostendunt Poëtæ, cùm vlcerũ dolorem percitum rogum conscendisse asserunt, & Philoctetæ mortis suæ authori arcum & sagittas hæreditario munere reliquisse? Hos igitur non Deos opinati sunt Poëtæ, sed vt eorum labores (quos præstantes esse putabant) aliqua insigni gloria decoraret, nomen ipsorum syderibus tradebant. Solem Aegyptij primum suum Osirim Regem fuisse asserunt, cuius nomen post eius obitum astro adhæsit, propter Regis claritatem. Sic & Mercurium, qui mortalibus vtilitates plurimas contulit, verba in ordinem redegit, sacra & ceremonias instituit, harmonias complures inuenit, verborum interpretationes Græcos edocuit, vnde & Hermes quasi interpres dicitur, in stellam conuersum esse fabulantur. Eiusmodi igitur hominibus cœlum Poëtæ compleuerũt, vt quos mortales caducosque viderent, nomine saltem diuino celebrarent, & ex magnis (vt dicitur) maiora facerent. Nam Poëma (vt Posidonius ait) dictio numerosa est, optimè iuncta, operosæ orationis speciem excedens. Poësis autem diuinarum humanarumque rerum commutationem complectitur. Poëticam Strabo geographus describit, *primam Philosophiam habitam esse, quæ ad viuendi rationem perducat, mores affectionésque doceat, & res gerendas cum iucunditate præcipiat.* Poëtas etiam solos sapientes & theologos

Philoctetes.

Ægyptij Osirim solem dixerunt.

Mercurius.

Mercurius Hermes.

Poema & poesis.

Vide & Scalig. lib. de re Poet. Diomedem & Isidorum.

gos vetustissimi appellarunt, quòd diuinarum institutionum rationem numeris complecterentur. Iouem non putabant esse Deum, sed ætheris potestatem. Audi Euripidis versus translatos à Cicerone de natura Deorum libro secundo. Vides sublimè fusum immoderatum æthera, qui terram tenero circumiectu amplectitur, hunc summum habeto diuũ, hunc perhibeto Iouem. Iunonem, aërem inter mare & cœlum interiectum, quæ soror & coniunx Iouis propter ætheris similitudinem dicebatur, & propter summam coniunctionem, qua quasi vxor Iouis videretur, præ eius mollitie: aërem autem puriorem, Palladem nominarunt, Iouisque filiam esse dixerunt: & quia non corrumpitur, virginem: & quòd sublimiora tenet, ex vertice Iouis dicitur nata. Trigeminam verò propter ver, æstatem, & hyemem: Glaucopin, non quòd oculos habeat cæsios, sed quod aër glauci sit aspectus. Romani Solem Ianum appellabant, & ideo geminum pingebant, quasi vtriusque ianuæ cœlestis potentem, quòd oriens diem aperit, occidens autem claudit. Ideoque eius simulachrum fingebatur manu dextera trecentorum sexaginta quinque numerum tenens, ad demonstrandam anni dimensionem, quæ ex solis ambitu cernitur. At verò Deum non modò non Poëtæ, sed ne Philosophi quidem cognouerunt ante aduentum saluatoris nostri Christi, qui vnicus Dei filius Patrem hominibus cognoscendum dedit, veramque religionem instituit, qua caligo tenebrarum sublata est, & omnis falsa opinio. Non igitur exigendi erunt Poëtæ, non magis quàm Philosophi è ciuitate, quòd Deum ignorauerint, cùm in pari cęcitate atque errore etiam Philosophi fuerint. Dicet fortasse aliquis nonnullos Philosophorum extitisse, qui vnum Deum assererẽt: Et fuerunt etiam Poëtæ qui idem testabantur, & Orpheus in primis, quẽ ex Libethra Thraciæ vrbe quidam fuisse asserunt, Oeagro patre, matre autem Calliopea in Pierio monte educatũ, quem quidem seculis vndecim ante Troianum bellum fuisse dicunt. Is Deum vnum esse voluit, à quo omnia orirentur. Eius

Iupiter ætheris potestas.

Arnobius,

Natalis Comes.

Iuno aer.

Pallas.

Alij aliter.

Orpheus.

Linus. magister Linus Deum naturæ nomine effœminauit, quam effectricem rerum omnium & seminarium animalium plantarumq; disseruit, & Solis, Lunæ, syderumq; moderatricem effecit. Virgilius noster Deum nonnunquam *Spiritum*, nonnunquam *mentem* appellat, nonnunquam etiam proprio nomine fatetur, veluti cùm dicit Deum. *Ire per omnes*

6. Æneid.

Terrasq; tractusq; maris, cœlumq; profundum.

Ouidius autem quamquam materiam illam confusam ab Hesiodo mutuatus, tamen non idem potẽtiam tradidit, vt Hesiodus, Deum fabricatorem mundi, rerum omnium opificem, dispensatoremque illius confusionis manifestè facit. Ex poëtarum mente Cicero pluribus locis, & Quintilianus libro sexto de institutione oratoria, *Deum dicit esse spiritum omnibus partibus immixtum*. Dixerunt de Deo quod potuerunt Poëtæ, cum veritas eo tempore mortales penè omnes lateret, dixerunt tamen aliquid, quod quidem haud scio an longè minus sit, quàm id quod Philosophorum aliqui testantur. Quanquam Plato longè præclarius quàm reliqui de diuinitate philosophatus est. Tenendi igitur in ciuitate erunt Poëtæ, & honore ac laude decorandi, qui commendatissimi omnibus esse debent, cùm propter eorum raritatem (nihil enim rarius in omni hominum æuo, optimo Poëta inueniri potest) tum propter ingenij magnitudinem, diuinamque naturam. Nam vt Cicero ait, à summis hominibus eruditissimisque accepisse, sic verum esse statuo. Cæterarum rerum studia, doctrina, præceptis, & arte constant, Poëta autem natura valet, mentis viribus excitatur, & diuino quodam spiritu afflatur: quocirca ab Ennio sancti Poëtę appellantur, quòd diuino quodam munere nobis commendati esse debeant. Et Plato ipse inter quatuor diuinos furores, quos ponit *vaticinium, mysterium, & amorem, poesim inserit*, vt ostendat Poëtas aliquid præter naturæ vires diuini habere. Disputauit igitur more suo Plato. Nihil enim (vt in omnibus operibus illius videri potest) affirmabat, maluitque fabularum actores quàm Poëtas exigere, ne idem sibi accideret, quod

Lactantius institut.

Quintil. l. 6.

Poeta sancti.

Cic. Orat. pro Archia.

Quatuor diuini furores.

quod Cadmo, & Theseo, qui ex vrbibus suis, quas ædificauerant, eiecti sunt. Legimus namque Platonem Poëtam fuisse, & Dithyrambos primo carmenque amatorium composuisse, mox etiam tragœdiam scripsisse: quando etiam Isocrates eius doctor, quem sententiarum suarum authorem facit, hymnos, & apologias poëtico more edidit. Non exulabunt itaq; ab optima ciuitatē Poëtæ, cùm vtiles admodum esse cernantur. Quid enim grammatice sine poëtarum pertractatione eruditionis haberet? verborum elegantia, linguæ proprietas, suaues translationes verborū, sententiarumque licentia, quæ orationes quasi stellis quibusdam ornant, nónne à solis Poëtis inuenta, & suis locis collocata ac distincta sunt? Fabularum inuentio partim ad vtilitatem, partim autem ad delectationem neutiquam repudianda est. Docenda sunt hæc pueris, qui & quæ vix alioqui cogitare possent, fabularum illecebris accipiunt, & facilè in memoriam redigunt, earumque sensu ad virtutem longè magis diriguntur. Herculem, cùm primum adoleuisset, exisse in solitudinem aiunt, eique apparuisse fœminas duas, alteram forma præcellentem, margaritis, ac gemmis decoratam, fulgentem purpura, & suauissimis vnguētis delibutam, quæ multis quidem blanditijs eum comitem posceret, eique omnia voluptatum genera in omni eius vita pollicebatur: altera autem matronali habitu, sine cultu ac nitore, demisso etiam vultu, si se comitem sequi volebat, affirmabat, multos illum labores subiturū, sed postremo non mortalem eum futurum, vt illa, sed immortalem pollicebatur. Harum vnam Hercules cognouit, quæ per blanditias & ludos nos ad mortem deduceret, alteram autem virtutem, quæ per labores & pericula nos immortales efficeret, quam secutus Hercules, voluptate neglecta, immortalem meruit laudem. Eiusmodi fabulæ adolescētes instituunt, & promptiores ad optandum laudem reddunt. Proinde Græci (vt Strabo ait) liberos in poëtica erudiebant, non nudæ voluptatis causa, sed castæ vtique moderationis gratia. Nec omnino inutiles sunt maiores illæ fabulæ

Cadmus & Theseus vrbibus suis exacti.

Apud Apuleium & Æ. lianum.

Ad quid fabulæ prosint.

Herculis visio.

Homeri & Hesiodi, cùm per allegoriam exponuntur, vt cùm dicimus Gigantes, qui contra Deum bellum gessisse dicuntur, homines fuisse impios, & contra numina oblatrantes, quos Deus fulmine ictos contriuerit. Non tamen fabularum vsque adeo patrocinium suscipere volo, vt omnes laude afficere velim.

Gigantum bellum.

Nam tragœdia penè omnis extrudenda est ab optima ciuitate: quam quidem Solon Thespijs doceri prohibuit, vt inutilem, & eam falsiloquentiam appellauit. Lacedæmonij quoque libros Aeschyli Poëtæ ab Sparta vrbe asportari iusserunt, tanquam inutiles, & editos potius ad hominum mores corrumpendos, quàm ad aliquam bonarum artium disciplinam. Nec immeritò explodenda ex omni ciuili spectaculo tragœdia. Habet enim in se violentiam quàdam nimiam mistam desperationi, quę facilè ex stultis insanos reddat, & leues in furorem compellat, & præcipuè cùm audiunt verba illa inhumana, & turgida. Eius natos suis mandet malis, & falsas plerumque sententias persuadet, vt: *Oderint dum metuant:* quem sermonem solitus erat iactare C. Cæsar cognomento Caligula. Eiusmodi fabulas, in theatris recitari, inutilę omnino esse arbitror, sed eruditionis gratia à doctis viris neutiquam neglectui habendas censeo.

Tragœdia non admodum ferenda.

Suet. in eius vita.

Tragœdias primus in lucem protulit, Aeschylus sublimis & grandis, sed rudis adeo & incompositus, vt eius fabulas non nisi per alios emendatas in certamen deferri à posterioribus Poëtis Atheniẽses permiserint. Sophocles tamen & Euripides plurimum nitoris habẽt, cum grauitate sententiarum, verborum pondere, & authoritate personarũ: quos imitati sunt Latini duo, Pacuuius Brundusius, qui Ennij Poëtæ ex filia nepos fuit, Romæque primo vitam tutatus est ex picturæ (quam exercuit) mercede, mox doctior factus, ædilibus fabulas vendidit: & Accius Romanus ciuis libertinis tamen parentibus natus: horum libri, cum plerisque alijs doctissimorum virorum periere, desideriumque perpetuum nobis relique-

Apud Latinos primũ fecit Liuium Andronic. Donatus. Pacuuius Pl. l. 35. c. 4. Attius.

reliquerunt, cùm neminem illis adhuc similem habeamus. Comœdiam (quam in Sicilia primùm adinuentam dicunt) in spectaculis etiam recitari non placet. Corrumpit namque hominum mores, eosque effœminatos reddit, & ad libidinem luxuriamque compellit. Atqui Massilienses quondam seueritatis custodes, nullum aditum in vrbem suam permiserunt. Comœdiarum namque argumenta, magna ex parte adulteria & stupra continent, quocirca spectandi consuetudo, imitandi licentiam facit. Nam (vt apud Ciceronem in libris de Republica dicit Scipio) *Nunquam comœdia, nisi consuetudo vitæ pateretur, probare sua in theatru flagitia potuissent.* Sed, si verè iudicare volumus, huiusmodi fabulæ oculos aure sque grauissimorum virorum formidant, quod quidem vel vno exemplo ostenditur. Agebatur fabula, in qua publicè meretrix quædam prostabat, quæ cùm iam vestem deduceret, Catonemque animaduerteret in theatrum descendere, à gestu statim se continuit, cumque omnes admirarentur, ait: *Seuerus Cato in spectaculum venit:* qua quidem voce ostendit lōgè pluris esse vnius grauissimi viri aspectum, quàm totius populi plausum.

Catonis grauitas.

Earum fabularum actores, & omnes qui ludicram artem exercebant, hoc est histrionicam, & scenicam, Romani veteres odio habuerunt, vnde lege cauebatur, *vt qui ludicram exerceret, in primis quatuordecim ordinibus ne sederet.* Et apud Ciceronem idem Scipio idem testatur, his verbis. *Cùm artem ludicram, scenicámque totam in probo ducerent, genus id hominum non modo honore ciuium reliquorum carere, sed etiam tribu amoueri notatione censoria voluerunt.* Exigatur igitur à theatris comœdia, & eam si volunt docti atque eruditi viri in suis penetralibus legant, & verba potius quàm sententias scrutentur. Habet siquidem plurimum elegantiarum, eiusque sermo est purus, & nitidus, & quotidiano sermoni accommodatus. Nihil Menandro defuit. Eupolis, Cratinus, & Aristophanes splendorem habent & gratiam, Latini etiam suam laudem habuerunt. Nam

Histriones publico munere indigni.

Cæcilio palmam tradidit Comicorum Publius Nigidius figulus. Et Varro ait, *musas Plautino sermone locuturas, si Latinè loqui vellent*. Et Terentius elegantissimus est, nitidus, Latinus, & purus, cuius sermone Cicero vtendum esse ait. Nec tamen placet populum his intentum esse, nam inter probra quæ Atheniensibus obijciuntur, hoc vel imprimis est, quòd hi longè maiorem pecuniam in palliatis suis fabulis recitandis, quàm in maximis bellis gerendis impenderent. Habuerunt etiam Latini fabulas, nam togatæ, quæ à scenicis dicuntur, nomen à vestimento habēt, & argumento Latino sunt, sic prætexatæ, à dignitate personarum, & Latina historia, Attellanæ a ciuitate Campaniæ, vbi primùm actæ sunt, Riconicæ actorum nomen seruant, Tabernariæ humilitatem argumenti, ac stili præ se ferunt. Mimi mutationem habent vilium rerum, viliumque personarum.

Terentius. *Togata comœdia.* *Prætexata.* *Attellana.* *Riconica.* *Tabernaria.*

Eiusmodi fabulas in spectaculis suis, vt primum Romani edere cœperunt, negligentius bella, & res grauiores gesserunt, Græcis illecebris ac blanditijs inquinati. Quocirca non inscitè a Satyro illo peregregio dicitur,

Iuuen. Sat. 3.

Non possum ferre Quirites
Græcam vrbem, quamuis quota portio fecis Achææ
Iampridem Syrus in Tyberim defluxit Oronte,
Et linguam, & mores, & cum tibicine chordas
Obliquas, necnon gentilia tympana secum
Vexit, & ad circum iussam prostare puellas.

Tragœdiæ comœdiæque leuitatem ex earum nomine coniectare possumus. Altera enim ab hirco dicitur, qui aspectu primò non turpis, discedens deinde pessimè olet. Altera autem à villa, vel quòd serò in ciuitatem recepta sit, vel quòd rustico potius quàm vrbano aspectu sit digna. Heroicos autem Poëtas non modo legendos, verùm ediscendos quoque esse arbitror. Et si quando ociosæ ciuitati ludos theatralésve ferias permittere volumus (quod vel raro, vel post magnam aliquam victoriam indulgendū censeo) ex his deligēdi sunt qui recitētur. Habent enim grauitatem verborum cum elegantia, & splendo-

Heroici poetæ. *Scalig. lib. 3.*

ſplendore, & eloquentiam varietate ſententiarũ & pondere adiuuant. Homerus namque & Virgilius tantam ſibi laudem vendicarunt, vt ne ſpem quidem poſteris reliquerint, non modò ad parem laudem adæquandam, verùm ad imitationem, ac ſimilitudinem obtinendam. Hi imagines fortiſſimorum virorum ad intuendum atque imitandum nobis reliquerunt, quibus promptiores reddamur ad omne genus virtutis, ac laudis. Ab his laudari, quanti faciendum ſit, magnus Alexander docuit, qui quamuis ſcriptores plurimos rerum ſuarum haberet, tamen, cùm in Sigeum ad Achillis ſepulchrum acceſſiſſet, fortunatum eum exclamauit, quòd virtutis ſuæ Homerum præconem habuiſſet, eiuſque libros adeò in delicijs habuit, vt dormiens ſub puluino ſemper teneret. Et cùm aliquando Darij opibus potitus, ſcrinium auro, gemmis margaritiſque ornatum inueniſſet, amicis diuerſos eius vſus monſtrantibus ait: Immo librorum Homeri cuſtodiæ detur, precioſiſſimumque humani animi opus ditiſſimo etiam opere ſeruetur. Ex hoc poëtarum genere Satyra habenda eſt: quæ (vt Quintilianus refert) tota eſt Latina. Nam veteres comici Græci in ſectandis vitijs præcipuam libertatem habuerunt: quod quidem teſtatur Flaccus Horatius, qui locum præcipuum inter Satyricos habet his verſibus,

A Poetis laudari, magna laus.

Homeri laus.

Satyra.

Eupolis, atque Cratinus, Ariſtophanesq; poetæ
Atque alij quorum comœdia priſca virorum eſt.
Si quis erat dignus deſcribi, quòd malus aut fur,
Quòd mœchus foret, aut ſicarius, aut alioqui
Famoſus, multa cum libertate notabant.

Qui & ab his Latinos Satyræ principium habuiſſe ait, quocirca addidit;

Hinc omnis pendet Lucilius, hoſce ſecutus,
Mutatis tantùm numeris pedibuſq;, facetus,
Emunctæ naris durus componere verſus.

Vetus comœdia ſatyræ fuit principium.

Sed M. Terentius Varro Poëta clariſſimus, & Philoſophorum omnium Latinorum eruditiſſimus, aliud ſatyræ genus diuerſo etiam carmine à C. Lucilio ſcripſit, ex quo quidem magnã gloriam meruit.

Et certè vtiles admodum sunt Satyrici : insectantur siquidem vitia, virtutem laudant, & adolescentes ad speciem melioris vitæ dirigunt. Sed nimia verborum licentia, siue loquendi libertas, qua frequentius indignatione quadam perciti vtuntur, eos minus commendatos efficit. Atqui si pauca ex eorum libris abraderentur, sanctissimi poëtarum iure optimo appellari possent.

Elegia. Elegia suauitatis plurimùm habet & gratiæ, & stilum familiarem adiuuat, iucundioremque efficit, in qua Callimachus primam laudem apud Græcos meruit, adeò vt eius patria Cyrene (quam Lacedæmonij condiderunt) eius nomine illustrata sit, sicut Meuania à Propertio, qui de laude huiusmodi carminis cū Tibullo atque Ouidio certat. *Lyrici poetæ.* Lyrici poëtæ in mysticis canticis, numinumque laudibus, vel in primis admittendi sunt: quorum præstantissimus habetur Pindarus : quamuis Corynna Myrtidis discipula cum in certaminibus quinquies vicisse dicatur. *Corynna lyrica quinquies Pindarum vicit.* Et Sappho Erexia quæ longè antiquior fuit quàm Sappho Mitylenæa, à qua plectrum primò inuentum fuisse dicitur. Laudem nō paruam meruit hæc cum Stesichoro certans, & deinde cum Alcæo, qui propter carminis suauitatem ab Apolline aureo plectro donatus dicitur, vel potius quòd tyrannos non modò armis, sed & carmine insectatus sit. Hanc autem Mitylenæā Strabo Geographus præfert, nullamque ei fœminā similem aut vlla ex parte in poëtica conferendam esse ait : In hoc genere Flaccus Horatius omnes Latinos vicit. Egit tamen quicquid per ætatem potuit Catullus Veronensis. Satis superque de poëtis iam scripsimus : sed sermonis suauitas, & dulcis eorum memoria, me longiorem fecit: quin etiam iniquum mihi videbatur, eos quoad possem non tueri, cum quibus ab ineunte ætate magna cum delectatione versatus sim, poëmataque scripserim quatuor voluminibus distincta, quorum auctor à ciuitate quam institui, extrudi vix æquo animo ferre poterā, & præcipuè cùm mihi cordi esset fœlicis (si possem) Reip. præcepta tradere. *Patricius poemata scripsit.* Nunc ad philosophos venio, quorum

rum doctrina vberrima est, & ab optimis quibusque ciuibus omni studio capessenda.

De Philosophia & eius inuentoribus, ac sectis, & qui in singulis plurimum profecerunt.

TIT. VII.

Optimam Remp. illam esse dicimus in qua ciues quietè viuere, & ea omnia agere possint, quæ ad fœlicitatem ducunt. Erit igitur ciuili viro cognitio virtutis in primis necessaria, quam quidem sapiētiæ studium (quæ philosophia dicitur) nobis pollicetur. Hanc primi sapientiam nuncuparunt, eiusque professores sapientes. Sed Pythagoras Samius cū Sicione esset, & Leontem Tyrannum alloqueretur, nominis arrogantiam fugiens, philosophiam primus appellauit, asserens solum Deum sapientem esse, mortalem autem neminem, quando sapientiæ obiectum veritas sit, quæ in solo Deo esse cernitur: hominē autem verisimilia sequantur. Hæc disciplina quamuis diuinarum humanarumq; rerum scientiam profiteatur, tamen in ea parte ciuibus magis prodest, in qua morum ac vitæ rationē pollicetur. Prodest plurimum etiam pars illa quā Græci φυσικὴν non autem naturalem hystoriam appellamus, quanquā vna illarum, sine altera manca omnino & inchoata potius quàm absoluta dici potest. Huius partis quæ de morib. & vita est inuentorē Socratem Sophronij filium fuisse asserunt, qui parū sibi videri ait, naturæ secreta speculari, & vitæ nostræ rationem negligere. Quid enim nobis prodest abdita quædam naturæ rimari, & sydera ac stellas animo metiri, si nos ipsos ignoramus, & rationē, quæ appetitum nostrū regere debet, quaque à mutis animalib. discernitur, negligimus? Quid turpius aut fœdius esse potest, quàm videre hominē doctissimum libidine inflammatum, furentem ira, omnia rabidè appetentē, inexplebili cupiditate incensum, adeò vt quo magis adsunt, magis egere videatur? Certè eiusmodi viro id accidit, quod Thaleti Philosopho (qui vnus è septem

Ex primo Tuscu. quæst.

Pythagoras philosophiam primus appellauit.

Philosophia, de moribus vtilissima.

è septem sapientibus fuit) vsu venit. Is aliquando no ctis tempore domum egressus sydera inter eundum contemplabatur, & in subiectā scrobem cecidit, exclamauitq;. Anus autem quædam voce excitata, cùm ad fenestram accessisset, rogauit quidnam acturus prolapsus esset, & ille: Vt cœlestia intueretur respondit: ridens anus inquit: Quæ ante oculos tibi sunt, nō cernis, & cœlestia quæris? Delphicum illud oraculū, quod rectè præfixum foribus templi fuisse dicunt, quicūq; sapere vult, sibi præfigere debet: γνῶθι σεαυτόν, hoc est, nosce teipsum. Seipsum ignorat, q. virtute animi vti nescit, metu frangitur, lætitia gestit, cupiditate incenditur, libidinibus torretur. Contra quæ mala Philosophia nos armat & nō modò radices, sed & minutissimas quasque fibras perturbationum euellit. Huic operam dabit optimus quisque ciuis, qui non modò sibi suisq;, sed patriæ prodesse cupit. Hæc ex Socratico sermone (qui anceps erat quando nihil affirmare, nihilq; asserere consueuit) propter varias discipulorū interpretationes in decem diuersas Philosophorum sectas diuisa est, quarū singula suos stipulatores habet complures, & opiniones diuersas. Harum prima Academia est quæ vetus dicitur, cuius Princeps Plato extitit, nam mediam erexit Archesilaus ob disputationis contrarietatem, nouam deinde Lacydes. Secundam Cyrenaicam dicunt, cuius Princeps Aristippus Cyrenaicus fuit. Tertiam Eliacā, cui præfuit Phocion Eliensis. Quartam Megaricam quæ Principem habuit Euclidem Megarensem. Quintam Cynicam quā instituit Antisthenes Atheniensis. Sextam Erectricem quam docuit Menedemus Eretriensis. Septimam Dialecticem, cuius author Clitomachus Chalcedoniensis fuit. Octauā statuit Aristoteles Stagirites, quæ Peripatetica (quoniam deambulando docebat) dicitur. Nonam à porticu in qua Zeno Cittiæus, docebat, Stoicam appellant. Decima verò quæ patrocinium voluptatis accepit, Epicurea ab authore nomen habet. Harum præstantissimæ sunt Academica & Peripatetica: quibus omni studio incūbendum censeo. Quanquam Stoici multa dicunt

qui

Thaletis casus in scrobē.

Cic. quadam Epist. ad Atticū explicat.

Socratis sermo anceps.

Philosophorū decem secta.

quæ veram Philosophiã redolere mihi videntur, solũ sapientem beatum esse, virtutem solam satis esse ad bene beateq; viuendum. Benè viuere nihil aliud esse quàm naturæ congruere, quod Zeno in libro de natura hominis, docet esse secundum virtutem viuere, quam nobis natura ipsa ostendit, & pleraq; huiusmodi, quæ diligenter considerata, animum nostrum erigunt ad toleranda æquo animo humana omnia. Hęc dabit arma, quæ ciuem nostrum fortem in rebus bellicis præstabunt, qui nec pericula adire, nec mortem pro patria oppetere dubitabit. Hinc fortes Decij, Aphricani, Pauli, Marcellique extiterunt, & alij omnes qui pro Rep. fortiter pugnarunt. Hinc orta est vox illa Leonidæ, qui apud Thermopylas pugnãs cum paucis suis contra infinitam Persarum multitudinem victor occubuit, quam suo sanguine in lapidibus cùm moreretur, poëta ille eum scripsisse ait: *Stoici sæpè veræ Philosophi.*

Dic hospes Spartæ nos te hic vidisse iacentes,
Dum sanctis patriæ legibus obsequimur.

Strabo autem ait hos versus in columna communis sepulchri inscriptos fuisse. Philosophia nos edocet iustitiam esse, quæ humanam continet societatẽ, sine qua nec ciuitas esse potest, nec domus rectè gubernatur. Ea nobis suadet, vt iure nostro vtamur, neminem iniuria afficiamus, viuamus contenti rebus nostris, ab alienis autem non modò manus, sed & oculos abstinentes habeamus.

Vniuersæ Philosophiæ principia duo celebrantur, vnum Ionicum, alterum verò Italicum. Ionicæ philosophiæ authorem Thaletem faciunt, Italicæ autem Pythagoram Samium, qui Pherecydis Syri primo, deinde Hermodontis auditor fuit, peragrauitq; magnam orbis terrarum partem discendi gratia, & Aegyptios Chaldeosque sacerdotes audiuit, & Persas illos, qui Magi patrio verbo dicuntur, propter sapientiæ studium, summa familiaritate complexus est: deinde cùm regiones plures lustrasset, relicta Samo, quam Polycrates tyrannus inuaserat, in Italiam traiecit, Crotanamque incoluit, in qua diutius Philosophiam docuit, & relicto Thelage filio successore obijt. *Italicum Philosophiæ genus instituit Pythagoras.*

re obijt. Thelages discipulorum omnium præcipuum Xenophontem Colophonium habuit, Parmenidis Eleatis præceptorem, cuius discipuli fuerunt Empedocles Agrigentinus, & Zeno Eleates. Leucippus Zenonis successor fuit, & Democritum Abderitanum docuit, cuius discipuli in primis duo præclari extiterunt, Nausiphanes & Naucides, Epicuri Atheniensis præceptores, ad quem vsque philosophia Italica propagata est. Nam Epicurus nouis quibusdam præceptis philosophatus, ab omni familia desciuit, voluptatemque tutatus est, in qua summum bonum esse statuit.

Ionicum philosophiæ genus. Alterum philosophiæ genus Ionicum ideò appellatum est, quòd Thales Mileto oriundus sit, quod oppidum Ionis est Xuthi filij. Thales sacerdotes Aegyptios præceptores habuit, ipse autem docuit Anaxidrum Milesium, qui primus horologia inuenisse dicitur, cuius discipulus Anaximenes Milesius fuit, quē audiuit Anaxagoras Clazomenius, qui Archelaum Milesium instituit, cuius successor fuit Socrates, qui multos auditores habuit. Nam ex eius ludo veluti ex equo Troiano multi philosophiæ principes exierūt, & in primis Plato, Antisthenes, & Aristippus Cyrenaicus, qui Aretam filiam docuit, quæ Aristippum iuniorem filium, & discipulum habuit, quem deinde Theodorus audiuit, qui ob impietatem Atheus cognominatus est. Huic successit Antipater, qui Epimenidē Cyrenaicum erudiuit. Eius discipulus Parbates Hægesiam illum docuit, qui πεισιθάνατος appellatus est quòd mortem pluribus persuasit. Postremò Cyrenaicæ sectæ fuit Anniceris Lybs, qui Platonē liberauit à seruitute. Antisthenes Atheniensis, qui Cynicus appellatus est, vel à gymnasio Cynosarge, vel ἀπὸ τῆς κυνὸς hoc est à cane, quia mordacior in cauillando erat, Diogenem Sinopeū successorem habuit, cuius auditor Crates Theban⁹ fuit, & Zeno Cittiæus à quo Stoici dicti sunt, quoniam in porticu docebāt, quæ στοὰ Græcè dicitur, cuius auditor Cleanthes Cassis fuit, cui successit Chrysippus Solensis Stoicorum postremus. Stoici & Cynici parum admodum differunt,

Horologiorum inuentor. Anaxidrus.

Socratis discipuli.

De Isocrate idem ait Cic. ij. de Oratore.

runt, nisi quòd verborum licentia in Cynicis est longè maior. Plato Academicus appellatus est à suburbano gymnasio Athenarum, quæ Academia vocabatur. Is primò Aristocrates dicebatur, sed à latitudine pectoris Plato cognominat⁹ est. Huic successit Speusippus, Speusippo Zenocrates, Zenocrati Palemon, Palæmoni Crantor, Crantori Crates Atheniensis, qui Arcesilaum docuit mediæ Academiæ principẽ, cui successit Lacydes, quẽ audiuit Euander Phocæus doctor Damonis, à quo eruditus Mochiũ Euandrum Atheniensem successorẽ habuit. Is docuit Hegesinium Carneadis præceptorem, qui Clitomachum discipulum habuit, à quo edoctus Arniadas vltimus Academicorum fuit. Aristoteles nanque sectam Peripateticam instituit, in qua successorem reliquit Tyrtamum Eresium, quem propter elocutionis suauitatem Euphrastum primò, deinde Theophrastum appellauit.

Aristoteles Peripateticæ secta Princeps.

Theophrastus vnde cognominatus.

Longum esset singularum sectarum successiones percensere, atque verendum mihi puto, ne aut ambitiosus esse videar, aut morosior, quòd ea dixerim, quæ tædio ac senio lectores afficiãt. Sed tanta est philosophiæ excellẽtia, vt minus indecorũ esse videatur singulos quosq; qui in ea profecerint numerare. Huius enim cognitio nõ modò priuatis ciuib. sed & Regibus, Ducibus, Principibusq; iocũdissima extitit, & in magnis reb. gerendis plurimũ profuit. Philippus Macedo cùm accepisset genitum sibi filium Alexandrum, ad Aristotelẽ scripsit: *Se dijs gratias habere non tã perinde quòd filius sibi natus esset, quàm quòd eũ nasci contigit Aristotelis tempore, à quo quidem sperabat eũ talem doctũiri, vt se dignus euaderet, & successione rerũ suarum.* Et cùm primùm fari cœpit, nutu Aristotelis eũ nutriri iussit, cui deinde cũ adoleuisset, in disciplinã tradidit. Et deinde cùm Aristoteles propter aduersam valetudinẽ Alexandrũ in castra sequi nequiret, Callistheni discipulo obeũdas suas vires tradidit, vt Regi adesset, eumque philosophiæ studiis adiuuaret. Pericles, qui tot præclaras res gessit apud Athenienses, magistrũ habuit Anaxagorã Clazomenium, cuius consilijs ferme frequentissime vsus, non modò in rebus vrbanis,

Philippus Macedo, scribit ad Arist. Vide Gelliũ.

verum

verum etiam bellicis: quibus cùm esset intentus, audiretq; Anaxagoram diuturnæ vitæ tædio per inediã mortem sibi consciscere velle, ad eum confestim aduolauit, & supplex precibus lachrimisque orauit, vt si non sibi, saltem Pericli viuere vellet, quem consiliorum socium in Republica optaret. Erudiuit etiam

Plato. Plato Dionem Syracusanum. Et Dionysius tyrannus homo ad sæuitiam immanitatemque natus, adeò Platonicam disciplinam desiderauit, vt ei in Siciliam nauiganti obuius mutata naui, & magno Principum comitatu progrederetur, Philosophumque benigno hospitio exciperet, à quo & multa didicisse, vel hoc ipso testatus esse videtur, quòd cùm eiectus esset è tyrannide, rogareturque à quibusdam quid sibi

Dionysius regno pulsus. Plato & philosophia profuisset, sapienter respondit, vt æquo animo facileque perferret huiusmodi fortunæ mutabilitatem. Quinetiam Aphricanus Panætium philosophum audiuit, & Polybium domi militiæque comitẽ multis honoribus affecit. Possido-

Cn. Pompeij modestia in Posidonium. nij quoque ædes ingressurus Cn. Pompeius confecto bello Mithridatico, fores de more à lictore percuti vetuit, ne lectitanti philosopho importunus accederet: & sic sapientiæ ianuæ fasces submisit is, qui tot Reges & populos orientales occidentalesque

Iulius Cæsar. subegerat. Iulius Cæsar in omni literarum genere eruditissimus fuit, & doctissimos quosque viros præmijs & honore affecit. Cuius exemplo Octauius Augustus philosophiæ præceptorem habuit Athenodorum virum ætatis suæ doctissimum. Plutarchus

Plutarchus Traiani præceptor. verò Cheronensis Traianum Cæsarem eruditiorem reddidit, & dicta Principum memoratu digna magna eruditione atque elegantia ad eum scripsit, cum quo etiam Traiano Cæsare coniunctissimè vixit Dio Prusensis, adeò vt sæpe cum eo in eodem curru veheretur, & ad eum nonnulli putant libros suos de regno scripsisse, quanquam nusquam Traianum no-

M. Antoninus. minatim appellat. M. autem Antoninus, qui sanctitate vitæ omnes Romanos Principes antecellit, Stoicæ philosophiæ in omni sua vita deditus fuit: quam collectis vndique optimis præceptoribus ita edidit, v-

ncım-

nemini cederet, & summis etiam philosophis adæquaretur. Hoc igitur cōcludendum censeo, pauciores Principes dignos omni laude sine philosophia extitisse, quàm cum ea ignobiles, quam tanti fecisse plerosque populos ac nationes video, vt apud sese hanc natam esse seu inuentam contendant, eiusque inuentores indigenas suos asserant, & diuinis honoribus prosequantur. Nam Galli (qui Celtæ dicuntur) Druidas, quos vernaculo verbo appellant, Philosophiæ inuentores esse asserunt. Hi nemora incolentes non modo contemplatione, sed & vita philosophātur, & de virtute deque immortali Deo multa ac religiosè quidem disseruerunt, mortemque nihil aliud esse opinabantur, nisi migrationem quandam ad meliorem magisque diuturnam vitam: qua persuasione inducti, intrepidè ac fortiter pugnabant, ignauum omnino ac stultum eum putantes, qui mortem timeret, cùm iamiam vita adesset longè præstantior. Hanc opinionem eorum iudicio populi quidem secuti sunt, & bello intrepidi admodū extiterunt: quin etiam inuenti sunt, qui pecuniam mutuò acciperēt, in posteriore deinde vita reddituri. India quæ omni Barbaria vastior habetur, hoc etiam inuento gloriatur. Gymnosophistas namque suos habet, hoc est nudos sapientes, qui intemperiem cœli obdurato corpore sine veste (tectis pudibundis) perferebant, & præcepta fortitudinis præferentes nihil æquè odio habebant, quàm ocium & ignauiam, virtutem autem summum dicebant esse bonum, & syderum scientiā adeò callebant, vt futuros euentus plerumque prædicerent, & nono quoque anno concilium populorū maximum conuocabant, & influxus cœlestes suo ordine nunciabant. Si qui autem in his quæ prædixerant aberrabant, aliorum in primis conuitio, maledictoque mulctabantur, & reliquam omnem vitam in silentio degebant. Hi se quasi philosophiæ inuentores asserunt, repetuntque initium doctrinæ à Libero patre, quem non modo bellicis in rebus fuisse aiunt illustrem, sed & indagatorem eximium rerum occultarum. Is namque bello Indiam subegit, præter Gan-

Pli. l. 17. c. 41.

Apuleius l. 1.

Liber pater.

garidas, quos propter Elephantorum multitudinem neque ipse, neque Hercules, neque Alexander Macedo superare potuit. Condidit plures vrbes in India, docuitque religionis cultum, multaque alia egit, pro quibus diuinos honores meruit. Gymnosophistarũ pene clarissimus fuit Calanus Indus, qui cùm apud Persas magnum Alexandrum vidisset, aluique profluuio teneretur, egregium putauit, ante oculos præstantissimi Regis, & in conspectu victoris exercitus obire, proinde pyram sibi erigi iussit, eamque conscendit. Macedonasque orauit, vt diem illum lætitiæ cum Rege suo celebrarent, quem paucis post diebus Babylone visurum se dixit. His dictis, igne admoto sine vllo corporis motu expirauit, & ex philosophiæ suæ instituto se hostiam Deo vouit. Alius etiam Indus Philosophus Larmanochargas nomine Octauio Augusto Cæsare idem Athenis fecit, vt tunc moreretur, cùm præstantissimum omnium mortalium cerneret, ne indignius quippiam aliquid in posterum intueretur. Præstantes habebantur Gymnosophistæ ad respondendum ex tempore: eorum nonnulli aliquando ad Alexandrum captiui ducebantur: quorũ natu maiorem interrogauit, quidnam agendo beneuolentiã inire posset? At illi: *Si nemini formidandum te tradas.* Rursus alium rogauit vitam ne, an mortem fortiorem opinaretur? *Vitam ille dixit, quæ tot aduersa & calamitosa proferat.* Deinde ab alio petijt, quoad viuendũ homini esse censeret: *Donec mortem,* inquit is, *vita potiorem ducat.* His ac multis alijs scitè ab eis auditis, Alex. eos dimitti iussit, & multis muneribus affectos, laudauit eorum ingenium nõ mediocriter. Aegyptij (qui omniũ mortaliũ se antiquissimos esse asserunt) philosophiæ inuentũ in suos conferunt. Et nõ modò Mathematicas disciplinas, verũ alias etiam omnes artes à suis inchoatas volũt. Dicunt namq; Memphim puellam regiã forma præstantissimam (quæ vrbi Mẽphi nomẽ dedit) amatam à Nilo fuisse, qui conuersus in taurũ, eius complexu vsus est, genuitq; filium qui reliquos omnes virtute anteiret, Aegyptusq; nominatus est: à quo propter eius constantiam, vniuersa pro-

Calanus.

Ex Plutarcho in Alexandri vita.

Quæstiones ab Alexãdro Gymnosophistis factæ.

Ægyptij philosophiam se inuenisse gloriantur.

Memphis puella.

prouincia nomen accepit. Hunc multa inuenisse asserunt, quæ vtilia admodum extiterunt, & principia quædam naturalia tradidisse. Huius fratrem dicunt fuisse Vulcanum, quem philosophiæ inuentorem extitisse prædicant, & longè doctiorem Aegypto fratre. Hunc ignem inuenisse hoc pacto volunt, quòd arborem ingentem fulmine ictā per hyemem cerneret, reique nouitate commotum, propius accessisse, caloreque delectatum, confotumque iam deficienti igni ad nutrimentū addidisse, itaque ad hunc modum seruato igne, alios homines ad eius inuenti communionem inuitauit. Quæ quidem res adeò hominibus grata extitit, vt deinceps eum instar numinis Aegyptij venerati fuerint. Is astra ignea esse, & ex igne omnia creari voluit. Quin etiam leges complures tulit, & in primis de pudicitia, ac comprimenda mulierum libidine, quæ in Aegypto penè omnibus corpus suum vulgabant. Forcipem ex ære primus inuenit: quod primùm fluxisse ex ignis ardore animaduertit: quo monitu cretifodinas effodit, & ferrariam fabricam instituit, & agrestia ac bellica arma primus cudit. Thebani Linum Mercurij & Vraniæ filium philosophiæ inuentorem præferunt. Is de mundi creatione, & solis lunæq; cursu, & de animalibus ac plantis scripsit: & Deum (quem naturæ nomine appellat) omnium conditorem fuisse asseruit. Getæ qui Thraciam incolunt, Zamolxim philosophiam inuenisse credunt, qui Pythagoræ seruus fuit, & ab eo cœlestia didicit: mox Aegyptios sacerdotes audiuit, & de animi immortalitate sic sensit, vt assereret neminem qui eius præcepta sequeretur, diem obiturum, sed perpetuis bonis fruiturum: quin etiam subterraneā specum effodit, quò quidem loci cum suis quibusdam vitam in contemplatione diuinarum rerum degebat, & post quartum annum cùm egrederetur, Getis (qui eum mirifice desiderabant) se ostendit, multaque prædixit, quibus meruit diuinis honoribus honestari. Phœnices Ochum eam reperisse volunt, qui syderum peritissimus fuit, & naturam paruæ Cynosuræ, & nonullorum syderum descripsit. Libyci verò

Vulcanus philosophiæ inuentor & ignis.

Linus philosophiæ inuentor apud Thebanos.

Zamolxis philosophiam Getis inuenisse creditur.

Atlantem, qui de mundi machina, cœlique natura acutissimè disseruit, adeò vt poëtæ fingant eum cœli humeris sustinere: cui laboranti Herculem ideò successisse fabulantur, quòd ab eo doctus Hercules post eius obitum in philosophia successit. Scythæ autem Anacharsim Guyri filium philosophiæ principem referunt, qui Scythicas leges versibus scripsit, & de virtute, ac tenuitate victus. Is Crœsi tempore fuit, & anchoram primus rotamque figulorum inuenisse dicitur. Claruit etiā in philosophia apud Scythas Albaris, ad quem Phalaris tyrannus literas dedit, quibus ei gratulabatur, quod ex hyperboreis discedens, Pythagoræ philosophi Stesichorique poëtæ familiaritate vsus esset, ac multorum Græcorum, quorum doctrinam, ad eam quam primò tenebat addidisset, & eum inuitabat vt ad se veniret. Fuit enim Phalaris eloquentissimus, & doctissimos quosque sui temporis omni studio prosecutus est. Albaris autem ad eum scripsit, nullum sibi commercium esse cum tyranno crudelissimo eiusque hospitium abdicauit. Scripsit enim Albaris Scythica oracula, & Apollinis ad Hyperboreos accessum: quocirca à fabulosa antiquitate dicitur sagittam ab Apolline dono accepisse, cū qua è Græcia ad Hyperboreos deuolasset. Persæ qui cum Aegyptijs de vetustate certant, Magos suos philosophiæ præfecerunt, qui duo principia posuerunt, bonum, & malum. Numen bonum cœli, malum verò inferorum Deum arbitrantes. Zoroastres ab illis philosophiæ pręficitur, quem Astronomiæ & magicarum artium inuentorem fuisse volunt. Huic successit Osthanes in philosophia, & deinde disciplinā suscepit Astyampsicus. Chaldæi se omnium antiquissimos philosophos prædicant: & sapientiæ principem Prometheum referunt, qui Astronomiæ fuit peritissimus, & de natura rerum, hominumque genitura scripsit, & de tonitruo, ac fulminis ratione. Græci de philosophis suis quam plurima, ac penè infinita volumina referunt, quorum longum esset varias multiplicesque opiniones referre. Sed penè ab omnibus in hanc sententiam ventum est, vt septem quos

Scythæ Anacharsim philosophiæ inuentorem agnoscunt. Albaris.

Persæ. Magi.

Zoroastres.

Prometheus.

quos sapientes appellant, inuenta philosophiæ plurima dederint, & præcepta sapientię, quibus innumerabiles penè philosophi in omni Græcia vsi fuerunt. Horum primum referunt Thaletem Milesium fuisse, quem Callimachus inuentorem minoris Vrsæ, cùm ad Phœnices nauigaret, fuisse dicit. Chærilus autem poëta dicit hunc primum de immortalitate animi disseruisse, & de natura rerum scripsisse. Secundum Solonem Salaminium fuisse tradunt, qui leges Atheniensibus dedit, quique Homeri versus resarciuit, vt sensus conuenirent. Tertium Chilonem Lacedæmoniū qui rogatus ab Aesopo quid nam Deus ageret? Respōdit, *eum humilia extollere, & excelsa humiliora reddere.* Eius est illa sententia: *Spōsioni non deesse iacturam.* Et ad Periandrum scripsit: *Felicem eum tyrannum esse, cui cum sua domo ac sanguine mori contigerit.* Quartum censet Pittacum Mitylenæum, qui Phrinonem Atheniensium ducem in singulari certamine interemit. Et cum ei Mitylenenses ob hoc facinus imperium dedissent, decem annos tenuit, quoad eos ad optimam Rempublicā redegit, deinde imperio se abdicauit. Quintum Biantem Prienæum: hic oblatum sibi tripodem, in quo scriptum erat: *Sapienti detur,* Apollini dicauit, quo iudicio reliquis sapientibus prælatus est. Ab eo Alyattes Lydorum Rex victus fuit. Sextum Cleobulum Lydium, hic dicebat: *Audiendi magis quàm loquēdi homines studiosos esse debere.* Septimum Periandrum Corinthium: hic tyrannidem exercuit: & rogatus ab amicis cur eam non deponeret, ait: *Quia vltro deponere, & vi cedere, æque periculosum est:* violentus tamen fuit. Nam quadraginta annos tyrannidem, quam in magistratu inuaserat exercuit: & Meliam vxorem ictu calcis interemit.

Septem sapientes.

Solon Salaminius.

Chilon.

Bias Prienaeus.

Cleobulus Lydius.

Periander vxorē interemit.

De corporis exercitatione, de ludis Gymnicis, Circensibus, gladiatorijs, scenicis, de pugilum certaminibus, & Lupercalibus.

Tit. VIII.

Zuingerus Volum. 11. li. 4. Cælius lib. 13. & 13. Antiq. lectionũ.

Animus languens corpus victũ reddit.

Ars ludicra.

Animum in primis formandum disciplinis bonarum artium, ciuili viro diximus. Præstantia enim animi non solùm corpus adiuuat, verùm promptissimum quoque reddit ad maximos quosque labores. Nullum siquidem corpus satis robustũ ac validum esse potest, vbi animus languet. Frequenter in bello cernimus nonnullos parui aut gracilioris corporis, forti animo pugnare, proceriores autem ignauos. Proinde præstat animum virtute & sapientia adiuuare si corporis robur optamus. *Ars siquidem ludicra* (vt ait Cicero in præclarissimis libris suis de Oratore ad Quintum fratrem) *gladiatori & militi prodest aliquid: sed animus acer & præsens, idem acutus & versutus, inuictos viros efficit, non difficilius tamen arte coniuncta.* Sed quia non omnes ingenio valemus, & per desidiam plerique literas negligunt, dimittendi sunt ad eas artes, quibus à natura ipsa aptiores esse noscuntur, exemplo Apolloni j Alabandensis magni illius doctoris, quem tantopore Græci laudarunt, qui discipulos ad eas artes dimittebat, ad quas magis à natura deditos esse cernebat. Corporum exercitationem necessariam esse Plato & Aristoteles, & reliqui omnes qui de Repub. scripserunt affirmant. Ignauia namque corpus hebetat & effœminatos homines reddit: industria autem firmat & alacriores firmioresque facit. Lacedæmonij pueros ruri alebãt, vt laboribus cõsuescerent, sub dio pernoctarent, frigore & æstu, puluere, cursu, venatione, luctatione, iaciendo, prosiliendoque obdurarent. Nudis etiam corporibus & perunctis certabant, vnde eorum palestra Gymnastica dicta est, quòd nudi luctarentur. Tãtumque valuit apud eos exercitatio, vt quamuis pauci admodum essent, vniuersam penè Græciam subegerint, cùm reliqui ferè omnes Græci desidiæ volu-

Apollonius Alabandensis.

Exercitatio corpus firmat Lacedæmonij.

ptati-

ptatique indulgerent. At postquam cognouerunt alij exercitatione & industria Lacedæmones in bello factos esse meliores, laboribus adsuescere cœperunt, adeoq; profecerunt, vt paruo tempore victi victores superarent. Athenienses qui imperio Lacedæmoniorum diu paruerant, eis deinde imperarunt, & præcipuè postquam didicerunt iuuenes in palęstra potius quàm in theatro exerceri. Tria enim Gymnasia ex publicô constituerunt, Academiam Plato, Lyceum Aristoteles, & Cynosarges Antisthenes, in quibus longe prius athletæ certare quam philosophi disputare consueuerunt. Præmia igitur in certaminibus exponi placet victoribus victisque, quò promptiores, alacrioresq; reddantur, exemplo Aeneæ, de quo Virgilius Aeneidos 5. sic ait:

Gymnasia tria ex publico constituta Athenis.

Et geminum pugnæ proponit honorem,
Victori velatum auro vittisque iuuencum:
Ensem, atque insignem galeam solatia victo.

Eiusmodi præmia longè magis laudo quam Platonica illa, quæ potius ad libidinis exemplum, quàm ad virtutem afferendam mihi exposita esse videntur. Viris namque fortibus, summis bellatoribus suauiationes puerorum puellarumque proponere, nihil aliud mihi videtur, quam fortitudinem eneruare, & virtutem omnem contemptui ludibrioque habere. Exerceantur pueri, vt laboribus consuescant, non autem ad effrænatam quandam immanitatem: vt enim industria & ingenuus labor corpus firmat aptiusque ad labores efficit, sic nimia illa exercitatio cõtinuusque labor frangit, & ad immaturam senectutem pręcipitat. Aristoteles testis est eiusmodi laboribus corporũ incremẽta impediri, & membra distorqueri, Celsus ait. Nos autem frequenter cernimus laboriosos homines varicosos fieri. Et de Caio Mario rustico illo Imperatore legimus, quòd ad secandas varices sine gemitu crura medico præbuit, vt pristinæ valetudini redderetur. Pueros mangonibus aut lanistis alendos tradere, neutiquam mihi ingenui animi esse videtur: sed exemplo Iulij Cæsaris vtendum censeo, qui tyrones neq; in ludo, neque per lanistas,

Caij Marij varices.

sed in domibus per equites Romanos atque per Senatores armorum peritos erudiri iubebat. Luctatione, cursu, pilæ iactu, eos exercere placet, & nando, prosiliendo, dimicandoq; speciem veræ pugnæ simulare vtile esse censeo. Silius Italicus Romanus poëta peregregius, qui consul fuit quo tempore sibi Nero mortem consciuit, quiq; proconsul Asiæ magnam laudem meruit, in libris suis de secundo bello Punico, cùm de Scipionis indole loqueretur, ingenuos labores his versibus complexus est lib. 8.

Scipionis lau.

Ipse inter medios venturæ ingentia laudis
Signa dabat, vibrare sudem, transmittere saltu
Murales fossas, vndosum frangere nando
Indutus thoraca vadum, spectacula tanta
Ante acies virtutis erant; sæpe alite planta
Ilia perfossum, & campi per aperta volantem
Ipse pedes prauertit equum, sæpe arduus idem
Castrorum spatium & saxo transmisit & hasta.

Qui igitur assuescunt eiusmodi laboribus, alacriores in bellum accedunt, & corpore & animo firmiores fiunt. Epaminundas Thebanus Imperator excellentissimus diligentem operam palęstræ dedit, non tam magnitudini virium seruiens, quàm velocitati. Illam enim athletarum vsum adiuuare, hāc autem ad belli existimabat vtilitatem pertinere. Itaque exercebatur plurimum currendo, atque luctando. Plato etiam philosophorum maximus apud Aristonem Argiuum palęstricam exercuit, à quo & Plato peregregio corporis habitu appellatus dicitur, cùm prius Aristocles nomine vocaretur. Romani qui iudicio omnium, virtute & gloria mortales omnes olim anteibant, non tam voluptatis gratia, quàm vtilitatis, multiplices ludos & spectacula constituerunt. Ludorum tamen originem, & nominis rationem sunt qui altius repetant velintque ludos à Lydis dici. Est enim Lydia Asiæ regio, quæ primò Meonia dicebatur, in qua cùm olim Lydus Tyrrhenusque fratres regnarent, Tyrrhenus fratre relicto in Italiam venit cum ingenti Mæonū multitudine, inquirendæ nouæ sedis gratia, deseditque apud Tiberim, eoque loci specta-

Epaminundas.

Plato prius Aristocles dictus.

Ludorum origo. Etymon vere.

ſpectaculum præbuit, ad quod quidem vicinorum complures concurrerunt, nouitatémque rei admirati, exemplum deinde imitati ſunt, & eiuſmodi ſpectacula à Lydis ludos appellarunt. M. tamen Varro hanc opinionem nequaquam ſequitur, ſed ludos à luſu dictos putat, quòd iuuenes per dies feſtos populum luſionibus oblectarent. M. autem Quintilianus ludũ dici putat, quia longè à luſu abſit. Luſum verò plerique à luendo dici volunt. Eſt enim luere, ſoluere: Vnde luſtrum quinquennale ſpatium temporis Varro nominatum putat, quòd quinto quoque anno vectigalia, & tributa per cenſores exigerentur, ſic etiam lucrum quod amplius luat, quàm quāti eſſet emptũ. *Apud Iſidorum l.18.c.16.*

Ludorum genera plura ſunt, ſed præcipui habentur Gymnici, Circenſes, Gladiatorij, Scenici. Gymnici, quod nudi in gymnaſijs exercebant, & id quidem quinque modis, ſaltu, curſu, iactu, virtute, luctatione. Virtute exerceri erat robore, & viribus certare. Luctatione autem lateris complexu: hi Græcè athletæ dicuntur, locus autem, palæſtra. Hoc exercitationis genus inter adoleſcentes, in conſpectu tamen maiorum natu, quò verecundius id agant, vtile admodum puto. Conſuetudinem tamen Lacedæmoniorum omnino repudiandā eſſe arbitror, qui fœminas etiam inter ſe luctari iubebant, & victricem victori deſpondebant, vt futura ſoboles fortibus orta parentibus, longè robuſtior naſceretur. Contineant ſe domi mulieres, reique familiari inuacent, quas natura imbelles fecit, ac timidas, vt earum formidine longè aptiores ad cuſtodiam redderentur. *Ludorum genera. Gymnici ludi. Athletæ quales? Lacedæmoniorum mos carpitur.*

Circenſes ludi, vel à circo maximo in quo ſpectabantur, dicũtur, vt Quinto Pediano placet: vel à Circe ſolis filia, quam patri hoc genus certaminis conſtituiſſe Græci aſſerunt, quod tamē non abs re eſſe videtur. Circus enim maximus principaliter Soli conſecratus fuit, cuius ædes in medio ſpatio cernebatur, eiúſque effigies è faſtigio ædis eminebat. Soli enim intra ædes ſacrificare iniquum eſſe putabāt. Circum Romani ſpatium appellabāt, in quo currere equi ſolebant in quadrigarũ certamine circum metas. Meta enim finis vel termi- *Circēſes ludi, vnde dicti. Circus maximus. Meta vnde.*

nus à metu trăsiliĕdi dicitur. Alij dicūt agonicos Circenses Olympicū certamen, inuentum apud Elidem in honorem Iouis Olympici. Sunt qui credant Olympicum certamen ab Hercule primò editum in honorem Pelopis materni ataui, quo singuli anni quaterni numerantur.

Alij quidem putant, Circenses ludos qui circum enses agerentur nominari. Nam vbi deinde malè collocati essent gladij, disponebantur. Alia autem ex parte fluminis ripa erat, vt si quis in alterutram partem diuerteret, discrimen non paruum subiret. Non igitur paruæ erat artis, inter ripas ensesque quadrigas agere. Hi ludi quamuis Soli aurigarū numini principaliter dedicati essent, tamen Castori & Polluci deputabantur, qui à Mercurio equos accepisse dicuntur. Celebrabātur etiam Neptuno, Marti & Ioui, quia eos etiam quadrigis præesse opinabātur. Sunt etiam ludi quos magnos Circenses Virgilius appellat, qui Romani etiam ludi dicuntur, quod sub Regibus instituti sunt, & magni nominati, vel quòd dijs magnis, id est Laribus vrbis editi fuerint, quibus Sabinas raptas fuisse aiunt, vel à magnis impensis. Nummûm siquidē ducenta millia impendebantur. Eiusmodi ludos magnus Pompeius in victoria Sertorij vouit, & Lucius Sylla in victoria belli ciuilis. Sunt qui opinantur eosdem & Megalenses dici, quod verum neutiquam esse existimo. Ludi enim Megalēses magnæ matri Deûm dicati sunt, vt Liuius in secundo bello Punico refert, libro nono tertiæ decados, his verbis: Accessit consultatio de matre Idæa accipienda. Haud paruæ rei iudicium Senatum tenebat, qui vir optimus in ciuitate esset, veram certè victoriam eius rei sibi quisq; mallet, quàm vlla imperia honorésve suffragio seu patrum seu plebis delatos. Patres conscripti, P. Cornelium Scipionem Cnei filiū, eius qui in Hispania ceciderat, adolescentem nondum quæstorium, iudicauerunt in tota ciuitate virum esse optimum, & paulo post addidit. In ædē Victoriæ quæ est palatio, pertulere Deā pridie idus Aprilis: isque dies festus fuit. Populus frequens

Sol aurigarū numen.

Circenses magni cur ita dicti.

frequens dona Deæ in palatium tulit, lectisterniumque & ludi fuere Megalesia appellata. In bello quoque Macedonico idem testatur, cùm ait. M. Iunius Brutus ædem magnæ matri Deûm in palatio dedicauit, & ludos ob eam dedicationem factos Megalesia appellauit. Dicuntur autem Græca appellatione à magnitudine, ἀπὸ τῦ μεγίστου. Gladiatorij ludi longè ab omni humanitate distant: carnificinam siquidem & immanitatis speciem potius præbere videntur, quàm aliquid decoris aut vtilitatis habere. His igitur carebit ciuitas nostra, & omnis benè instituta Respublica, si dictis nostris auscultare voluerit. Celebrantur autem in amphitheatro, in quo quidem plura gladiatorium genera descendebant. Primi erant equites duo, equis albis signisque militaribus in honorem Martis, quem vana sua superstitione vrbis præsidem esse putabant. Secundi in honorem Neptuni, quem in bello nautico inuocabant: hi fuscinam (quam tridentem appellant) habebant, & occulta quædam retia, quibus aduersarium pugnantes irretitum tenerēt. Tertij Secutores dicebantur, quòd retiarios insequerentur, & ad honorem Vulcani pugnabant: quocirca cuspidem, & massam plumbeam gestabant. Quarti demum erant Laquearij, qui desiliendo laqueis decernebant, quibus comprehensi, aut vulgabantur, aut perpetuam seruitutem seruire cogebantur. Pugilum certamen (quod magnæ laudis fuit) apud veteres, periculosum valde est, & nequaquam permittendum ab his qui Reip. præsunt. Inhumanum mihi videtur, homines in certaminibus ludicris interimere: nec id potest sine mœrore & lachrymis plurimorum accidere. Agitur tamen id non sine ingenti arte, & speciem quandam fortitudinis præ se fert, quod Cicero ostendit libro secundo Tusculanarum quæstion. his verbis: *Pugiles cùm feriunt aduersarium, in iactandis cæstibus ingemiscunt, non quòd doleant, animóve succumbant, sed quia in profundenda voce omne corpus intenditur, venitque plaga vehementior.* Pugiles à pugna dicūtur. Pugna autem à pugno. Veteres namque ante vsum ferri & armorum, pugnis, calci-

Megalesia.

Varro aliter ἐτυμολογεῖ lib. 5. de L. L.

Gladiatorum ordo.

Fuscina Neptuni.

Secutores.

Laquearij.

Pugiles à pugna dicti.

calcibus, morsu, & omni corporis nixu ac luctatione certabant. Ante inuentos cæstus pugnis nudis, & corporis conatu decernebant. Quod quidem non abhorrendum esse opinor, dummodo id sine ira aut simultate fiat, habet enim speciem aliquam virtutis, & ex ea consuetudine homines promptiores ad rem bellicam redduntur. Sed cæstibus pugnare (vt dixi) ab omni humanitate alienum esse videtur. Infinitum esset ludos omnes Græcorum Romanorumque oratione complecti, quorum partim ad exercitationem, partim ad crudelitatis spectaculum æditos esse cernimus, partim autem ad lusum, veluti sunt Lupercalia, quorum nomen Quintilianus à tribus partibus orationis fieri voluit, quasi luere per caprum. Eadem cùm celebrabantur (vt Plutarchus Cheronensis refert in vita Iulij Cæsaris) *multi nobiles adolescentes per vrbem nudi discurrebant, scuticámque ex loris ferentes, obuium quemque per risum cædebant. His accurrebant complures etiam nobiles fœminæ, præbebantque manus apertas, veluti præceptoribus, vulgò namque sibi persuaserant, si ab illis cæderentur, prægnantibus pariendi sibi nisus, sterilibus autem concipiendi facultatem quamprimum tradi*, Lucius Fœnestella, & nonnulli alij veteres scripserunt, Pana Lycæum, seu Faunum Syluanum primum fuisse omnium Deorum, quos Romana superstitio coluit, cui Luperci rem diuinam faciebant, & Lupercales ludos exercebāt. Huius religionis Euandrum fuisse authorem dicunt. De nomine Lupercalium non satis conuenit inter scriptores. Nam vt omittam Quintiliani interpretationem, de qua modo dixi, alij asserunt hoc nomen hinc inditum, quòd huius numinis inuocatione Lupi à stabulis arcerentur. Alij templum in quo colitur, Lupercal appellari dicunt, vnde Virgilius;

Lupercalia. Varro lib. 5. de ling. Lat. & Isidorus.

Euander.

Retulit, & gelida monstrat sub rupe Lupercal.

Æneid. 8.

A lupa quæ eò loci inuenta est cùm lac præberet Romulo, & Remo. Quem autem nos lupum, illi Lycon vocant. Alij à Lycæo Arcadiæ monte, vbi ea religio primò viguit, Lupercal dici volunt. Trogus autem Pompeius ait Euandrum in radicibus Palatini

Iustinus l. 43. cap. 41.

montis

montis templum constituisse Lycæo, quem Græci Pana, Romani Lupercum appellabant, cuius Dei simulacrum nudum, caprina tantùm pelle amictum erat: quo etiam habitu Lupercales per vrbem cursitabant. Eiusmodi ludi nusquam permitendi sunt, tum propter vanas impiasque superstitiones, tum quia nihil decoris aut vtilitatis habent. Hanc consuetudinem ludibrio etiam habere videtur Iuuenalis *Saty.2.* cùm ait:

Turgida non prodest condita in pyxide Lyde,
Nec prodest agili palmas prabere Luperco.

Diximus satis quibus artibus, quibusque studijs pueri erudiēdi sint: quam curam omnium maximam non modò parentibus, verùm his quoque qui Reip. præsunt, esse diximus. Alatur igitur primùm ingenium, redigaturque ad sapientiam si fieri potest, quę omnium rerum optima est. Exerceantur corpora, sed ita, vt ingenij munera nō impediāt. Difficile est enim vno eodemque tempore animo & corpore exerceri: cuius quidem rei ratio diligens habenda erit. Paruo tempore exercitationibus corporis indigent, ne illis nimium oblectentur. Fiunt enim ingenio hebetiores sibique ipsi vix consulere sciunt, veluti de Milone *De quo Plin.* Crotoniata legimus, qui omnia supra humanas vires *lib.7.* fecisse legitur, & toties victor in certaminibus coronatus est, bouemque ictu pugni victimam fecit. Attamen cùm nimium suis viribus crederet, mortem sibi infœlicissimam parauit, cùm enim cerneret robur cuneis adactis nondum diffissum esse, ignauiam eorum qui id reliquerant, irrisit manibusque id scindere conatus est: sed cùm cunei discuterentur, arbor que ad propriam naturam rediret, compressis brachijs in solitudine detentus, alitibus ferisque præda extitit. Et Polydamas pugil alius præclarissimus, cùm *Polydamas.* latebram imbre petitam humeris sustentare nititur, *Val lib.9.ca.* socijs omnib⁹ fugientibus, sepulchrum sibi parauit, *13. Pausan.* non sine magna omnium seculorum irrisione. Citò igitur recedant ab eiusmodi exercitationibus pueri, discantque à Mercurio illo, quem palestræ inuento- *Mercurius pa* rem veteres fuisse affirmant, qui ea quamprimum re- *lestra inuētor.*

licta,

licta, ad eloquentiam se contulit, & Musicę Astronomiæque diligentissimam operam dedit. Et de his hactenus. Nunc autem quoniam docuimus, qui Reipu. muneribus honoribusq; afficiendi sunt, quiq; etiam repudiandi, aut è ciuitate exigendi: de ordine magistratuum dicemus in sequenti volumine.

AD SIXTVM QVARTVM PONTIFICEM MAXIMVM

Proœmium.

OMNIS Reipub. moderatio, Sixte pater sanctißime, in magistratuum descriptione continetur, sine quorum authoritate, prudentia, ac diligentia, ciuitas esse non potest. Proinde minus admirandum est Aristotelem dixisse Rempub. esse institutionem ciuitatis circa magistratus honoresq; publicos, quandoquidem in libero populo sine magistratibus nihil rectè agitur. Vt enim nauis sine gubernatione in portum tranquillitatis nunquam redigi potest, utque exercitus sine Imperatore in magno semper periculo versatur, vixq; victoriam assequitur, sic ciuilis societas fortunæ exposita esse videtur, nec quieta aut fælix vlla ex parte esse potest, nisi magistratuum authoritate atque consilio regatur. Videndum tamen est, sicut in re nautica ac bellica, sic in Rep. vt pauci sint qui imperent, plurimi autem qui obsequantur; multitudo enim magistratuum ciuilem ordinem perturbat. Laudant veteres scriptores Maßilienses, quorum Rempub. ordine & æquitate omnibus alijs præferunt. Eorũ senatores numero sexcenti erant (vt refert Strabo) ex quib. annuis vicib. quindecim præsidebant, summũq; gerebant magistratũ. Ex his autem quindecim tres præficiebãtur qui legib. ac iuri dicundo præerant. Hi paucis admodum adiuti, rem ciuilem in pace & optimè gubernabãt. In bello autem & tumultu, Imperatores & Principes Maßilienses deligebant, qui sa-

Maßilienses.

tis ef-

tis essent ad rem bellicam benè gerendam. Complures medici vni ægroto adhibiti, inter se potius ostentationis gratia decertāt, quàm ea decernant quæ laboranti salutem afferre possunt, & varia cōsilia in maximis periculis rem potius præcipitant quàm adiuuāt. Hæc & pleraq; alia cogitanda sunt in magistratibus ordinandis, de quibus suis locis differendum erit. Sed hoc iterum atque iterū dicendum censeo, optimè gubernacula Reipub. senibus tradi, qui per ætatem & rerum experientiam plurimùm sapiunt. Vera nanque est illa Platonis sententia, & à Cicerone quasi pro oraculo posita, beatum eum haberi posse, cui contigerit feliciter senescere, vt sapientiam verasq; opiniones assequi possit. *Medici.*

DE ORDINE MAGISTRATUUM, & de officio priuatorum in eos qui magistratum gerunt, & eorum rursus in priuatos, & de virtutibus illorum qui Reip. præsunt.

TIT. PRIMVS.

CRANTOR Solensis Xenocratis auditor, Polemonisque amicus, ac deinde discipulus (qui Philosophus fuit peregregius, & poëta nō vulgaris) cùm vitę humanę rationem habere vellet, & actiones cogitationesque nostras prudentissima diuisione sortiri affirmare, primas vitæ partes virtuti dandas esse, secundas bonæ valetudini, tertias honestæ voluptati, quartas autem diuitijs opinabatur: Siquidem nihil boni, nihilque iucundi nobis sine virtute accidere posse, frustraque eum alia ex parte quærere quæ commoda aut bona esse dicuntur, qui virtutis sit expers. Optimam deinde virtutis comitem, bonam putauit esse vale-

Laert. in eius vita.
Crantor.
Vita humana actio quadruplex.

valetudinem. Vix enim nobis benè ab animo esse potest, cùm à corpore male sit, & corporis ægrotatio vix sine animi ægritudine esse potest. Præterea qui benè valet, liberiore animo vtitur, & ingenij acumine minimè fraudatur. Comes his duabus accedit honesta voluptas, quæ quidem tum præcipua est, cùm animus seipso fruitur, omnia metitur ad tranquillitatem iocunditatemque mentis: delectatur non titillatione sensuum, aut corporis illecebris, sed contemplatione magnarum rerum, quæ quidem pabulum est animi ingenui, & mentis liberalibus studijs institutæ. Quarta illa pars quæ commercium cum superioribus habet, licet minor omnino sit, tamen cùm necessitatem humanam respicimus, consideremusq; hominem victu, vestitu domicilioque indigere, necessaria etiam habenda est. Callimachi Poëtę sententia est, quæ huic menti congruere videtur, diuitias sine virtute nunquam hominem efferre, virtutem autem sine diuitijs parum admodum eum illustrare. Et Sappho Lesbia non muliebriter inquit, parum prodesse diuitias sine virtute, sed cum ea coniunctas accumulare vitam beatam. Theognis quoque vetus Poëta duriorem sententiam protulit, paupertatis enim metu vel in mare nos ire præcipites suadet. Inopia siquidem præclaros viros nonnunquam vrget, & duriora quęque eos ag[illegible] compellit. Plautus Comicorum Poëtarum face[illegible]imus, propter annonę difficultatem ad molas manuarias pistori se locauit, & ibi quoties ab opere vacaret, scribere fabulas & vendere consueuit. Cassius quoque Seuerus Orator egregius cùm annis quinque, & viginti exulasset, in summa inopia diem obijt, vix panno verenda contectus. Et Valerius Bruti collega adeo pauper mortuus est, vt publico sumptu sepeliretur. Ammianus quoque Marcellinus scribit, Persei Regis legitimum filium post aduersæ fortunæ calamitatem, artem ferrariam ob quærendum victum exercuisse. Hæ cogitationes sæpenumero in mentem cadere debent eorum, qui societatem humanā optimè cōstituere volunt. Et Crantoris illa diuisio in ciuitate ritè constituenda

Callimachi dictum.

Sappho Lesbia.

Plautus Gell. lib. 3. cap. 3.

Cassius Seuerus.

Val. Publicola. Val. Max.

tuenda commodissima est. Nam instituendi erunt ciues, vt virtuti incumbant, bonæ valetudini studeant, honestam voluptatem non formident, diuitias ad vsum vitæ suæ, & eorum quos diligunt, patriæque commoditatem parare velint. Vita igitur ciuilis taliter instituenda erit, vt sine metu, sine violentia aut iniuria degere possimus, & ad fœlicitatem omnia dirigere: quod quidem vt assequamur, considerandum erit ciuitatem omnem duplici hominum genere cōstare. Eorum in primis qui publicam personam gerant, quiq; Reipub. rationem habentes, obliti commodorum suorum, alijs omnibus legitimè imperent, ipsi autem solis legibus obtemperent. Cæteri omnes priuati ciues sint æquali inter se iure viuentes, qui superiores illos, qui magistratum gerunt, non conciues suos tunc esse arbitrentur, sed Principes, aut Reges, vel potius numen geniumq; Reip. Illis studeant parere, imperioque adeò obtemperare, vt piaculum admisisse videãtur, si eorum dictis minimè auscultauerint. Qui magistratum suscipiunt, se maiestatem Reipublicæ gerere sciant, obliuiscanturq; tantisper se priuatos esse, dum publico munere funguntur. Maiestas Reipub. est in qua continentur dignitas & amplitudo ciuitatis, eiusque nomen à magnitudine dicitur, sic & magister, quòd maiore in statione sit, à quo magistratus, deducitur, vt Varro asserit. Leges ante oculos semper habeant, quibus omni ex parte parendum esse sciant. Nam, sicuti magistratibus leges, sic populo magistratus imperare debent. Verum namque est illud Ciceronis adagium, Magistratum *legem esse loquentem, legem autem mutum magistratum*. Nihil metu aut vi agẽdum sibi persuadeãt, quorum alterum ignauiæ, alterum temeritatis est. Benè imperandi rationem teneant, quam quidem facile dignoscere poterunt, si eam primò benè parendo didicerint. Fit enim hoc in optima Republ. vt qui modestè obsequitur, dignus esse videatur, vt aliquando imperet. Expedit siquidem eum qui paret, sperare se imperaturum: eum autem qui cum imperio est cogitare non diu post futurum vt obsequatur. Virtutes

Crantoris quadriuium.

Maiestas.
Magister.
Magistratus.
Leges magistratibus, populo magistratus imperare debent.
Cic. lib. de legibus. 1.

in primis duces habeant, quæ imperant, sine quibus nihil rectè agitur: quarum præcipua iustitia est, quæ quidem humanæ societatis fundamenta iacit, & pietatem in se continet, quam quidem scientiam colendi Dei esse Sextus Empiricus docet. Hanc Græci θεοσέβειαν appellant. Hæc cultum diuinum, mysteria, & cerimonias in primis respicit, quibus nihil ritè, nihil sanctè in Repub. geri potest. Sed quia de religione in posterum latius scribendum censui, non ero longior in hac parte. Secundum pietatis officium est, quo erga patriam deuincimur, quam quidem secundum immortalem Deum colere atque obseruare debemus. Tertium est quo ingenti studio tenemur, non modo in parentes, liberos, conciues, aliosque qui necessitudine nobis coniuncti sunt, verùm in omnes quoque conciues nostros, quos mirifica beneuolentia complecti debemus. Iustitiæ deinde munus erit, neminem lædere iniuriáve afficere, ius suum cuique tribuere, benemeritos gratia, laude, muneribusque afficere, malè autem meritos damnis, ignominia, pœnis, morte multare. Eius officium est peregregium, fidem seruare: quæ non modò ciuibus nostris, & peregrinis, omnibusque qui nobiscum aliquo vitæ commercio tenentur, verum etiam hostibus seruanda est, & his qui contra nos arma ferunt. Nihil enim turpius esse potest his qui Reipublicæ præsunt, quàm fidem fallere, quæ quidem ignominia nulla vnquam obliuione deletur, vt de Carthaginensibus legimus, quos fœdifragos Ennius appellauit, à frangendis fœderibus: quæ quidem res causa vel in primis extitit vt vrbs illa euerteretur, q̃ de imperio totius orbis terrarum cũ Rom. populo omnium gentium victore, tot annis certauerat.

Iustitia prima virtutũ. *Pietatis officia.* *Iustitiæ munus.* *Fidẽ fallere, turpissimum magistratui.* *Carthaginenses.*

Est enim fides dictorum conuentorumque constantia, dicta (vt Cicero ait.) quòd fiant quæ promittantur. Iustitiam igitur colant qui Reipub. præsunt, à qua nulla gratia nullus metus, nulla spes, nulláeque pollicitationes eos amoliri debent. Secunda virtus quæ commendat eos qui magistratum gerũnt, fortitudo est: quam quidem solam virtutis nomine appellari

Fides lib. 1. officiorum.

pellari à doctissima vetustate cernimus, ea adeo virum decet, vt Ciceronis sententia à viro virtus appellata sit, quia viri propria est fortitudo, sic & Græci τὴν ἀνδρείαν dici voluerunt. Hæc virtus præcipuè cernitur in periculis laboribusque subeundis, quæ quidem stabile firmumque indicium seruat in his rebus quæ formidolosæ esse videtur. Hanc Chrysippus scientiam esse voluit perferendarum rerum humanarum, vel affectionem animi in patiendo perferendoque summæ legis imperio sine timore. Zeno autem magnitudinem animi appellat, eamq; dicit esse sententiam, quæ animi habitum faciat celsiorem omnibus quæ contingere possint, æqualiter perferendis. Hæc fidissima comes iustitiæ est, sine qua manca omnino ac debilis esset. Tertia est prudentia, quæ in delectu bonorum malorumque versatur, & aliarum virtutum dux est: adeo vt Apollophanes Philosophus non vulgaris hanc vnam diceret virtutem esse, cui reliquæ omnes famulantur. Modestia deinde ac temperantia plurimū adiuuat, quæ quamuis cernitur in contemnendis prætermittendisq; voluptatibus, tamen in singulis actionibus adeo elucet, vt earum moderatrix atq; auriga esse videatur. Hæc est illa quæ tam diuturna laude extulit sentētiam illā Solonis quę pręcipit: *Ne quid nimis agatur.* Ad temperantiā percipiendā pueri apud Persas magno studio docebantur: quam vt diligentius obseruarent, per diem actionibus puerorum seniores quosdā probatissimos adesse iubebāt, vt veriti eorū aspectū, modestia temperantiaque omnibus in rebus regerētur. Huic coniuncta sit constantia, quæ dictorū gerendorumq; fidissima custos habetur: ea efficit, vt secreta Reipublicæ tacito silentio asseruentur, quo nihil præstantius esse potest, qua etiam virtute præcipuè laudantur Persæ, qui omnia arcana incredibili fide custodiunt, non metus, non spes, aut vlla pollicitatio vocem elicere potest, qua eorum occulta prodantur. Vetus namque eorum disciplina est, qua quidem iubetur silentium vitæ periculo custodiri, nec magnum quippiā ab eo geri posse opinantur, q

Laertius in eorum vitis.

Prudentia.

Cic. lib. II. de invent.

Modestia.

Temperantia.

Ne quid nimis.

Persarum mos in erudiendis pueris.

Lips. Politic. *Gellius.* linguam suam coërcere nequeat: quod membrum natura omnium facillimum esse voluit, vt ostenderet taciturnitatem non omnino difficilem esse virtutem. Caueat qui magistratum gerit, ne quid vnquam ingratitudinis cõmittere videatur, nihil enim est quod obsit magis Principibus, quàm cùm intelligunt populi eos in gratia referenda negligentes esse. *Ingratitudo.* Hoc crimen ingratitudinis, cùm acerbissimi in plectendis sontibus Persæ sint, omnium grauissimè vlciscebantur. *Ingratos Persæ puniebant.* Dignoscebant namque Deum in primis, patriam, parentes, amicosq; ab ingratis negligi, & impudentiam quandam comparari, quæ ad omnia probra hominem promptissimum efficit. *Magistratibus tria sunt necessaria.* Aristoteles tria necessaria esse vult illis qui magistratum suscipiunt: *In primis vt iustitiam, reliquásque virtutes teneant, ad omnia gerenda quæ Reipub. vsui esse possint. Deinde vt eundem ciuitatis statum diligant, contentiq; eo, nihil moliantur, nihilq; cogitent quod alienum nouũq; sit, sed eam viam ire pergant, quam maiores instituerunt, quæq; aliorum vestigijs attrita sit.* Nouarum enim rerum studium sæpius Remp. labefactare solet, quàm eam aliqua ex parte meliorem reddere. *Tertium præcipit, vt potestatem à populo habeant maximam ad ea exequenda, quæ eorum munera constituere possunt: qua quidem res efficit, vt ipsi maiore animo imperent, & diligentius obsequantur illi quibus imperatum est.* *Cambyses.* Cambyses Persarum Rex Cyri superioris pater dicere solebat, *patrias leges duabus in rebus præcipuè versari, vt principes imperare scirent, priuati autem parere:* quod tum maximè erit, cùm virtus reget eos qui imperant: & qui obsequuntur, intelligent honori laudiq; sibi esse quòd obtemperant: quiq; imperia detractarint, ignominia ac pœna afficiuntur. *Manlius Torquatus filium suum obtruncari iussit.* Manlius ille Torquatus, qui victorem filium, qui iniussu suo dimicauerat, securi percuti iussit: longè pluris faciens contemptu imperij exemplum, quàm præclaram de prouocante hoste victoriam. Et quanquam id imperium durissimum habitum est, adeò vt duriora quæque imperata, *Manliana imperia.* Manliana imperia dicerentur, tamen & probatum à Senatu populoque Romano fuit, & posteris seculis inter exempla egregia numeratum. Pleraque alia præ-

præscribenda essent his qui cum imperio sunt, quæ quidem dicere supersedeo, tum quòd memini me, cùm essem adolescens, de gerendo magistratu scripsisse, tum quod in hoc volumine locis suis plurima erunt quæ huic rei satis esse poterunt. Idcirco ad ordinem magistratuum descendam.

Distribuendam ciuitatem ad eligendos magistratus, & quòd tutius ciues quàm peregrini imperant.

TIT. II.

OPTIME magistratus eliguntur, cùm ciuitas distribuenda est, vt honore affici videatur vrbs vniuersa, & regio quæque vrbis siue vicinia patronum, aduocatũque habere videatur Exemplo igitur Romanorum optimè vtemur, qui tres vrbanas tribus constituerunt, quarum vna Ramnensium appellata est à Romulo vrbis conditore: Alia Tatiensium, à Tatio Sabinorum Rege: Alia autem Lucerum à Lucumonibus priscis Tusciæ Regibus, siue à Lucertino quodam, siue à luco, quem lucum Asylum Romulus vocauerat. Per has census describebatur priuatorum, quæ tributa à tribubus appellata sunt. Per has etiam exercitus imperabatur, vnde militum tribuni dicti, quòd ex singulis tribubus legionem ducerent. Hinc & tribuni tres vrbani, quorum singuli tribum tuebantur. Eligere namque magistratus passim ex omni populo, quanuis videatur optionem (propter maiorem numerum) meliorem habere, tamen odiosum est, & periculi non omnino expers. Fieri enim potest, vt ex paruo vrbis vico numerus aliquando magistratuum impleretur, & reliqua deinde vrbs dignitate defraudata, munereq; destituta esse videatur. Sunt præterea qui magistratum gerunt, quasi custodes, exploratoresque totius vrbis, multa audiunt, multa cernunt, quæ Reipu. vtilia esse possunt: proinde præstat, eos per diuersa vrbis loca sparsos esse, quàm

Tribus Romanæ tres.
Tributa.
Tribuni militum.
Tribuni vrbani.

paruo spacio coerceri, quò plures audiant, & ex diuersis etiam regionibus, pluribusque adsint, non enim omnes audent magistratus adire, liberiusq; singuli singulos alloquuntur, freti amicitia, cõsuetudine, affinitate, vel vicinitate, quæ proximum affinitatis locum habere videtur. Hoc exemplo complures ciuitates diuisæ sunt etiam temporibus nostris, vt patria nostra Senensis, quæ complures Romanos mores adhuc seruat, & per tribus diuisa magistratus suos eodem ordine sortitur. Quæri solet à nonnullis, an omnes magistratus inter ciues describendi sint, an aliqui peregrinis tradendi? Placet quibusdam magistratus omnes qui iuri dicundo præsunt, quique vltionem aliquam in sontes exerceant, peregrinos esse, dicunt namque simultates, inimicitias, atque odia inter ciues oriri, cùm ciuis in conciuem suum animaduertit. Alia autem ex parte longè faciliores esse, & ad gratiam clementiamque proniores conciues inter se, quàm si res à peregrinis agatur: qua quidem ratione adducti plerique Italiæ populi eiusmodi magistratus aliunde accersire consueuerũt. Ego autem rem non multis absoluendam esse censeo, si optime constituta Respub. est, & legibus moribusque omnes probè auscultent. Longè melius ciues imperabunt, quàm peregini: quod quidem non solùm ex Romanis, Carthaginensibus, Atheniensibus, Lacedæmonijs, alijsque compluribus cerni licet, qui magistratus omnes suis ciuibus tradunt: verùm ex inclyta quoque Venetorum Republica, in qua peregrinis nullus est locus, & tamen nec iustitia nec seueritas deest, & ex eiusmodi iudicijs nullæ seditiones, nullæque inimicitiæ oriuntur. Atqui vnum de ea Republica dicere possimus, quod nusquam alibi me lectitasse aut vidisse memini, quod ordo ciuitatis, qui à primis conditoribus constitutus fuit, semper mansit, & nũquam mutatus est. Hi namque eam vrbem ædificauerunt, inter se suosque magistratus eam diuiserunt, quasi præmium laborum suorum: & hanc hæreditatem posteris reliquerunt, vt aduenam colonum peregrinumque ad magistratum admit-

Magistratus deferre an peregrinis liceat.

Ciues peregrinis præferendi.

Venetorum Respub.

admitterent nullum: & ita perpetuò obseruatum est iam penè annis mille, quocirca posteri illorum, qui vrbem ædificarunt, semper Reipub. præfuerunt, & Senatores Patricij ac nobiles appellati sunt, reliqui autem omnes plebei, plurimùm tamen valet consuetudo, à qua difficile est recedere: sed si initio constituatur, tutius ciues quàm peregrini imperabunt vt diximus.

Senatores quid obseruare debeant in eligendis magistratibus, de ambitu comprimendo. TIT. III.

PRIMA Reipub. cura senatoribus incumbit, qui authoritatem belli pacisque habere debent, ad quos etiam ab alijs magistratibus, prouocatio erit. Hi ex Lycurgi sententia custodes emendatoresq; legum sint, & nouas per doctos aliquos ex senatorio ordine legũ latores (si quando opus fuerit) constituant, difficile enim factu est, omnia legibus scriptis complecti, noua etiam plerumque occurrunt, propter hominum malitiam, quæ noua sanctione indigent, & omnia quotidie in deterius ruunt, quæ legibus animaduertenda sunt. Solon qui legem nullam statuit in patricidam, interrogatus cur id omisisset? respondit, *nusquam cogitasse tam tetrum scelus ac facinus per homi[illegible] comitti posse.* Omnis Reipub. ordo, & omne consilium dubijs aduersisque rebus à senatoribus manare debet. Hi Patres appellantur, quòd veluti parentes liberis, sic Senatores vniuersis ciuibus consulere debent. Coëant in vnum quasi corpus, quod pluribus oculis cernat, pluribusq; manib. operetur, pluribus etiam nitatur pedibus: quæ quidem res efficit vt longè melius Resp. gubernetur, quã vnius vel Principis status. Ille enim solus quæcunq; potest circumspicit, non tamen potest omnia consilio & ratione metiri. Nemo enim mortalium omnia scire

Senatores.

Solon in parricidas cur legem non tulit.

Festus, Salust. Liuius.

profitetur. Et ille sapientissimus habetur, qui pauciora ignorat. Coacti autem complures docti graues, & sapientes viri omnia præuident: nihil eis obscurum, nihil inopinatum, nihil nouum, nihil inauditum, nihilq; magnum videri potest. Optimè igitur Romani, patres à cura, Senatores ab ætate & grauitate appellauerunt. Sic etiam Græci eadem interpretatione Senatum γερουσίαν vocant. Romulus ab initio vrbis centum patres constituit. Brutus autem exactis Regibus cùm populus iam longè frequentior esset, numerum auxit & quos Senatores addidit, patres conscriptos nuncupauit. Horum omnium posteri Patricij deinde appellati sunt. Quorum ordo præcipuus semper fuit, nec immeritò, nulla enim nobilitas illustrior esse potest, quàm eorum quorum maiores præclarum aliquod facinus pro Rep. gesserunt, deque ea optimè meriti extiterunt. Posteris verò temporibus deficiente Senatu, qui addebantur, minoris nobilitatis habebantur: & neque ipsi neque eorum posteri Patricij dicti sunt, nisi Principum indulgentia, vt præclarè docet Cornelius Tacitus his verbis: *Iisdem diebus in numerum Patriciorum adsciuit Claudius Cæsar vetustissimum quemque ex Senatu, aut quibus clari parentes fuerant, paucis iam reliquis familiarum, quas Romulus maiorum, & Lucius Brutus minorum gentium appellarût, exhaustis etiam quas Dictator Cæsar lege Cassia, & Princeps Augustus lege Senia sublegêre.* Studium rationis, & mox rationem, etsi ciues cuiuscunq; ordinis tenere deberent, tamen Senatores in primis, qui instar totius populi habendi sunt. Vbi enim delinquunt, longè magis exemplo quàm culpa peccare videntur. Minores namque omnes eorum vestigia sequuntur, vixq; se errare putant, cùm eiusdem criminis reum aliquem Senatorem ostendunt. Proinde videant ne vani aut mendaces sint, néve lucri causa peccent. Discedant non modo ab omni turpi quæstu, sed ab omni lucro, in quo suspicio aliqua turpitudinis esse possit. Prædiorum verò fructibus vt se familiamque suam honestè alant, expedit, exemplo Romanorum, qui nauigandi vsum mercaturæ gratia senatoribus ademe-

Teste Festo.

Patres conscripti.

Patricij.

Vide Liuium, & Theodorũ Zuingerum Volum. 18.

In libris Annalium.

Magistratuũ grauius est peccatũ quàm plebeiorum.

ademerunt: adeoq; Appius Claudius Tri. pleb. adiuuante Caio Flaminio legem tulit, ne quis senator, quive senatorum pater fuisset, maritimam nauem, quæ plusquam trecentarum amphorarum esset, haberet. Id satis habitum est ad fructus ex agris vectandos. Quæstus enim omnis Patribus indecorus esse videbatur. Carthaginenses quoque, cùm imperia dura essent, & præcipuè cùm omnia ipsi & agerent, & iudicarent, centum senatores delegerunt, qui ab reuersis è bello ducibus rationem rerum gestarũ reposcerent, vt hoc metu perciti, ita in bello se gererent, vt domi iudicia legesque formidarent. Maiores magistratus primum locum in Senatu tenere debẽt, & eum præcipuè, qui dignitatem ac maiestatẽ Reip. præ se ferat. Eorum nutu vocandus est Senatus, & ea referenda sunt, quæ opportuna esse videbũtur, & facta potestate loquendi, ea consulere Senatores debent quæ à Rep. sint, omnibus priuatis cõmodis reiectis, quorum animi in cõsulendo liberi esse debẽt, nullo odio, nulla simultate, aut inuidia teneri. Ambigunt qui de ciuili societate scripserunt, liceat ne singulis sententiam dicere, aut soli rogati suggestũ conscendant. Accidit sæpenumero, vt qui magistratum gerunt, cùm aliquid extorquere volunt, illos sententiam rogent qui vel cum eis sentiãt, vel metu perciti, aut spe allecti imperata loquantur. Tunc si alijs non liceret dicta refellere, & veritatem rationibus argumentisq; eruere, malè consultum esset ciuitati. Alia autem ex parte, si liberè omnes sententiã dicere possunt, vincit plerumq; temeritas plurimorum, surgũtque petulantiores: & falsa pro veris afferunt, increpant, oblatrant, ruunt, adeo vt modestis grauibusque ciuibus silentiũ indicere videantur, quo fit vt ea nõnunquã decernantur, quæ Reip. minus salutaria sunt. Quocirca temperamento quodam vtendum censeo. Dicant igitur in primis sententiam rogati, curentque magistratus diligenter eos rogare, qui ætate, dignitate, doctrina, rerumq; experientia, plurimum præstãt. Potestatem deinde alijs senatoribus faciant loquẽdi de his rebus, quę in consultationem venerint, quibus

Apij Claudij lex in Senatorum luxum.

Carthaginenses.

numerum præscribere fortasse non esset inutile. Eo igitur pacto & rogati sententiam dicent, & alij liberè consulere poterunt: & sic nec magistratus Senatum fallere, nec petulantes sua temeritate grauioribus viris silentium indicere poterunt. In Senatu magistratus omnes designari potius, quàm comitia totius populi agere, longè præstantius esse arbitror. Ambitio namque illa, & popularis impressio quàm turpis sit, quamq; indigna libero homine nemini obscurum esse debet, faciliusque longè esse arbitror ambitiosos in Senatu apud homines graues comprimere, quàm in comitijs, in quibus cum vniuerso populo agitur: & ille se neglectui contemptuique haberi putat, quem candidatus non impresserit, & blandioribus verbis allocutus fuerit: & vnius nonnunquam leuissimi hominis oblatratio suffragia plurimorum euertere potest: quo quidem fit, vt excellentes nonnunquam repellantur, designenturq; leuiores. P. Scipio Nasica, cui cognomentum viro optimo à Senatu traditum est, qui tot præclara facinora pro Republica gessit, cum ædilitatem candidatus peteret, durioremque manum cuiusdam rusticani hominis apprehenderet, per iocum rogauit, *pedibus ne an manibus ambularet*? Quæ res adeò molesta rustico illi extitit, compluribusque circunstantibus, vt ad populum manaret, causaque repulsæ viro excellentissimo fuit, cùm se rustici omnes ludibrio habitos esse arbitrarentur. Repulsam AEmylius Paulus aliquotiens tulit, cùm minus ambitiosus esset. Quid quod sæpenumero imperitissima illa multitudo peiores eligit, præstantiores autem repellit? quæ quidem res non mediocrem plagam Romanæ Reipub. intulit. Varro homo leuissimus ex abiectissima plebe consul designatus fuit contra Hannibalem, repulso Fabio Maximo, alijsque Imperatoribus excellentissimis: quæ quidem res labem ingentem, & penè vltimum exitium Romano populo attulit. De quo Silius Italicus ita ait Punicorū viij.

Impressio quid sit vide doct. in li. penul. C. quod me, ca.

Val. Max. li. 7. Cap. 5. Cic. pro Plancio.

Paulus AEmilius.

Subnixus rapto plebei muneris ostro
Sæuitiam rostris Varro, ingentiq; ruinæ

Festinans

Festinans aperire locum fata admouet vrbi,
Atque illi sine luce genus, surdumque parentum
Nomen, & immodice vibrabat in ore canoro
Lingua procax, hinc actus opes, largusq; rapina,
Intima dum vulgi souet, oblatrat que Senatum,
Tantum in quassata bellis caput extulit vrbe,
Momentum, vt rerum & fati foret arbiter vnus,
Quo conseruari Latium victore puderet.
Hunc Fabios inter, sacrataque nomina Marti
Scipiadas, interq; Ioui spolia alta ferentem
Marcellum, facti labem suffragia caca
Addiderant, Cannasque malum exitiale fouebat.
Ambitus, & Graio funestior æquore campus.

Ambitionem in tanta hominum colluuione comprimere difficillimum est, nam potentiores opulentioresq; viri conuiuijs, muneribus, ludis, pecunijsq; populo adblandiuntur, & quòd palàm nequeunt, clanculum aut per internuncios agunt. Lex Calphurnia apud Romanos de ambitu fuit, & deinde Iulia cum illa obliterata consenuisset. Nec tamen potuerunt ambitionem tollere: quo ad Principes magistratuum electio deuenit. Per sortem magistratus ducere nonnulli consueuere, vt in Florentina Senensique Rep. fieri assolet, quæ quidem res ambitionem aliquandiu tollit, minúsque intentos ciues ambiendis honoribus efficit, sed hæc res periculi incommodique in se plurimum habet. Complentur namque vrnæ illæ compluribus nominibus & propter temporis diuturnitatem, multitudinemq; virorum, minus etiam digni conijciuntur. Et nonnunquam in rebus aduersis sorte ducitur aliquis vel senio confectus, vel qui Reip. neutiquam satis esse potest. Proinde libera senatus electio præstare videtur. Veneti sortem electioni miscent: quæ res longè præstantior omnino esse cernitur. Qui enim magistratum gerunt, cum senatus frequens in curiam deuenit, pileum quendam in tripode æreo loco celsiore poni iubent: in quo quidem pilæ paruæ admodum deargentatæ complures sunt, deauratæ autem nouem.

C. Calphurnius Piso pœnam pecuniariam induxit in lege quã tulit, de ambitu. Proiectis in Vrnam nominibus magistratus designabantur.

Venetorum mos eligendi magistratum.

Consurgit

Consurgit Senatus longo ordine, & quisq; alijs spectantibus manum in pileum inserit, pilamque ducit, ea si argentea est, ad locum suum qui ducit redit: sin aurea, subsellium ad id paratum conscendit: reliquos expectat, qui postremò nouem tantum sunt: quos nemo alloquitur, nemoq; annuit, tabellam tesserámve porrigere potest. Hi pro magistratu deligēdo nomina Senatui dicunt: & super illis suffragijs agitur quàmprimum, ne quid per ambitum agatur. His & similibus cautelis grauissimus ille Senatus ambitiosos fallit, adeo vt digniores semper decernātur, cum magna etiam ciuium concordia. Hæc de Senatu satis, nunc de singulis muneribus referamus,

De diuinis magistratibus, & nihil in Repub. agendum, nisi propitiato Deo, & de Pontifice, & eius nomine.

TIT. IV.

Magistratuum diuisio.

MAgistratuum alij diuini, alij humani habēdi sunt. Diuini sacros cultus, cerimoniasque, mysteria, sacrificiaq; curare debēt, populumq; ad veræ religionis cultū omni vana superstitione sublata instruere. Parum admodū leges & instituta proficerent, nisi sacris adiuta præceptis, Deo Optimo Maximo authore niterētur. Nam si prisci illi qui Deum minime cognouerunt, sed superstitionibus vanaq; religione ducebantur, nihil agebant quod ad Rempu. pertineret, iniussu Pontificum? quid nos Christiani, qui soli veram religionem colimus, quiq; Christum Dei filium authorem religionis habemus, efficere debemus? Certè omni studio omniq; diligentia curare, vt nihil agatur, nihilq; cogitetur, nisi propitiato Deo mysterijs, celebrationibusq;, per quas quidem vitam nanciscimur sempiternam. Sacræ igitur operationes antecedere debent humanas. Quocirca curabunt, & quidem diligenter Senatores, vt quæcunq; instituuntur in Senatu, Deo authore agantur, quo quidem propitiato Christianis

sacri-

ſacrificijs cerimonijsq́;, nihil in Repub. perperā agi poteſt, nihilq́; ſiniſtri aut aduerſi accidere. Adſit igitur, antequam de magnis rebus agatur, ciuitatis antiſtes, quem Romano ſermone Pontificem appellamus, cuius Scæuola inde nomen dictum eſſe voluit, quòd poſſet, facere, id eſt, rem diuinam perſoluere: verbum enim facere, apud veteres id ſignificat, vt ex illo Virgilij verſu cerni licet: *Antiſtites.* *Facere, pro ſacrificare.*

Cum faciam vitulo pro frugibus ipſe venito.

Varro tamē Pontificem à ponte faciendo dictum putat. Summæ namque religionis erat, pontem fluminibus facere: nec id mediocri niſu curabatur. Nam Sublicius magnis ceremonijs à Pontifice primùm factus eſt, & ſæpenumero reſtitutus. Græco verbo Pontificem epiſcopum appellamus, quaſi ſpeculatorem contemplatoremq́; rerum diuinarum. Principio rerum humanarum imperia apud Pontifices erant, Regesq́; ipſi ſacris initiati, diuinam humanamq́; curā gerebant: nec quempiam putabant benè imperare poſſe, qui diuinarum rerum expers eſſet, commerciumq́; cum Deo non haberet. Igitur aut ſacerdotes ipſi imperabant, aut Principes nihil eorum iniuſſu agebant. Romulus initio vrbis, templorum ſacrorumque antiſtitem, Regem appellauit, & quaſi ſocia poteſtate ſecum regnare voluit, & eum legum moriſq́; patrij cuſtodem eſſe. Nos ergo ab eiuſmodi exemplo diſcedamus nunquam, qui veram religionem colimus, ſed omni ſtudio ſacerdotū dictis auſcultemus. Nam diuino numine afflati, ſanctitatis immortalitatiſq́; præcepta nos edocent. Sed vbi de religione dicemus, latius hæc vberiusq́; tractabimus. *Vide Iſidorū lib. 7.* *Pontifex.* *Pōs ſublicius.* *Epiſcopus.* *Sacerdotum nutu omnia gerebantur.* *Romulus ſacerdotes Reges vocabat.*

Humani magiſtratus hi ſunt, qui perſonam publicam gerunt, ciuitatiq́ue præſunt, & iuridicundo: qui iura ciuitatis optimè callere debēt, exempla patrum maiorumq́; non ignorare, leges ac cōſuetudines noſcere. Iuſtitiam æquitatemq́; in omnibus obſeruare. Alij curas habent præcipuas, vt ædiles, ſacrarum priuatarumq́; ædium: cenſores autem moribus pręſunt, alijq́ue complures, quorum ſinguli ſuo munere funguntur. Hi humani magiſtratus diuerſis nominibus *Magiſtratus humani, officium.* *Aediles qui.* *Cenſores qui.*

cenſen-

censentur. Aliter enim Græci eos appellant, & inter eos aliter Athenienses, aliter Lacedæmonij, aliter Thebani aliæque ciuitates: Barbaræ etiam nationes sua nomina habent. Nos autem Romanorum nomina sequemur, tum propter authoritatem, vniuerso enim orbi terrarum imperarunt: tum propter dignitatem, ac grauitatem, qua omnibus gentibus ac nationibus præstant: tum etiam quia Latini sumus, & à verbis nostris minimè discedere debemus.

De summo magistratu quem consulatum Romani appellarunt, cui duo praeesse debent: vnus domi, alter militiæ.

TIT. V.

In pace prouidendum quæ ad bellũ necessaria.

DVo tempora consideranda sunt: vnum quidem pacis, alterum autem belli: & vt in bello pacis studia non omnino omittenda sunt, ita in pace ea prçuidenda, quæ in bello necessaria esse possunt. Prudentissima quidem ratio est ea in pace maturare, quæ belli timor properare cogeret. Vtriusque igitur rationem temporis tenere debent, qui summum magistratum gerunt, vt pacis studia munimentis etiam bellicis tueantur. Romani mortalium omnium excellentissimi, summo magistratui consules duos præficiebant, qui lictores, & trabeam, cæteraque Regum ornamenta habebant, quia exemplo regiæ potestatis creati fuerant. Horum vnus vrbanam, alter autem militarem curam gerebat. Parum enim esset ocio & tranquillitate intra mœnia frui, si in agris trepidaretur, & hostes à finibus non arcerentur: & alia ex parte tenere arma foris, & in Republica consilio indigere, nequaquem satis tutum esset. Cneus Pompeius frustra à se victoriam foris partam fuisse ait, nisi consul Cicero patriam consilio suo seruasset, in qua victor triumpharet. Hanc consuetudinem laudandam probandamque esse censeo, vt duo consules

sules designentur, qui magistratu annuo fungantur. Nam dignitates perpetuas esse in Republica periculosum esse arbitror. Earum siquidem diuturnitas plerumque hominum mores mutare solet, & nonnunquam tyrannidis occasionem præbet, vt de Iulio Cæsare dicere possimus, qui perpetuus Dictator Rempub. inuasit. Difficilius enim est in rebus prosperis, quàm in aduersis modestiam seruare. Consules, quòd benè Reipub. consulant appellantur: vt vnus quidem domi vrbanas curas gerat, pro omnibus vigilet, Senatum rebus dubijs cogat: ad quem prouocatio sit, si quid per vim aut perperam quis designarit: exequaturque magna diligentia hic, quod consulat Senatus. Nihil enim prodesset sapienter dicere, nisi quamprimum esset qui maturè ageret. Adsit alijs magistratibus, vt singuli munere suo omni diligentia fungantur: iustitiam, innocentiam integritatemque seruet. Longè enim magis exemplo quàm culpa peccat qui Reipub. præest. Alter autem, qui rei militaris curam habet, imprimis militiæ delectum eiusmodi habere debet, vt æqualitas in omni ciuitate seruetur. Singulæ namque tribus decem curijs descriptæ sunt, quæ ideo curiæ appellatæ sunt, quòd earum curam consul suscipere debeat. Curiam namque, curam ac diligentiam significasse apud veteres ex hoc constat, quòd è contrario incuriam negligentiam dicimus. Curare diligenter debet Consul in scribenda militia, vt in singulis quibusque curijs censendis, numeri & ætatis ratio habeatur: detrectant enim imperia milites, quibus iniustè militia imperatur, quique vltra vires suas compelluntur: & pessimè admodum cum eo exercitu agitur, qui iniustam militiam sibi imperatam putat. Cum itaque iam is militiam scripsit, non in hybernaculis ac sub tecto exercitum senescere permittat, sed pernoctet sub dio, etiamsi pax esset. Et his omnibus exercitationibus iuuenes agitet, de quibus superius dictum est, vbi de Gymnastica scripsimus. Meminerit que exercitum ab exercitatione dici, militiam à duritate, expeditionem autem quòd expediat. Promptique omnes ad omnia pericula obeunda esse debeãt.

Iulius Cæsar perpetuus dictator.

Consul quare dictus. Attius: Qui benè consulet, Consul fuat.

Magistratuũ grauius est peccatum quã plebeiorum.

Curia.

Discatq;

Discatq; non pluris milites quàm eorum Imperatorem faciundos esse. Quocirca veram esse sententiam Homeri omnes asserunt, *tutiorem ceruorum exercitum esse duce leone, quam leonum duce ceruo.* Demades ille qui extemporanea oratione Athenienses omnes Oratores superauit, eiusdem sententiæ adstipulator esse videtur. Nam cùm audiuisset magnum Alexādrum diem obijsse, ait, *videre Macedonum exercitum duce fraudatum: & quoniam tali duce esset orbatus, excæcato Cyclopi simillimum.* Et Epaminūdas Thebanorum Imperator cùm se cerneret lætali vulnere transfixum, rogauit euasissétne Daiphantes aut Hyolidas? cumq; respondissent qui aderant, illos in prælio cecidisse, iussit vt pacem cum Lacedæmonijs inirent, quando omnino Imperatore carerent, si probè ciues suos noscerent. Vera enim exercitus laus ab Imperatore incipere debet. Sed quoniam mihi cordi est in posteris de bello latius scribere, his paucis præceptis contentus ero, dūmodo omnes intelligāt, optimè Rempublicam geri, quæ duos habet consules, vnum qui rebus vrbanis, alterum qui rebus bellicis diligenter incumbat.

Demades, de quo Plutarch. in Demosthene.

De magistratibus qui iuridicundo praeesse debent, & de litibus, de vadimonij iustitijq; temporibus, de causis defendendis. Tit. VI.

Iuris dicundi ratio imprimis habenda est in optima Republica, quę quidem efficit, ut in ciuitate sine vi, atq; iniuria viuatur. Impossibile namque factu est, vt sine litibus multitudo esse possit, & præcipue in ea ciuitate, in qua omnia sunt communia, vt in hac nostra, in qua satis esse dicimus habere vnumquemque quod suum sit. Aristotelis sententia hac in re longè magis vsui nostro confert, quàm Platonis, vt sua quisque dignoscat. Videmus namque agros communes inter plures incultos esse, & sentibus horrere, priuatos autem longè cultiores nitidioresq;: verè est

Multitudo sine litibus esse non potest.

est illa sententia, qua passim dicitur: *Negligi quæ à pluribus possidentur*: Priuata patrimonia sunt quæ homines diligentes reddunt, sed illis modus adhibendus est, ne locupletes omnia possideant; tenuiores autem extrudantur, odiosum namq; est cùm dicitur illud Persij: *Priuata publicis cultiora.*

Diues erat Curibus quantum non miluus oberret. *Pers. saty. 4.*

Præscribenda est iugerum mensura à legum latoribus, habendaque ratio non modo multitudinis ciuium, verum etiam magnitudinis agri. Cùm igitur quisque præfinitum agrum suum colit, fit nonnunquam per negligentiam, malitiámve cultorum; siue per obliuionem, vt termini euellantur, & tunc lis erit de finibus; quod quidem litis nomen manifestat. *Lis vnde.* Ait enim Varro principio litem nomen accepisse à contentione limitis. Quod etiam Virgilius videtur asserere, cùm ait: *Virg. lib. 12.*

Limes agro positus, litem vt discerneret aruis.

Duobus enim limitibus agri præfiniebantur apud Romanos: vno quidem à plaga septentrionali qui à cardine cœli cardo vocabatur: altero verò ab oriente in occidentem per trāsuersum, qui decumanus appellabatur. Ager namq; his diuisus figuram denarij numeri facit. Erit etiam lis nonnunquam de aqua pluuia arcenda; vel de alijs rebus quæ quotidie in agris accidunt; siue etiam in vrbibus cùm disceptatur de parietibus; de stillicidijs; de tigno iniuncto. Accidit etiam inter mercatores vt lites oriantur, & præcipuè cùm vani & mendaces complures inueniuntur, & cum quibus non sit micandum in tenebris, sed agendum adstipulatore ac testibus præsentibus. Eiusmodi igitur iurgijs, quæ facilè inimicitias parere possunt, finis quamprimum præscribendus est, vt ciues ad concordiam redigantur: quod tunc fit, cùm cuique redditur quod suum est, tum ad sua opera quisque redeat relicta lite. Vadimonia omni tempore constituenda sunt, ne multitudo litium iudices obruat. Festis autem diebus, & quibus nundinæ feriæve constitutæ sunt, iustitium fit, quod etiam indici solet aliquot diebus in gaudio luctuque

Agrorum limitatio. *Cardo limitis.*

Prætor vrbanus.

publico. Prætor apud Romanos, quòd præesset dicebatur: & vrbanus quidem appellatus est, qui inter vrbanos ius diceret: nam qui inter peregrinos ius dicebat, Prætor peregrinus vocabatur. Penes prætorem fuit publici priuatique iuris potestas: & quod prætor ediceret, ius honorarium appellabatur, ob eius honorem. Habebat prætor insignia consularia, lictores tamen non amplius sex, sellam etiam curulem & trabeam. Sic etiam in ciuitate nostra prætores iuri dicundo præsint, numero tres singuli ex singula quaque tribu. Hi viri integri & optimè de Rep. meriti sint. Legum morumque ciuitatis nulla ex parte ignari esse debent, sed planè ita ius publicum priuatumque callere, vt nihil eis obscurum, nihilque ambiguum sit. Terni præterea ex vnaquaque tribu viri sint. Horum collegium Prætoribus adesse debet propter multitudinem causarum: quorum arbitrio inter se diuisas omni cura ac diligentia singuli scrutari debent. Et postquam optime didicerint, ad collegium referant, ac deinde ad prætores, vt super his iudicium dicatur. Et hoc pacto nec nouem viri prætores decipere, nec prætores eos ad iniuriam compellere poterunt. Ab eorum iudicio prouocationem necessariam esse arbitror, tum vt diligentius iudicent, tum vt si quid dolo aut iniuria per eos perperam actum sit, reformetur, dirigaturque ad iustitiam. Tres igitur alij prætores constituendi sunt, ad quos sola prouocatio spectet, & nouem viros etiam habeat more superiorum, ne quid per vim aut iniuriam agatur. Orent causas patroni viri optimi, dicendique periti, qui nihil astutè, nihilque per dolum malum agant, sed omnia verè loquantur, sitque illis mēdacium non impunitum. Nihil enim in Repub. tam incorruptum esse debet, quàm iudicium, quod quidem sæpius lingua quàm pecunia corrumpitur. Vnde eleganter se non intelligere Cicero ait: cur qui sententiam pecunia corrumpit, pœna dignus sit, qui verò eloquentia, laudem ferat. *Nihil quidem* (inquit) *hoc plus mali facere videtur qui oratione, quam qui precio iudicem corrumpit, quòd pecunia corrumpere prudentem*

Prætor peregrinus.
Ius honorarium.
Lictores prætori tantum sex.
Patroni quales esse debēt.
Iudex corruptus pecunia pœnam meretur, lingua verò laudem, lib. 4. de Rep.

tem nemo poteſt, dicendo autem poteſt. Quantò etiam odio digni ſunt cauſarum prænaricatores? quantoque in eos grauiter animaduertendum eſt? Vendunt enim iuſtitiæ patrocinium, & optimum inter mortales defendendi deſerunt officium, & nunc reum, nunc verò actorem emungunt. Et demum vtrumque decipiunt. Peccant etiam nonnulli, qui patrocinium defenſionis ſuſcipiunt, idque deinde tam lentè agunt, vt paruo diſcrimine à præuaricatoribus abſint. Vera eſt enim illa Ciceronis ſententia, non defendi homines ſine vituperatione fortaſſe poſſe, negligenter verò defendi ſine ſcelere neutiquam poſſe. Agant igitur cauſas Oratores & eas quidem officij gratia, vt benè de ciuibus mereantur, ſitque eorum præmium benè omnibus audire. Nec liceat eis, ſi fieri poteſt, pro cauſa orando precium donúmve accipere, vt lege Cuicia cauebatur. Turpe quidem, & inhumanum eſt linguam hominibus in dicenda cauſa quæſtui eſſe. Antipho Rhamnuſius (vt antiquitas prodidit) primus omnium ob defenſam cauſam mercedem accepit, cuius exemplum multis temporibus Græci ac Latini ſecuti ſunt. Longè pluris linguam quàm quæſtuoſam quàmuis mercaturā dictitabant. Sed Romani à quibus omnia exēpla ꝓbitatis atque virtutis ſumenda, lege Cuicia oratorum auaritiæ modum ſtatuerunt. Et ne iuuenes præmij ſpe ſublata negligentius cauſas orarent, Appij Claudij oratione (vt diximus) legem Cuiciam tēperari paſſi ſunt. Areopagitæ apud Atheniēſes iudicijs præerant, apud Lacedæmonios verò Seniores. Diodorus autem refert, AEgyptios, optimos ex clarioribus viros numero quidem triginta iudicijs præficere conſueſcere, quibus vnus præerat aurea bulla inſignitus, gemmis ac margaritis ornata, quæ inſigne nomenque veritatis haberet. His ſcripta accuſatorum tabula offerebatur, in qua damnum iniuriáve inerat, & eius æſtimatio. Reo tempus reſcribendi dabatur, rurſusque accuſatori, reoque inuicem reſpondēdi locus erat, quibus auditis ſignum in eam partem intendebant, pro qua iuris rationem

Aduocatorum præmiū.

Antipho Ramnuſius.

Areopagitæ.

AEgyptiorū iudicia.

Causidicorũ olim nullus vsus.

esse arbitrabantur, sententiamque ferebant. Rempu. quoque sine causidicis agitabant: existimantes ex altercatione actoris ac rei, vbi scriptis ageretur, veritatem facilius elici posse, vt neque ingenio, neque arte, astutia, audaciáve iudicia peruerterentur. His omnibus iudicibus victus à Rege præbebatur, qua ex re (vt ab Aegyptijs aliquid accepisse videamur) monemur cõducere magistratib. illis quos iuri dicũdo præficimus publica potius pecunia mercedem aliquam impatiri, quã priuata, ne iudicia fiant venalia. Quod quidem periculosum est in omni populo: & statum Reip. plerunque labefactare solet, siue iudicium corruptum fuerit, siue quid per dolum aut vim egerint, qui iuri dicundo prouocationíve præsunt. Consulum iudicium sit qui vel ad Senatum referant, vel ipsis læsis consulant, grauiterq; in eos qui deliquerit animaduertant. Hoc igitur pacto omnia iustè ac legitimè agentur, quisque sine iniuria quod suum erit possidebit, & æquo iure ciues cum pace ac tranquillitate degere poterunt.

Publica mercede impartiantur patroni.

De Censoribus & eorum duplici munere, quid sit mos, quid consuetudo, quid sit censere, qui sint capite censi, qui proletarij. TIT. VII.

PVDORIS modestiæque magistri in Republica necessarij adeo sunt, vt sine eis parum admodum alij magistratus prosint. Nihil enim vtilius esse potest, quàm benè moratum populum habere. Quocirca adhibendi sunt grauissimi viri, virtute etiam probatissimi singuli ex singula quaque tribu, qui mores ciuitatis emendent, ne ex illis pessima consuetudo subrepat, quę perniciem populo atque vniuersæ ciuitati parere possit. Morem duobus modis intelligebant antiqui, viro quidem cùm dicimus morem præcedere, consuetudinem autem sequi: de quo intelligit Virgilius, cùm ait:

Mos erat Hesperio in Latio quem protinus vrbes
Albanæ coluere sacrum, nunc maxima rerum
Roma colit.

Mos *Virgilius, lib. 7. AEneid.*

Ex quo perseuerantiam consuetudinis ostendit. Hunc *morem* Varro in libris quos de moribus scripsit, dixit, *in iudicio animi esse, quem sequi debeat consuetudo.* Altero autem modo dicimus (vt Iulius Festus refert) *institutum patrium pertinens ad religionem, ceremoniasq; maiorum.* Vtranq; expositionem in supra dictis versibus sequitur Maro, & idcirco addidit sacrum, vt non modo ostenderet morem consuetudinē antecedere, verum etiam ad ceremonias pertinere. Magna igitur diligentia habenda est, vt mores castigatissimi sint, cum ne mala cōsuetudo ciues inuadat, qua nihil deterius in vrbibus esse potest: tum etiā vt religio & cerimoniæ, quę à maioribus nostris optimè constitutę sunt, seruentur. Romani magistram moris, pudoris ac modestiæ censuram appellauerunt, magistratū autem eum qui gerebant censores, qui à cēsendo dicti sunt. Est enim censere (vt Labeo de verborum significatione scripsit) cōstituere & præcipere, vnde Senatum censuisse aliquid dicimus, vt censeo hoc facias, hoc est iubeo hoc facias. Quāti fuerit autem optimè hunc magistratum gerere, vel ex hoc iudicare possumus quòd sola hæc dignitas cognomentum Catoni Censorio dedit, quòd optimè admodum hoc munere functus sit, & qui quasi ex eo magistratu victoriā triumphumq; egerit, sicut Africanus subacta Africa, Numantinus à Numantia. Præterea cùm consules, prætores, quæstores, alijq; magistratus diuersis pœnis in ciues Romanos animaduerterēt, sola nota cēsoria perpetuo probro sontibus extitit, & veluti diuturno stigmate inusta. Hanc notam censoriam, vt Marcellus refert, Cicero ignominiā appellauit, quasi nominis notam, libro quarto de Repub. his verbis: *Censorium iudicium nihil damnato affert, nisi ruborem: itaque omnis ea iudicatio versatur tantummodo in nomine, animaduersioq; illa ignominia dicta.* Hæc infamiæ nota, longè pluris aliquando fuit apud Romanos, quam alia quæuis animaduersio, & in magistratus e-

Censura. Censere.

Cato Censorius cur appellatus.

tiam aliquando grassata est. Nam & Senatores Senatu eiecti sunt Censoria animaduersione, vt Lucium Antonium legimus: quia quam virginem duxerat, repudiasset, nullo amicorum in consilium adhibito: sic etiam Lucium Flaminium, qui ad spectaculum amatæ mulierculæ nonnullos sontes securi percuti iusserat. Caius autem Fabricius Censor Publium Cornelium virum Patricium Senatu mouit, quod decem pondo argenti facti pro conuiuio apposuisset. Sic etiam equites publico equi stipendio priuabantur, perpetuoque pedites merebant cùm dignum aliquid censoria nota admisissent. Atqui pingues admodum nimisque corpulenti milites, aut vnguento delibuti, ignominia notabantur, & ademptis equis exercitu dimittebantur. Plebs autem mulcta dicebatur à Censoribus, vt à Camillo, & Posthumio in illos qui ad senectutem cœlibes peruenerant, quòd contra ius naturale deliquissent. Natura enim sicut nascendi, sic etiam & gignendi legem mortalibus scribit. Indignum namque Censoribus videbatur, quòd ætatis annos quasi per inertiam consumpsissent, mariti patrisque munere vacui. Horum magistratus ingentem authoritatem habere debet, vt longè melius mores emendare, & ciues ad meliorem vitam redigere possit. Erit etiam Censoris numerum ciuium, capita, & eorum bona, pecuniasque censere. Nam Papirius, & Sempronius vt censum agerent, & Lustrum conderent, primi censores creati fuerunt. Quocirca alia expositione M. Varro Censorem inde dictum esse vult, *quod eius censione, id est, arbitrio, Roma. populus censeretur.* Censere etiam connumerare significat, & aliquando æstimare, vtrumque enim faciebant censores: & censum agebant singulo quoque quinquennio, quod & Lustrum vocabatur, & bona ciuium censebant, vt in difficultatem temporum tributa æquo iure imperarentur. Tributa verò dicuntur priuatorum pecuniæ, quæ per tribus singulas Tribunorum sanctione in publicum deferebantur. *Censius etiam pro diuite & pecunioso ponebatur*, vt Quintus

Lucius Antonius. *Lucius Flaminius.* *Caius Fabricius.* *Cœlibes nota Censoria digni.* *Papirius & Sempronius primi cẽsores.* *Liuius.* *Lustrũ, vnde?* *Tributa, quæ?* *Censius ciuis.*

Quintus Pedianus ait, quod ex lege Voconia cerni licet, qua quidem cauebatur, ne quis census filiam hæredem instituere posset. Et census ille dicebatur, qui centum millia in professionem detulisset. Ciuium verò facultates census etiam nuncupabantur, vnde & capite censi dicti sunt, quòd paruo aut nullo ære censebantur, quorum æstimatio pro capite Romani ciuis æris fuit trecenti. Viri etiam tenuissimi Proletarij appellati sunt, quòd non pecunia, sed sola prole Rempub. adiuuarent. Et quia res pecuniaque familiarium obsidis pignorumque locum apud Romanos tenebat, decretum est, vt neque capite censi neque proletarij in militiam scriberentur, quòd con tra esse factum in Iugurthino bello Crispus Salustius queritur: *Ipse interea milites scribere non more maiorum, nec ex classibus, sed vt libido cuiusque erat: vnde etiam capite censi descripti sunt*. Erit igitur hæc cura non pauca Censoribus. Censum agitent adeo, vt ne pluris minorisve ciues æstimentur, quàm quanti sunt. Et paruo æstimetur ars industriaque sine ære, & tenuissimi prole proficiant, qui pecunia aut capite Reipub. adesse nequeunt. Horum seueritas, & (vt ita dicam) supercilium ciuitatem moribus emendabit, & rem patrimoniaque singulorum plurimùm augebit. Legimus namque censorium esse in eum animaduertere, qui per desidiam luxuriámve patrimonium prodigeret, quíve auitum agrum malè coleret, pecúsve negligentius pasceret. Censoribus etiam negocium datum est contra fœneratores ne vsuris versurisq; populus exhauriretur.

Lex Voconia.
Capite censi.
Vide Gelliú.
Proletarij.

De iudicio capitali more Romano, de triumuiris capitalibus, & quæstoribus.

TIT. VIII.

IN iudicijs capitalib. instituẽdis magna cautio adhibẽda est, ciuilia namq; odia, & occultæ simultates ad vltionẽ tũc prorũt, cũ potestas sãguinis penes eũ, q im

Capitalia iudicia.
Vide Zuingerum Volum. 14. lib. 5

perare poteſt. Idcirco Romani cum conſtituiſſent conſules quibus ſummã Reipublicæ crederent, noluerunt tamen eos in caput Romani ciuis animaduertere poſſe: nec mediusfidius iniuria. Nihil enim Reip. magis exitiũ parat, quàm capitalis animaduerſio, & præcipuè in eos qui mediocriter cũ alijs egere, aut quorum facinora non adeò ad lucem peruenerunt, vt inficiari nullo pacto queant, ſintq; omnibus manifeſta: perpetuam namq; iniuriam facit, cùm ſuſpicio innocentiæ remanet in populo, eorum qui falſo aut temerario iudicio damnati eſſe dicuntur. Magnos enim habet fauores innocẽtia, & rumor populi pauorem incutit illis, qui damnauerunt. Efficit præterea conſcientiæ vis, vt nunquam ſecuri eſſe videantur, qui deliquerunt, ſed imminentem pœnam ſibi ante oculos conſtituant. Quam præclara eſt illa Iulij Cæſaris ſententia, quam crebris ſermonibus vſurpare ſolebat: *Miſeram comitem ſenectutis eſſe priſtinæ crudelitatis memoriam.* Ideoq; de vita & ſpiritu hominis (qui pars mundi eſt & animum rationis participem à Deo habet, numerumque viuentium complet) laturis ſententiam, diu multumque cunctari oportet, nec præcipiti ſtudio agitari: vbi factum omnino irreuocabile eſſe cernitur. Nulla gratia tanti facienda eſt, quæ iudicem ad innocentis ſupplicium impellat. Alexander Macedo Olympiadi matri plurimùm eum vrgenti, vt inſontem quendam occideret, poſcentique id per menſes nouem, quibus eum in vtero geſtauerat, humaniſſimè reſpondit: *Aliam, parens optima, de me quamuis mercedem poſce: hominis enim vita nullo beneficio compenſatur.* Sabacus præterea AEgyptiorum Rex, vir pietate ac religione inſignis (vt Diodorus Siculus refert) adeò ſanguinis animaduerſionem exhorruit, vt reos capite damnatos, catenis vinctos operas vulgo per ciuitates præſtare iuberet, ne interimerentur. Et cùm cæſis quibuſdam ſacerdotibus diutius imperare poſſet, regno ſe abdicauit, & in Aethiopiã priuatus redijt, erat enim genere AEthiops, maluitq; ſcelere vacare, quàm diuturno regno potiri. Vera quidem eſt

Iulij Cæſaris ſententia.

Alexander Macedo.

Sabacus Rex

est tragica illa sententia, & animo ac mente semper recensenda ab his qui imperant: *Sanguine humano abstine quicunque regnas.* Draco apud Athenienses seuerissimus fuit legum lator, & capitali animaduersione in plerisque criminibus vtebatur. Explosæ tamen eiectæque sunt eius leges, nullam aliam ob causam, nisi quòd humano sanguine scatere videbantur. Cecropis leges & deinde Solonis, quoniam mitiores extiterunt, nunquam repudiatæ sunt. Octo pœnarum genera apud Romanos fuerunt. Damnum, vincula, verbera, talio, ignominia, exilium, seruitus, mors. Raro tamen morte animaduertere consueuerũt Romani, præterquam in parricidas, reos maiestatis, homicidas & perduelliones, similesque facinorosos, quorum vitæ neutiquam parcendum esset. Sed pessima iam consuetudo inualuit, vt minimarum etiam rerum fures morte plectantur. Rerum igitur capitalium iudicium optimum statuo, quòd à Romanis obseruabatur: Erant namque tres quæsitores, qui & triumuiri capitales postea dicti sunt: hi in maleficia inquirebant, & quæstionum iudicia (vt Varro ait) exercebant, sed hi nec temerè nec inconsultò rem agebant, nec per calumniam, iram, vltionem, aut inuidiam in hominem liberum grassabantur. Nec quæstio haberi poterat alicuius, nisi accusator delatorve adesset, adhiberenturq; defensores, qui si propter inopiam orbitatemque sontis deerant, à prætoribus constituebantur, iniquum namque iudicabant indefensum reum nõ modo morte, sed minima quidem pœna multari. Quæsitores deinde iudices complures scribebant, quorum nomina in vrnã coniecta fortuita sortitione ducebantur. Dimissi ex vrna accusatori reoque dabantur, vt ex eorum numero quos gratia aut odio suspectos putarent, aliáve ratione incommodos reijcerent, alijque rursus mitterentur. Hi deinde iudicium ferebant, à quibus prouocatio erat ad alios, qui iterum ex vrna ducerentur. Hoc igitur pacto capitale supplicium instituebatur, ne temerè id eriperetur, quod nunquam à mortalibus reddi possit. Hanc consuetudinem rerum

Draconis leges explosæ, quia nimis rigidæ.

Solonis leges seruatæ, quia mitiores.

Octo pœnarũ genera.

Capitalium rerum iudicia apud Romanos.

Triumuiri capitales, & Quæsitores.

Iudicium capitale posita vrna instituebatur.

Virgilius Aenei. 6. vetustatum diligentissimus scrutator Virgilius refert his versibus:

> *Nec verò hæ sine sorte datæ, sine iudice sedes,*
> *Quæsitor Minos vrnam mouet, ille silentum*
> *Conciliumq; vocat, vitasq; & crimina discit.*

Minoëm iudicem apud inferos facit rerum capitalium, eumque quæsitorem appellat, quòd quæstionibus exercendis præsit, dat eidem sortitionem, vbi vrnam nominat, constituit iudicum electionem cùm dicit, conciliumque vocat: dat cognitionem cùm ait, vitasque & crimina discit. Non erit igitur discedendũ ab hac consuetudine, si benè consultum volumus huic ciuitati nostræ, in qua ciues ad iustitiam concordiamque redigere conamur: est enim desiderandum vt in ea nihil perperam agatur, nihilque per iniuriam aut vltionem, si talem Rempub. cõstituere volumus, in qua homines benè beateq; degere possint. *Quæsitor, cur ita dictus.*

De quæstoribus, de ærarij ratione, de viris monetalibus, de nummis.

Tit. IX.

Ærarij ratio magna habenda est in Republica. Sunt enim pecuniæ nerui ciuitatis, sine quibus vix contineri potest: hę namque res secundas ornant, aduersis autem perfugium adferunt. Quocirca constituendi sunt quæstores tres, qui quærendæ conseruandæ, exigendęque publicæ pecuniæ præsint. Originem quęstoribus creandis antiquissimam esse Vlpianus Iurecõsultus refert, & pene ante omnes magistratus: Quorum authorem alij Romulum, alij Numam fuisse volunt. Sed crebrior opinio apud veteres est, Tullum Hostilium primum induxisse quæstores. A genere quærendi Quæstores initio dictos, Iunius Trebatius, & Fenestella scripserunt. M. Varro opinari videtur quęstores à quęstionibus exercendis esse dictos, quòd nonnunquam maleficia conquirere quęstoribus traditum sit. Hi viri graues atque integri sint

Zuingerus li. 4. Volum. 18. Pecunia ciuitatis neruus. Quæstores. Origo Quæstorum creãd.

sint oportet, manusque à publica priuataque pecunia abstineant, ne ouis lupo commissa esse videatur. In exigendis pecunijs diligentes esse debent, non tamen improbi ac molesti, sed fortunæ personarumque rationem diligentissimè metiantur. Curent præterea, vt publicani quibus præsunt, nihil per vim aut calliditatem extorqueant. Est enim genus illud hominum odiosum, & nonnunquam plebem ad studium nouarum rerum propter improbitatem petulantiamque concitat. In tributis imperandis mitiores esse debent quæstores, raroque id agere, est namque molestum ciuibus, priuatam pecuniam in publicum conferre, nisi in magna temporum difficultate. Tunc boni ciues omnes vltrò pensitant: sed si parcere possunt priuatis pecunijs, longe tutius agũt, sin secus esset agendum, mitissimè omnes tractare debent, tum quò facilius exigant, tum vt secundum populi Romani morem hauriant. Laudat Plutarchus Darium Xerxis patrem, eumque dicit in periculis dubijsque rebus prudentiam longè alijs maiorem assecutum, is enim cùm tributa imperaret, prouinciarum præsides principesque accersiri iubebat, rogabatque, grauiane tributa irrogarentur, quibus respondentibus ea mediocriter se habere, dimidium vt soluerent censebat, & sapienter quidem: pluris enim populorum gratiam, quàm pecuniæ magnitudinem faciebat. Huius igitur clarissimi Regis exemplo si vtantur quæstores nostri, laudem, gratiamque populi facilè consequentur, tutiusque imperabunt, & Respub. magis diuturna erit, nam longè pluris facienda est ciuiũ gratia, quàm quæuis pecuniarum multitudo. Præclarè Alexander Magnus cùm aliquando rogaretur vbi nam thesauros haberet? respondisse fertur, *apud amicos tautò sibi seruari*, & rectè. Beneuolentia enim & sui & alieni æris domina est. Tiberius quoque Cæsar suadentibus præsidibus onerandas tributis prouincias, respondit. *Boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere.* Videant præterea ne quid publicæ pecuniæ interuertant, aut in rem suam conferant, ne peculatus crimen subeant.

Darius exigendis tributis mediocritatem prætulit.

Alexandri responsum.

Pecula-

Peculatores namque veteres eos appellarunt, qui pecuniæ publicæ furtum fecerint, in vsúmve suum conuerterint, quos proinde dictos Varro ait, quia eis pecorum multa indicebatur. Hi deinde lege Iulia grauius puniuntur, tenentur siquidem repetundarum, quod quidem crimen magnum apud Romanos fuit. Viri monetales quæstoris imperio parêre debent, ne adulterinos nummos cudant, neve materiam aliam immisceant, perniciosum namque est adulterinam pecuniam, aut minorem quàm quanti esset, signare. Eius ratio à quæstoribus diligentissimè exigenda est. Veteres (vt in omnibus fabulosi sunt) quò populum superstitione arcerēt, monetam deam esse dicebant, quæ pecuniæ curam haberet: grauiter vlciscentem in eos qui dolum malum in pecunia committerent. Monetā nonnulli arbitrati sunt dici, quòd moneat ne quid fraudi ære, signo ponderéve fiat. Pecuniæ verò nomen à pecore tractum Varro ait, quòd ex pecore constaret: opes namq; antiquorum in pecoribus præcipuè erant, hoc & Lucius Columella testatur, & Ouidius in libro Fastorum quinto refert, cùm dicit:

Lex Iulia repetundarum.

Monetales viri.

Pecunia vbi primùm signata.

Cætera luxuriæ nondum instrumenta vigebant,
Aut pecus, aut latam diues habebat humum.
Hinc etiam locuples, hinc ipsa pecunia dicta est:
Sed iam de vetito quisq; parabat opes.

Ephorum scripsisse Strabo ait, primo in Aegina insula à Philone signari cœptum fuisse argentum. Ianus verò in Italia primus omnium suasu Saturni quem hospicio accepit, pecuniam æream signauit, cuius nota ex altera parte fuit Ianus biceps, ex altera autem rostrum nauis, qua vectus Saturnus dicitur. Alij dicunt pecuniam Iani Saturnique rudem fuisse, & sine signo, sed posteros in eorum memoriam tali nota signasse. Eius rei author etiam Ouidius est, cùm ait:

Ouid. Fastis.

At bona posteritas puppem formauit in ære,
Hospitis aduentum testificata Dei.

Romanos rudi ære ad tempora vsque Seruij Tullij vsos fuisse Plinius refert, eumque Regem vult nota pecoris

pecoris æs signasse: vnde & pecuniam dictam esse opinatur. Sunt qui dicant pecuniam primam signasse Numam Pompiliũ, nomenq; Nummo à nomine suo dedisse. Ante victoriam Pyrrhi Regis populus Romanus argento signato nequaquam vsus fuisse dicitur. Aurũ autem impressit post victoriam Carthaginis, Corinthiq;. Sit igitur pecuniæ nota perpetua (si fieri potest) sic etiam & pondus. Non paruæ enim leuitatis esse videtur, notam pecuniámve mutare. Scribant diligenter quæstores singulorũ dierũ gesta, vt quid expensum acceptúmve sit, ex eorum calẽdario facilè ostendere possint, & Senatum consulesq; docere quantũ additum demptumq; rationibus sit. Hęret namq; perpetuo mentibus hominum, si qua suspicio cui remanet expilatę publicę pecuniæ: & repetundarum accusati innocentes nonnunquam dãnantur, si negligenter scripserint, perpetuæque calumniæ æmulis suis argumentum præbent. Furius Camillus, qui tot præclara facinora pro patria gessit, in exilium ab Apuleio tribuno plebis tanquam peculator Veietanæ prædæ pulsus est, propter negligentiam eorum qui pecuniam in bello accęptam, expensámq; literis mandabant. Eadem etiam causa fuit exilio superiori Aphricano, qui cũ Linterni moreretur, testamento cauit, ne in patriam ingratã ossa sua referrentur, cùm tali se iniuriã lacessitum iniquo animo ferret.

Plinius lib. 33 Cap. 3.

Nummus vnde?

Plinius ibidẽ.

Furius Camillus.

Scipio Aphricanus.

De excubijs, vigilijsq́, exercendis, & de præfectis vigilum. T I T. X.

CAmbyses Cyri Persarum Regis pater interrogatus quonam pacto vrbes optimè custodirentur, respondit: *Si custodes numquam sibi satis cautum ab hoste esse arbitrabũtur.* Verbum sapientissimi Regis animo semper voluntandum ab his qui Reip. præsunt. Quid enim arma, quid munimenta, quid mœnia turresque prosunt his qui negligentius excubias, vigiliasque exercent? Vidimus namque vrbes nonnullas excubiarum negligentia

Zuingerus Volum. 5. lib. 3.

Pontanus l. 4. de Prudentia.

latitando repit, & noctem quàm diem tutiorem sibi arbitratur. Præfectis vigilum apud Romanos nō modo curæ fuit, vt vigiliæ in muris, custodiæque per milites stationarios exercerentur, verùm iniunctum eis erat, vt nocturnas seditiones à ciuibus arcerent, vt quies vrbi conseruaretur. Prosunt præterea eiusmodi vigiles plurimis alijs rebus, & præcipuè incendijs arcendis, quæ quidem vrbibus perniciosa esse cernuntur. Nam & fortuita incendia extingunt. Dolosos autem incendiarios sæpenumero opprimunt, quorum crimen capitale esse debet. In illos autem, qui negligenter ignem apud se habuerint, flagellis fustibusq; animaduertendum est. Hanc curam tanti fecit diuus Augustus, vt per se, ei consuli maluerit, quàm per alios magistratus: quippe qui nulli magis crediderit conuenire, nec alium sufficere ei rei quàm Cæsarem. Itaque septem cohortes oportunis locis constituit, quo binas vrbis regiones vnaquæq; tueretur, vt Paulus Iurisconsultus scribit. Vtiles igitur admodum erunt præfecti vigilum, si omni cura & diligentia munus suum exercebunt.

Paulus in li. iij. ff. de off. pref. vig.

De præfectis annonæ & quid per annonæ nomen significatur.

Tit. XI.

Zuingerus li. 2. Volum. 5. Dinocrates architectus Alexandro mirum pollicitus est.

DInocrates Macedo architectus ille præclarissimus, cùm polliceretur magno Alexandro Athon montem in statuam virilem se formaturum, cuius læua vrbis amplissimæ mœnia sustineret, dextera autē paterā, quæ mōtis flumina exciperet, in mareq; profunderet: delectatus Alexander, formæ rationem quęsiuit, essent ne agri q̄ re frumentaria ciuitatē alerent: cumq; respondisset Dinocrates subuētionibus transmarinis opus esse, Rex ait eiusmodi iudicium non esse probandum. Nam vt natus infans nec viuere nec crescere sine nutricis lacte potest, sic nec ciuitas sine agrorum fructibus. Huius magni Regis exemplum

exemplum imitari debent omnes vrbium conditores, vt fœcundis feracibusq; locis vrbes statuant, & ij qui populi curam habent, vt rei frumentariæ vel in primis studeant. Parua namque præsidia vrbis essent, parum admodum leges, sanctiones, ordoque ciuitatis prodesset, si populus esuriret. Quid enim periculosius famelico populo, quem non arma, non magistratus, non iura diuina, aut humana, non leges, non pudor aliquis coërcere valet? Oportunè enim Lucanus ait:

Nescit plebs ieiuna timere.

Quam fidem Principibus suis subditi seruare possunt, quorum filij fame pereunt? Idcirco magna cura adhibenda, vt populus non modo frumento, sed omni genere victus abundet. Annonæ apud Romanos nomen latissimum fuit, complectebatur omnia esculenta, non solum quæ ex agris colliguntur, verùm reliqua omnia: vnde Liuius in libro nono tertiæ Decados de secundo Punico bello ait: *Vectigal nouum ex salaria annona statuerunt: Sextante sal & Romæ, & per totam Italiam erat.* Nec sine ratione vniuersum cibum annonę verbum significat. Tractum est enim (vt Varro ait) à tempore quo veteres Rom. cœnare consueuerant. Vnde poëta ille, cuius modestia magis quàm elegantia desideranda est, dicit:

Martial. lib. 4. Epigr. 8. Et legitur ibi, exstructos, nō Excelsos.

Imperat excelsos frangere nona toros.

Et Iuuenalis cùm Marij incontinentiam carperet, probro obijcit, quod antè horam cœnæ se mero ingurgitaret, cùm dicit Satyra prima:

Iuuenal. Sat. 8.

Exul ab octaua Marius bibit.

Cibos omnes significauit. Cicero autem dicit annonam in macello caram esse. Macellum namque (vt Varro ait) locum significat vbi vendūtur omnia, quæ ad victum pertinent. Vnde forum olitorium veteres (vt idem author est) macellum appellarunt. Sit igitur in primis cura rerum quæ ad victum pertinent: & præcipuè frumenti, cuius vsus necessarius longè magis esse cernitur. Constituātur præfecti annonæ tres, qui curam omnem impendant rei frumentariæ, seruetur frumentum ad publicū vsum, vel in scrobibus

Macellum.

k

paleis prætentis, in quibus ad septennium vsque optimè seruatur, vel in granarijs latis, modicis fenestellis ad septentrionem, in quibus triennio à tinea, gurgulione, omnique noxio vermiculo custoditur. Curent in primis ne frumentum asportetur, nisi in magna abundantia, ne marcescat, sed aduehatur potius, permutatione facta e vicinis regionibus. Longè tamen melius est latam adeò sementem fieri, vt non modò ciuib⁹ suppetat, verùm & vicinis exhiberi possit. Precia rebus imponant, ne exposita ad voluntatē venditorum semper æstimentur. Nec quempiam pudere debet in ciuitatibus suis id agere, quod Romani rerum Domini celebrarunt. Lex enim Cornelia (qui Cornelius Sylla Dictator tulit) minora rebus precia præscripsit. Hic magistratus vtilis admodum erit, & secundum totius populi rumorem haurire poterit, si diligenter se gesserint qui ei præsunt.

De ædilibus qui ædibus sacris præsunt, vijs publicis, aquarum ductibus, pontibus & cloacis.

Tit. XII.

Zuingerus Volum. 18. l. 4.

CVrandum est enim non parua diligentia, vt immortalis Dei templa, quæ tam ingenti impensa constituta sunt, & in primis vrbes clariores reddunt, magistratum habeant, qui curam eorum gerat, ne per desidiam negligentiamque corruant. Quocirca *Æditui. Æditles.* Aediles creandi sunt, quos eo nomine ideò Romani appellauerunt, *quòd sacris priuatisq; ædibus præessent:* vt ait Varro. Eorum præcipue sit munus singulæ cuique ædi sacræ diligentem aliquem virum præficere, qui eius tuendæ curam habeat. Eiusmodi virum vetustissimi æditumum appellauerunt, vt idem author refert. Sed noua deinde ac commentitia vsurpatione æditimus à tuendis ædibus dicitur. Cuius rei testis est in libris suis elegantissimis, quos de Atticis noctib. scripsit A. Gelius cap. 10. lib. 12. Fuit etiam cura ædilium apud Romanos vt viæ publicæ adequarentur sternerenturque, ne quid in illis ædificaretur, quod vsui ornamen-

frumentóve obesset. Aquarum ductus, publicæque cloacæ vt purgarentur, pontesque reficerentur, eis etiam demandatum est. Venditiones, emptionesque vt fierent sine dolo malo curabant, redhibitionemq; præstabant morbosi pecoris, morbosique aut in sani serui venalicij. Eiusmodi magistratus ciuitati nostræ necessarios etiam esse duco, quorum authoritas magna admodum esse debet, vt munus suum implere possint, & ciues dicto audientes habeant: vnde apud Romanos currules appellabantur, quòd curribus dignitatis gratia per vrbem veherentur. Hæc de magistratibus satis: nam qui ad rem militarem spectant, alio loco dicentur, cùm de militia belloque disseremus. Diximus primo volumine pleraque quæ ad statum Reip. pertinent. Secundo autem quibus artibus disciplinisque instituendi essent ciues, qui publicis muneribus præfuturi sunt. In hoc verò tertio ciuiles magistratus ordinauimus, ad Romanorum potius similitudinem, quàm Græcorum, cui quidem rei duo præcepta addimus. Prius ne Resp. quæstui sit ciuibus. Satis sit præmij his qui magistratu aliquando functi sunt, laudari à probatis viris, iudicarique eos optimè de Repub. meritos extitisse. Nihil enim est in libera ciuitate, quod magis inuidiam faciat, quàm videre conciues aliquos breui tempore ditiores factos publica pecunia, cùm ea satis omnib. neutiquam esse possit. Alterum quidem præceptum sit, vt nihil per ambitionem agatur. Est enim ambitio res perniciosa ac pestifera, quæ quidem conspirationes parit & turbulentas seditiones. Virtus sola sit quæ honores ac munera impartiatur: virtute namq; ambire oportet non fautoribus, vt ait facetissimus poëtarum Plautus:

Currules qui?

Sat enim fautorum habet, qui rectè agit.

Plaut. Amphitr.

M. Marcellus qui Gallorum ducem singulari certamine vicit, primusque Romanorum Hannibalem vinci posse docuit, exemplo patefecit, qui aditus ad magistratus ciuili viro esse debeat. Nam cùm templū Honoris ita ædificandū esset, id adeò architectatus est industria, vt nemini aditus esset ad id, nisi per Vir-

M. Marcellus.

tutis ædem ingrederetur. Docuit igitur vir fortissimus solam virtutem esse, quæ rectà ad honorem duceret. In sequenti volumine de priuatis quibusdam officijs dicemus, quandoquidem ordo id exigere videatur.

PROOEMIVM LIBRI QVARTI AD SIXTVM PONTIFICEM Maximum.

Adrianus Imperator, Romanus.

ADrianus Cæsar, pater clementissime, vir fuit summo ingenio, exquisitaque doctrina, sæpenim, vno eodemq; tempore scripsit, dictauit, audiuit, & cum amicis confabulatus est. Poematum verò, & omnium bonarum artium studiosissimus fuit, Arithmetica, Geometria, Musica, Picturaq; peritissimus. Is crebris sermonibus dicere solebat, Remp. ita habendam esse ab his qui ei præsunt, vt sciat quisque rem populi se gerere, non autem propriam, ac suam. Hoc præcepto non modo cauetur, ne quis ex pecunia publica auferat, néve intercipiat, vel in rem suam vertat (quod crimen peculatus à Romanis dicebatur) verùm latius manat, & ad eos etiam pertinet qui magistratibus abutuntur, quiq; priuatam potentiam potius quàm publicum imperium augere student. Inuidenda opes Pisistrati, publicis muneribus aucta, eum in tyrannidem impulerunt: quo malo Athenienses edocti, nihil post eius obitum æque formidauerunt, quàm nimiam priuatorum ciuium potentiam, magistratusq; vrbis perpetuos. Annuos itaq; fecerunt, arbitrantes perpetuam potestatem in libera ciuitate nihil admodum à tyrannide differre. Quam benè de Rep. meriti esse videntur ciues illi, qui maximis rebus præsunt, nihilq; in rem suam familiarem conuertunt, sed publicæ vtilitati solùm consulunt, ad eam omnia cōferunt? Hac virtute complures veteres Romani claruerunt, & ex Atheniensibus Aristides in primis, qui cùm commu-

Peculatus crimen.

Pisistratus tyrannus.

ni ærario totius Græciæ præfuisset, & summis quibusq; magistratibus diutius functus esset, tanta abstinentia fuit, vt in magna paupertate decesserit, vixq; precium quo efferetur reliquerit, eiusq; filiæ ex publico Atheniensium ærario victum dotemq; habuerint. Simili abstinentia fuisse fertur Phocion etiam Atheniensis, qui sæpe exercitui cum magna laude præfuit: cùm facilè diues esse potuisset propter summas potestates ei à populo traditas. Hic cum multa pecunia sibi a Rege Philippo dono mitterentur, nequaquam accipere voluit: & hortantibus Oratoribus, vt si ijs facilè carere posset ipse, filius saltem acciperet, quibus difficilè esset in tanta inopia paternam dignitatem tueri, respondit: Si similes mihi erunt liberi mei, hic idē agellus qui me ad hanc dignitatem perduxit, illos etiam educabit, sin dissimiles, nolo his opibus eorum luxuriam augere. Sed vt in Rep abstinentia laudanda est, & virtutibus penè omnibus ante ferenda, sic in re familiari desidia inertiaq; vituperanda. Nusquam enim gentium nostris temporibus terra illa inuenitur, quæ fætu suo sine fossione ac semente Cyclopes alebat, nec Erythræa illa Lusitaniæ, quam Geryonem habitasse fabulantur, adeò læti ac feracis soli, vt cum semel frumenta iacta sint, recidiuis subinde seminibus segetem nouantibus septem, aut interdum plures etiam messes ferat. Nec in Regionibus nostris fluit Nilus, qui Loton ferat, ex quo panem facilè indigenæ conficiant, quo tanta auiditate vescantur (vt ait Homerus) vt rei familiaris omnino obliuiscantur. Quocirca habendæ possessiones, vt Cereris, Bacchique munera in annos recondantur.

Phocionis sapiens responsum.

Terra ferax sine fossione.

Erythræa terra feracissima.

Lotos legumē fabæ similis.

gligentia quam primũ repentino hostis aduentu direptas fuisse. Vigiles prӕterea nocturni (quorum spe freti ciues, vniuersi dormiunt) sepulti nonnunquam somno, non antè hostium aduentum senserũt, quàm admotis scalis è muris editisq; turrib. eiecti fuerint. Quid quot exercitus aliquando custodum negligentia perierunt? Spargapises Tomyridis Scytharum reginæ filius, vino somnoq; cum omni exercitu sepultus, oppressus interijt. Et certè nullæ excubiæ, nullæque vigiliæ tutius diligentiusq; exercentur, quàm ab his qui cum imperio sunt, siue in castris, siue intra mœnia res agatur. Altum siquidem dormire possunt vigiles nocturni, vbi conniuentes vigilum præfectos senserint. Et fortunæ exercitum suum mihi credere videtur Imperator, quandiu dormit. Huius rei documentum præbuit Alexander Macedo, qui ne à somno deciperetur, ænea concha supposita, brachióque extra cubile exerto, pilam in manu tenebat argenteã, vt cùm neruorum vigorem sopor laxaret, lapsæ pilæ tinnitus somnum rumperet. Hoc quidem documentum Regem illum excellentissimum à gruibus accepisse arbitror, qui nocturnas excubias semper exercent, & ne à somno decipiãtur, lapillum altero pede sustinent, quo lapso vel plaga in extensum pedẽ accepta, vel sono decidentis calculi expergefiunt! qua diligentia si vsus fuisset Thrasybulus Atheniensis, nunquam obscurauisset mortis turpitudine præclaram laudis suæ famam, quam adeptus fuerat, cùm patriam à triginta oppressam tyrannis è dira seruitute in libertatem vendicaret. Nam sequenti tempore, cùm prætor classe Atheniensium ad Siciliam applicuisset, neque satis diligenter in castris eius vigiliæ agerẽtur, ab hostibus ex oppido noctu eruptione facta in tabernaculo interfectus, exemplo suo docuit verum esse præceptum illud: Nihil in bello oportere contemni. Neq; sine causa dicitur: *Matrem timidi non raro flere*. Proinde non mediocri cura inuigilare debẽt qui Reipub. præsunt vigilijs, & custodes vrbis taliter disponere, vt nihil incommodi dedecorísve nõ modo in bello, sed nec in pace quidem patiantur. Socrates

Alexandri vigilia.

Thrasybulus Atheniensis somno famam suam obscurauit.

Plura decet timidos, ait Plutar. in apoph.

ciuitates magna diligentia vtitur in deligendis custodibus apud Platonem. Et certè quò meliores, ditioresque ciues sunt, eò ad custodiam sunt aptiores, quod secus in plerisque malè moratis ciuitatibus seruari cernimus, in quibus operarij, baiuli, inopesque omnes excubias vigiliasque exercent, ditiores verò omnes intra parietes delitescunt. Creduntur nonnunquam vigiliæ solis militibus, qui diurno aliquando labore fessi, aut oscitãtes vigilant, aut nullo clamore expergefiunt, vt contingit Romanis illis qui capitolium à Gallis custodiebant: qui nisi ab ansere expergefacti fuissent, actum omnino de re Romana nomineque Latino extitisset. Deligantur boni vigilum præfecti ex singulis quibusque tribubus, hi ætate matura integris validisq; corporibus, magnaque rerum experientia vigeant, describant custodes per singulas curias, coniectosque in vrnam sorte ducant, ne quis locum tempusque custodiæ suæ ante præceptum præfectorum sciat. Disponantur per mœnia bini custodes oportunis locis, quibus tessera imperetur ab his qui præsunt, ne decipiantur: crebroque deuocentur, & pœnam somni luant. Excubiæ interdiu ad portas exerceantur, turribus etiam, aut speculis, locisve electis, ne improuisa multitudo prædas agere, captiuos ducere, vrbémve inuadere possit. Non minore cura per vrbem vigiles nocturni locandi sunt, quàm muris. Pessima namque facinora noctu potius quàm interdiu perpetrantur, fures, adulteri, sicarij, grassatores non minus coërcendi sunt quàm publici hostes, in quos quidem præfecti vigilum magna seueritate animaduertant opus est, si benè consultum ciuitati volunt. Pessimè cum ea ciuitate agitur, in qua non satis tutum est ab adulteris, nocturnisque furibus. Nocturnum furem occidere per duodecim tabulas licuit: licuit etiã deprehēsum in adulterio, adulteramq; coniugem. Hæc tamen non prætermittenda esse arbitror, sed taliter agendum, vt pœnæ metu omnes domi se contineant. Nihil æqui bonique agere cupit, qui lucem fugit. Testem, iudicem vindicemque formidat, qui latitando

Romani ab ansere expergefacti.

Tesseram imperare.

Facineribus nox aptior die.

Nocturnum furem 12. tab. occidere licuit.

MODVM PRIVATIS AGRIS PRAESCRIBENDVM ESSE.

TITVLVS PRIMVS.

Val. Max. lib. 4. Auctor de viris illustribus. Plin. 16. cap. 8.

MARCVS Curius cognomento Dentatus, qui de Samnitibus primo, deinde de Sabinis triumphauit, & de Lucanis ouans vrbem introiuit, Pyrrhumq; Epirotarum Regem Italia pepulit, sapientia sua docuit, Rempub. plurimū agri debere possidere: priuatos autem, quantum satis sit ad vitam victumque familiarē. Is cùm ex triumphis suis immerabilia agri iugera Reip adiudicasset, viritim singulis quaterna dena tantum diuisit, & sibi ipsi nihil vltra reliquos constituit. Cumque à quibusdam criminaretur, quod minimā sibi partem attribuisset, publicam verò plurimam effecisset, dixit neminem debere putare id parum agri esse, quod sibi familiæq; suæ satis ad alendum sufficeret. Hic modus agri ne alicui propter ignaram mensuram magnus fortasse videatur, intelligat, iugerum, actum quadratum duplicatū cōtinere. Actus enim quadratus, centum & viginti pedibus vndique finitur: pedis autem mensura sexdecim digitorum est. Erit igitur iugeri mensura quoque versuum ducentorum quadraginta pedum. Et ideò dici iugerū Varro ait: quòd iunctis duobus actibus quadratis finiatur. Hanc rationem sequamur oportet, si ciuitati nostræ benè cōsulere volumus, vt imprimis modus agri inter priuatos præscribatur. Qua in re diligenter obseruare debemus numerum ciuium, agrique magnitudinem ac fertilitatem. Nec verò his angustijs contentus ero,

iuu,

vt satis esse putem singulis, quod diuisit Marcus Curius, qui propter frequentiam populi, & imperij adhuc paruitatem, fortassis arctius dimensus est, sed Senatus iudicio permittendum statuo, quid cuique satis sit, & præcipuè cùm opulentiæ deliciæque temporum nostrorum plura efflagitent, quàm casta illa ætas Dentati, qui frugalitatem ac parsimoniam in laudem ducebat. Atqui priuatarum quidem possessionum mensuram sępius auctam legimus apud Romanos, adeo vt legem tulerit Tiberius Gracchus, licere cuique mille agri iugera possidere. Sed hoc statuendum censeo, vt Resp. diues agri sit duplici ratione. In primis, vt frumenta recondere possit ad necessitatem populi, cùm temporum difficultas exegerit. Deinde, vt tenues atque inopes, qui agros emere nequeunt, eos conducere possint à Rep. Agros autem publicos vectigales potius facere, quàm alio pacto locare longè melius esse duco. Vectigales agri dicuntur (vt Paulus iureconsultus refert) *qui perpetuum locantur hac lege, vt quandiu pro his vectigal pendatur, tandiu neque ipsis qui conduxerint, neque his qui locum eorum successerint, auferri eos liceat*: vt pluribus fieri consueuit. Hoc pacto longè ditior ciuitas erit, & eiusmodi vectigalia pleraque ad vsum publicum suppetent, neque erit opus crebro tributa imperare, quæ quidem molestissima populo sunt, & inuidiam faciunt his qui Reipub. præsunt. Hæc ratio diligenter obseruanda est, vt maior pars agri publica sit, minor autem priuata. Illa enim Platonica ciuitas optimis argumentis ab Aristotele repudiata est. Et conuictus ille Lacedæmoniorum in quo publicè epulabantur, omniaque in publicum congerebant, magnæ admodum difficultatis esset, & haud scio an persuaderi posset ætate nostra, propter diuersos hominum mores, studiumque rei familiaris, cui pleriq; omnes incumbunt. Nusquam enim inuenitur populus aliquis qui in communi laboret, publicè epuletur, nihil priuati quispiam possideat, sed complures patresfam. societatē ineunt vtilitatis gratia, quò commodius degere possint, ciuilemque societatem constituunt. Quo-

Tyberius Gracchus.

Paulus in l. 1. ff. si ager vectig. vel amphy. pe.

Lacedæmoniorum conuictus, publicus.

circa de singulis domibus aliquid deinceps scribere, æquum esse censeo, nam de agri ratione latius tracta bimus infra, vbi ex Hippodami Milesij sententia ciuitatem, regionem, atque agros diuidemus.

De similitudine rei familiaris & Reipublicæ: de officio patris familiâs, & de seruitijs, & eorum vsu. TIT. II.

Rei familiaris & publicæ similitudo quadam est.

REi familiaris & publicæ ratio in plerisq; conuenit. Nam sicut ciuilem societatem paucos qui imperent, multos autem qui obsequantur habere oportet: sic res domestica vnum qui præsit, & eum quidem ætate maiorem, reliquos autem omnes qui pareant habere debet. Et sicut in ciuitate æquo animo obtemperando, alijs iustè imperare dicimur, sic obsequendo rem familiarem regere consueuimus. Leges sibi præesse sciunt, qui magistratum gerũt: sic & qui familiæ præsunt, optimi patrisfa. normam imitantur. Benè igitur in quibusdam ciuitatibus obseruatur, neminem in Senatum cooptari posse, qui familiæ curam non gerat. Doctissimi veteres, qui eleganter admodum locuti sunt, ea quæ volebant ostendere magna cura & solicitudine fieri, siue etiã ingenti animi affectu, familiariter facta dicebant: vt apud Terentium comicorũ obseruantissimum, senex ille de filio loquitur. *Hic parua consuetudinis causa, huius mortem tam fert familiariter, quid hic mihi faceret patri?* Grauiter voluit ostendere ei illius tulisse mortẽ. Nec ab re huius verbi cõsuetudo esse videtur. Sit igitur diligens oportet qui familiam gerit, ea imperet, quæ factu non difficillima sint. Memineritque semper, se aliquando paruisse: & verbis potius quàm verberibus castiget: malitque familiam seueritatem suam vereri, quàm sæuitiam formidare. Pessimè enim cum ea familia agitur, quæ metu potius quàm studio ad industriam excitatur. In magnis præterea laboribus, magnisque functionibus primùm se ostendat oportet paterfam. pudebit enim desidiæ ignauiæq; minores, vbi maiorem

Familiariter factum.

In Andria.

rem solertem industriumque viderint. Sic alia ex parte cauebit ne quid turpiter agat, quod familiares sui suspicari possint. Longe quidem magis qui præsunt, exemplo quàm peccato nocent. Disciplina rei familiaris duas in primis considerationes habet. Vnam erga personas quib⁹ præest, alteram autem circa res. Personarum in familia aliæ ingenuæ sunt, aliæ verò seruituti addictæ. Quemadmodum ergò se habeat erga coniugẽ, erga filios, erga seruos, optimè oportet vt calleat paterfam. Seruorum cõditio misera est, viles enim personæ famulantur, & præcipuè temporibus nostris, quibus per religionem Christianam nõ licet seruire sacris nostris initiatum, & iure optimo. Iniquum namque esset hominem illum homini seruire, quem sacro fonte ablutum Deo dicamus. Apud veteres autem magna multitudo fuit seruorum, adeò vt ex vrbibus nonnullis liberos omnes exegerint, & nonnunquam redeuntes dominos hostili bello exceperint. Scytharum gentem olim inuictam penè fuisse legimus. Nam Darium Regem Persarum à finibus suis non modò prohibuerunt, verùm in turpem quoque fugam verterunt. Cyrum cum toto exercitu trucidauerunt, Alexandri copias deleuerunt, Parthicum ac Bactrianum imperium condiderũt: Asiam annis mille & quingentis vectigalem habuerũt: à qua tamen victores tertia expeditione cùm redirẽt (annis enim octo à coniugibus abfuerant) seruili bello extruduntur. Coniuges namque tædio longæ expectationis fessę, seruis ad custodiam pecoris relictis nupserant: qui redeuntes dominos non sine cæde finibus suis prohibuerunt, & quamquam postremò dominorum victoria fuit, tamen vario marte sæpius pugnam inuaserunt. Sed tandem victi serui crucibus affixi pœnas dederunt: mulieres autem turpitudinis consciæ, partim ferro, partim laqueo mortẽ sibi consciuerunt. Inter memorabilia Romanorum bella nõne etiam Seruile bellum nominatur? quod nomen à victis seruis manauit, vt Macedonicum, & Punicum à victis Pœnis Macedonibusq;. & sic Chrysus, & Spartacus, qui ruptis ergastulis seruilem exercitum con-

Familiaris disciplina.

Scythæ, Iustinus & alij.

Scythæ à seruis suis finibus exclusi.

Chrysus & Spartacus gladiatorũ ductt.

tra Romanum imperium duxerunt, nomen insigne bello meruerunt, vt nonnulli alij ingenui Imperatores. Præstiterunt etiam nonnunquam seruitia spectatæ fidei exẽpla, vt Plocio Planco Seruio, is enim proscriptus à Triumuiris fuerat, & in villa iuxta Salernum latitabat: cumque milites ad inquirendum missi, vnguenti odore quo delibutus erat, eũ indagarent, eius seruos comprehenderunt: qui multùm ac diu malè habiti, varijsque tormentis lacerati, non prius dominum prodiderunt, quàm miseratus fidem seruorum Plancus, in medium venit, iugulumque militibus præbuit, vt à cruciatu seruos liberaret. Marcus etiam Antonius Orator peregregius incesti reus, fidem serui qui laternam prætulerat, ad iudiciũ deducti, expertus est: qui verberibus laceratus, equuleo suspensus, & candentibus laminis exustus, nunquam domini incestum (cuius cõscius fuerat) indicauit. Sic & alij nonnunquam inuenti sunt, sed seruilis fides rarò (si fides) tentanda est. Liber homo qui seruis imperat, in primis cogitare debet eos homines esse, non belluas, nec sęuire in eos verberibus & catenis: obdurant namque plagis, nec quippiam agunt nisi inuiti. Mitius agendum est cum eis, exigẽdo quotidiana opera, non inclementer. Laudanda eorum industria, quò alacrius laboribus incumbãt. Cibaria eis impertienda sunt, quæ robur firment, sine elegãtia, & sumptu. Vestis quoque sit quę æstate regat, hyeme autem à frigore ac pluuia defendat. Algidi namque serui, tremebundi & famelici nullum officium præstare possunt. Proinde mansuetudinis humanitatisq; maiorum nostrorum meminisse debemus, qui patroni potius nomen (quod à patre trahitur) in sua mancipia sumere voluerunt, quàm domini, quod quidem tanquam odiosum abdicarũt. Diuidenda opera inter seruos sunt, & illi ad rem rusticam dimittendi, qui robustiore sunt corpore: graciliores autem, minusque validi ad artes illas, quibus à natura aptiores esse videbuntur. Veteres ergastula habebant, in quibus mancipia ad opera dimissa obseruabantur, nunc autem propter paucitatem seruorum, quoniam vsus ille de-

C. Plocius Plancus.

M. Antonij oratoris fidelis seruus.

Seruilis fides raro tentãda.

Patroni seruorũ domini voluerunt appellari.

Ergastula.

sijt,

sijt, nihil de ergastulis præcipiendum est. Cauendum est, ne propter herorum duritatem morositatemque serui desperent: sæuiunt enim nonnunquam & ipsi imbecilliores, & heri verbera in liberos illorum coniugésve vlciscuntur. Memoria nostra seruus extitit in genij pessimi, animique truculenti; huic sæuissimus herus fuit, qui in eum verberibus sæuire non desinebat, iratus seruus cùm dominū vlcisci nequiret, duos quos habebat infantes anniculum vnum, alterum bimulum, corripuit, turrimque editam conscendit, dominumque vocauit, monuitque vt infantes suo gremio exciperet, quos quamprimum elisos parieti, deiecit, seseque præcipitauit, ne viuus in potestatē domini veniret. Pessima mancipia alienanda sunt, optima autem seruanda, & spe libertatis proposita cum illis agendum est, vt intelligant se aliquando libertinos fore, quod quidem vtile erit in omni familia. Addicti verò, qui ære nobis obnoxij, per leges seruire coguntur, donec soluerint, mitius à nobis tractādi sunt. Reminisci nanque debemus, eos quàm primum æs nostrum opera compensauerint, ingenuos homines esse, non autem libertinæ conditionis, vt emancipati serui, qui post acceptam libertatem officia nonnulla ciuili iure nobis præstare debent. Quocirca habendi sunt vt conducti mercenarij, quibus omnia liberi hominis officia præstanda sunt, opera clementer exigēda, pactaque merces pensitanda. Benè enim de illis audire plurimum proderit, cùm operarios alios conducere oportebit.

Mirabile serui nequam exemplum recens.

De connubio maritali, & veram amicitiam inter coniuges esse.

TIT. III.

Omnium societatum nulla magis est secūdum naturam quàm maris & fœminæ. Est siquidem vnicuique animali insitū à natura sui generis studiū, & cōseruationis ratio per coniunctionē maris & feminæ. Nulla.n. belua adeò truculēta esse pōt, adeò solivaga aliarum.

aliarumque aspectum fugiens, quæ suo tempore sui generis comparem procreandi causa non quærat. Optimè autem Plato ostendit per naturam mares vbique gentium non modò inter homines, verùm etiam inter bruta fœminis præesse, hi enim robusti magis, & duriore corpore ad tolerandos labores cernûtur, quo circa & pastum quærere, latibula tueri, & natos ab omni vi atque impetu defendere magnis viribus solent. Hæc naturæ institutio nos admonet, vt cùm proposuerimus de ciuili societate disserere, nullaque societas magis sit secundum naturam, quàm maris & fœminæ, de connubio maritali aliquid scribamus. Et præcipuè cùm matrimonia ciues ciuibus diuturna necessitudine coniungãt, & infensos atque inimicos concilient, vt de Iulio Cæsare, Gneo Pompeio legimus, quorum affinitas quandiu viguit, ciuile incendium sedauit, durissima quæque bella ad pacem & concordiam redegit. Nam nisi raptæ virgines Sabinæ parentum animos placatos, connubijque iura reddidissent, actum omnino de re Romana fuisset. Magni igitur interest de coniugio disserere, si præcepta Reipublic. absoluere volumus, qua in re haud scio an omnino à Platone discedendum sit, c[illegible] ille præcipit secundum tragicam sententiam vetustissimumque prouerbium, *amicorum omnia communia esse*, & communem amicitiam in Republica statuat, communes vxores, liberos, resque omnes esse debere asserit. Quæ quidem res nec vtilis mihi, nec conueniẽs aut decora esse videtur. Nam si mulieres in medio relinquuntur, concubitus earum promiscuus erit. Vnus pluribus congredietur, vna plures viros complectetur. Ordinem Platonicum illum (quem pudoris custodem facit) obseruare impossibile factu esset repugnante natura, nec aliud quidpiam mihi hoc videtur, quàm naturalem amicitiam deserere, & communem quandã, quæ nusquam inuenitur, quærere. Ducit enim homo vxorem non modo procreandi causa, sed & vt consortem vitæ sibi eligat, quæ vtriusque fortunæ secum sit particeps. Ipse enim qui ratione ducitur commoda vitæ suæ quærit, nec satis sibi sine coniuge consultum

Mares vbiq; fœminis præsunt.

Iulius Cæsar & Gn. Pompeius affines.

Sabinarũ virginum laus.

Amicorum omnia communia.

Platonis sententia nõ approbanda.

Vxoris ducenda ratio.

tum esse cernit. Idcirco cùm domicilium parauit, vxorem tum ducit liberis vt indulgeat, ac commodius degat, & vtriusque fortunæ casus æquius perferre possit. Est in primis homini necessariũ, victum quærere, vt in senectute, atq; ęgrotatione ei tutius sit cõsultum. Quocirca opus est vel rusticari, vel nauigare, vel alio aliquo genere negociari, vt aliquas facultates acquirat. Ideo prouida humani generis parẽs nostra natura maritale coniugium comparauit, vt nõ solum iucundissima, verum vtilissima quoque vitæ societas iniretur. Ac proinde (vt Xenophon in libro qui de re familiari inscribitur prodidit) fœminas diuina prouidentia timidiores fecit, quâm viros, quia eas custodiæ diligentiæque assignauit. Metus enim ad custodiendi diligentiam plurimum confert, & naturalis mollities artes illis tradidit, quibus intra parietes domesticos cum vtilitate exerceantur. Præterea cùm victus cultusque humanus non passim in propatulo aut syluestribus locis, sed domi sub tecto & in penetralibus accumulandus asseruandusque sit, necessarium fuit viris foris sub dio in hominum cœtu publicisque congressibus esse, qui labore & industria comparent ea quæ sub tecto recondantur, quorum dispensatio ac cura fœminæ magis conuenit quàm viro. Optimè enim Aristoteles curam omnium rerũ quæ foris sunt, viris, earum quæ domi mulieribus assignat: & indecorum admodum putat quæ extra parietes fiunt, fœminas quærere; sicuti quæ intra sunt, viros dispensare. Et hac societate non modò id assequimur, quod animalia reliqua, ne scilicet nostrum genus diuturnitate temporis occidat, verùm mutua auxilia vitæ tam cũ nobis à corpore minus bellè est, quam cum senectus ingrauescit. Omnia namq; præsidia humanæ vitæ facilius nobis per connubium, quàm per solitudinem comparãtur. Quid quod naturæ restituere debemus, quòd mutuò accepimus? vt pote vitam alijs dare, quam nobis parentes nostri tribuerũt, qua ex re id nanciscimur, vt filij nobis per ætatem senio confectis, & imbecillioribus factis id restituant quod à nobis in eorum infirma ætate acce-

Cur fœminæ timidiores, quam mares.

Viri imperiũ foris, fœminæ domi exercẽt.

ceperunt. Alant nos in ea ætate, in qua baculo nitentes, infirmi inualidique sumus, sicut nos illos educauimus in prima eorum ætate, cùm nostris vlnis sustinebantur, vel reptando humi niti conabantur. Et hoc pacto vicissitudo naturæ perpetuò adimpletur, & quod in simplici genere nequit, in sua specie conseruatur. Præterea senectutis nostræ incommoda (quæ quidem innumerabilia sunt, & varia morborum genera, quæ effœtam illam ætatem vexant, & quasi cōspiratione facta in senes irruunt) qua alia ratione tolerari possunt, quáve cōsolatione leniri, nisi filiorum spe atque auxilio? Multo enim minora mala videntur ea quæ patri senio confecto accidunt, cum cernit se deficiente filios pubescentes corpore & viribus in dies adolescere, quàm ea quæ viro orbo, ac sine progenie, qui in seipso deficere animaduertit vires corporis atque animi, & secum spem omnem auxilij posteritatisque decidere: Atqui mors ipsa, quæ omnibus molestissima est, minus aliquid molestiæ affert, illis qui cùm sciant se esse mortales, nec posse diutius viuere quàm conditio humana patiatur, intuentur, filios ex se genitos, qui eos exprimant, eorum nomine nuncupētur, & quasi per eos viui in hominum sermone post obitum reseruentur: nam qui orbi & sine liberis occidunt, ruinam secum sui generis trahunt, maleque de Republica & de hominum genere meriti, perpetua obliuione obscurantur, nec vestigiū vitæ suæ vllum inter mortales aliquo tempore relinquunt: quod quidem pulcherrimo exemplo docuit adolescens quidam Lacedæmonius, nam cùm Dercyllidas optimus imperator in consessum descendisset, sedendi locum, iuniorum nemo (vt moris erat) eidem cedere voluit: quin exprobrando aiunt prose quisque: *Noli admirari, non enim tu, mihi qui cessurus sit, cùm grandior natu fuero, genuisti.* Proinde maximo bono videtur mihi orbare ciues suos Plato, cùm filios ignotos esse parentibus præcipit, & hac in re non dissimiles homines belluis efficere. Illi enim tandiu catulos dignoscunt, quandiu vberibus suis illos alunt, depulsos autem lacte euestigio ignorant

Filiorū spe lenitur languida senectus.

Dercyllidas neglectus, quod liberos nullos haberet.

tant. Homines autem rationis participes nunquam filios negligunt; nunquamque ab eis negliguntur, viuunt simul, operantur simul, familiari alloquio ac confabulatione fruuntur, vicissitudine officij ac pietatis sustentantur, qua quidem re haud scio an quippiam aliud mortalibus maius accidere possit. Ducendam igitur vxorem ciuili viro esse duco, non modò necessitatis, sed commodioris iucundiorisque vitæ gratia, cum qua grata vitæ societas ineunda est, non ad libidinem explendam, sed ad propagandam sobolem, munusque ciuile adimplendum, quod quidem proprium connubij est. Præclarè Aelius Verus Romanorum Imperator (quanquam vitæ suæ turpitudinem ostendit) vxori cõquerenti de extraneis illius voluptatibus, respondisse fertur: *Patere me coniunx per alias mulieres exercere cupiditates meas, vxor enim dignitatis nomen est, non voluptatis.* Habet enim connubium, religionem in se quandam, non modò apud nos, qui secundum Christianam veritatem inter sacramenta matrimonium censemus, sed apud vetustissimos quoq; qui de religione à virtute aberrabant, quod quidem ex connubij vxorisque nominibus cerni licet. Nubere enim apud priscos operire ac regere significauit, vnde & nubes dictas Varro asserit, quòd cœlum tegant, sic etiam nuptias, quòd sponsus & sponsa eodem flammeo à sacerdote operiebantur. Eleganter, & longè melius quàm nos veteres dicebant mecum nuptam non autem mihi, quasi eodem flammeo mecum coopertam. Vnde hoc verbum tam ad mares quã ad fœminas pertinebat. Pomponius vetustissimus tabularum scriptor in Panuceatis dixit: *Sed meus frater maior postquàm vidit me deie-ctum domo, nupsit dotatæ vetulæ varicosæ Aphræ.* Sic & nouum nuptum, sicuti nouam nuptam apud Plautum legimus. Vxoris nomen etiam religionem præ se ferre videtur, fit enim ab vngendo: puellæ namque maritorum ædes cum primùm ingrederentur, postes oleo quod à sacerdote acciperent, vngebant, lanamque stulta quadam superstitione Iano dijsque Laribus præfigebant, & lotos deinde quamprimùm

Vxor ducẽda.

Nubere.

Nuptia.

Nupta mecũ.

Citatur à Nonio Marcello.

primùm maritos eodem oleo vngebant. Cuius rei vetustissimus Poëta Ennius testis est, cùm dicit.

Exin Tarquinij bona fœmina lauit & vnxit.

Lex Romuli de matrimonio fuit (vt etiam ex Græcis testatur Dionysius Halicarnasseus) mulierem nuptam, quæ per sacras leges viro coniuncta esset, pecuniarum omnium ac sacrorum esse sociam. Vocabant enim Romani legitima sacraque matrimonia farracea propter farris communionem. Nam vt Græci ordeum vetustissimam frugem putabant, & ordei primitias in sacris offerebant, ita Romani vetustissimum far putantes, sacrificia omnia ex eo faciebant. Socias autem fieri vxores viris, sacratissimi & primi alimēti sacrificio volebant: & fortunæ communio cognomē habuit societatis farris. Decretum aliquando fecere Athenienses, vt quisque duas eodem tempore ducere posset vxores, quæ quidem lex turpis omnino ac perniciosa esse cernitur, tollit enim munus quod optimum est sanctæ amicitiæ, & efficit vt nulla concordia inter virum & vxorem esse possit: iniquum est namque vnum duas habere vxores, sicuti & vnā duos habere viros, cùm natura ipsa virum fœminæ æquo iure coniunxerit. Socrates cùm plerosque Athenienses cerneret duas ducere, itidē efficere voluit, & cùm Xantippem haberet morosam admodum, & difficilem, ex qua Lamproclem genuerat, Aristidis etiam illius iusti filiam sine dote duxit Myrtonem nomine, ex qua Sophroniscum Menexenumq; sustulit filios, hæ aliquando inter se (vt moris est) rixabantur, is autē per iocum eas irridebat, asserens indecorum esse pro deformi viro formosas vxores colluctari, qui iocus eas ad concordiam redegit. Et cùm semel domum rediret, ab eis malè mulctatus est. Sed admirari nolo Socratem virum virtuti deditum duas duxisse vxores. Nam cùm priorem illam Xantippem iracundam admodum ac morosam diu perpessus esset, admiranti Alcibiadi quòd tam difficilem tamque acerbam mulierem perferret, nec domo exigeret, respondit, cùm talem domi perpeteretur, se insuescere, atque exerceri ea foris ferre, quæ quotidie sibi per iniuriā contum

Matrimonia farracea.

Ordeum vetustissima fruges.

Atheniensiū decretum de gemina vxore ducenda.

Socrates vxores duas duxit

Socratis responsum.

tumeliamque ab alis inferrentur. Voluit igitur duas habere, quo habitum patientiæ longè magis perficeret. Quod apud Lacedæmonios (si vera sunt quæ de Republica scripsit Xenophon) contrarium obseruabatur, licuisse enim per legem vnam (ait) duobus collocatam esse, vt scilicet perpetuò domi apud virum degeret, posse tamen aliquando ad amatorem diuertere, sine iniuria ac probro, præcipuè si vir peregrè militiæúe esset. Hæ duarum opulentissimarum vrbium contrariæ leges docuerunt, vt arbitror, oportuna fabella matris importunitatem amoliri: vt de Papyrio puero illo sapientissimo fertur, qui propter egregiam indolem ante ætatem in Senatum cooptatus est. Nam cùm aliquando à patre (vt moris erat) puer admodum in Senatum duceretur, consultisque omnibus adesset, à matre non modò rogatus, verum verberibus quoque cæsus est, vt secreta ei Senatus proderet, puer autem, vt iam futuræ virtutis signa ostenderet, scitè admodum respondit: Senatus hodie anceps fuit, idque cogitandum cẽsuit (quanquam primum deliberabitur) vtiliúsne sit virum vnum duas habere vxores, an vnã duobus esse denuptam. Pudet me duarum vrbium non solum Græciæ, verum vniuersi terrarum orbis clarissimarum, decreta refellere, sed hoc ausim dicere, nihil mihi videri his duabus legibus importunius, nihilque quod iure optimo magis reprehendi aut irrideri posset. De vxoribus variæ fuerunt leges, & turpissimæ etiam consuetudines. Institutum fuit apud Athenienses, quod quidem permittebatur fratri germanam sororem vxorem ducere, nec turpè fuit Cimoni Milciadis filio Elpinicem eodem patre natam coniugem habere, cùm ciues alij complures eodem præscripto vterentur. Aegyptij quoque (vt Diodorus scribit) pro opibus ac voluntate plures ducunt vxores, nullusque ex eis genitus spurius habetur, etiamsi ex serua conceptus esset. Dicunt enim solum parentem generis esse authorem, matrem verò nutrimentum & locum infanti præbere aiunt. Eorum autem sacerdotes non nisi vnam per leges ducere

Vxor vna duobus viris apud Lacedæmones

Papyrius prætextatus.

Atheniensiũ institutum.

Cimon Milciadis filius sororem duxit.

possunt. Turpius agunt Britanni, vt locupletissimus testis est Iulius Cæsar in elegantissimis commentarijs suis, cùm ait: *Britanni vxores habent deni duodeniq; inter se communes, & maximè fratres cum fratribus, parentesq; cum liberis: sed si qui sunt ex eis nati, eius habentur liberi, à quo primùm virgo quæque ducta est.* Parthi vxores dulcedine variæ libidinis singuli habent, idcirco nulla delicta adulterio grauius vindicant. Armenijs mos fuit (vt ait Strabo) virgines ante earum nuptias statutis diebus dotalem pecuniam quæsituras ad littus maris mittere, quæ etiam ex turpi quæstu pro relicta pudicitia Veneri per sacrificium persoluebant. Simile quiddam de Lydijs scribit Herodotus. Nihil Babylone corruptius moribus quondam fuisse testatur Curtius, nihil ad inuitandas alliciendasque immodicas cupiditates instructius. Liberos enim coniugesque cum hospitibus stupro coire, modo precium flagitij daretur, parentes maritique patiebantur. Hæc eo consilio dixi, vt omnes intelligant Romanos optimè de matrimonijs sanxisse: quibus tamen si quid deerat, pontificio Christianorum iure optimè additum est, adeò, vt ad cumulum nihil possit accedere. Censores singulis annis luculentam orationem ad populum Romanum habebant, in qua iuuenes hortabantur, vt singuli vxores ducerent, idque è Republica esse compluribus argumentis exemplisque ostendebant, nec paruæ laudis erat super ea re secundo populi rumore ac plausu perorare. Metellus Numidicus grauis ac disertus orator, cùm Censor esset, & ad populum de ducendis vxoribus oraret, eiusmodi verba protulit: *Si sine vxoribus possemus, Quirites, esse, omnes, ea molestia careremus: sed quoniam ita natura tradit, vt nec cum illis satis commodè, nec sine illis vllo modo viui possit, saluti perpetuæ potius quàm breui voluptati consulendum esse videtur.* Hæc manifesta confessio molestiæ rei vxoriæ, minus grata fuit plerisque ciuibus Romanis. Dicebant namque Metellum censorem, cui consilium esset populum ad matrimonia adhortari, non oportuisse de molestia incommodisque rei vxoriæ confiteri, ne dissuaderet

Britanorum mos coniugalis.

Parthi.

Armeniorum mos.

Lydi.

Babylonij.

Censorũ orat. ad populũ, de ducendis vxoribus.

Metelli Numidici oratio.

dere abstinereque à matrimonijs populum potius quàm adhortari videretur, ne paucorum virorum mulierumque importunitas ac difficultas in connubio maritali, reliquis omnibus obesset, cùm nihil penè in omni humana vita inueniri queat, quod omni ex parte absolutum perfectumque sit, cumque hoc pro comperto ducere possimus, nullam amicitiam magis stabilem inueniri magisque omni officio ac pietate accumulatam quam matrimonij. Quatuor quidem sanè amicorum paria cum plausu & admiratione omnium seculorum comprobantur, vixque eorum laudis Græci omnes scriptores, qui illorum nominibus libros suos replerunt, satis esse videntur: at infinitam penè multitudinem, mulierumque mutuo amore honesti connubij flagrantiũ, non modò non admiramur, sed ne laude quidem aliqua afficimus. Pylades pro Oreste se morti obtulit, Alcestis Admeti Thessaliæ Regis mariti sui fata subiuit. Et Tiberius Gracchus salutem cõiugis sponte sua propria morte redemit. Nam cùm domi angues duos reperisset, hoc fato destinatos, vt nisi alterutrum interemisset, ipse cum omni familia periret: sin marem dimitteret, se euasurum: sin fœminam, Corneliam coniugem: tanto amore eius tenebatur, & tanti coniugem faciebat, vt mori maluerit, quàm vxoris fatum cernere. Et si Damon & Pythias diuturnæ Pythagoricæ philosophiæ silentio eruditi, mutuo studio adeò inter se coniuncti erant, vt alter alterius sistendi in capitali iudicio vas factus esset, & ad diem redijsset: non maiorem nobis admirationem reliquerunt, quàm Minyarum coniuges, qui à Lacedæmonijs ob crimen affectati regni, custodiæ mancipati, capitalique iudicio damnati, noctis tempore (vt moris erat) supplicium expectabant: eorum verò coniuges, quasi viros supremùm allocuturæ, aditum à custodibus impetrarunt, commutataque veste, simulatoque dolore, velatis capitibus, maritos abire passæ sunt, seseque morti obiecerunt, vt viros incolumes dimitterent. Sic & Theopompus Lacedæmonius permutato simi-

Quatuor amicorum paria. *Pylades & Orestes.* *Alceste.* *Tyberius Gracchus.* *Val. Max.* *Damon & Pythias, verorum mirabilis amor.* *Cic. in off.* *Theopompus.*

liter cum vxore habitu, è custodia vt mulier euasit, relicta coniuge in eodem capitis periculo, à quo per eam fuerat liberatus. *Achilles & Patroclus.* Achilles Patrocli amici morte audita, ita miserabiliter fleuit, vt vix à familiaribus prohibitus sit, vt à sese manus abstineret. *Plancus.* At Plancus qui classem quinquaginta nauium in Asiam reduxit, postquam Tarentum appulit, & vxor eius Orestilla, quæ illuc eum comitata fuerat, repentino morbo correpta perijt, solutis de more exequijs, ferro incubuit, quem cùm amici prohibere nequirent, corpori coniugis coniunctum in rogum imposuerunt, communeque sepulchrum Tarenti constituerunt, vt maritalis memoria diutius seruaretur. *Panthea.* Panthea quoque super quæsitum viri inter mortuos milites cadauer ferro incubuit. *Portia Cat.* Sic & Portia Marci Catonis filia cùm victum interemptumque Brutum virum suum excepisset, prohibentibus necessarijs suis ferrum, candentes carbones ore haurire nō dubitauit, nouoque genere mortis perpetuis seculis coniugalem affectum testata est. Sed quod à singulis aut paucis fit, minore fortasse admiratione dignum videri potest. *Mirū de mulierib. India.* Quid quòd apud Indos mulieres omnes, cùm est cuiusque earum vir mortuus, in certamen iudiciumque veniunt, quam plurimum ille dilexerit (plures enim singulis solent esse nuptæ) quæ verò est victrix, ea læta prosequentibus suis vnà cum viro in rogum imponitur, victæ autem mœstæ discedunt: cuius consuetudinis locupletissimus testis est Cicero in quinto librorum suorum quos de Tusculanis quæstionibus scripsit, & Græci nonnulli scriptores spectatæ fidei id verum esse affirmant. *Cāma mulier illustris.* Fuerunt etiam quæ viros forti animo vlciscerentur, vt de Camma apud Galatas scribit Plutarchus in libello quem de illustribus fœminis edidit. *Sinatus. Sinorix.* Erant eodem tempore Galatarum potentissimi ciues Sinatus & Sinorix necessitudine & consuetudine coniuncti. Sinatus vxorem duxit Cammam forma & moribus præstantissimam, ea de more patriæ, Dianæ (quæ numen præsentissimum habebatur) dicata erat: eius tamen amore, nulla neque pietatis neq; affinitatis viri ratione habita, impatienter te-

ter tenebatur Synorix, qui flagitio facinus etiam addere cogitauit. Nam cùm eam nullis pollicitationib. expugnare posset, dolo Sinatum eius virum interemit, quippe qui viri morte matrimoniũ viduæ omnino speraret, verùm cum per eius potentiam Camma à necessarijs cogeretur ei nubere, simulato assensu, viri iniuriam vlciscitur, quandoquidẽ ante aram deæ, quàm connubij authorẽ se inuocare simulabat, phialam tenens quasi sacrificium faceret, partem poculi hausit, partem autem Synorigi tradidit. Erat autem mulsum veneno mixtum, quòd cum ille ebibisset, his verbis Dianam deprecata est. *Te Dearum præclarissima obtestor, me huius vltionis tantùm gratia viro Synato superstitem hactenus fuisse. Quid enim illo mortuo tanti temporis vsu afferre poterat, præter huiusce vltionis spem? Cuius iam compos tuo numine effecta, libens volensq; ad virum descendo. Tibi verò Synorix homini omnium deterrimo sepulchrum pro thalamo paretur, & pro nuptijs funus amici ac familiares tui præparent. Facinus namque quod tam nequiter in virum meũ commisisti, in præsentia animaduerti.* Sinorix dolore simul ac furore percitus circumferri se in lectica iubet: atqui cum remedij nihil afferretur, magno cum dolore è vita migrauit. Camma verò vbi defunctum Synorigem comperit, prompto animo, & hilari vultu diem obijt. Sed ne in exemplis cẽsendis quæ quidẽ innumerabilia essent plurimus esse videar, sermonem perstringam, non multisque concludam: nulla verior amicitia, nulla celebrior, nulla vtilior, nullaque sanctior esse potest, quàm illa quæ maritali coniugio copulatur. Proinde verè mihi locutus videtur Propertius cùm ait:

Omnis amor magnus, sed aperto coniuge maior.

Et suauissimæ illæ lamentationes auditæ etiam Manibus (si Poëtis auscultare volumus) Orphei thracis pro chara coniuge Eurydice, id verum esse testantur. *Virg. 4. Geor.*

De officio mariti.

Tit. IV.

Varronis Menippea, citatur à Gellio & alijs grammaticis.

SATYRAM Menippeam scripsit M. Varro, in qua quidem de officio mariti disseruit, ea cùm plerisque alijs libris eius nusquam memoria nostra reperitur: & certe si extaret lucem nobis hoc loco præclaram faceret, cum viri illius doctrina admirabilis appareat, non ex libris qui perierunt, sed ex indicibus quibusdam, & particulis quas plerique scriptores quasi testimonium rerum suarum in eorum scriptis inducunt, sicut Aulus Gellius in primo librorum suorum de noctibus Atticis, cap. xvij. qui de corrigenda vxore eiusmodi Varronis verba ponit. *Vitium* (inquit) *vxoris aut tollendum, aut ferendum est: qui tollit vitium, vxorem commodiorem præstat: qui verò fert, sese meliorem facit.* Tollere hoc loco Gellius corrigere significare ait, & intelligit Varronis fuisse sententiam, vitia emendanda in vxore esse à marito: sed quæ minus emendari possint, ferenda esse, qua quidem patientia mariti fiunt meliores. Turpitudines autem & flagitia neutiquam toleranda sunt, sed consulendum est honori domus nostræ, redigendaque vxor ad bonos mores, si fieri potest, sin secus, lege agendum est. Accusatam de adulterio vxorem Cæsar repudiauit: & Lysiam authorem præclarissimum non puduit, suam luculenta etiam oratione obnoxiam facere. Pernitiosissimi, ac temerarij ciues iudicandi sunt, qui deprehensam coniugem ferro vlciscuntur.

Adulterā vxorē Cæsar repudiauit, de qua re Suet.

Vxores mitius tractandæ.

Optimè Cato Censorius eum qui vxori manus inferret, insectandum detestandumque esse arbitrabatur, non aliter quàm si diuina sacra aut Rempubl. violasset. Satis cuique, superque esse debet iudicem ac legem vltricem habere: impium namque est, & omnino abominandum manus coniugali cæde polluere. Nero per iracundiam vxorem Poppęā ictu calcis interemit. Et quamuis ad sæuitiā natus esset, tamē tantopere eū pœnituit, vt illius cadauer nō igni aboleri

Nero vxorem interemit Sueton.

leri more Romano passus fuerit,sed rogum externorum consuetudine odoribus condiri iussit, & sepulchro Iuliorum inferri. Non tamen hæc eo consilio dixi,vt segnem maritum esse velim,& oculis caligantibus, vt vltimus omnium probra vxoris sciat, sed diligentem laudo, & lynceis oculis omnia contuentem. Turpe enim fuit Antonino Cæsarum optimo Faustinam coniugem omnibus pudicitiæ laudibus efferre, cùm turpidō eius notissima esset, omnesque scirent eam apud Caietam conditionem cum mimis & histrionibus elegisse.Nonne L.Sylla qui felix iactabatur, vel ex hoc solum infelicissimus habendus fuit, quòd vxorem Metellam tunc pudicissimam esse arbitrabatur, cùm vulgò sui corporis turpissimis quibuscunque potestatem faceret: & Græcis versibus Athenis decantaretur ? ipse autem ignoraret, nec thori sui labem suspicaretur, quam hostium cōuitio didicisset.Probro autem obijciebatur Philippo Macedoni, quòd cum victor tot populorum ac Regum esset,vxorem adulterij suspectam haberet, & eius iniurias æquo animo toleraret. Ab ea namque aliquando per iracundiam extrusus est,cùm de more cubiculum introire vellet,qui exclusus tacuit,& tragico cauillo seipsum consolatus est,iniuriamque risu dissimulauit: nec puduit maritum dissimulando vincere vxoris turpitudinem. Abutuntur enim fœminæ coniugis patientia,& impunitatem suam illecebram licentiamque peccandi esse putant. Deprehensam in adulterio Messalinam excusabat Claudius,illa autem animum à crimine sumebat, & palàm ea omnia agebat,quæ antea clam & remotis arbitris occultare cupiebat,& ad id tandem ab ea ventum est,vt Silium in oculis seruorum & ancillarum complecteretur, nec contenta esset occulta voluptate, nisi testem libidinis suæ multitudinem haberet. Scimus quid de ea loquitur Satyrorum excellentissimus cùm ait Satyra sexta.

Antoninus vxoris turpitudinē tegere curauit.

Philipp. Macedo iniuriā ab vxore acceptum risu dissimulauit.

Messalina Claudij Cæsaris vxor.

Iuuen. Sat. 6.

Quid priuata domus,quod fecerit H*ippia curas?*
Respice riuales diuorum,Claudius audi
Quæ tulerit.

Reliqua solutam orationem formidant. Sed Cornelius Tacitus improbitatem temeritatemque Messalinæ ostendit, vbi ait libro vndecimo: *At Messalina non aliâs solutior luxu: adulto autumno simulachrum vindemiæ per domum celebrabat, vrgeri prela, fluere lacus, & fœminæ pellibus accinctæ assultabant, vt sacrificantes, vel insanientes Bacchæ: ipsa crine fluxo thyrsum quatiens, iuxtaq; Silius hedera vinctus, gerere cothurnos, caput iacere, strepitu circum procaci choro.* Nimia etiam Augusti in filias indulgētia, eas petulantiores reddidit. Vnde Iulia cùm ei amicus quidam seuerus & grauis suadere niteretur, vt paternę frugalitatis exemplum sequeretur, per contemptum respondit: Pater obliuiscitur se Cæsarem esse, ego autem me Cæsaris filiam esse memini. Ea licentia peccandi eò accessit, vt vulgo potestatem sui corporis faceret, & cum conscij flagitiorum mirarentur, quod similes Agrippæ viro filios procrearet, quæ tot viris congrederetur, sibi licere (ait) adulteros admittere, cū à viro grauida esset. Sed raro pudorem seruat mulier, quæ pudicitiam amisit. Sunt nonnullæ quæ turpitudinem suam verbis gaudeant profiteri, & labem animi atque corporis turpi etiam sermone indicant, quo facetæ magis esse videantur: vt Popilia Marci filia, quæ miranti cuidam quid esset quòd omnes bestiæ nunquam marem admittunt nisi suo tempore, cùm prægnantes vellent fieri, mulieres autem semper virum desiderarent, respondit: Bestiæ etenim sunt. Videat tamen vir, ne ipse qui familiam regit, cuius dicto omnes audiunt, & imperata pro legibus habent, vxori turpitudinis ac flagitij causam præbeat. Proinde caueat ne quid obscœni in vxoris conspectu vnquam loquatur. Qua in re nonnulli plurimum peccant, qui verborum obscœnitate & sermonis turpitudine vxores ad libidinem alliciunt, fabellisque ea docent, quibus illæ doctiores ad rem veneream fiant, alijsque amoribus incendantur. Quid quòd scurras viri nonnunquam aut parasitos inuitant, qui ea loquantur quæ frigidas quasque fœminas incenderent? Quàm sapiēter Hieron. Syracusanus Tyrannus, qui post Gelonem regna-

Augusti indulgentia nimia in filias.

Hieron.

regnauit, animaduertit in Epicharmum Comicum, quoniam astante vxore inter iocandum nimis lasciuè atque obscœnè locutus esset. Præterea multò diligentius abstineat se ab omni alieni corporis congressu, si pudicam cõiugem habere vult. Nulla enim iniuria sanctam connubij societatem magis dirimit, quàm adulterij non modò deprehensio, verum etiam suspicio. Optimè igitur Persæ grauiter in adulteros animaduertebant, quo firmior esset matrimonij societas. Clytemnestra apud poëtas non solum adultera, verùm conscia & adiutrix necis mariti inducitur. Sed cum cogitamus Agamemnonem eius virũ vlciscendi adulterij gratia ad expugnandam Troiam cum tot millibus Græcorum accessisse, & eum ipsum raptæ Briseidis amore adeò flagrasse, vt fortissimum Achillem eadem iniuria affecerit, quam in Paride vlciscebatur, Clytemnestræ facinus longè tolerabilius esse videbitur. Vlysses autem vxorem Penelopen pudicissimam expertus est, quandoquidem eam nulla iniuria lacessiuerit, & præ ea reginas ac deas (vt Homerus tradidit) contempserit. Viri continentia plerumque pudicas seruat vxores, & hominem ipsum longè magis commendatum reddit. Lælius Scipionis amicus felicior hoc vno habitus est, quòd in omni eius vita vni mulieri duntaxat congressus sit, vxori scilicet, quam vnicam habuit. Paucæ mulieres adeò modestæ sunt, adeoque viris indulgent, vt æquo animo pellicem patiantur. Vnam lectitasse memini, non sine admiratione, Tertij Aemylij prioris coniugem, Corneliæ matrem, quæ tantæ comitatis, tantæq; patientiæ fuit, vt cùm virum suum Aphricæ domitorẽ impatienter ancillam facie liberali adamare, & in delicijs habere sciret, rem semper dissimularit, ne virũ præstantissimum intemperantiæ reum faceret: quin etiam ab vltione tantum abfuit, vt mortuo Aemilio eandem manumitteret, libertoque suo non exigua cum dote matrimonio collocaret. Hanc tolerandæ pellicis modestiam, ne Iunoni quidem (quam Iouis magni sororem ac coniugem faciebant) tradiderunt veteres: quod præcipuè cerni potest eiusmodi epi-

Persæ grauiter in adulteros animaduertebant.

Agamẽnon.

Vlysses offendit castam Penelopen.

Lælius vni tantum mulieri congressus est.

ſtola. *Rex Alexander Iouis Hammonis filius Olympiadi matri ſalutem dicit.* Olympias verò reſcripſit ad hanc ſententiam. Amabo (inquit) mi filij quieſcas, neque deferas me, neque crimineris aduerſus Iunonem. Malum mihi prorſus illud magnum eſt, cum tu me literis tuis pellicem illi eſſe confiteris. Miti tamen ingenio Stratonicam Deiotari Galatiæ Regis vxorem fuiſſe comperi: nam cùm ſe liberis (qui regni ſucceſſores eſſent) carere animaduerteret, idque non viri vitio eſſe ſciret, marito perſuaſit, vt ex quacunque poſſet genitos ſibi ſupponeret, quod cum ille negligeret, ex ancillarum numero virginem forma præſtantem nomine Electram Deiotaro conciliauit, & ex ea genitos tanquam proprios filios educauit. Paucas verò in omni hominum memoria inuenire eſt eiuſmodi ingenio affectas, vt pellicem ferant, idcirco præfigenda eſt in domibus optima illa Iureconſultorum ratio, qua præcipitur: *Quod quiſque iuris in alterum ſtatuerit, ipſe quoque eodem iure vtatur.* Quid enim turpius eſt quàm ſua lege damnari? & in alijs reprehendere, quod tu ipſe committas? Ridicula res fuit in omni Romano populò cùm Caius Licinius qui legem ſtatuerat, ne quis amplius quàm quinquaginta agri iugera poſſet habere, damnatus eſt quòd mille iugera inuentus eſt poſſidere, quamquam per dolum dimidiam partem filio emancipaſſet. Turpe enim fuit Caio Licinio impetraſſe à Prætore, vt patri ſuo bonis interdiceretur, quòd ea diſſiparet, cū paulò pòſt rem omnem per luxum adeò prodegerit, vt hæreditatem eius nemo inuentus ſit, qui adire voluerit. Proinde iniqua omni ex parte videtur mihi lex illa vetuſtiſſima, quæ à Solone habet originem, qua dicit: *Si vir vxorem in adulterio deprehenderit, occidito: at ſi ea virum, ne digito eum attingito.* Ea lex cùm in cœtu aliquando matronarum recitaretur, magna comitate quædam ex earum numero arridens dixit: Planè video etiam id temporis fœminas è concilio virorum extruſas, nam ſi qua tum ibi extitiſſet, legem hanc nunquam in ſexum noſtrum graſſantem permiſiſſet. Iniqua etiā lex fuit apud Aegyptios

Lex Licinia.

Vir mulierem non mulier virum corrigit.

vt Diodorus refert: marem namque in adulterio deprehensum verberibus cædi iubet, fœminam vero naso mutilari, vt ea parte plectatur, qua magis facies honestatur. Aequius Iulius Cæsar, qui in adulterum adulteramque pariter capitali pœna animaduertendum censuit, quam quidem legem initio vrbis à Romulo editam fuisse refert Dionysius Halycarnasseus. In re tamē vxoria nihil difficilius electione. Virgines namque domi aluntur, & raro admodum egrediuntur foras, vt videri possint: quocirca impossibile penè factu est earum formam ac mores scrutari, quæ res quidē ancipites viros reddit quid acturi sint. Nō enim parui momenti est vxorem ducere, & cum ea perpetuam vitæ societatem inire, quæ tibi omni ex parte ignota sit. Hoc formidare videtur adolescens ille Terentianus, cū ait: *Aliquid monstri alunt, ea quando nemini obtrudi potest, itur ad me.* Virginum mores nulla alia ratione deprehendi, nisi ex parentum similitudine possunt. Verisimile namque est ex optimis parentibus filios non deterrimos gigni. Quocirca pudica mater castas alit filiolas: & quæ probrum in se non admisit, flagitium filiæ non perfert. De impudica vero parente quid sperandum sit, Iuuenalis docet, cùm ait:

Lex Iulia de adulterijs.

Vxoria electio periculosa.

Scilicet expectas vt tradat mater honestos,
Atque alios mores, quam quos habet? vtile porrò
Filiolam turpi vetulæ producere turpem.

Iuuenalis Sat. 6.

Tutius quidem in electione fœminæ cum viris agunt, minusque à fortuna ducuntur. Eos namque foris quotidie cernunt, & ex amicorum congressu facilè mores ac virtutes eorum sciscitari possunt. Pulchram vxorem plerique omnes adolescentes ducere cupiunt. Theophrasti tamen sententia est, *minore molestia deformem haberi, quàm formosam seruari.* Nihil enim tutum esse ducit, in quo totius populi vota suspirant, quandoquidem alius forma, alius ingenio, alius facundia, alius libertate sollicitat: & aliquo modo expugnatur, quod vndiq; incessitur. Hæc diuus Hieronymus de mēte Theophrasti philosophi ac eximii refert: sed quid agendum sit, optimè docuit

Fœmina virum facilius eligit bonum, quam vir fœminam.

vetuſtiſſimus poëta Ennius in Menalippes fabula,cũ ait,*eas fœminas incolumi pudicitia eſſe,quæ ſtata forma ſint.* Gellius hanc ſententiam declarat,aſſeritque eas ſtatę formæ eſſe, q̃ nec formoſiſſimæ,nec turpiſſimæ ſunt, ſed mediocritatem quandam habent, quæ quidem omnibus in rebus laudatiſſima eſt. Hæc ratio etiam ſatis eſt ad ſobolem procreandam. Nam venuſtas in fœminis plurimùm adiuuat,in viris dignitas gratiſſima eſſe cernitur.Hæc & plurima in delectu vxoris cogitãda ſunt,& illud imprimis,vt cenſu,genere & forma ſimilem ſibi deligat. Diſſimilitudo contemptum ac perpetuum iurgium parit,ſimilitudo autem amicos ſumma charitate deuincit. Prodeſt etiam plurimùm viro intactam vxorem ducere, & quæ nemini nupſerit.Duplex enim labor eſt ei qui viduam ducit. Prior,vt dedoceat alterius viri mores: alter, vt ſuis aſſuefaciat:quam rationem quidem, quamquam diſſimili artificio, tamen manifeſtè docuit Timothæus muſicus, qui duplicem mercedẽ exigebat à diſcipulis qui alium habuiſſent præceptorem. Nec medius fidius iniuria, difficilior namq; eſt obliuionis quàm memoriæ ratio, vt Themiſtocles Athenienſis ad Simonidem poëtam, qui memoriæ artem pollicebatur,ait: *Obliuionem quidem mallẽ,multa enim memini quæ obliuiſci cupio.* Heſiodus poëta librum ad fratrem Perſen ſcripſit,in quo docet quid patrẽfa.deceat. Ancillam teneræ ætatis emendum eſſe cenſet, quæ gratis moribus longè facilius imbuitur,quod quidem prçceptum ad vxorem facilè transfertur,quæ vt commoda ſit,maritoque facile obſequatur; omni ſtudio curandum eſt. Sunt qui dicant,in deligenda vxore quatuor eſſe debent: in quibus ſi quid ambigui muſſitatur,nihil omnino agendum eſt. Aetas deinde penſitanda eſt,quæ idonea ſit oportet,viroq; conueniens. Tertia ratio habenda eſt generis, tum quòd ad laudem poſteritatis accidit, tum quòd boni à bonis, & fortes à fortibus creantur, vt ait Flaccus. Quarta formæ non modo & iucundioris vitæ gratia, ſed ea ratione qua apud Maronem Iuno Aeolo vxorem pollicetur:

Fœmina quæ pudica.

Viduæ nuptias labor duplex comitatur.

Themiſtocles obliuionis artem memoriæ prætulit.

Vt pul-

Vt pulchra (inquit) *faciat te prole parentem.* *Virg. lib. 1. Æneid.*

His addunt nonnulli dotem, de qua parum admodum cogitandum puto, vbi reliqua suppetant. Aristoteles duo de viginti natas annos puellas nuptui collocandas censet, virum autem sexto & trigesimo ætatis anno oportunè vxorem ducere asserit. Eiusmodi ætates perfectæ sunt ad sobolem procreandam. Sed ad mores perdiscendos si minores aliquot annis essent, commodius arbitraretur, & præcipuè ætate nostra, in qua vitia in præcipiti sunt, vt satyricus ille ait, sententiamque Flacci Lyrici vsurpare possumus.

Aetas parentum peior auis tulit
Nos nequiores, mox q; daturos Progeniem vitiosiorem.

Multa enim malitia ante ætatem dicitur. Ab hac Aristotelis sententia Hesiodus & Xenophon discedere videntur, annum namque nuptiarum mulieri quintumdecimũ assignant, viro autem trigesimum. Licurgus cum Aristotele sentit, & rationem geniture habet, quãdo fœmina quinquagesimo ætatis anno parere desinit, vir autem quinto & septuagesimo gignere. Idem tamen Lycurgus docuit turpe esse ætatem illam sine nuptijs transgredi: nam eos infamia notari iussit, & ex theatris exigi, qui annos septem & triginta nati, sine vxoribus essent. Romani quoq; eosdem immunes ab omni publico munere faciebant, eosdem indignos ducebant à Republica honestari, qui eam ne sobole quidem adiuuare vellent. Instituat vxorem vir optimis moribus, ne cum ea minis, contumelia, aut verberibus agat: est enim seruile, & indignum familiari societate, quinimo obdurant plagis coniuges, vt pessima quædam seruitia, quæ vapulando deteriora fiunt, & verberibus magis magisque in dies in libidinem suam accenduntur: sic fœminæ longè minus dicto auscultant, perperamque omnia agunt, cùm inclementius à viris habẽtur, & occasionem deinde aliquando nactæ in omnem turpitudinem ruunt, nullaque maritalis coniugij habena, aut reuerentia retinentur. Atqui minimè se peccare putant, quãdo vltionem verberum excusare possunt.

Vir & mulier qua ætate cõiungẽdi.

Celibes Reip. muneribus indigni.

Ratione igitur cum illis agendum est, vt intelligant omnia pro communi vtilitate familiæ agi, proque dignitate atque honore coniugij. Secreta præterea matrimonij intra cubiculi parietes delitescant: malè enim sibi & pudicitiæ vxoris consulit vir, qui ea prodit quæ tacenda sunt. *Candaulus.* Candaulus Lydorum Rex vxorem habuit, cuius forma deperibat, nec satis ei erat illam omnibus prædicare, & matrimonij reticenda pandere, sed testem voluptatum suarum habere voluit: proinde eam nudam sodali suo Cycno (vel Gygi, vt Herodotus ait) ostendit, qua visa ille in amores eius ita exarsit, vt nihil amplius nisi qua fraude ea poriretur cogitaret. Hoc itaque tādem spectaculō cūm existimaret illa se à viro proditam, quasi ille alteri delicias suas alienasset, occidere virum adultero permisit: eique se & regnum tradidit: ita Candaulus regnū, vitam, & vxorem amisit, cum minores voluptates suas fieri silentio putaret. *Cleobuli præcepta duo de re vxoria.* Cleobulus Lydius, qui vnus è septem Græciæ sapientibus habitus fuit, duo in re vxoria optima præcepta tradidit, vnum: *vt cum ea nihil blanditijs agamus*, alterum: *vt præsentibus extraneis eam nunquam obiurgemus.* Illud enim vecordiæ esse ducebat, hoc autem vesaniæ. Credat præterea vir coniugi omnia quæ intra parietes domesticos sunt, eorumque dispensationem illi permittat: illa præstet sedulitatem domi, maritus autem industriam foris: illa filios nutriat, vir autem instituat. Sciat opus esse patrisfamiliâs curare quæ ad vsum familiæ spectant, & hoc non fenore aut turpi quæstu, sed aut ex agricultura, fructuque terræ, quę nunquam auara est, nunquam mentitur cultoribus suis, sed semper credita semina vberrimo fructu à fœnore restituit. Aequum etenim admodum esse videtur, vt communis omnium hominum mater liberos suos vberibus copijsque suis alat atque educat: aut si minus agere vult, vel ex liberalibus disciplinis debitam mercedem accipiat, qua se familiamque suam alat: vel mercaturam nauigationemque exerceat, vēdendo emendoque sine mendacio ac vanitate: aut alias honestas artes ad vsum ornatúmve ciuitatis, de quibus

quibus superius satis diximus. Præterea parta vt tueri sciat opus est: quam virtutem non minoris diligentiæ quàm superiorem plerique faciunt. In illa enim superiore, fortuna, in hac autem, prudētia magis cernitur: vnde & rectè admodum Ouidius poëta peregregius ait:

Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri,
Casus inest illic, hic erit artis opus.

Frustra enim susciperetur quærendi labor, vbi nulla parcendi ratio esset, & prodigendi dispendiū nullo vnquam lucro reparari posset. Nec aliud est cribraria vrna aquam haurire (quo supplicio apud inferos Danai filiæ cruciantur) quam quærere, & per luxum prodigere. Nolo tamē auaritia laborare patresfam. qua peste nulla perniciosior esse potest, nullaq; ab omni humanitate magis aliena. Auarus siquidem omnibus obest, omnibus est odio, nec sibi, nec suis aliquando prodest, nunquam lætatur, semper tristis est, morosus, anxius, & difficilis. Is vxori, non liberis familiæq; indulget, gratæque vitæ aliquid impartitur, verùm genij quoq; fraudator semper esurit, semperque sitit, & inexplebili auiditate torquetur: nihil vnquam quod satis sibi sit, accipere potest. Scitè admodum Attalus ille auarum famelico cani comparabat, qui ante mensam domini micæ panis frustum excipiens, eam quidem nullo gustu quam primùm integram deuorat: & aperto statim ore inhians aliam expectat, semperque ad spem futuri erectus est. Idem auaro accidit, qui lucrum, & omnia quæ sibi à fortuna porriguntur, sine vlla voluptate aut iocunditate ingurgitat, & quamprimum ad rapinam sese erigit. Optimè Apollonius poëta qui Argonautica scripsit, auaros sub figmento Harpyarum pinxit, quæ virgineo aspectu blandiuntur, vncis pedibus rapiūt, illuuie ventris omnia fœdant: de quibus præclarè Maro noster Mantuanus poëtarum excellentissimus dixit his versibus:

Auarus.

Harpia, dicūtur auari.

Æneid. 3.

Tristius haud illis monstrum, nec sæuior vlla
Pestis, & ira Deum Stygijs sese extulit vndis,
Virginei volucrum vultus, fœdissima ventris.

Prolu-

Proluuies, vncæq; manus, & pallida semper Ora fame.

Paterfam. qualis esse debet. Parcus sit igitur & continens paterfa. alienus ab omni luxu, elegantias deliciasque respuat, & quotidianã viuendi vsum ad valetudinem frugalitatemq; dimetiatur, imiteturq; Antoninũ cognomento Piũ, *Antoninus Pius frugalissimus.* cuius victum eiusmodi fuisse scribunt, vt in eo & *opulentia esset sine reprehensione, & parsimonia sine sordibus.* Non squallidus sit, non pannosus, familiámve sordidam habeat, sed ad mediocritatem omnia dirigat, & se, & suos, & vestem, & ornamẽta omnia sic instituat, vt medioctiter omnia agere videatur: imiteturque parentis mores, si rectè vixerit: præponatque sibi ante oculos veteres illos, qui secũdo totius populi rumore benè vixerunt. Imitantem enim eum qui rectis vestigijs antecedit iure optimo laudandum esse censeo. Fruatur rebus præsentibus & benè agendo meliora speret: Angusti siquidem animi est inopiam nimis formidare, & propterea non frui rebus quæ adsunt, quòd se cariturũ illis aliquando timeat. Hæc de officio viri satis. Nunc autem ad mulieris officium descendamus.

De officio vxoris, de virginitate, ac pudicitia. TIT. V.

CVra rei familiaris intra domesticos parietes solis matronis incumbit. Iniquum namque esset, vt vir qui quærendi studio foris laborat, & domum se recipit quasi in portum tranquillitatis post difficilem nauigationem etiã domi vexaretur, cùm relicta omni cura ocium requiemq; desiderans ad domesticos penates confugerit. Proinde sedulitatem præstet vxor, curamq; suscipiat omnium rerum quę domi sunt, secundũ pręscriptas leges mariti, cui omni ex parte parère debet. Temeraria omnino mihi videtur lex illa *Mulierum dominiũ apud Aegyptios.* apud Aegyptios, cuius meminit Diodorus Siculus, qua iubebatur vt in priuatis rebus mulier viro dominaretur, viriq; omnes intra penetralia ad arbitrium vxoris se victuros mutua stipulatione pollicebantur.

Hæc

Hæc constituta ab Iside eorum regina fuit, quàm lõgè pluris quàm Regem faciebant: idcirco irridenda sunt, & omni ex parte abolenda, quamuis incidi in columna sepulchri sui in Nisi vrbe Arabię Isis iusserit hæc verba quæ legibus statui nunquã solent. Pessimè namque in ea familia agitur, in qua fœminę dominãtur, viri autem parent. Fungatur igitur officio suo vxor, sed viribus imperij nunquam obliuiscatur. Præclarè Martialis ait:

Inferior matrona suo sit Prisce marito,
Non aliter fiunt fœmina virq; pares.

Supellectilem imprimis vxor, & quæ lauta magis sunt & ad vsum melioris vitæ reseruãda, siue ad muliebrem mundum, virilem ornatum, intra penetralia tutoria suo ordine disponat, vt si quando vsus poposcerit, in promptu sint, nec quærentem fallant. Est enim certissima paupertas, cùm rem quam habeas, desideres, & eius indigeas, ignoresq; quo loco projecta sit. Diligenter apud Xenophontem Socrates Ischomachum illum audit recensentẽ suis locis singula instrumenta, & domesticam supellectilem, vbi ille secernit, quæ ad rem diuinam pertinent, quæque ad mundum muliebrem, diesq; festos cõparata erant, deinde quæ ad virilem vsum, vt ornamenta dierum solennium, arma & tela, artiumque instrumenta disposita vsque ad muliebre lanificium. Taliter igitur matrona omnia quæ domi habet disponere debet, vt ad vsum facilè depromantur, rectè cõseruentur, oculũ dominæ non fallãt: vt si quando res aliqua ex suo loco translata sit, eã requirat vacuitate admonita, rursusq; collocet, quæ res quidẽ eam magno labore liberabunt, & penetralia ac recõditoria aspectu longè honestiora reddent. Esculenta præterea quib. in diem vescuntur, promptuarijs disponat, non longè ab instrumẽtis quib. cibos præparamus, quæ quidem non modò ordine suo disposita, verùm nitida & splendida esse debent, cum elegantia & gratia: alia verò cibaria conseruanda ad vsum plurimorum mensium, quæ vno penoris nomine propriè nuncupantur. Nam (vt Gellius cap. 1. lib. 4. ait) *penus non qua*

Ischomachus optimus œconomus.

Vxoris cura. penus.

esui potuique in dies singulos parantur dicenda sunt, sed ea potius quæ longè visionis gratia contrahuntur & recondantur, ex eo quod non in promptu sint, sed intus & penitus habeantur, penus dicta sunt. Ea igitur reconditoria habere debent magis abscondita, quæ sæpius tamen reuisenda sunt, & à puluere, situq; extergenda, ne à blatta, tinea, mure, noctuáve exedãtur. Et nẽ multus in his rebus penè vulgaribus sim, ita domi singula disponat matrona, vt omnia suo tempore cõseruentur, hospitum aspectum non reformident, & cùm adsint, non desiderentur. Præterea quæ esui potuique in dies singulos sunt, & prandij cœnæque gratia parantur, ita ad manum sint, vt nec ad ingluuiem atque ebrietatem familia ingurgitetur, nec ad nimiam parsimoniam esuriat ac sitiat. Mediocritatem igitur sequet, & sic vno eodemque tempore valetudini, reique familiari optimè consultum erit. Moderetur, & summa quidem diligentia, quæ ad seipsam spectant, & ornamenta in primis, quæ rem familiarem valde collabefactant. Magno enim emuntur, & paruo temporis curriculo aut vsu consumuntur, aut longè minoris væneunt. Pythagoras post diutinam peregrinationem Crotonã venit, ciuitatemq; offendit in desidiam luxuriamque prolapsam, propter desperationẽ profligati exercitus centum & viginti millium armatorum à parua Locrẽsium manu. Verùm cùm ad frugalitatem populum redigere vellet, matronas seorsum à viris allocutus est, easque ad pudicitiam, & ad obsequia virorum adhortabatur: tandemq; assecutus est, vt fœminæ auratas vestes, cæteraque ornamenta velut instrumenta luxuriæ deponerent, Iunonique consecrarent, præ se ferentes vera ornamenta mulierum pudicitiam pudoremque esse, non vestes. Ergo legis Voconiæ meminerint matronæ, quæ ad cõprimendos, coërcendosq; muliebres ornatus edita est. Quamuis enim domini rerũ esse Romani gloriarentur, tamen modũ luxuriæ muliebri statuendum esse censuerunt. Metiantur se ad similitudinem earum quæ modestissimæ in ciuitate habentur, quæque ab omnibus benè audiunt. Nihil namque magis formidare

Ornamenta muliebria rẽ familiarem collabefaciant.

Lex Voconia.

dare debet fœmina animi ingenui, quàm rumorem malum. Quæ enim semel malè audit siue iure siue etiam iniuria, magna cum difficultate populi famam recuperare potest. Deficiente aliquando (negligentia quadam) igne Vestali, putantibusque omnib. id pollutione accidisse, Aemiliam virginem suspectā habebant: quæ cùm id animaduerteret, his verbis deam deprecata est: *Vesta vrbis Romæ custos, siquidem piè & iustè sacra tibi annis paulò minus triginta perfeci, ostende mihi, nolique famam ac vitam meam negligere.* His dictis carbaseæ vestis, qua amicta erat, fasciam super aram iecit, nulloque antè igne existente, flamma statim emicuit, ita vt nec ciuitati lustratione, nec nouo opus esset igne. Eiusmodi miraculo vitæ periculum euasit innocens virgo Aemylia, vt Dionysius Halicarnasseus refert: cui quidem maiorem fidem adhibendam censeo in rebus Romanis quàm reliquis Græcis scriptoribus, quandoquidem Latinè optimè sciuit, habuit enim præceptorem M. Terentiū Varronem, cuius seruus fuit (vt ipse testatur) complurib⁹ annis, & hæc eruta ait ex libris heri sui de antiquitatibus. Claudia quoq; virgo Vestalis famosa etiam perperā habebatur in omni Romano populo, nec aliter à calumnia liberari, quam simili miraculo potuit: nam cùm nauis sacris Ideæ matris onusta in Tyberi fluuio hæreret, nec vllis humanis viribus trahi posset, palam deam precata dicitur Claudia, vt si de pudicitia sua ei constaret, se sequeretur, strictoque loco nauim omnibus spectantibus traxit, fidemque pudicitiæ numinis testimonio approbauit. Simili etiā modo impudicitiæ crimen deprecata dicitur Tuscia eiusdem numinis, nam Romano spectante populo cribrum arripuit, Vestamque inuocans ait: *Si castas sacris tuis semper admoui manus, effice vt aquam ex Tyberi haustam in ædem tuam perferam.* Quod quidem cum impetrasset, clamore & admiratione populi totius absoluta est. Hæc diligenter consideranda sunt, fœmina enim suspectæ pudicitiæ infelicem vitam agit, vera nempe est illa Basilidis Lyrici sententia asserētis, *egregium pictorem sic faciem speciosam coloribus ornare, quem-*

Æmilia virgo vestalis.

Dionys. Halicarnass. Varronis discipulus.

Tuscia.

admodum pudicitia surgentem vitam perpetuo decore honestat. Vera namque ornamenta fœminarum sunt modestiæ, pudicitiæ, pudorisque laudes, quæ nullo auro, nullis gemmis, aut margaritis cōparari possūt. Malè olenti cœni putor nullo odore vincitur, nec vnguento egent, qui per se benè olent. Atqui quando quidem nō omnia in optima etiam fœmina esse possunt, pudicitia sola est, quæ suppeditat quæcunque desunt. Hæc dotis inopiam auget, deformitatem nō modò ornat, verùm ad pulchritudinis speciem redigit, ignobilitatem illustrat, & denique omnia implet quæ aliqua ex parte deesse possent. Pudicitia gratam parentibus maioribusque matronam facit, quarū sanguinem nullo adulterio vitiatum suspicatur, hæc eadē liberis commendatissimam reddit, quibus nec de matre vnquam erubescendum est, nec de patre ambigendum: hæc deniq; efficit, vt neque iurgia, neque aduersam auditionem formidet, cùm sibi-ipsi conscia sit ab omni externi corporis congressu se innoxiam esse, pro qua non modò luctandum est omni certamine, verumetiam obeundum potius quā pudicitia aut virginitas amittatur. *Virgines Spartanæ.* Quinquaginta virgines Spartanæ nomen suū immortalitati commendarunt, nam cùm sacrificii gratia à parentibus ad Messenios hospitij more missæ essent, tanta libidinis impatientia in eas flagrarunt Messenij, vt contempto hospitalitatis iure ad stuprū eas poscerent: cumque illæ obluctarentur, ipsique eas violare vellent, nulla earū consensit, morique maluerunt, quàm virginitatem amittere. Quarum sanguinem Lacedæmonij Deo Optimo Maximo fauente magna victoria vlti sunt. Nicanor autem qui Thebas euertere potuit, cùm captæ virginis amore teneretur, eamque etiam in matrimonium posceret, expugnare non potuit, quippe gladio pectus suum transuerberauit exemploq; suo docuit, longè pluris pudicitiam quàm *Lucretia.* regnum ac vitam esse faciendam. Et Lucretia non dubitauit vitam pro pudicitia etiam amittere: & virginitatem ac pudicitiam vitæ præferendam, non modò Romani & Græci, sed & barbari in seruitute

etiam

etiã constituti censuerunt. Mithridates Ponti Rex ingenti prælio superatus à Romanis Pompeio duce, cũ in regni penetralia confugeret, adultam filiã Diripẽtinam nomine morbi asperitate vexatam Menophilo eunucho reliquit, in castello Gynorio optimè munitoris virginem omni remediorum cura pristinæ valetudini restitutam, patri tutissimè seruabat. Verùm cùm à Mallio prisco Imperatorum legato castellum obsideri cerneret, & defensores deditionem meditari, veritus ne puella captiua virginitatem hosti prostituere cogeretur eam gladio interemit, quo quidẽ ex vulnere auulso seipsum transfodit, ne minus diligens custos creditæ sibi pudicitiæ videretur. Secundum matronarum ornamentum est scitos habere filios,, & indolis peregregriæ, quod quanti faciundum sit, Cornelia Aemylij Pauli docuit, nam cùm mulier quædam Campana ad eam diuertisset, & lapillos, aurum, ac preciosam vestem ostentaret, rogaretque Corneliam, vt sibi ornamenta sua ostenderet, illa verbis eam protraxit, quoad è ludo literario filij redirent, quibus adductis: *Respice* (inquit) *lautam supellectilem meam omniaq; ornamenta, ac delitias meas.* Quæ persuasio optima est matronis omnibus, vt præ filius ornamenta omnia contemnant, mundumque muliebrem in spe liberorum collocent. Caueat præterea vxor, ne quid ficti, ne quid simulati, aut fucati cum viro agat. Quid turpius quàm se ostendere aliam, quàm ipsa sit? quod histriones faciunt, qui alterius sexus sepenumero personam gerunt, & cùm mares sint, fœminas simulant. Quinetiam tragœdi Reges in theatris videntur, & paulò pòst in popinis & ganeis delitescunt. Quid est aliud pœnitere sui ipsius, & se ipsam odio habere, quàm aliam faciem induere? Et visco, cerussa, fuco, alijsque pigmẽtis naturam violare? Quid quòd paulò pòst ablutis adulterinis coloribus ad formam pristinam redit, nõ sine irrisione omnium familiarium, & cum damno etiam natiuæ venustatis? Ex illis namque venenis rugæ antè tempus faciem arant, oculi caligant, dentes obscuriores fiunt, *animaque vxoris,* (vt Plautus ait) *pes-*

Diripentina virgo.

Cornelia.

Filij bona indolis sunt parentũ lauta suppellex.

ſimè olet. His commenticijs coloribus fœditatem a-ſpectus, & contemptum ſibi comparant, odiumque viri, & præſertim, *cùm miſeri viſcantur labra mariti*, vt fa-cetè admodum Satyricus ille refert. Serici velleris, & lanæ pannorumque infectores vna dilutione perpe-tuum colorem faciunt: mulieres autem compluri-bus ac penè infinitis naturæ colorem ac venuſtatem fu-cant. Agat igitur cum viro vxor ſine fraude, ſed quæ ei oſtendat qualem natura fecit. Terſa tamen ſit & munda, pexo capillo ac nitido ſine vnguento ac fu-co, & eiuſmodi ornamentis, quib⁹ naturalis nitor & venuſtas offendatur, nec prætendatur oſtentatio ali-que corrupti animi, quòd tamē tum vel maximè ex-tat, cùm impudico nimioque ornamento incede-ntes nonnullæ amatoribus ſuis ſe vltro polliceri vi-dentur. Poppæa Neronis Cæſaris vxor non modò ludibrio habita fuit, dum cutem præ nimia indul-gentia venuſtatis ac formæ curaret, verùm perpetuā ignominiam contraxit. Scribunt namque non ſolum poëtæ, ſed hiſtorici nonnulli eam non diſſimulatè, ſed manifeſtè admodum cuticulam curaſſe, ſemper-que aſſerunt aſinarum gregibus eam fuiſſe comita-tam, vt earū lacte os aſſiduè foueret, quo pulchrior videretur. Malè enim ſperandum eſt de ea, quæ fo-ris pulchritudinis laudem quærit. Præclarè Thucy-dides eam optimam vxorem definit, de cuius laude vel ignominia minimus rumor habetur. Spartanis vir-ginibus aperta facie vt incederent, per leges licebat donec nuberent, vt viros inuenirent: poſtquam verò nupſerant, caput ac faciem tegebant, vt quæ viros non quærerent, ſed inuentos tuerentur. Atqui Gor-gias Leontinus domi aſſeruādas vxores voluit, quod quidem minimè placet, ſed rarò vt egrediantur, ſum-moperè laudo. Fœmina enim ambulatrix raro pudi-ca eſſe poteſt. Græcorum conſuetudo hac in re pro-banda eſt, qui vxores in conuiuium nunquam adhi-bent, niſi propinquorum, neque ſedere eas patiun-tur, niſi in interiore parte ædium, quo nemo accedit, niſi propinqua affinitate cōiunctus. Simili etiam cō-ſuetudine probantur Parthi, qui non cum vxoribus ſed

Iuuena. ſat. 6.

Lac aſininum frontem ſtriatam polit.

Græcorum mos.

Parthorum conſuetudo.

sed cum concubinis conuiuia ineunt, vt qui arbitrantur coniuges domi modicè admodum asseruandas esse, pellices antem deducendas ad lasciuiam ac petulantiam in publicum. Optimas viri constitutiones, domesticaque præcepta, leges sibi vxor quasi à Deo datas, propter matrimonij dignitatẽ existimare debet, eisq; omni ex partẽ parere, dummodo nihil iniustum, nihilque turpe in illis præscribatur. Seruanda siquidem in matrimonio sancta illa amicitiæ lex, quæ à Cicerone in Lælio ponitur, vt scilicet ab amicis honesta petamus, & eorũ causa non nisi honesta agamus. Meminisse enim coniuges perpetuò debẽt commercium suum non voluptatis aut turpidinis causa institutum esse, sed ad perpetuã vitæ societatem, & ad propagandam sobolem, qua quidem memoria nomenque nostrum diutius conseruetur. Præstet se vxor viro vnanimem, ac cõcordem omnibus in rebus: nihil enim mortalibus melius esse potest (vt Aristoteles in libris de re familiari testis est) quàm vt concordi voluntate vir & vxor domum gubernent. Et alia ex parte nihil deterius quàm familiaris discordia iurgiaq; domestica. Gorgias Leontius orator disertissimus, cùm magna discordia vrbes omnes Græciæ laborarent, præclarum de concordia scripsit librum, cumque eum cum magno populi assensu plausuque Olympiæ recitaret, Medentius æmulus & obtrectator eius exclamauit, *ridiculum admodum sibi videri, vt is concordiæ præcepta alijs daret, qui se, vxorem, & ancillam, tres vna in domo concordare nequiret.* Pellicem namque sibi vxor ancillam propter formæ præstantiam verebatur, idcirco Gorgiam quotidianis iurgijs vexabat. Tollãtur igitur è medio omnes suspicionis causæ quibus animi exagitari possint, & sic in coniugio viuatur, vt nemo foris videre possit, quæ intus agantur. Secreta enim omnia in matrimonio esse debent. Silentium in re vxoria esse debere, consuetudine & exemplo Athenienses docuerunt. Nam cùm bellum contra eos gereret Philippus Macedo, & eorum exploratores Olympiadis literas ad Philippum intercepissent, eas intactas inuiolatas-

Gorgias Leõtinus.

que reddi iusserunt, quæ coniugis arcana ne hosti quidem scire licere arbitrabantur. Absit à re vxoria ira omnis & stomachus, quę plerunque amorem labetiorem reddunt, adeoque omnino diminuunt, & rem domesticam turbant, faciuntque cōnubium iniucundum. Hoc veteres vt præciperent, consueuere, cùm Iunoni matrimonij Deæ sacrificarent, hostiæ fel eximere, quasi à re couiugali bilem atque iracundiam auferri oportere significantes. Secundæ fortunæ non modò se sociam viro præstare debet vxor, sed etiam aduersæ, atque nihil est quod magis fœminas commendet, eosque ab omni obliuione vindicet, quâm cum cedente fortuna, & ingruentibus rebus aduersis in officio permanent, fidemque viro præstāt: Iniquum namq; esset prospera fortuna cum viro frui, aduersa autem fugere, quod meretricis non vxoris esse Horatius ostendit, vbi de fortuna loquitur, Ode xxxv. lib. j.

Fel hostia Iunonia cur eximebant antiqui.

Horatius, lib. 1. Od. 35.

Te spes, & albo rara fides colit
Velata panno, nec comitem abnegat.
Vtcunque mutata potentes
Veste domos inimica linquis.
At vulgus infidum, & meretrix retro
Periuria cedit.

Alcestim nulla vnquam obliuio ab hominum memoria delebit, quæ Admeti viri fata vltro subire voluit, sic etiam Penelopen, quæ non diuturnitate temporis à toro sciuncta, non infelicitate viri, varijsque rumoribus vexata, non à tot procis atque amatoribus desiderata expugnari potuit, vt à mariti desiderio ac fide aliqua ex parte discederet. Sed quid fabulas aut poëtarum figmenta narramus, cùm vxoris fides tot Romanorum fœminarum exemplis illustrata sit? quæ vel maritorum infelicitatem vitæ periculo [illegible]atatæ sunt, vel relicta meliore fortuna viros comitatæ? Quintus Lucretius cum compluarib. alijs, qui nullum perfugiū inuenerunt, proscriptus à Triumuiris fuit, vxor tamē eius Turia non sine magno periculo inter camerā & tectum cubiculi abditū, tutū tenuit, donec meliori fortunæ redderetur. Sulpitia autem quam-

Turia Q. Lucretij vxor.

quamuis diligentissimè à matre custodiretur, virum tamen Lentulum itidem à triumuiris proscriptum in Siciliam vsque prosecuta est, patriamque excellẽtissimam, parentes ac necessarios omnes amittere maluit, quàm fidem coniugij aliqua ex parte deserere. Harum igitur illustrium fœminarum exempla sequatur optima matrona, nihilque putet iucundi sibi accidere posse sine viro, nihilque toleratu difficile cum viro sibi esse videatur, cum quo cõmunia omnia esse arbitretur, oblita omnium aliarum necessitudinum. Solet plerumque disputari, an optima matrona mortuo viro alteri nubat, & præcipuè cùm fœminæ vinculis longè magis quàm viri se applicent: & nullum alium virum cognoscere, arctioris indulgentiæ maiorisque amoris vinculum esse videatur: qua quidem in re facilè dicere possumus ingenui esse animi non nisi vni viro coniungi, & hac in re turturis naturam imitari, quam dilgentissimi naturæ indagatores asserunt, si parem amiserit, nunquam alterius cõgressum quærere. Et vetustissimi Romani eam fœminam corona pudicitiæ honestabant, quæ vno contenta matrimonio tantum fuisset, perpetuaque viduitate incorrupti animi syncceritatem ostendisset, impatiens enim libidinis esse videtur illa quæ rursus nubit. Et præcipuè si liberos habet, matrimonij pignora, & mortuum virum facie ac nomine exprimentes, quam quidem sententiam Elissæ verbis elegantissimè exprimere videtur Maro Mantuanus cùm se viduam ac desertam quereretur his versibus.

A Tertulliano & alijs.

Turturis natura.

Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset
Ante fugam soboles, si quis mihi paruulus aula
Luderet Aeneas: qui te tantùm ore referret,
Non equidem omnino capta ac deserta viderer.

Quid quòd ea quæ rursus nubit, impia in liberos esse cernitur, quos orbatos patre & ab omnibus destitutos, quasi in limine vitæ negligit, eo etiam tempore quo magis parentis ope indigere vidẽtur? Quæ ratio quidem omnibus persuadere debet, vt viduæ cùm liberis pudicitiam seruent, nec rursus fortunam experiantur, à qua semel deceptæ vix meliorem sortẽ

ſperare poſſint, cum honori ac liberis omnino malè conſulant. *Ania.* Ania, Romanæ nobilitatis animum oſtendit, cum eius propinqui ac neceſſarij ei ſuaderent vt alteri nuberet, cùm integra adhuc ætate, & facie optima eſſet, inquit enim, ſe nequaquã eſſe facturam. Nam ſi virum bonum, inquit, inuenero, vt antè habui, nolo perpetuò formidare ne perdam, ſin malum, quid neceſſe habeo malum experiri, cum optimum priorem fuerim experta? Illuſa enim prioris viri fato, ſapienter feciſſe videtur, ſi maritali fortunæ rurſus ſe credere noluit. *Portia minor.* Sed Porcia minor Catonis filia, firma ac cenſoria ſententia declarauit, quid pudicam fœminam deceat, nam cùm apud eam (vt moris eſt) laudaretur mulier quædam, quæ rurſus nupſerat: Tacete inquit: *Nam neque fœlix neque benè morata aut pudica eſſe poteſt fœmina, quæ ſecundo nubit.* Laudat ſummopere Plutarchus Corneliæ Gracchorum matris viduitatem, ad hanc fere ſententiam: *Cornelia Gracchorũ mater.* *Cornelia, filiorum & familiæ cura ſuſcepta, poſt mortem viri talem ſe præbuit, vt non malè conſuluiſſe Tiberius videretur, qui pro eius ſalute occubuit.* Nam Ptolomæi Regis nuptias reſpuit, & cum ille regni & diadematis communionem ſibi offerret, vidua quàm regina eſſe maluit. Debet enim optima matrona quæ vidua eſt perpetuò putare cum cui ſemel conſenſerit, cuique vni adhæſerit, viuere, animoque illi ſemper hærere, veluti ſi peregrè militiæ ue eſſet. *Valeria.* Quod quidem effecit Valeria Meſſalæ ſoror, quæ cùm à propinquis rogaretur cur amiſſo viro nulli nuberet? *ait ſibi virum ſemper viuere Seruium,* putabat enim virum ſibi viuere, quem animo geſtabat, à cuius memoria ne mors quidem eum eripere poterat. O ſententiam ſingularem, & excellentiſſima matrona dignam, qua declaratur non corporis illecebris, ſed animi affectu matrimoniũ tueri. Quod quidem probauit Democionis Athenienſis filia, quę quamuis virgo eſſet, cùm audiuiſſet Leoſthenis ſpõſi mortẽ, qui in bello Lemniaco occubuerat, ſeipſam interemit, aſſerens, quanquam intacta eſſet corpore, tamen ſi alterum cogeretur accipere, ſecundum deciperet, cùm priori animo nupſiſſet. Tolerabilius tamen

men agunt qui in primo ætatis flore ad secundas nuptias transeunt, si liberis carent. Student namque singula animalia sobolem propagare, & liberorum gratia se collocare potius quàm libidinis, æquius omnino esse videtur. Sed si qua impatiens libidinis esset, nec sine viro castè degere posset, optimi consilij esse puto, vt rursus nubat. Malo siquidem viduitatis laude careat, quàm pudicitiæ, illa enim sine ignominia ac turpitudine, hæc autem non sine probro ac dedecore amittitur. Demùm præcepta duo optima quæque vxor à nobis accipere debet, vnũ, vt viro omnia relinquat agenda quæ foris sunt, ipsa autem agat quę intra parietes domesticos fiunt. Turpè enim est mulieri quærere aut sciscitari quæ foris agantur, & nonnulla aliquando quæ ociosi viri à rebus suis quęrunt. De rebus alienis taceat, de Republica deq; rebus bellicis nihil loquatur, rem familiarem tantùm palestrã actionum suarum, & sermonis sui campum esse putet, quæ eius industriam semper exigit, nunquamque eã cessare sinit, quippe quæ intra penetralia assiduas honestasque artes exhibet ad familiæ vtilitatem. Lini namque vsus in fœminis magnæ semper laudis extitit. Isis quidem apud Aegyptios habita est, quòd nendi texendique lini artem plerasque virgines docuerit. Et Lyde quæ Arachne cognomento dicitur, propter leuitatẽ torquendi staminis laudatur à Græcis scriptoribus. Sic & Penelope etiam propter telæ sedulitatem. Et Lucretiam summopere commendabit historia Romana, pudicitiæque ei testimoniũ reddidit, quòd non lusionibus intenta (vt regiæ mulieres) inuenta sit, sed inter ancillas pensa deducens, seruili etiam habitu induta. Ferunt quoque Caiam Cecillam Tarquinij prisci Regis coniugẽ optimã fuisse lanificam: cuius quidẽ exemplo institutum, vt nouæ nuptæ ante mariti ianuam rogarentur quod nomen profiteri vellent: quæ omnes respondebant se Caias esse, vt lanificij peritiam sedulitatemque in primo etiam maritalis liminis ingressu ostenderent.

Linificium.
Isis docuit.
Arachne Lyde dicta, de quo Ouid. Metam.
Penelope.
Lucretia.

Alterum præceptum est, vt mulieres mariti sui parentes omni beneuolentia complectantur, ne in

eas

eas id iure optimo dici possit, quod propter peruersum animum iam in prouerbio est. *Omnes nurus socrus suas odio habere.* Male siquidem de viro merita est vxor cuius parentes ab ea male habẽtur, & probro ac iurgijs assiduè vexantur. Hinc altercationes ac dissidia inter domesticos, & quærimoniæ in omni vicinia, cùm aliud socrus, aliud nurus obloquitur. Hinc indignationes & lites inter affines, quarum semper author vxor esse videtur. Qua quidem opinione ductus Geminus Varus Orator peregregius, *cælibem eum esse ait, qui non litigaret.* Demum cum viro taliter viuat, taliterque versetur, etiam in intimis penetralibus, vt vxoriam dignitatem nunquam deserere videatur, vtque maritus cognoscat aliud esse meretrici, aliud vxori congredi. Ne illud Herodoti historici excellentissimi in eam iure optimo intorqueri possit: *Mulier cum veste verecũdiam omnem deponit.* Perniciosum namque atque scelestissimum præceptum est ad vxorem illius Poëtæ, qui singulis penè versibus labem detegit cum inquit:

Lucretia toto
Sit licet vsq; die, Thaida nocte volo.

Meminerit igitur se vxorem esse, maritalibusque ceremonijs quasi initiatam non autem prostibulam poscinummiam, aut diobolarem: quæ quidẽ res gratiam mariti eidem conciliabit, & suspicione nõ parua liberum reddet, cum cognoscet eam rudem esse, & Veneris Præceptorem neminem habuisse. Quàm gratum enim fuisse opinamur Hieroni Syracusano vxoris responsum, quamquam ab omni suspicione alienum, qui obiurgatus aliquando à quodam familiari suo, quòd os ei malè oleret, & ipse nullis remedijs vteretur, ait, *id sibi anteid temporis semper fuisse obscurum vxoremq; increpauit, quòd hac de re eum nunquam monuisset; cui vxor verecunde se excusans. Mi vir inquit, noli mihi succensere, putabam enim viros omnes ita olere,* proinde tacuit. Sic & Armenia cum Tigrane viro à Cyri conuiuio domum rediens, alijs omnibus Cyri pulchritudinem laudantibus, interrogata à viro quid de Cyri dignitate sentiret, ait: *Abs te mi vir oculos nunquam deflexi*

Hieron. Syracusanus tyrannus.

Armenia Tigranis vxor.

lexi. Itaque qualis alieni viri forma sit, coniugata prorsus ignoret. Et hæc de matronis satis. Nunc autẽ ad communes liberos alendos atque educandos, qui vniusq; parentis officium expectant, descendamus.

De officio parentum in alendis educandisq; liberis. TIT. VI.

DE alendis educandisque liberis multi sunt qui præcepta tradiderunt, & præcipuè ex Græcis, qui copia scriptorum nationes omnes antecellunt. Proinde satis fortasse esset iudicium aliorum sequi, lectoribusque relinquere, vt illorum scripta diligenter inquirant. Sed quando de optimo Reipubl. statu orsus dicere nonnulla scripsi, quæ ad rem familiarem pertinent (sunt enim familiæ ipsæ quasi seminarium Rerumpublicarum) & nulla cura diligentior habenda sit ab optimo patrefamiliâs, quàm in educandis filijs, inconueniẽs fortasse esset hanc rem tacito silentio præterire. De qua quidem pauca dicã, reliqua illis relinquens qui de hac parte volumina ediderint. Duæ rationes in liberis educandis in primis considerandæ sunt: quarum vna ad matrem præcipuè spectat, altera verò ad parentem ipsum. Prima quidem ratio viuendi est, secunda autem benè viuendi. Illa quoniam domi agitur matri incumbit, quæ domesticarum rerum moderatrix esse debet secundum præscriptas sibi leges à marito, vt superius dictum est. Cogitabit igitur matrona quæ grauida est, se filium parituram, magnamque diligentiam præstabit ne futuro homini antequam in lucem venerit, aliqua ex parte obsit. Et in primis corpus suum curabit, cibumque modestè sumet, & eum quidem qui alat firmetque fœtum, non autem imbecilliorem reddat. Nimiam desidiam vitabit. Lenis enim deambulatio vtilis est, & longè faciliores nixus in pariendo præstat. Cauebit tamen labores omnes, & saltum præcipuè: quod quidem exemplo docuit Hippocrates. Nam cùm mulier quædã acceptum humanum semen non eiecisset, eum rogauit:

Mulieris grauida regimẽ.

uit:ne grauida remaneret.Ille autem suasit, vt quotidie desiliendo semen saltibus excitaret,&sic septimo die conceptum saltu eiecit,iam tenui folliculo obductũ , quale in ouo ab exteriore testa clausum humorem cernimus,vel qualis est cicus qui grana mali punici discriminat.Nocet etiã timor,& nimia voluptas, nimiaque libido quibus in rebus multum à prægnatibus peccatur. Quota enim quæque inuenitur, quæ cogitet,ne quotidiano victu abortiuum deijciat, aut mancum , debilem , valetudinarium , morbosumue pariat? Nonnullæ enim tripudijs saltuque in choreis ac conuiuijs adeo agitantur, vt præ nimio labore aut partum excludant,aut exilem admodum ac debilem reddant.Aliæ autẽ vt graciliores amatoribus videantur,adeò se cinctu comprimunt, vt plurimũ sibi ventrique obsint. Quædam ad crapulam vsque se cibo vinoque ingurgitant,pleręque verò acidis crudisque pomis ad lassitudinem vsque stomachum fatigant. Omitto libidines & turpia quædam, quæ sermones reformidant, quibus non modo abortiui excluduntur, verùm monstris turpissima eduntur. Erit igitur optimæ fœminæ beneque moratæ matronæ in primis cogitare cùm grauida est, se hominem in vtero gestare, qua sarcina nulla gratior, nullaque præstantior mortalibus esse potest,quæ cogitatio efficiet, vt omnia quæ esui potuique sunt, summa cum modestia ac temperantia accipiat: noxios etiam cibos omnes cauebit,& omnia declinabit quę aliqua ex parte fœtui nocitura esse arbitrabitur.Postquam verò in lucem venerit is quem in aluo abditum ignorabat, vberibus suis,& eo fonte nutriet, quem prouida natura tanta vbertate in eius pectore præparauit. Pessimè admodum meriti de liberis mihi videntur illi, qui filios quo tempore magis materna ope indigent, aliò mittunt, & ancillæ rusticisue nonnullis eos alendos tradunt, quibus ne catellam quidem quam in delicijs habent, tuto crederent. Quid quòd nec integræ matres,sed dimidiatę esse videntur illę,quæ ex suo sanguine in vtero alũt, quē deinde à lacte statim depellunt,alioq; ablegant? An sibi persuadent ma-

Puer editus quomodo alendus.

mam

marum tubera à natura tradita ad pectoris ornamentum, & non ad liberorum alimoniam? Atqui nonnullas scimus venenis, pessimisque medicamẽtis sanctissimum illum fontem humani generis educatorẽ arefacere, non sine periculo aduersæ etiam valetudinis, quo venustæ magis esse videantur, & amatoribus gratiores fiant: quod quidem scelus paululum abest ab earum sæuitia, quæ quibusdam potionibus efficiunt, vt concepti iam fœtus abortitur, ne illud fortasse audiant ab adulteris, quod more suo Valerius Martialis ait in meretricem quandam, quæ aspectum nuda verebatur: *Sumpsit ex Gellio.* *Martialis.*

Aut tibi pannosæ pendent à pectore mammæ:
Aut rugas vteri prodere nuda times.

Vix dici potest quantum conferat ad ingenij formæque similitudinem, lactis alimonia: quod quidem vel ex hoc cerni licet, nam si hædi ouium lacte aluntur, vel agni caprarum, in his lanam duriorem crescere, in illis autem capillum teneriorem constat. Agni etiam qui casu aliquo non à matre, sed ab alia aliqua oue aluntur, si similtudinem aliquã à nutrice trahũt, hos alio quoq; nomine vocari Varro ait in libro ij. de agricultura ad Nigrum Turannium, his verbis: *Subrumi appellantur agni, cum mater parum habet lactis, & subijciuntur sub alterius mammam. Mamma enim rumus antiquo vocabulo dicebatur, inde rumare, sugere significat.* Degenerant à parentibus, qui alienæ nutrici traduntur, nec medius fidius id ab re est, sanguis enim ille opifex humani generis in penetralibus, nato puero maternum pectus irrigat, & spiritu, ac colore confotus albus fit, alimoniamque similẽ illi lactenti puero præbet, quem paulò antè in visceribus tradiderat. Quibus ex rebus sic similis plerumque matri partus oritur, vt propter semen ipsum, in quo maior est potentia, patris similitudinem ducit. Præclarè Virgilius ait, cum Homeri versus imitaretur, in quibus ille duriciem Achillis à genitura partuque contractam exprobaret, addidit: *Lactis in alenda sobole vis.* *Subrumi agni.* *Lac vnde fit.* *Æneid. 4.*

Hircanaq; admorunt vbera tigres.

Vt nutricem truculentam feram faceret, cùm de

solis

ſolis parentibus ille dixerit. Pulchrè igitur adiecit noſter Poëta, tigres: vt oſtenderet infantem à nutricis natura plurima vitia cum lacte ducere, ſic etiam Theocritus Cupidinem incuſans, leenæ mammas eum ſuxiſſe dicit: Et Ouidius cùm ſæuitiam cuiuſdã increparet, ait:

Ouid. lib. de Ponto.

Natus es ex ſcopulis nutritus lacte ferino,
Et dicam ſilices pectus habere tuum.

Vnde quotidie cernimus nonnullos temulentos eſſe ac ſeruiles, quòd ſeruam aut temulentam nutricem habuerunt. Proinde non permittat optima mater alieni lactis contagione filium ſuum infici, præſtetque ſe integram parentem, optimè etiam de filio meritam: quem proniorem ad referendam gratiam reddet, cùm adoleuerit, ſi ſe materno lacte non defraudatum in primordijs vitæ ſuæ ſenſerit. Beneficiũ enim materni lactis tanti meriti fuit apud veteres, vt impetraturæ durius quippiam à filijs matres, per lac quod illis præbuerant, ſemper poſcerent, nephaſq; habebatur, niſi filios exoraſſent. Vnde Antipater Macedo crudelior habitus eſt quòd matri mortem per vbera materna deprecanti, nõ pepercit. Hac quidem ex re non modò gratiã & vtilitatem conſequitur mater, ſed voluptatem etiam peringentem. Quæ enim deliciç iucundiores lactẽte filio? cuius blæſa locutio, difficilis verborum conatus, ſuauis riſus, & vernacula illa feſtiuitas omnes ſcurras ac mimos longè anteire mihi videtur. Non ſimiæ aut catuli ad animi relaxationem quærendi ſunt, vbi pueri repũt. Poëtæ Veneri (quàm voluptatum Deam eſſe dicunt) Iocum & Cupidinem comites faciunt, vt oſtendãt nihil gratius puerilibus illis luſionibus inueniri poſſe, quod etiam indicauit Iulius Cæſar. Nam cùm Romæ diuites quoſdam peregrinos cerneret catulos ac ſimias gremio magna cum oblectatione circumferre, rogauit eos, *nunquid eorum coniuges liberos parerent*? qua voce oſtendit nullas alias delicias quærendas eſſe, vbi filij adſint. Cauere in primis debent lactantes, ne cibum alienum ab infantium valetudine ſumant, néve nimio labore fatigentur, aliúdue agant, quod lac inficiat,

ficiat,aut exhauriat. Aristoteles vinum non modo pueris dari prohibet,sed etiã nutricibus. Nihil enim interesset ait puerine,an illæ accipiant,cùm ex illis alimenta ducantur, quod quidem præceptum latius accipere debemus,& intelligere omnia quę vsui potuique nutricibus apponuntur, tali ratione metienda esse,vt infantibus benè consulatur. Celsus autem Cornelius (vt manifesta coniectura assequi possumus) non vt omnino à vino abstineant nutrices præcipit, sed vt modestè admodum illud sumant, & æstiuo quidem tempore dilutius,hyberno autem meracius: cuius quidem sententia aliquid etiam moribus nostris indulgere videtur. Supplicium namquę non leue esset mulieribus nostris, à vino perpetuo abstinere: satis est ab illis extorquere ne illo se ingurgitent, sed moderatè sumant: non enim obseruant nostræ institutum illud vetustissimum Romanorum mulierum, quibus vini vsus incognitus erat, & impudica illa omnino habebatur, quæ vinum olebat. Cicero in quarto de Republ. retulit fœminas id obseruasse verecundiæ gratia, non alicuius animaduersionis timore, his verbis: *Magnam habet vim disciplina verecundiæ, carent enim temeto omnes mulieres:* quã ex re facilè conijcere possumus, quàm diligentes fuerint in seruanda pudicitia, quæ ne temetum olerent, velut probrum verebantur. Atqui Cato(vt Plinius refert in quarto decimo libro historiæ naturalis) nullam aliam ob causam propinquos fœminis osculum libare solitos ait,nisi vt scirent an vinum olerent:ex quo quidem indiciũ pudicitię sumebant. Hoc etiam testari videtur Iuuenalis cùm ait:

Nutricibus nihil dandum quod indignũ sit filijs.

Fœminis cur oscula libabant viri.

Satyra 6.

Paucæ adeo Cereris vittas contingere dignæ
Quarum non timeat pater oscula.

Quã anxius pudicitiæ pater esset, vbi vini odorẽ in filia deprehendisset. Hanc verecundiæ obseruantiam Dionysius Halicarnasseus Romuli legem fuisse asserit, qua quidem morte puniebantur temulentæ fœminæ: nam corruptionis principium ebrietatem putauit esse Romulus:sed Ciceronis sententia verior mihi esse videtur, eius namque authoritas in rebus

Latinis reliquos omnes authores frangit: quocirca ab eo nusquam aberrandum censeo. Hanc veterem Romanorum fœminarum consuetudinem ad nostram vsque ætatem mulieres Caietanę, quibus pontificia dignitate præsumus, obseruant: vix enim vigesimam quamque reperi, quæ vini vsum nouerit, & post partum quidem virorum iussu, & medicorum consilio: nam virgines penè omnes abstemiæ sunt.

Membra puerorũ fingenda. Membra puerorum sensim nutricis manibus fingenda sunt, fasciaque corpusculum ab humeris ad thalos vsque deuinciendum, leuius tamen circa pectus, ac thoracem, latitudo namque illorum membrorum ad dignitatem ac robur viri plurimùm confert, strictius aliquantulum circa ventriculum ac pubem, quo solidior fiat pecten & venter, non vltra speciem protendatur. *Vagitus pueris vtilis.* Vagitum pueris vtiliter à natura datum Aristoteles affirmat, vbi de puerorum cura in libris de Repub. loquitur. Putat namque *illum quasi conatum incrementi esse, & dilatandi pectoris ac præcordiorum vim facere*: quocirca ne comprimatur à nutricibus vagitus præcipit. Lactis solùm alimonia ad decimum vsque mensem eo valde abundat nutrix, alatur deinde interdiu leui quadam propinatione (vt veteres dixerunt) eo fouere præstat. Minima enim mensa corpusculum aliquantulum firmat, & paulatim insuescit stomachus duriorem escam cōcoquere. Tali alimento alatur, quoad anniculus sit, deinde cum lacte simul cibis firmioribus consuescat, & bimus deinde factus à lacte prohibeatur. Nam si malæ valetudinis, aut exilis admodum sit infans, imbecillitas nonnunquam à parētibus trahitur, siue propter malam habitudinem, siue propter ætatem. In omnib. quidem animalibus (vt ait Aristoteles) imperfecti sunt iuuenum fœtus. Nati septimo mense exiles magis sunt, quàm nouo, quocirca prægnantes maiorem diligentiam adhibere debent, ne abortiuum eijciāt, quod quidem præsciri posse Hippocrates docet. Aut in septuagesimo die in vtero matris conceptum moueri ait, aut nonagesimo. Dies ergo motus vter fuerit

tri

ter multiplicatus,aut septimum,aut nonum mensem exprimit,sic diligēs mater ante partum, sui temporis præscia erit. Pharmacis & antidotis abstineant nutrices,nisi in aduersa valetudine,nec tale quippiam pueris præbeant ante septimum annum,si Celso Cornelio auscultare volunt. Asclepiades tamen remedia contra lumbricos ante id ætatis, dilutis potionibus etiam danda esse asserit.Et paululum quippiam Agarici in febricula non esse alienum censeo: sed medicamentis (quantū fieri potest) in teneris infantibus abstinendum est, ne illis quamprimum assuescant. Videmus namque nōnullas mulieres nimia quadam indulgentia firmis etiam filiolis ea diluere, quæ minus prosunt, & naturam segnem atque imbecillem reddunt.Cauendum namque est (vt Celsus ait) ne in secunda valetudine, aduersa præsidia consumantur, quocirca sanum hominem qui benè valet, & suæ (vt ipse ait) spontis est, nullum cibi genus fugere vult, quo populus vtatur:bisque eum die potius quàm semel cibum capere, nec minus etiam quàm stomachus concoquere posset: huncque varium habere vitæ genus, modo ruri esse, modò in vrbe, sæpius in agro,nauigare,verari,quiescere interdum, sed frequentius se exercere,siquidem ignauia corpus hebetat, labor firmat:illa maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit,hæc Cælsus. Sed ad propositum reuertamur. Mollis sit omnis educatio puerorum,& quæ ætati omnino congruat, nam parui omnes primo ortu sic iacent, quasi sine animo esse videantur: dum autem firmitatis aliquantulum accesserit,paululū incipiunt animo ac sensib. vti:tunc manibus connituntur,vt se erigant, & à quibus educantur agnoscunt: tunc blandioribus vocibus gestibusque delectantur, & ad speciem æqualium commouentur, cum quibus libenter admodum congregantur,vt primum repere incipiunt,& ludis primo,deinde fabularum auditione ducuntur: tunc materni officij erit verba illos docere non pœnitenda.Vernacula namq; sermonis cura, solius parentis est:quocirca primum sermonem, quem sine literis discimus,scitè

Pueri pharmacis non assuescant.

Sermo maternus.

admodum Tusci maternum appellant: nec immeritò, vsum namque vernaculæ linguæ propter assiduã consuetudinem in primis ab illis discimus. Præstat enim eloquentes esse matres, & puri nitidique sermonis, cui consuescunt pueri, & maiores facti nescio quid maternum redolent: *Magni enim interest quos quisque quotidie domi audiat, & cum quibus loquatur à puero. Cornelia Gracchorum mater assiduo vsu plurimum contulit ad eloquentiam filijs.* Eius epistolas se Cicero lectitasse ait, & (vt in fœmina) eas non mediocriter laudat. Nonnullæ aliæ etiam extiterunt, quæ disertæ habitæ sunt, & domesticis plurimum profuerunt, vt Lælij filia, quæ in loquendo paternam eloquentiam exprimebat, & filias ac neptes disertas reddidit. Hortensij quoque filia apud Triumuiros luculentam orationem habuit. Abundabant veteres doctissimis fœminis in omni disciplinarum genere, & præcipuè Græci, apud quos præstantissimas complures etiam in Philosophia extitisse legimus. Inter Platonis discipulos mulieres etiam duæ peregregiæ numerantur, Lasthema Mantinæa, & Axiothea Phlirsia, quæ (vt Dicæarchus scripsit) virili veste vtebatur, quò commodius disceret. Illustris admodum habita est Aristippi Cyrenaici Socratis discipuli filia, Areta nomine, quæ ad parẽ vsque patris sui laudem, Aristippum iuniorem docuit, qui à materna doctrina appellatus est metrodidactus. Nec etiam puduit Pythagoram profiteri multa in Philosophia didicisse à Theoclea sorore sua. Atqui etiam filiam ipse erudiuit, cui commentarios disciplinarum suarum testamento reliquit: quæ quidem perpetuam virginitatem seruauit, & virgines complures discipulas habuit, quas in primis pudicitiæ castitatisque munera edocuit. Commendat etiam plurimum fœminas bonarum artium disciplina, quæ nonnunquam pro amplissima dote habetur. Contempsit Alexander magnus Darij filiã, quamuis dotem haberet regni partem, & magnum auri pondo, maluitque ducere Barsynen Græcas literas optimè eruditam, sine dote vlla quamuis inops esset, regio tamen genere oriunda esse dicebatur.

Cornelia Gracchorũ mater. Cic. Bruto.

Areta Aristippi maiorũ filia.

Pythagoræ legatum filia factum.

Alexãder eruditionẽ prætulit opibus.

Hac

Hac opinione ductus Lycurgus instituit sine dote vxores duci: vt viri virtutem coniugis, non opes quærerent, & fœminæ ad comparandas optimas artes studiosiores essent. Fuit etiam doctissima Nicostrata Euandri mater, quæ Carmenta appellata est, quod futuros euentus carmine prædiceret. In disciplinis autem leuioribus inuentæ sunt nonnullæ peregregiæ, & præcipuè in poëtica. Nam Myrtis lyrica magnam habuit laudem, sed longè præstantior fuit eius discipula Corynna, à qua Sappho Erexia ad certamen vsque Pyndari euecta est, quæ & ipsa docuit Anagoram Milesiam, & Cornificia quoque Romana Cornificij Poëtæ soror, præclara epigrammata edidit, quibus magnam meruit laudem. Nunc autem tanta desidia torpent mulieres nostræ, vt pro miraculo quodammodo videatur, si qua primoribus labris literas attigerit. Sed doctissimarum fœminarum tanta copia apud antiquos fuit, vt Chrysippus de institutione puerorum præcipiat, *philosophaturo puero eruditas sapientésque nutrices adhibendas esse.* Sed nostræ luxu & inertia diffluunt adeo, vt vix lanificij linique curam suscipere dignentur. Sed si per fortunam detur vt docta primas saltē literas mater sit (quod summopere optandum est) inter blanditias muliebres à tenera statim ætate pueros docere incipiat: nec erit expectanda ætas illa, quam Hesiodus præscribit, qui literis instituendos ante septimum annum pueros neutiquam censet, ne studia quando per ætatem amare nequeunt, odio habere incipiat. Materna siquidem diligentia ludēdo etiam instituet. Et id temporis meliori ętati addet, quod inter iocandum qua si præripiet. Legimus mulieres quasdam lusionibus quibusdam filios instituisse, quæ huiusmodi solertia vsæ sunt. Tesserulas literarum notis pingebant, vel plumbea numismata elementis imprimebant, puerisque suis ostendebāt, illi (vt moris est) talia matrem efflagitabant, hæc autem literarum nomina notamq; docebat, edicebatque, vt sibi numismata illa vellent, inter multa quærerent, & quæ docuisset inuenirent, nomina notasque redderent, qua auiditate pueri cō-

Vxores indotatas ducere Lycurgus instituit.

Nicostrata dicta Carmēta.

Præstantes doctrina fæminæ.

Myrtis Poetica.

Sappho Erexia.

Instituendorū puerorum solertia mulierum.

moti facilè etiam in tenera ætate literas ediſcebant. Agendum namque cum pueris ſenſim eſt, vt doceantur: veluti cùm vaſcula oris anguſti implere volumus. Nam ſi copiam aquæ infundimus, reſpuunt: ſin autem per tenuem fiſtulam inſtillamus, ad ſummum vſque complentur. Prodeſt in edocendis pueris laudata induſtria, obiurgata deſidia, ſpes, metus, alluſio, & dolus omnis bonus, qui in curanda eorum valetudine à medicis adhiberi ſolet, vt dulcedine decipiantur. Hoc quidem præclarè verſib. exprimit T. Lucretius Carus in libris ſuis de natura rerum:

Lucret. lib. 1.

Sed veluti pueris abſinthia tetra medentes
Cùm dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flauoq; liquore,
Vt puerorum ætas improuida ludificetur,
Labrorum tenus interea perpotet amarum
Abſinthi laticem, deceptaq; non capiatur,
Sed potius tali tactu recreata valeſcat.

Hoc quidem præceptum Philoſophi poëtæque excellentiſſimi prodeſt non mediocriter, non modo ad corpora eorum curanda, verùm ad animos quoque diſciplina & eruditione meliores cultioreſque reddendos, præferri æqualibus & ab eis laudari à quibus inſtituuntur: vbi ſi bene geſſerint, plurimùm acuit pueros in omnibus ſtudijs. Ambitioſum puerum ſibi tradi optat in diſciplinam Quintilianus: & obſeruatio Lugdunenſium in Miſcellaneis ludis hoc etiam comprobare videtur. Ludi Lugduni celebrabantur, in quibus certamen erat Græcæ Latinęque facundiæ: & nihil aliud præmij victoribus victi præſtabant, niſi quòd eorum laudes ſcribere cogebantur: quod vbi facere recuſarent, ſcripta ſua lingua ſpongiaque abſtergebant, quod ſi minus effeciſſent, obiurgati primùm à magiſtris ferulis cædebantur, vel in fluuium proximum mergebantur. Cuius conſuetudinis Suetonius Tranquillus in vita Cæſaris cognomento Caligulæ meminit: & de puerorum in illis ludis agentium timore, præclarè refert Iuuenalis Satyra prima, cùm dicit:

Miſcellanei ludi Lugdunenſes.

Iuuen. Sat. 1.

Pallet

Palleat vt nudis pressit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunensem rhetor dicturus ad aram.

Sed ad propositum reuertamur. Materna disci-
plina primæ teneritudinis pueris admodum vtilis
erit, eosque dociliores reddet ad maiora studia ca-
pessenda. Iam cùm ad septimum annum peruene-
rint, eorum curam maiore quadam diligentia pater
suscipiat, cuius quidem partes (vt in diuisione su-
perius diximus) erunt, vt instituantur liberi ad benè
viuendi rationem, qua quidem disciplina nulla vti-
lior, aut maior à mortalibus tradi potest. Qua ex re
non minorem gratiam exigere pater à filio poterit,
quàm quod eum genuit, præclarè Alexander, qui à *Alexander*
virtutibus, Magnus cognominatus est, dicere solebat *præceptori*
non minores se gratias debere Aristoteli præceptori , quàm *suo quãtas de*
Philippo patri. Nam si pater ei viuendi principium de- *beat gratias.*
derat, Aristoteles bene viuendi rationem tradiderat,
quam vitę etiam præferendam esse arbitrabatur. Prę-
noscenda in primis erit parenti pueri indoles, vt deli-
berare possit quibus studijs filium instituat : quan-
quam (vt plerique Philosophorum testes sunt: & Ci-
cero in primis in quinto libro de fœlicitate & mise-
ria) *vis humani ingenij à natura sic generata est, vt ad omnẽ*
virtutem præcipiendam facta esse videatur, ob eamq; cau-
sam in tenera etiam ętate pueri virtutum simulachris
(quarum semina in se habent) sine doctrina mouen-
tur: quocirca de eo quod sibi superest, alijs gratifica-
ri volunt, & idcireo æqualibus elargiuntur. Animad-
uertunt etiam quæ domi fiunt, curiosiusque conan-
tur discere, & proinde multa interrogant. Nomina il-
lorum cum quibus versantur, nolunt ignorare. De-
certant sæpenumero cum paribus, & victi erubescũt,
victores autem lætitia exultant. Quæ prima naturæ
elementa si doctrina & exercitatione augentur, par-
uo tempore suo ordine numerum perfectionem-
que virtutis assequuntur. Indoles tamen incrementa-
que virtutũ in nonnullis magis quàm in alijs cernun-
tur. Primum in pueris ingenij signum & præcipuum *Primũ inge-*
quidem memoriam esse Fabius Quintil. asserit, cùm *nij signum*
facilè discit puer, diutiusque reminiscitur. Erit igitur *in pueris.*

optimum in primis annis ad erudiendas ingenij vires memoriam exercere, & ambitione aut præmijs pueros allicere, vt multa meminerint, quæ pronunciare ac recensere in maxima hominum corona non erubescant: quę quidem consuetudo apud Athenienses diutius in nobilioribus familijs obseruata est, vt Critias in Timæo Socrati narrat, cùm ait: *solenne familiæ suæ extitisse festu quibusdam diebus, vt pueri propositis præmijs à parentibus ad memoriæ certamen inuitarentur, in quo plurimos poetarum versus memoriter recitabant.* Hæc consuetudo ingenium acuit, memoriam excitat, & puerorū animos alacriores promptioresque reddit, quæ res parentibus à præceptoribus optāda est: quò planè intelligant quid cum pueris acturi sunt. Corporis sensus vbi acutiores in pueris sunt, spem virtutis maiorem præseferunt.

Instituendorū iuuenum mos imitandus.

Virtutis optimū indicium.

Vnde Plato in Phædone asserit, & ex auditu & visus odoratuque memoriam opinionemque cieri: ex memoria verò & opinione postquam quieuerint, scientiam fieri. Est etiam ingenui animi signum, cùm puer facilè monitoribus acquiescit, cumque laude excitatus, obiurgationem alterius quasi in se prolatam putat. Ducitur æmulatione quadam ingenua, & quasi ambitiosus est, cùm turpe admodum putat pari cedere: pulchrum autem maiores natu adæquare, vel si fieri potest, etiam superare. Ruborem optimum pudoris signum potius quàm pallorem putat. Illud quidem à verecundia, hoc autem à timore nascitur. Cùm enim naturæ aliquid honesto pudore dignum occurrit, tunc illa refugit, & imum petit, sanguinique immergitur, quò commoto cutis tingitur, fitque rubicundus puer præ pudore, & quasi sanguinem pro velamento obtendit. Cùm verò metuit, tūc timore natura percita in altum descendit, secumque sanguinem trahit, quo veluti curru inuehitur, vt Platonici asserunt, sicque faciem pallor occupat, inde tremor sequitur, quia animi virtus neruos reliquit. Placet igitur ingenuus rubor, nam pallor nimiam formidinem ostendit, ille autem optimam indolem præseferre videtur, vt Diogenes Cynicus testis est.

Rubor pudoris signum.

Nam

Nam cùm adolescentem rubore perfusum cerneret. *onfide* (inquit) *fili, huiusmodi enim virtutis est color.* Cùm verò indolem dignoscit pater, tunc secum animo cogitare debet, ad quam virtutem ac disciplinam aptior sit puer. Nam ætas illa ad capessendas disciplinas præter cæteras accommodata est. Proinde eã astronomi ac poëtæ Mercurio subesse volunt, quem lusionum disciplinarumq; Deum fabulantur, & Græci vno eodemque nomine pueritiam, doctrinamque appellant: volunt enim & pædiam vtrunque significare. Vnde Xenophon tali indice libros suos inscripsit, in quibus de pueritia & de institutione Cyri Persarum Regis loquitur. Plato quem Marcus Tullius etiam sequitur, duo virtutum genera imprimis statuit, vnum earum quæ nobis à natura ingenitæ sunt, appellanturque non voluntariæ, vt est docilitas, memoria, & aliæ omnes, quæ vno ingenij nomine appellantur, & qui eas habent, ingeniosi. Alterum earum, quæ in voluntate positæ sunt, maioresque appellantur, quòd earum præstantia maiorem laudem animis nostris præbeat. Et quia à nobis ipsis manant, & ex moribus dignoscuntur, veræ virtutes dicunt, vt est prudentia, temperantia, fortitudo, iustitia & reliquæ id genus. Tertium genus nonnulli addunt earum quæ ad intellectum pertinent, vt scientia, doctrina, ac sapientia: quæ quidem tali pacto nobis accidunt, cum scire volumus, & ab inferioribus ad superiora ascendere, tunc occurrit nobis rei discendæ sensus, per quem veluti imaginationem quandam facimus, ex qua rationem noscimus, intellectum primò accipimus, à quo quidem intelligentia fit, quæ postremò confirmata in animo perfectam efficit sapientiam. Si docilem parens filium cognouerit, & ingenij viribus præstantem, nulla eum auaritia retinere debet, vt tanta laude filium fraudare velit, sed adhibeat quamprimùm puero optimos præceptores, vt liberalibus illis artibus ac disciplinis erudiatur, ad quas natura ipsa aptiorem genuit. Nihil enim optabilius parentibus esse debet, quàm filios habere eruditos: à quibus quidem vinci, & omni laudum genere

Duo virtutũ genera.

Parentes auari ne sint in dociles.

Filij gloria est patris triumphus.

superari non modò æquo animo pati debent, verùm filiorum gloriam victoriæ famam sibi ipsis existimare. Facilè enim patiebatur Peleus ab Achille virtutis gloria superari, cui Chironem, & Phœnicem præceptores magnis etiam præmis adhibuerat. Ad laudem siquidem suam putabat accedere, quicquid filius per excellentiam virtutis egisset. Vlyssem quoque Homerus inducit, præclara facinora præsente filio narrantem, vt ad paternas virtutes imitandas alacrior redderetur: Cicero ad filium sæpenumero ita loquitur, vt nihil magis cupere videatur, quàm ab eo literis, si fieri posset, superari. Pessima namque est quorundam nostri temporis sententia, qui nullo pacto sapientia à filijs superari velle aiunt. Malè à parentibus educati sunt, qui tali animo patres habuerunt: & certè si eos in senectute non alerent, aut in omni vita minus eis auscultarent, quis iure optimo admirari posset, aut eos aliqua ex parte obiurgare? Et econtrario nihil est quod magis filios parentibus obnoxios efficiat, quàm cùm intelligunt se parentum ope ac diligentia in studijs bonarum artium profecisse. Nec verò confidere quis debet diuitijs, quæ fluxæ quidem sunt ac labiles, & in potestate fortunæ, & corpus solummodo ornant, non autem animum augent aut instituũt perpetuis bonis. Pulchrè admodũ Diogenes diuitem indoctum *ouem in aurati vellere esse dicebat*. Hæc cura incumbit parentibus propter infirmitatem illius ætatis quæ consilij inops, quid sibi vtile sit, nequit dignoscere. Hæc est enim illa ætas, quæ educta vno robore, in duos ramos scinditur, vt Samius Pythagoras perhibet, quorum in altero virtus, in altero autem voluptas ostẽditur. Virtus quæ ingenita semina & igniculos quosdam ab ipsa natura traditos in animis nostris habet, quibus potest rationibus adolescentem deuocat: voluptas autem lasciuijs, blanditijsq; suis eundem ad se rapit, & præcipuè cùm pleriq; omnes à virtute ad illecebras proni sint, & in ea maximè ætate, cui Venus, (vt astrorum periti volunt) imperat. Prodicus Sophista adolescenti Herculi duas deas inter quietem apparuisse referunt

Præfatione in officia.

Litera Pythagora, id est Y.

set : quarum altera aſpectu grauior, ſi ſe per ardua ſequeretur, gloriam pollicebatur: altera autem venu ſta magis facili via diuitias ac voluptatem. Hercules qui iam ratione tenebatur, blanditijs voluptatis con temptis, virtutem ſecutus eſt: quæ quidem duce labo ribus periculiſque ſuperatis, gloriam immortalitatē que nactus dicitur. Hac opinione ductus eſt Cicero, cùm ad Leptam ſcriberet, hortareturque vt puer eius Lepta etiam nomine, ſtudijs bonarum artiū incum beret, & virtuti in primis inſudaret, Heſiodumq; edi ſceret, & illud ſemper in ore haberet, vbi ait Deorum voluntate, virtutem ſudorem præ ſe ferre, quando ad eam longus quidem ſit, callis & rectus, ſed per a pera admodum & deuia locorum: verum vbi in cacu men altum ventum ſit, via quæ primò, duriſſima viſa erat, facilis ac mollis eſſe apparet. O præclaram op timi poëtæ ſententiam, & quam crebris ſermonibus adoleſcentes vſurpare debent. Diſcedendum namq; eſt à mollicie illa ac voluptate, qua malè conſuetudi nis illecebris trahitur. *Procliues enim omnes à labore ad libidinem ſumus vt Comicus ille ait.* Sed ponendi hoc lo co Heſiodi verſus, qui rem planius docent, quàm à me Latinè fieri poſſint, cùm diuinus ille orator Græ cè etiam in ſua epiſtola inſerat.

Lib. 6. epiſt. fam. epi. 18.

Teren. in Andria.

Heſiod. in oper.

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἀυτὴν,
Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον, ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται,
Ῥηιδίη ἔπειτα πέλει χαλεπή περ ἐοῦσα: id eſt.

Virtuti aduerſos ſudores dij poſuerunt:
Atque itur per magna viæ diſpendia ad illam,
Et ſcruposa via eſt aditus: ſi verò cacumen
Attigeris, mollis, quæ durior antè, videtur.

Sed non omnes tali ingenio præditi eſſe poſſunt, qualis Hercules fuit, quocirca parentum erit officiū, liberos in ea deliberatione adiuuare, quæ totius vi tæ curſum inſtituit, & omnium actionum vna delibe ratione fundamēta iacuit, ne diutius liberi ancipites ſint, vel mala electione oppreſſi ad vltimū præcipitiū rapiantur. Sed quantum obeſt nimia illa parentum indulgentia erga filios, quamque eorum animos

fran-

frangit, ingenium labefacit, corpusque effœminat, locupletissimis verbis Plato in Gorgia execratur. Quocirca optimum remediū esse puto Lacedæmoniorū, & quarumdam etiam aliarum gentium ac nationum, quæ filios suos tantisper rus ablegabant, dū sub optimis præceptoribus eruditi fierent, & corpore animoque exercitati. Nec seuera nimis videri debet Lycurgi lex, quæ pueros in agris educari iubet, vt foro vrbanisque delicijs careant. Et primam illam pubertatem non in luxuria ac nequitijs agant, sed in opere & labore: iubebatque eos nihil sibi somni gratia substernere, vt duriores fierent, nec prius in vrbē redire poterant, quàm viri facti essent. Brutij quóque qui oram Italiæ incolunt ponè Lucaniam, ijsdem legibus liberos suos instituebant, quibus Spartani, quippe qui ab initio pubertatis inter pastores in siluis agebant sine ministerio aliquo cui seruirent, sine veste quam induerent, cuíve incubarent, vt à primis annis laboribus ac parsimoniæ sine ciuili ac cultu assuescerunt. Cibus illis præda venatica erat, potus autem lac, aut fontium liquor, quo ex victu nō mediocrem gloriam militatem adepti sunt. Nam multas ciuitates Græci nominis Italia pepulerunt, & authores suos Lucanos bello superarunt. Hanc consuetudinem laudare videtur Aristoteles, cùm in libris suis de Repub. ait. *Consuescant prima ætate pueri frigora perferre, quod & valetudini plurimùm conducit, & rei etiam militari.* Non enim mersandi sunt fluuio per hyemem vt barbari nonnulli consueuere, sed sensim frigora perferre discant: quod etiam sentire videtur Horatius ode 2. lib. 3. cùm dicit:

Lycurgi lex.

Brutij.

Horatius. lib. 3. od. 2.

Angustam amice pauperiem pati
Robustus acri militia puer
Condiscat, & Parthos feroces
Vexet eques metuendus hasta,
Vitaq; sub dio, & trepidis agat
In rebus.

Consultum etiam nonnullis visum est, foris alendos pueros, amicis tradere, tum quòd minus illis indulgēt parentes à quib. magis absunt, tum quòd mi-

nus

ius insolenter pueri in alienis ædibus, alieno etiam
pane ac foco exultant: verentur insuper ne deterri-
ni videantur, si ab illis extrudantur, quibus ipsos ma
gna fide ac diligentia parentes crediderunt. Magni
etiam Principes sub authoribus plerumque clariores
quàm sub parentibus euadunt, quod Philippo Ma-
cedoni magni Alexandri patri vsu venit, qui obses tri-
ennio Thebis virtutibus Epaminundæ eruditus, re-
gno Asiæ Græciæque potitus est, & sordidum obscu
rumq; ante eum Macedonicum nomen rerum gesta-
rum gloria illustrauit. Pluribúsne rebus ac diuersis
studijs eodē tempore pueri indulgere possint, quæri
solet. Et quanquā Stoicus noster fastidientis stoma-
chi esse dicit plura degustare, & multitudine librorū
animum distrahere, tamen suo tempore atque ordi
ne singula tradētur, ne disciplinæ cōfundantur, vtile
namque esse puto duabus disciplinis simul erudiri.
Neque enim verendum est ne binis præceptoribus
diuersarum artium ingenium pueri oneretur, non e-
nim crescit labor, sed diuiditur industria, satietas tol
litur. Nam cùm pertæsum est vnius disciplinæ, ad a-
liam transuolat, veluti ad portum ac requiem labo-
rum suorum, & leuitas illius ætatis, quæ difficilè in
vna eademque re diutius perseuerat, non inutilis o-
mnino est. Atqui veteres idem obseruasse, & Gram-
maticen, Musicenque simul docuisse, & Archytas Ta
rentinus, & Aristoxenus musicus testati sunt, & eodē
vtriusque disciplinæ præceptores, ac libros fuisse af-
firmarunt. Grammaticen adiuuat Musice, non modo
quòd delectationem naturalē præ se fert (vnde qui-
dem sapientes animum nostrum harmoniam esse di-
cunt, alij autem harmoniam habere, & quòd singulis
ætatibus ac moribus eius vsus iocundissimus est) ve-
rùm quia eruditionem quandam aurium facit, ex
qua numerum quendam vocum dignoscimus, sine
quo neque eruditi satis, neque eloquentes esse pos-
sumus, nō solùm in poëticis versibus, qui sine eo esse
non possunt, sed & si soluta oratione, quæ oratorio
numero plurimùm adiuuatur, cuius virtutes acutissi-
mè docet Cicero vbi ad Brutum de perfecto genere
oran-

Grammatica & musica eodem tempore doceri possunt.

orandi ſcribit. Græcè quoq; Latinéque eodem tempore pueri erudiri conſueuerunt, etſi à Græcis inchoandum eſſe Quintilianus teſtis eſt, ſed pari paſſu ambulant, & quod in vna ediſcunt lingua, in alia facilè recognoſcunt, veluti qui ſignum in cera imprimunt, eodem tempore, & quod impreſſum in annuli pala eſt, intueri poſſunt. Legimus Aemilium Pauli filiũ, qui apud Cannas collega fugiente, forti animo occumbere non dubitauit, poſt primùm conſulatũ quo Ligures ſuperauit, cùm ſuffragia populi minus ei ex ſententia reſponderent, rus ad quietam vitam agendam ſe contuliſſe, quo quidẽ loci filijs erudiendis duntaxat intentus erat, eosque vno & eodem tẽpore Romanam diſciplinam, & Græcas artes edocebat, & nõ ſolùm Grammatici, Sophiſtæ, & Rhetores, verùm fictores, pictoresq;, & equorum, canum, venationumque magiſtri circa adoleſcentes verſabantur. Ipſe vero pater, niſi quid publici muneris impediret, eorũ exercitationib. ac ſtudijs ſemper aderat, vt ſuo etiam aſpectu ad laudis & gloriæ certamina promptiores filios redderet. De vtilitate diſciplinarũ, deque earum partibus, inuentoribus, atque vſu, quoniam ſuperius diffusè admodum diximus, ſuperuacaneum omnino eſſet rurſus tractare: ſatis eſt hoc libro concludere nihil eſſe præclarius, quod à parentib. liberis tradi poſſit, ſtudijs diſciplinarum ac [illegible]arum artiũ, quæ ideo liberales appellatę ſunt, quia liberos homines efficiunt ab omni voluptate ac turpitudine. Redigunt namque nos ad ſapientiam, qua nihil præſtãtius mortalib. eſſe poteſt, quaque Deo Optimo Maximo coniuncti eſſe cernimur. Quarum præmium ſi nullum aliud à mortalibus referretur, ſola virtus ſatis eſt, quæ comitem ſecum ſemper trahit honorem, veluti corpus vmbrã. Quin etiam hoc cernimus, quòd non ſolùm optimi quique viri, ſed deterrimi quoq; homines nepharijque latrones, virtute præditos honore ac laude afficiunt. Ad Scipionem Aphricanum cum Linterni exularet, viſendum, ac ſalutandum prædones nonnulli aliquando acceſſerunt, qui primùm illum conſpicati ſunt, quaſi numen a[illegible]

L. Æmilius Paulus quam curioſè filios ſuos docuit.

Honor virtutis comes vt corporis vmbra.

Scipio Aphricanus.

qu[illegible]

quod venerantes procubuerunt, virtutum ac nominis eius memores, & imperata facessere polliciti sūt, & studijs Scipionis se nunquam defuturos. Clarissimus poëtarum Homerus Vlyssi, quem Græcorum omnium sapientissimū esse vult, Mineruam comitem facit, quæ eum ab omnibus periculis, laboribus, naufragijsq; vendicat: patriæ, parenti, coniugi, liberis reducem tandem restituit, vt ostendat Vlyssem doctrina & sapientia pericula omnia superasse. Hic est alatus equus Pegasus quo vectū Bellerophonta mōstra superasse poëtæ fabulantur. Hic est Mineruæ clypeus Medusæ Gorgonis capiti præfixus, quē intuentes homines in saxa vertebātur, sapientia scilicet, quę sola doctrina naturæ addita comparatur, qua homines fortes ac muniti redduntur cōtra omnia pericula humanosque incursus. Nam vera est illa sententia Horatij lyrici cùm dicit Ode 2. lib. 1. *Horat. Od. 2. lib. 1.*

Integer vitæ, scelerisque purus
Non eget Mauri iaculis, nec arcu,
Nec venenatis grauida sagittis
Fusce Pharetra.

Sed si filij aut hebetioris ingenij erūt, aut alioquin ad doctrinas capessandas minus idonei, artes aliquas ediscant, & præcipuè ex illis quę disciplinis proximè sunt, ne ocio ac desidia marcescant. Vera namq; est illa Marci Catonis sententia: *Nihil agendo homines malè agere discunt.* Idcirco solertes & industrij ciues, inertes ac desides ex vrbibus arcere debēt, vt ait Plato in octauo libro de Republica, sicut sedulæ apes ignauos fucos, qui pro communi melle laborare nolūt. Vnde illud Virgilij: *M. Catonis dictum.*

Ignauum fucos pecus à præsepibus arcent.

Et sanctissima semper iudicanda est Solonis lex, qua sanxit filiū nequaquam patri necessaria vitę subsidia debere, à quo nullā artem accepisset: & Dio illos paternis maiorumq; sepulchris prohibendos esse refert, qui nec doctrinā didicissent, nec artem aliquā exercuissent. Quinetiam idē Solon aliam legem tulit cōtra ociosos, cuius quidem verba eiusmodi extiterunt. *Is qui ocium sectatur, omnibus accusare volentibus* *Solonis lex in ociosos.*

obno-

obnoxius esto. Si verò reliquæ omnes disciplinæ atq; artes filijs deessent, bonorum morum regula ne desit videndū est. Præstat enim filijs carere, & perpetuò omni progenie orbari, quàm eos malè moratos ac turpes alere. Epaminundas Thebanus vir tantæ præstantiæ extitit, & tam bene de patria meritus, vt de eo id dicatur, quod haud scio, an de alio Reipub. principe dici possit. Scimus nanq; Thebas ante Epaminundā natum & post eius obitum alieno semper paruisse imperio: & contrà quoad ille vixit, caput totius Græciæ eius ductu ac consilio extitit: Verùm vir adeò excellens vxorem nunquam duxit: quod factum cùm Pelopidas eius amicus aliquando reprehenderet, quòd virtutis suæ seminarium filios, nō relinqueret, maleq; proinde patriæ consuleret, subridens Epaminundas respondit: *Vide ne tu peius ei consulas, qui talem ex te genitum relicturus es, cuius vita vtinam magis probanda esset.* Quo quidem dicto vir prudentissimus ostendit, nihil magis esse verendum parentib. quàm ne degeneres filios habeant. Adhibendi sunt itaque his custodes, qui eorum actionibus intersint, & moribus probatissimi sint, adeò vt non modò culpa, verùm omni criminis suspitione vacent. Diligentissimi fuerunt Persæ in alendis liberis & ad temperantiam modestiamque percipiendam magno studio eorū pueri instituebantur: vt verecundius omnia àgerent, seniores adhibebantur, à quibus eorum mores spectarentur. Diligentes etiam fuere Lacedæmonij, vt Aristoteles docet. Paterna disciplina teneris annis plurimum prodest. Laudandi sunt vbi quippiam benegerint, obiurgandi vbi perperam: monendi, docendique, castigandi etiam vbi minus dicto auscultare velint. Excludendi domo, mulctandique bonis omnib. Neocles Atheniensis vir nobilis & excellens filium habuit Themistoclem, quem in adolescentia exhæredem fecit, cùm minus probatus esset, quòd turpiter viueret, rem familiarem prodigeret, & parentum dictis nulla ex parte audiret. Hæc patris iniuria ac contumelia nequaquam eum fregit, sed longè magis erexit. Nam cùm arbitraretur eiusmodi notam sibi

Epaminunda responsum.

Persæ.

Lacedæmonij.

Neocles.

ne summa industria, ac laude neutiquam extingui posse, se totum virtuti tradidit, reique publicæ omni studio operā dedit, & in amicorum causis priuatisq; iudicijs omni diligentia versabatur, atque paruo demum tempore ita adolescentiæ vitia emendauit, vt ei nemo anteferretur, & pauci admodum æquales putarentur.. Non fuit igitur in eiusmodi filium parentis seueritas obiurganda, quippe qui ex deterrimo nebulone virum omni laude cumulatissimum reddiderit. Sed naturæ ratio in filijs obseruanda est, sunt enim qui verberibus cæsi indignantur, & veluti pessima mancipia plagis obdurātur: Sunt qui obiurgationes irrideant, & patientia parentis aut præceptoris abutuntur, verbera autē vehementer formidāt. Sunt qui nec obiurgatione, nec plagis, sed sola ratione moueantur, facileq; eis persuaderi possit, vt relicta turpitudine ad virtutem redeant, cum quibus natura benignius egisse videtur, si rationi obtēperantes turpē vitam relinquant. Palemon Atheniensis in sua adolescentia impudicus petulans ac turpis fuit, & aliquando ebrius, & coronatus de more in ludum Xenocratis philosophi irridendi gratia cum sodalibus irrupit. Xenocrates fortè de pudicitia sermonem habebat, quem non mutauit, sed planè in Palemonē conuertit, qua oratione ille seipsum correxit adeò, vt relictis sodalibus, & mutata pristina vita, sese Xenocratii in disciplinam tradiderit, & paruo tempore condiscipulos omnes superauit, quinetiam in cunctis reb⁹ præceptorem adeò æmulatus est, vt post illius obitū ludi successor relictus, vix mutatus videretur. Sunt qui aliorum laude quasi quadam ambitione excitantur. Themistocles quem Grǣcorum prǣstantissimum Cicero fuisse testatur (vt paulò antè dixi) adolescens adhuc in ganeis inter scorta, & temulentos iuuenes versabatur: at postquam Milciadis ductu barbari ad Marathonem victi sunt, æmulatione eius ductus, vitam mutauit. Atqui cùm eius mores sodales admirarentur, ait Milciadis trophæis se à somno excitari, nihilq; amplius velle quàm laudi gloriæque incumbere: qua quidem ambitione expergefactus, paruo

Palemon Atheniensis. *Xenocratis sermo de pudicitia.*

tempore in clarissimum Imperatorem euasit, plurimasque victorias patriæ peperit. Corpore etiam exercendi sunt iuuenes, tum valetudinis gratia. Nam (vt Cornelius Celsus ait) ignauia corpus hebetat, labor firmat: illa præmaturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit: tum quòd vtiliores fiunt Reipub. in rebus bellicis, in quib. promptiores alacrioresque sunt, si exercitato corpore accedunt, quàm si per ignauiam effœminato: qua in re plurimùm præstiterunt Lacedæmonij, apud quos currendo, prosiliendo, iaciendo, nandoque pueri exercebantur. A quibus aliquando rediens Diogenes Cynicus cùm Athenas pergeret, interrogatus quo iret, vnde veniret: A *viris* (inquit) *ad mulieres*. Et paulò pòst à prædonibus captus cùm Aeginā nauigaret, & Xeniadi Corinthio venundatus esset, eiusque filios in disciplinam accepisset, illos philosophiæ præceptis & aliis disciplinis liberalibus insttiuit, quos etiam Lacedæmonio more quotidie exercebat, & equitare, luctari, arcum tendere, fundas rotare, sudem iacere adeò instituit, vt moribus, disciplina, fortitudine ac robore paruo tempore præclaros parenti reddiderit. Quocirca sæpenumero Xeniades dicere solebat, se gratias fortunæ habere, quòd bonus demon in domum suam per eam inuectus esset. Multa sunt, quæ de instituendis adolescentibus dici possent, quæ quidem in præsentia scribere supersedeo, ne multus sim, quoniam pluribus scriptoribus seorsum præcepta de educandis liberis scripta sunt, quæ facilè quisque lectitare potest.

Lacedæmonij, agiles.

Diogenis Cynici responsum.

PROOE-

PROOEMIVM LIBRI QVINTI AD SIXTVM QVARTVM PONTIFICEM MAXIMUM.

PRINCIPIO humanarum societatũ, Sixte pater sanctissime, nihil æquè difficile fuit his qui præerant, quàm durioribus illis ac silvagis viris, qui raptu viuere consueuerant quiq; omnia occupantium esse arbitrabantur, abstinentiam iustitiamq; persuadere. Non enim facile fieri poterat, vt à vetere inuadendi consuetudine discederent, nouumq; genus vitæ tam subitò acciperẽt, & præcipuè cùm rapina ocium ac quietem polliceretur, virtus autem laborem ac sudorem præ se ferret. Proinde commentitijs quibusdam fabellis opus fuit, quibus religionem metumq; incuterent his qui iniustè agerent, & ad spem futuri boni erigerentur, qui iustè viuerent, ab alienisq; rebus manus abstinerent. Hoc consilio ducti poetæ illi vetustissimi, qui primi sapientes habiti sunt, quiq; de hominum moribus cum iocunditate quadam gratias Musis cõmiscentes philosophantur, nonnulla scripserunt, quæ eruditioribus deinde seculis vel leuia, vel præter aliorum opinionem visa sunt, vt illud Musei, Orphei Thracis discipuli, qui cum cerneret vinum (quod nuper in hominum vsum venerat) gratissimum optatissimumq; mortalibus esse, asseruit iustis viris à dijs immortalibus eiusmodi gratias referri, vt perpetuò apud inferos coronati discumbant, poculis optimo vino plenis nunquam deficientibus: quasi opinetur perpetuam ebrietatem optimam virtutis esse mercedem. Simili figmento vsus est Hesiodus, qui vt rusticis suis æquitatem persuaderet, Deos ait hominibus iustitiam seruantibus arbores dare quarum rami baccarum vbertate semper intumescerent, robora autem apium examina haberent, quæ optima mella semper stillarent: his & similibus blanditijs hebetes illos alliciebant, vt à ferina consuetudine animum abducerent, & ciuilem societatem sequerentur. Non igitur admirandum est, de-

Musei Eleusini præceptũ.

ctißimos, grauißimosq́ philosophos nonnulla in libris suis scripsisse, quæ vel turpia vel ab omni humanitate aliena esse videantur: Pauca enim quædam ex deprauatis morib. vt permitterent opus fuit, vt quam plurima quæ optima sunt persuaderent. Licere hominibus inquit Plato in 4. librorum suorum de ciuili societate, quācumq; voluerint vxorem ducere, præter matrem, & eius ascendentes. Sic etiam mulieribus licere ait, cuicumq; voluerint nuptui dari filio, parenti, & eorum superioribus, aut inferioribus: non tamen ignorabat Plato indecorum omnino esse germanam sororem ducere: quod vulgo tūc fiebat Athenis: sed pessimam consuetudinem abolere nequaquam poterat: sic & Aristoteles auaris annuere visus est, cùm ait pro censu filios procreandos esse, ne plures edantur quam paterfamil. alere poßit. Proinde cùm satis liberorū fuerit, vel vxoribus omnino abstinendum censuit, vel si id minus fieri posset, cùm in aluo habere inuenitur vxor, dilutionibus vtendum arbitrabatur, vt abortium deijciatur antequam sensus vitaq; in eo sit. Hoc ab humanitate alienum sciebat esse philosophus sapientißimus, sed vt durioribus illis hominibus matrimonia persuaderet, egit quod potuit. Nostris verò temporibus, quibus quisque ciuis quid facto opus sit sibi præscribere scit, omnia ad virtutem demetienda sunt, nihilq; permittendum est, quod ab honesto vel minima quidem ex parte alienum videri poßit.

Plato.

Pro censu filios procreari.

DE OFFICIO OPTIMI CIVIS, ET DE INSTITVTIONE CIVILIS *vitæ, quæ ad tranquillitatem ducit, de vrbanitate, de astutia: Qui sunt habendi ciues, de patria germana, de patria iuris.*

TITVLVS PRIMVS.

PRAECEPTA optimi ciuis, & eius qui ad omnia munera Reip. gerenda idoneus sit, si quis tradere velit, multa vt ei tribuat opus est. Singulæ namque virtutes ciuili viro conueniunt, mores verò optimi ac probatissimi, & decoris illud, quod Cicero tantis laudib. effert, ciuilis disciplinę proprium est. Quocirca male morati homines, quiq; in verbis aut in gestu minus apti sunt, inurbani vocantur, quippe qui ruri potius educati, quàm in vrbib. esse videantur. Hinc trahitur vrbanitatis nomē, quod ad sermonem moresq; pertinet, & ab vrbe dicitur, quandoquidē à ciuili congressu, doctorumque virorum cōsuetudine eruditio quæq; trahitur, quæ homines miro quodam lepore ac sale perfundit, cui quidē contraria est rusticitas. Hæc virtus tanti fuit, vt Domitius Marsus Orator elegantissimus de ea summa cum diligentia libros scripserit. Hinc etiam astutia dicitur, quæ tum vrbanitatem, tum ciuilem calliditatem significat, & astutum vrbanum significare Pedianus refert. Apud Græcos namque τὸ ἄστυ vrbs est. Et veteres Latini astu pro vrbe dixerunt, vt est apud Terentium in Eunucho. *Anus in astu venit* hoc est in vrbem. Aemilius Probus in libro suo peregregio,

Pontanus passim. Et Zuingerus, Volum. 11. lib. 5.

Inurbani qui?

Vrbanitas.

Rusticitas.

qui de vita excellentium Imperatorum inscribitur, cùm de incendio vrbis Athenarum loqueretur, eiusmodi etiã verba protulit: Vt Xerxes Termopylis expugnatis protinus accessit astu, idq; nullis defendẽtibus interfectis sacerdotibus, quos in arce inuenerat, incendio deleuit. Sed videndum in primis est, quem ciuem esse habendum huius ciuitatis nostræ arbitremur. Et si colluuionem omnem quæ vnis mœnibus clauditur, ciuili nomine dignam esse dicimus. Homerus tamẽ, qui eum secuti sunt, eos sollummodo ciues opinãtur, qui ad honores capessendos muneraque ciuilia obeunda habiles sint. Alij volunt ciues omnes censeri, qui ingenuis ciuibusque parentibus orti sint. Alijs satis visum est, si ex altero parente ciue sunt geniti. Fuerunt qui propter paruam populi frequentiam peregrinos ciuitati adscriberent, dummodo domum intra vrbem ædificarent, artem exercerent, affinitatémve contraherent: verumtamen ciuem (vt Romani Iureconsulti perhibent) sola origo facit. Quocirca filius, qui in alia ciuitate ortus est, & ex alia patrem oriundum habet, germanæ patriæ ciuis dicitur, non eius in qua natus est, domiciliúmve contraxit. Cicero in libris quos de legibus scripsit, duas patrias sibi esse testatur, vnam germanã, ex qua oriundus esset: alteram iuris, in qua natus & educatus, & in ciuilem societatem accitus est. Idemq; v-venire M. Cato asserit, qui cùm Tusculanus esset ciuitatem tamen Romanam susceptus, ortu Tusculanus, iure autem Romanus ciuis haberetur. Eiusmodi igitur ciuitatis nostræ ciuẽ esse dicemus, qui patrem inter maiores indigenas habuerit (nam de matre minus curãdum est, peregrina necne fuerit, dummodo sit ingenua) quẽ quidem ad munera capessanda apti per naturã esse arbitramur, si per eius virtutes licebit: nam (vt superius diximus) magistratus munera, virtutum, non generis aut gratiæ præmia decernẽda sunt. Erit & secundum ciuium genus eorum qui cùm peregrini sint, vrbem nostram aliquo excellenti munere affecerunt, deque ea optimè meriti priuilegium meruerunt. Qui ciuitate quidem donati, publicis etiam mune-

Patria duplex: Germana & Iuris.

muneribus honestati sunt: qua indulgentia, ac benignitate Romani sæpenumero vsi sunt, exemplo Romuli vrbis conditoris, qui tanta sapientia valuit, vt plerosq; populos vno eodemq; die hostes ac ciues habuerit. Nec aliud quippiam (vt Cornelius Tacitus refert) authore Claudio Nerone magis exitio fuit Lacedæmonijs & Atheniensibus, quamquã armis pollebant, quàm quòd victos omnes populos perpetuò pro alienigenis arcebant, qua quidẽ in re Rom. eos qui in Rep. longè magis prometuerant, maiore libertate donatos Quirites esse voluerunt. Inhumanum siquidẽ est peregrinos eos appellare, qui de ciuitate optimè meriti, sibi patriam obnoxiam beneficijs effecerunt. Erũt igitur nostri, origine alij, alij autem priuilegio. Sed priores nobis fortuna, secundos verò beneficium præstabit. *Romulus.*

De ciuili viro, de concordia ciuium, de animi ratione, de ciuilib. virtutibus, de fortitudine, & eius comitibus, de iustitia, & eius comitibus.

TITVLVS. II.

CIuilem virum si quis paucis verbis determinare volet, dicet eum virum bonum & Reip. vtilem. In primis namq; oportet vt ante oculos eam habeat Platonis sententiam, quæ ostendit homines non tantùm sibi natos esse, sed patriam partem, partem liberos, affines, amicosq; sibi vendicare, & id iure quidem optimo. Humana enim societas ad vitæ commoditatẽ instituta est, & ad maiorem viuẽdi libertatem tutiorem, beatioremq; degendi rationem. Hæc cũ cogitabimus, dignoscemus nos patriæ debere opem, consilium auxiliumq;. Apes & formicæ animalia non modo pusilla, sed muta etiam nobis exẽplo esse debent, quæ quidẽ in communi laborant, simul congregant, simul conseruant, ijsdem munimentis asseruantur, cõmunem periculo hostẽ propulsant, & opes, libe- *Zvingerus li. 2. Volum. 20.*

ros,populumq́; tuentur. Quî enim bonus ciuis habe-
ri potest,qui sibi soli prodest,sibi congregat,nec im-
pertitur reliquis, vixque patitur præ auaritia liberos,
coniugemque ad necessitatem etiam victitare? Rem-
pub.quasi nauim existimare debemus, omnium qui
in ea vehuntur manibus, officioque indiget. Et pro
viribus suis quisque niti debet, non modò ne euer-
tatur,sed vt in tutissimum portum se recipiat. Et vt in
ea alius gubernaculum regit, alius antennas dirigit,
alius rudentib.adest,alius alijs rebus incũbit, & vna
omnibus ratio est, vt nauim tutentur: sic & ciues o-
mnes efficere debent,vt alius consilio, alius diligen-
tia, alius opibus,alius opera, atque indústria Remp.
adiuuet: quò non modò seruetur, verum in dies ma-
gis magisque augeatur. Taliter animati ciues optimi
habendi sunt. Faciunt namque Remp. opulentissimã.
Nullæ enim opes,nulla vectigalia magis augent ciui-
tatem, tutioremque reddunt, quam si ciues inter se
concordes sint ad benè de ea promerendum: & alia
ex parte, nulla potentia nullæque opes satis firmæ
sunt, vbi animi ciuium nutant, & in diuersas partes
rapiuntur, quod mirabili quidem exemplo docuit
Scilurus: nam cùm morbo senioque confectus iam
deficeret,filios octoginta mares,quos habebat, euo-
cari iussit,hastatumque fascem (quem pro liberorum
numero deuinxerat) manibus tenens,singulisq; por-
tendens: vt illum confringerent imperauit. Neganti-
bus autem illis se id perficere posse, singulas edu-
cens hastas facilè omnes defregit, eosque monuit,
dum concordes vnâ essent, nullis viribus superari
posse,sed firmos diutius ac potẽtes fore: verùm im-
becilles admodum, si dissidentes discordesq; essent,
& facilè de se victoriam minimo etiam cuique hosti
præbituros. Hoc quamquã vni familiæ præceptũ es-
se videtur, ad vniuersam tamen ciuilẽ societatẽ per-
tinet, quæ tunc sit coniunctissima cum pari animo,
concordique voluntate regitur: veraque est illa ve-
tustissima sententia,qua dicitur, Remp. diuturnũ, at-
que immortale animal,quod nunquam occcidit, nisi
ipsi vim afferat,mortemq; sibi consciscat. Imperium

orbis

orbis terræ tam diu Romani tenuerunt, quandiu à ciuili sanguine, intestinoque bello manus abstinuerunt. Sed vbi Cinnæ ambitio, Syllæ infamis illa tabula, Marij cædes, generi socerique arma Rempubl. inuaserunt, victores, dominique rerum Romani, ludibrio plebi barbarisque hostibus extitere. Discordia etiam laborantes Athenienses à Lacedæmonijs Lysandro duce victi sunt, qui sub eorũ ditione tam diu fuerant, & numero, viribus opibusque longè inferiores. Quocirca nulla persuasio in libera ciuitate præstantior esse potest, qua singuli ad concordiam instituuntur quaque minimæ etiam ciuitates augentur, & perpetua libertate fruuntur. Hic est murus tutus. Hæ sunt adamantinæ turres de equibus Poëtæ fabulantur, quę nullis viribus, nullo ariete, nulloque Iouis fulmine dirui possunt. Taliter animatus erit ciuis noster, quem optimum esse volumus, si Pythagoræ, Platonisque sententiam secutus, cognouerit animum nostrum triplicem esse, cuius quidem principatum, rationē in capite sitam esse ostendũt, tanquam in arce corporis, vt immortalis existens, pabulo contemplationis maximarum rerum semper aleretur. Hanc corporis partem, mundi hominumque conditor, ad similitudinem mundanæ Sphæræ effecit, hominemque ipsum ad cœlum erexit, contra reliquarum animantium naturam, quæ pronæ terram aspectantes, vix cœlum cõtueri possunt, vt ostenderet hominem Dei contemplatorem esse debere, & mentem eius (quæ in cerebro sedem habet) ducem & quasi habenam hominis esse. Inest namque in ea omnis humana ratio, quæ gerendorum ordinem præsefert, tempora metitur, præsentia præteritis annectit, & sic futura præsagire nititur. Alteras duas seclusas dignoscet à superiore, & in pectore iram, cupiditatem verò subter præcordia collocatam, quæ quidem non participes rationis sunt, vt superior, sed eius omnino expers. At veluti prior illa ad tranquillitatem & placidam quietamq; vitam ducit, ac etiam ad commentationem scientiamque diuinarum humanarumque rerum: sic posteriores contrà ad iram, concupis-

Discordia Romanos perdidit.

Nam & Sallustius ait: Concordia paruæ res crescunt: discordia maximæ dilabuntur.

centiam, turbidosque omnes motus nos rapiunt. Quibus ex rebus consequens est, vt nos ipsos ignoremus, & inscitia rerum omnium laborantes cæcis tenebris diutius aberremus: Disponat animum suum ciuis noster, vt munere suo fungatur. Est enim animi munus ratione vti, quæ quidem semper dominari debet, & appetitum adeò obsequentem habere, vt nihil turpe, nihil indecorum appetat: & veluti exultans ac prosiliens equus optimi sessoris habena regitur, sic appetitus à ratione ducatur, cui semper acquiescat, & nunquam duriore ceruice obluctetur, si bonus vir ac sapiens esse voluerit. Nam sapiens animus omnes motus dicto obsequentes habena regit. Vera est enim illa Marci Fabij Quintiliani sententia,

Egregia Fabij sententia.

quòd *sicut aues ad volatum, equi ad cursum, feræ ad sæuitiam gignuntur, ita nobis est propria mentis agitatio, atque solertia, vnde origo animi nostri cœlestis esse creditur*: hebetes verò & indociles non magis secundum naturam homines eduntur, quàm prodigiosa corpora, & mõstris insignia. Ex agitatione animi & mentis agitatione sapientia oritur, cognitio rerum manat, profluũt ciuiles illæ virtutes, quibus ciuis noster laudem & charitatem ciuium consequetur, quæ sunt vitæ sine metu degendæ præsidia firmissima. Nam aderit fortitudo in laboribus, periculisque subeundis, quæ docebit: dulce & decorum esse (si opus fuerit, vt locupletissimus testis est Horatius Ode ij. lib. iij.) pro patria mori.

Hora. od. 2. l. 3.

Mors & fugacem persequitur virum,
Nec parcit in bellis iuuentæ
Poplitibus, timidóve tergo.

Et paulo pòst addit.

Virtus recludens immeritis mori
Cœlum negata tentat iter via,
Cœtusq; vulgares & vdam
Spernit humum fugiente penna.

Sibique ante oculos ponet fortissimos quosque viros, qui intrepidè pro patria dimicarũt, veluti Horatium illum, qui Hetruscorum agmen sustinuit, donec Sublicius pons scinderetur, nec dubitauit armatum

matum sese in Tiberim mittere: veluti M. Marcellum, *M. Marcellus.* qui apud Padum fluuium Gallorum Regem maximis copijs stipatum, cum paucis equitibus inuasit, ingenti vigore animi quamprimum obtruncatum, armis exuit. Succurret & Deciorum memoria, qui sese patriæ vouerunt: sic etiam externus Codrus Athe- *Codrus.* niensium Rex, qui non dubitauit etiam pro patria *Leonidas.* mori, & Leonides Lacedæmoniorum dux, qui in Termopylis cum trecentis suis quos Sparta eduxerat, occubuit pro Græciæ salute, cùm proposita esset aut turpis fuga, aut generosa mors. Eiusmodi exemplis se confirmabit, fortitudineque vtetur, cùm opus fuerit. Præstat enim fortitudo magnanimitatem, fiduciam, securitatem, magnificentiam, constātiam, tolerantiam, firmitatem, quæ optimæ comites sunt ad magna quæque Reipub. munera obeunda. Aderit temperantia, quæ in prætermittendis voluptatibus maximè cernitur, nec permittet vt aliquo præcipiti cursu rapiatur, sed eum moderatissimum cùm prosperis in rebus, tum in aduersis reddet, nec offerentem in magistratibus patietur, sed vt imperiū à Senatu populoque deferri cognoscat suadebit: & denique nihil per vim aget: quo quidem nihil deterius, nihilque detestabilius in libera ciuitate esse potest: Imitabiturque in hac potissimum virtute P. Va- *Valerius Publicola.* lerū cui Publicolæ à Senatu populoq; Romano nomen inditum est, qui cum exactis Regibus summam authoritatem populo deferente ac etiam ex Senatus consulto accepisset, nunquam tamen ea vsus est, nisi modestissimè: legemque tulit ne quis magistratus in ciuem Romanum, qui ad populum prouocasset, animaduertere posset; & vltro Sp. Lucretium collegam assumpsit, cui etiā (quia maior natu erat) fasces transferri iussit: Temperantiam sequitur modestia, vere- *Temperantiæ comites.* cundia, abstinētia, castitas, honestas, parcitas, sobrietas, quæ virtutes freno rationis omnes cupiditates comprimunt. Aderit prudentia, quæ in delectu bonorū malorumq; versatur, sine qua nihil rectè agi potest: quam Cicero detractis duabus literis à prouidēdo, quasi prouidentiam dictam putat: quam quidem

scien-

fcientiam expetendarum , fugiendarumque rerum
Prudẽtia adminicula. effe opinatur. Prudentiæ munus eft, omnia ad rationis normam dirigere, nihil agere pœnitendum, fortunæ aditus quafi diuina quadam ratione præoccupare,nihil præter rectum agere. Huic enim virtuti ineft ratio,intellectus, circunfpectio, prouidentia, docilitas & cautio,hanc etiam comitabitur iuftitia,quę
Iuftitia. firmamentum eft humanę focietatis,hęc tribuit cuique quod fuum eft,neminem lædit : & vt pœna fontem,fic optimè meritos dignitate ac gloria afficit. A
Iuftitia rami. iuftitia manat innocentia,amicitia,concordia,pietas, gratitudo , humanitas, facilitas, quæ munera optimi ciuis funt.Hæc quatuor inter fe forores mutuis nexibus colligatæ (vt de Gratijs Poëtæ fabulantur) nunquam feparantur, vna enim fine alijs perfecta effe non poteft, fed manca omnino & inchoata effe videtur. Nam fortitudo fine prudentia temeritas eft , prudentia autem fine iuftitia calliditas, & mala quædam malitia. Temperantia fine fortitudine ignauia eft , iuftitia autem fine temperantia crudelitas. Vnde illud Ennij Poëtæ: *Summum ius,fumma iniuria eft*. Vnicuique enim virtuti , qui rectè de moribus philofophantur, duo opponunt vitia:illud in primis quod apertè contrarium eft,&quod fpecie fimilitudinis adumbratum. Prudentia imprudentiam habet contrariam , aftutiã vero fimilem.Parfimoniæ contraria eft effufio, fimilis autem tenacitas. Iuftitiæ contraria iniuftitia eft Libido quoq; vindictæ fimilis: fic fortitudo vt ignauiam habet contrariam,fic fimilem duritiam:vt conftantia inconftantiam contrariam habet,fimilem verò pertinaciam : quæ talia tametfi natura diftant, fallunt tamen fimilitudinis fpecie. Concordent igitur inter fe hæ quatuor virtutes, veluti in cantu, & fidib' fit,vt perfectam confonantiam & harmoniam faciãt, qua nihil præclarius dici aut cogitari poteft.Hæc erit ratio quæ ciuem noftrum ad perfectam fœlicitatem ducet. Nam tanti eft virtus,vt fine ea nihil benè mortalibus effe poffit,& cum ea nihil defit. Vera fiquidẽ mihi fententia Stoicorum effe videtur, & à doctiffimis quibufque viris comprobanda, qua firmiffimis argu-

argumentis ostendunt, solam virtutem satis esse ad benè beateque viuendum. Et si verè iudicare volumus, bona illa corporis & externa, quæ adduntur ab Academicis & Peripateticis ad veram fœlicitatem, nobis potius adblandiuntur, & moribus nostris aliquid indulgent, quàm ad beatitudinem aliquid addant, quæ sola virtute perficitur, quod quidem ex similitudine quam faciunt, satis apertè cerni licet. Dicunt enim si quis libram teneret, & in altera lance quicquid bonorum esse possit corporis & fortunæ imponeret, in altera autem vel minimum quippiam virtutis, ea ad terram vsque deprimentur. Quocirca non videtur à Stoicorum sentẽtia discedere, sed eam alijs verbis comprobare, nec tamẽ manifeste annuere audent, ne victi cedere videantur, aut ab eorum præscripto aberrare.

De vtilitate ciuili, de artium vtilitate.

TIT. III.

Optima persuasio erit etiam ciuili viro, & à virtutum habitu manabit, si Senatum arbitrabitur ad homines iuuandos, tutandos, conseruandosque institutum. Parum admodum esset, & indignum excellenti viro, si sibi soli, suisúe Senatu msfactum duceret. Communis vtilitas est, quæ homines commendatos efficit, & benè de omnibus meritos: quam tanti fecerũt antiqui, vt diuinis honoribus honestarẽt illos à quibus commoda, & vtilitates accepissent. Hercules qui tam præsens Deus apud omnes fere gentes habitus est, nullam aliam ob causam (cùm mortalis esset) in numen relatus credebatur, nisi quòd magnis commodis plerosq; populos affecisset: nam aut cum beluis vastantibus regiones certabat, aut fœdas obscœnasq; aues sagittis transfigebat, aut nephandos prædones latronésue, qui mare infestum habebant, seu itinera obsidebant, interimebat, siue aliud quippiam id genus gerebat, quo hominibus prodesset, vitamq; eorum tutiorem beatioremque redderet. Dionysius (cui

Ciuis bene meritus.

Hercules.

Dionysius

Bacchus. (cui Baccho nomen fuit) Deus habitus eſt, quòd apud Thebas vini vſum docuerit, & non modo bellicis virtutibus illuſtris fuerit, ſed & rerum occultarum indagator optimus. Is primò philoſophatus eſt in Europa, deinde in Aſia, & præcipuè apud Indos, quos & bello domuit, & legibus ordinauit, hos omnes præter Gangaridas ſubegit: & cùm in vicis habitarēt vrbes pulcherrimas condidit, viroſque in eas tranſtulit, regionem inſtituit, & leges optimas tulit, forum conſtituit, vnde & apud ipſos diuinos meruit honores. Oſiris quoque Aegyptios ob ſalubre inuentum medicinæ, & quod vitium ſationem primus eos docuit, diuinis honoribus honeſtatus fuit. Sic *Triptolemus.* Triptolemus, qui frumēti vſum Atticos docuit, Deus habitus, & Iſis quòd frumenta ſerere, & lini vſum Aegyptios docuerit, Dea exiſtimata eſt. Præmijs ſiquidem haud dubiè & honoribus digni ſunt, qui inuentis ſuis hominibus proſunt. Sed quādo id neutiquam omnibus conceſſum eſt, id ſaltem quiſque præſtare poteſt, vt ne cui dicto proteruo aut facto nocere audeat. Sic enim viuere, vt nemini vnquam obſis, etiam ſi id cum emolumento tuo & ſine fraude efficere poſſis, ſapientis viri eſt, (vt Arceſilaus Zenoni aſſentiens affirmat) cauereque ne capiatur, & ne fallatur videre. Sed non minor virtus erit diligenter aduertere, ne aliquem lædas, aut iniuria laceſſas, cùm longè melius ſit (vt Socrates ait) iniuriam accipere, quàm iniuria aliquem afficere. Hæc ſunt ſtudia quæ eum charum ciuibus facient, & de Republ. bene meritum. Nam vera eſt illa Ciceronis ſententia: *Laudari, diligi, coli glorioſum eſt: metui & odio eſſe, inuidioſum, deteſtabile, imbecillum, caducum.* Charitate enim & beneuolentia ciuium ſceptrum eſſe oportet, non opulentia aut armis. Atqui animi ingenui eſt, nullo modò permittere vt quiſpiam ſe ipſum decipiat. Quod quidē ſcitè admodum exemplo pulcherrimo docuit Carneades. *Si ſcires* (inquit) *aſpidem occultè vſpiam latere, & velle imprudentem aliquem ſuper ea aſsidere, cuius mors tibi emolumento futuro ſit: improbè feceris niſi monueris ne aſsideat.* Studium virtutis eſt, quod bonum ciuem facit,

Vide Iuſt. Lipſ. Politica.

tit, eo namque habitu mentis inducitur, vt nihil turpe cogitare possit nihilque agere quod non rectũ omni ex parte sit, & virtutẽ toto (vt dicitur) pectore amplectitur. Sic turpitudinẽ fugit, eaque quamuis non lædatur, ita offenditur, vt ne eum quidem quem scelerate, impunè, flagitioseque viuere putat, æquis oculis intueri possit. Callidi quidem hominis est, & hebetis omnino ingenij legum formidine à vitijs cohiberi. Neq; erit in tenebris cum eo dimicandum, qui nihil timet nisi testem & iudicem. Bonus quidem vir semper idem est, nunquam à seipso discedit, & probus esse quàm haberi mauult, nullis simultatis inuolucris obtegitur. Frons eadem, ijdemq; oculi, vultus severus semper erit, oratio itidem verissima. Contra leges instituta & mores nihil aget, etiam si id impunè facere possit. Leges enim vetant, inquit Socrates, cùm è custodia eum vi educere vellent discipuli. Cauebit etiam summopere, ne quid in eo insigne vitiũ esse dicatur. Artes exercebit quibus honestè & sine iniuria viuere possit, & familiam educare: habere enim debet rationem rei familiaris, vt liberis, amicis, alijsque necessarijs opituletur, & Reipub. in primis, cùm tempus exigit: *Singulorum omnium facultates & opes* (vt ait Cicero) *diuitiæ sunt ciuitatis.* Lucretur tamẽ sine iniuria, vt sæpe iam diximus. Nam *malè parta* (vt ait Poëta ille vetustissimus) *malè dilabuntur.* Proderit quibuscunque poterit, oberit nemini, & nihil magis lucro apponet, quàm quotidie aliquid discere: Nam ille in Repub. præferendus est, qui virtute præstat, & inter ciues ille maiori laude dignus erit, qui plures artes cum vtilitate ciuiũ exercere potest. Hippias (qui temporibus Socratis vixit) disertissimus fuit Orator & Philosophus peregregius, is cùm ad Olympicum certamen venisset, magnæ admirationi omnibus fuit, quòd omnia quæ ad vsum corporis habebat, suis ipse manibus effecerat: vestem namque sibi texuerat, baltheum cælauerat, anulum sculpserat, & crepidas Græcorum more sibi parauerat. Quanta admiratio quantaque vtilitas fuit, in Sphæra illa, quam ad similitudinem mundanæ Sphæræ primus

Singulorũ opes diuitiæ ciuitatis.

Sphæram Archimedes primus inuenit.

Cicero Tusc. Quæst. li. 4. mus omnium fecit Archimedes Syracusanus? Eam non modò Cicero, sed complures tum Græci tum Latini scriptores admirabili efferunt laude. Et in primis Claudianus Poëta his versibus:

Iupiter in paruo cùm cerneret æthera vitro,
Risit, & ad superos talia dicta dedit:
Huccine mortalis progressa potentia curæ?
Iam meus in fragili luditur orbe labor:
Iura poli, rerumq; fidemq; virorum
Ecce Syracusius transtulit arte senex.
Inclusus varijs famulatur spiritus astris,
Hoc vnum certis motibus vrget opus.
Percurrit proprium mentitus signifer annum,
Scintilata nouo Cynthia mense redit.
Iamq; suum voluens audax industria mundum
Gaudet & humana sidera mente videt.
Quid falso insontem tonitru Salmonea miror?
Aemula naturæ parua reperta manus.

Architas Tarent. Architas quoque Tarentinus Pythagoricus Philosophus nobilissimus, qui ad Platonē literas dedit, vt à Dionysio caueret si vitę suę benè consultum vellet, compluribus admirationi fuit, quòd ad artes penè omnes calleret: is tanto acumine ingenij extitit, vt simulachrum columbæ mira quadam ratione atque arte fecerit, quod quidem volasse Phauorinus Philosophus retulit. Ita erat libramentis quibusdam suspensum, & in eo inclusa aura temperato spiritu ad volatum compellebat. Vera quidem est illa Attica sententia, vt quisque plurimas in ciuitate artes exercet, ita vtilissimus quoque existimatur. Nam nō modò simul viuendi gratia ciuilis societas instituta est, sed benè ac commodius agendi. Proinde quicunque plus confert vtilitatis, ille maiore beneuolentia ac gratia dignus erit.

De

De beneficentia, de gratijs & liberalitate.

TIT. IV.

Beneficio multos quidem afficere debet optimus ciuis, exemplo autem omnibus prodesse. Inter præclarissimas Aphricani laudes (quas & Polybius, & alij scriptores memorant) maxima illa habetur, quòd quotidiè in forum descendebat, neque inde se domum antè recipiebat, quàm aliquem beneficio sibi obnoxiũ reddidisset. Et Titus Vespasiani filius (qui tribus annis post patrem imperauit) tantæ comitatis fuit, vt cùm inter cœnandum meminisset nihil se illo die cuiquã præstitisse, exclamarit: *Amici hodie diem perdidi.* Facetè quidam doctissimus vir interrogatus quid inuidendum præter alios homines, Reges ac Principes haberent, respondit. *Nihil nisi quod pluribus (si volunt) prodesse possunt.* Iulius Cæsar omne hominum genus diuersis benignitatis officijs sibi conciliauit, nam muneribus, ludis congiarijs, epulis, largitionibus imperitam multitudinem illexit, amicos præmijs, & facilitate conseruauit, aduersarios autem clementia & liberalitate sibi deuinxit. Secus tamẽ à quibusdam nostro tempore obseruari video. Nam dum rem suam fastitare se dicunt, omnes neglectui habent, neque alicui adsunt, quamuis plurimis sine iactura commodare possent. Et in referenda gratia (quo crimine nullum grauius esse potest) negligentiores sunt. Gratias Pindarus omnium Lyricorum excellentissimus tres esse inducit Iouis Eurymonesque filias, quarum vna Aglaia, altera Thalia, tertia Euphrosyne nuncupatur. Has tergeminas esse Poëtæ fabulantur, & mutuis brachijs ita deuinciri, vt vna ire, duæ autem redire videãtur: quo quidem figmento ostendunt homines in referenda gratia liberales esse oportere, vt qui vnam accipiant, duplicem mittant, quòd quidem rustico suo etiam præcipit Hesiodus: vult enim vt maiore mensura reddat & cumulatiore, quæ mutuò à vicinio acceperit. Erit igitur ciuilis viri officium liberalitate vti in referenda gratia, & accepti beneficij nunquam

Scipionis Aphricani factum memorabile.

Titi Vespasiani comitas.

Tres charites cur inter se coniunctæ?

obliuisci quod quidem officium tanti esse voluerunt, vt non modò viuos, verùm ne mortuos quidem id negligere arbitrati sint. Hoc etiam exemplis quibusdam comprobare nituntur. Dicunt namque Simonidem Poëtam cùm iter faceret, videretque ignotum quendam mortuum alitibus ferisque proiectum, eum quamprimùm humasse, verùm cùm nauim conscendere in animo haberet, per quietem vidit quem sepelierat monentem, ne id faceret, nam si nauigasset, eum naufragio esse periturum. Id insomnium cum socijs recitaret, irrisus est, solusque in littore remansit, cùm minus ei auscultare alij vellent, sed cùm paululùm quippiam à terra discessissent, tempestate oborta amissis armamentis fractaque naui omnes periere: & sic Simonides pro officio sepulturæ, vitæ beneficium accepit. Alia verò ex parte quibuscunq; potest ciuilis vir commodare debet. Longè enim gratius esse videtur ingenuis animis beneficium dare, quàm accipere. Benè enim de nobis meriti, ad parem maioremque gratiam referendam nos obnoxios faciunt, & libertatem nostram aliqua ex parte sibi obligare videntur. At verò qui acceperint, nobis pari beneficio quasi adducti sunt.

Mortui gratia in Simonidem.

Nobilius est dare quàm accipere.

De vanitate & mendacio, de iureiurando, de modestia sermonis, de opportunitate silentij, de adulatione.

TIT. V.

CAueat optimus quisque ciuis ne futilis, vanus aut mendax in loquendo sit, etenim mentiri, animi angusti, & seruilis potius, quàm ingenui. Scite admodum Aristoteles roganti cuidam quid mendacio mendaces lucrarentur? respondit. *vt eis verum dicentibus nō credatur.* Longè tamen deterius periurare, quod crimen graue habitum fuit apud Aegyptios, vt periuri omnes capite damnarentur, vt qui pietatem in Deos violarent, & fidem inter homines tollerent. Est enim iusiurandum, affirmatio religiosa quasi Deo teste adhibita

hibita. Exemplum iusiurandi in primis præbuit M. Attilius Regulus, qui ex insidijs captus à Carthaginensibus, & Romam iuratus ad Senatum missus, vt nisi redderentur captiui, ipse Carthaginem rediret: Romam quidem ipse venit, nec tamen censuit è Republ. esse captiuos reddere, maluitq; ad supplicium redire, quàm iusiurādi fidem hosti datam infringere. In secūdo autem Punico bello vnus ex captiuis, quos Romam Hannibal redimendorum gratia mittere destinarat, cùm ipsius Hannibalis permissu exisset è castris, redijt paulò pòst, se oblitum quod nescio quid diceret, deinde Romam profectus cùm non redimi captiuos à Senatu responsum esset, domum redijt, quòd fallaci reditu in castra, iureiurando se solutum putaret: hoc vbi innotuit, Senatus censuit eum comprehendendum esse, & custodibus publicè datis, ad Hannibalem quoque ducendum: tanti fidem ac iusiurandum faciebant Romani. Sit in sermone modestus. Epistolas Philippi ad Alexandrum, Antiochi patris ad Cassandrum, & Antigoni ad Philippum filium trium prudentissimorum Regum lectitasse Cicero refert: quibus præcipiebant, vt oratione benigna multitudinis animos ad beneuolentiam allicerent, militesque blandè appellando sermone delinirent. Insanam præterea quandam petulantiam ac loquacitatem comprimat. Vt enim laudis est impigrè loqui (si quando dicto opus est) ita vituperatione dignum puto, vbi silentium vsui sit, non posse tacere: nec comprobandum esse cēseo, quòd dicaces nonnulli vsurpare solent: Longè facilius esse candentem carbonem ore comprimere, quàm oportunum dictum retinere: Veriusque mihi videri solet, quod in prouerbio est: *Eum etiam loqui ignorare, qui tacere nescit.* Et Xenocratis sententia animo voluenda est, cùm dicturi sumus, qui ait, *se quandoque sermonis panituisse, taciturnitatis autem nunquam.* Pindarus miris effert laudibus Epaminundam Thebanum: quoniam cùm multa sciret, pauca admodum loqueretur. Cato quoq; adolescēs cùm eloquentiæ ac Philosophiæ operam daret, mira quadam taciturnitate vtebatur,

Iusiurandum quid?

M. Attilius Regulus.

Loqui ignorat, qui tacere nescit.

Xenocratem dixisse panituit, tacuisse nunquam.

Epaminūdas.

verùm cùm quiſpiam ex familiaribus ſuis ei diceret: *Silentium tuum Cato multi vituperant*: at ille: *Loquar* (inquit) *cum talia fari didicero, quæ taciturnitate nentiquam digna ſunt*. Pythagoras Samius Italicæ Philoſophiæ princeps, ſapientiſſimus vel ex hoc iudicari poteſt, quòd diſcipulos ſuos prius tacere, quàm loqui inſtituebat, oſtendens ex eo verba prius præmeditanda, quàm effundenda eſſe. Linguam enim coërcere, quam dentium vallo (ſilentium indicans) natura muniuit, non mediocris prudentiæ eſt. Proinde idem Philoſophus loquaciores adoleſcentes quinquennio vocis exilio comprimebat. Veteres autem taciturnitatis virtutem ſuperſtitione quadam numinis inſtar colebant, Angeronamque vocabant, qua quidem digito ad os admoto pro foribus templorum & curiæ pingebant, vt ſilentium inſtantibus indicere videretur. Sed vt linguæ procacitas pleriſque aliquando mortis cauſa extitit, ſic taciturnitas vitæ ac ſalutis. Ariſtoteles cùm Calliſthenem diſcipulum ac propinquum ſuum ad Regem Alexandrum mitteret, inter multa quæ eum docuit, hoc vel præcipuè imperauit, vt quàm rariſſimè & iocundè admodum apud eum loqueretur, qui vitæ neciſque poteſtatem in acie linguæ haberet. Scribunt etiam qui animalium naturam diligenter ſcrutati ſunt, animalia nonnulla ratione carentia, ſalutem alto ſilentio tueri, velut anſeres, qui linquentes præ nimio calore orientalem plagam, occiduamque petentes, cùm montem Taurum aquilis abundantem præteruolare ceperint, timentes rapaciſſimas illas volucres, roſtra lapillis obſtruere, ne conſuetudinis aut neceſſitatis vis vocem eis eliciat, qua aquilis proditæ periclitentur, verùm poſtquam verticem montis eius colleſque tali ſilentio præteruolarint, calculos expuere, & ſecuriore nixu per aperta cœli ſtrepitu ac clarioribus vocibus ferri. Diſcat igitur ciuis noſter tacere, & quibuſcum loquatur cogitet opportunitatemque obſeruet: *Emiſſum namque verbum (vt vulgò dicitur) nunquam reuocari poteſt*: Proinde anſerũ exẽplo potius quàm Calliſthenis vtantur, illi enim paruo ſilentio vitam tutantur: hic

Ad Feſtum Ioſ. Scalig. Macrob. lib. Satur.

Anſerum ſolertia.

Volat irreuocabile verbũ Horat.

hic autem vel modica loquendi licentia eam amisit, cùm nec dicto optimi præceptoris auscultasset, nec sanctam illam Pithagoræ taciturnitatẽ didicisset. Opportuni namque silentij maior est laus, quàm tempestiuæ orationis. Assentari præterea adularique nesciat bonus ciuis: cùm enim aliquid dicimus aut facimus præter animi sententiam, id sine fraude, & dolo esse non potest. *Est enim dolus malus* (vt Seruius Sulpitius respondit) *cùm aliud simulatũ, aliud actũ est.* Sic & malæ mentis est aliud loqui, aliud mente & animo sentire. Est namq; positum adulari in ficto quodam & simulato vultu ac gestu corporis, quod quantæ leuitatis sit, nomen indicat: Siquidem Græci οὐρὰν caudam vocant, vnde adulari dicitur quasi adurari: quòd à canibus trahitur, nam canes motu caudæ seruiliter ablandiuntur cùm cibum expectant. Tyranni qui ad sæuitiam ac libidinem omnia dimetiuntur, adulatoribus assentatoribusque delectãtur. Crœsus Lydorum Rex nullam aliam ob causam Solonem regno pepulit, nisi quòd blandiri vir ille sapiens nesciebat. Et Dionysius mortem Philoxeno Poëtæ meditatus dicitur, quòd cùm in magna hominum corona versus à se editos tyrannus recitasset, reliquis omnibus laudantibus, solus eos absurdos & inconcinnos dicere ausus fuerit. Ciuili viro præcepta tradimus, qui nullum cum tyrannis commercium habere debet, sed eo loci viuere, vbi rectè viuendi ratio habeatur, & iustitia ac reliquæ ciuiles virtutes dominentur, & verum dicentibus, non vanis ac mendacibus locus sit. Atqui Regibus ac Principibus adulatores assentatorésue nulla ex parte prodesse possunt. Vera quidem est illa Q. Curtij sententia in elegantissimis libris suis de gestis Alexandri, qua *regnum* ait *sæpius ab assentatoribus quàm ab hostibus euerti.* Aristippus à Dionysio superiore quippiam pro amico obnixius petebat: quod cùm non impetrasset, tyranni genua supplex amplexatus est, remque statim assequutus est: verum cum intelligeret id sibi à præsentibus vitio dari; *Non ego* (inquit) *huiusmodi assentationis author sum, sed Dionysius, qui in genibus aures habet.* Facetè

Adulari vnde?

Aures in genibus.

Diogenes interrogatus quæ nam belua sæuius mor-deret? *Ex feris* (inquit) *obtrectator ex cicuribus autem adu-lator*. Nec medius fidius iniuria eos vituperabat. No-cent enim plurimum adulatores non modò apud Principes, quos ad tyrannidem sæuitiamque com-pellunt, verum in libera quoque ciuitate ea sæpenu-mero consulunt popularis auræ captandæ gratia, quæ contra Rempublicam sunt, & stultam nonnun-quam multitudinem insanam reddunt.

De recto consilio, de iracundia, dissimulandam es-se aliquando sapientiam, de virtute cuiusq; ætatis. TIT. VI.

Quid iniquius esse potest, quàm bona fide consulenti, malum consilium dare? quod sæpenumero consultus adulator facit, qui consultoris gratiam inire, quàm verita-tem dicere mauult. Fidele igitur consilium bonus ci-uis roganti dabit, & ad veritatem potius accommo-datum, quàm ad gratiam. Nam vbi euētus consilium probauerit, tunc eum quem consuluit, virum bonum esse arbitrabitur consultor, & præcipuè cum è re sua fuerit cōsilium, & rationi consonum. At si secus erit, & ad parui temporis gratiam, non ad veritatem vtili-tatemque responsum, tunc eum adulatorem assenta-toremque iudicabit, & hominem callidum & versu-tum, in quem nonnunquam animaduerti iudicari-que cernimus, & cum irrisione deinde illud Hesiodi in eiusmodi virum dicitur in opere cui titulus est ἔργα καὶ ἡμέραι:

> Οἱ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ, ἄλλῳ κακὰ τεύχων
> Ἡ δὲ κακὴ βουλὴ, τῷ βουλεύσαντι κακίστη:
> *Is nocet ipse sibi qui alium vir lædere quærit,*
> *Consultum malè, consultori pessima res est.*

Quod in senariolum aliquem Romę conuersum à pueris fuit: *Malum consilium consultori pessimū*. Si quādo rogatus sentētiā in Senatu dixerit, caueat, ne quid fi-ctū, ne quid simulatū loquatur. Absit ab omni odio, omnique simultate. Nulla gratia, nulla amicitia eum

teneat,

teneat, quo minus in rebus dubijs ea afferat, quæ ad salutem vtilitatemque Reipub. ac ciuium sint. Non sit præceps ad iram, nihilque vnquam loquatur per iracundiam, aut excandescentiam: iram namque plurimi Philosophi à mollitie mentis nasci affirmant, idque probabili argumento ostendunt, quòd iracundiores sunt incolumibus languidi, fœminæ maribus, iuuenibus senes, & fœlicibus miseri. Nec arbitrandũ est iram cotem esse fortitudinis, vt nonnulli Peripateticorum affirmant, sed sapientem etiam sine stomacho fortiter agere posse. Præclarè veteres Poëtę, Martem Nerionem appellarunt, cùm eum mitẽ tranquillumque esse ostenderent. Nerio enim vis quædam & potestas ac Maiestas Martis esse ostenditur, quòd deceat virum fortem pacati tranquillique esse animi, vnde Nerio dicitur quasi sine ira: ne, particula plerumque priuata est. Plautus in Truculento Nerionẽ Martis coniugem appellat, vt ostendat tranquillitatem esse debere comitem viri fortis animi: multa enim nonnunquàm fiunt per iram, quę deinde sedato animo, eos qui egerunt mœrore afficiant. Alexander inuicti animi exempla sæpenumero præstitit: sed quia præceps aliquando ad iram fuit præstantissimas virtutes suas aliqua ex parte obscuriores reddidit. Nam Clytum interemit amicum senem, & innoxium, & paulò pòst cùm ad se redijsset, ereptum telũ ex Clyti vulnere, in seipsum conuertisset, nisi amicorum manibus prohibitus fuisset. Et Dionysius tyrannus cum pila ludere vellet, tunicam gladiumq; deposuit adolescẽtulo quem in delicijs habebat: hic cum quidam familiarium per iocum Tyranno dixisset: Huic vitam tuam committis? arrisissetque adolescens, vtrunque iussit interfici: alterum, quia viam demõstraret interimendi sui: alterum, quia dictũ risu approbauisset, quo quidẽ facto adeo doluit, vt nihil in omni sua vita grauius tulerit. Eiusmodi iracundia si accenditur animus, supersedendũ est in omni actione, donec deferueat, exẽplo Archytæ, qui cũ rustico seruo iratior factus esset, inquit: *Quo te animo acciperẽ, nisi iratus essem?* Obiurget alios modestè, patiaturq; æquo animo

Iracundia.

Mars Nerio dictus.

Alexãder præceps in iram.

Dionysius tyrannus.

refelli, quo clarius verum eruatur: nec ostendat se solum velle sapere in Republ. Est enim periculosum, & inuidiam facit, vbi alios præ se contemnere quis videtur: Nec tutè ac quietè viuere mihi visus est Phocion Atheniensis, quem Plutarchus ait in omni sua vita neque flere neque ridere vnquam visum fuisse, cùm semper sentiret contra reliquos oēs ciues suos, quod quidem vel maximè indicauit, cùm in rerum difficultate magna Athenienses de rebus suis Apollinem consuluissent. Oraculum namq; eis redditum est, vnum esse in vrbe ciuem, qui omnium voluntati opinioniq; aduersaretur. Clamabant Athenienses inquirendum esse hunc ciuem, grauiterque plectendum. Phociō alta voce sese eum esse ait, cui nihil eorum placeret, quæ Atheniensis populus diceret aut ageret, qua quidem fiducia iudicium euasit. Sed Demosthenes Orator cùm eiusmodi viri naturam cerneret, ad eum aliquando dixit: *Interiment te, Phocion, Athenienses, si insania eos cœperit*, cui ille: *At te necabunt, si quando sapere eis contigerit.* Nihil enim rectè à populo iudicari putabat Phocion. Vnde cùm sententiam diceret, videretq; penè omnes nutu ac vultu sibi assentiri, miratus, ad amicum se conuertit, rogauitq;, num mali aliquid inscius suasisset? quòd ita oēs annuere viderentur? Ego tamen cautius agendum puto, & multorum iudicia tacito potius consilio prætereunda quàm palam respuenda. Nam quamuis Cicero scribat, nihil sibi rectè factum videri quod cum vendicatione populo teste fiat, tamen in Orationibus suis ad Quirites ita populariter ac sine contumacia loquitur, vt blandiri & assentari præter omnes mihi visus sit. Summissè se gerat, & magistratib. tanta diligentia obediat, vt modestè parēdo, dignus qui aliquādo imperet, esse videatur. Veneretur maiores natu, & nihil cōtra eos agat: qua quidē virtute Lacedæmonij præter oēs laudantur, apud quos Senatus reuerētia semper magno in honore fuit, & sancta penè habita est, atq; inuiolata. Atqui præter alios omnes illos honore afficiat, qui virtutibus præditi sunt, & studio bonarū artium fulgent, quo enim quisque maximè doctrina

Phocionis callidum responsum.

excel-

excellit, ita maximè honore ac gloria honestandus est. Debet præterea ciuilis vir singulas ætates suas ita disponere, vt in vnaquaque agat quod tunc eum deceat: nec ea in pueritia aut adolescentia agere debet, quorum deinde pœniteat cùm ad maiorem ætatem ventum fuerit. Et alia ex parte nihil omittere, quòd per ætatem illam efficere debeat. In pueritia enim laudatur indoles, quæ spem futuræ probitatis prætendit: in adolescentia autem disciplinæ bonarum artium, in quibus qui excellunt, iamiam futuri præclari viri esse videntur. Deinde in reliquis ætatibus fructus operum expectantur, hoc est dictorum factorumq; contextus. Et alia ex parte puer simplicitate commendatur, iuuenis comitate, senex autem grauitate, qua in re multum peccatur in primis illis ætatibus, quæ disciplinis magis accommodatæ sunt, quas quidem in lusionibus ac nequitijs pleriq; amittunt. Nam maiores deinde facti, pudoreque coërciti, discere erubescunt: & stultissimè quidē agunt, quod eos discere pudeat, quia non didicerunt, cùm eis potius pudori esse debeat ignorare. Verùm siquidē est id quod in prouerbio apud veteres doctissimos fuit, *tamdiu discendum esse, quamdiu viuamus.* Senem discentem sunt qui aliquando irriserunt. Eudamias cùm vidisset in Academia Xenocratem iam quinquagenarium discentem, & cum discipulis etiam disserentē, rogauit, quisnam is senex esset? cui cùm respondisset quispiam, eum esse & sapientem virum, & ex eorum numero qui virtutem quærerent: subridens ait: *Ecquando ea vtetur, si id ætatis adhuc eam quærit?* Suo igitur tempore quæq; agere, nec sibiipsi tempus sinere præterlabi longè præstantius iudicandum est, præcipuè cùm ætas nostra angusta admodum sit ad sapientiæ studia consummanda. Themistocles Atheniensis vir excellentissimus cùm centum ac septē vitæ annos absoluisset, seque iam mori cerneret, dixisse fertur, se dolore plurimum angi, quòd tunc è vita discederet, cùm aliquid sapere incepisset. Quid igitur facient reliqui, quorum vita longè breuior, & minus in studijs bonarum disciplinarum versata fuerit:

Tam clarum non est scire, quàm turpe nescire.

Xenocrates quinquagenarius discebat.

cùm ille qui vltra metas decurrerat, parum diu vixisse arbitrabatur ad perfectam sapientiam capessendam.

De spatio humanæ vitæ. TIT. VII.

Censorinus de die naturali, Varro. Zuing. lib. 2. Volum. 17.

SPatium humanæ vitæ, lögissimum (quod seculum veteres appellarunt) quodque partu, ac morte definitũ est, alij longius, alij angustius terminarunt. Primum & octogesimũ annum legitimæ vitæ nostræ finem Plato esse affirmat: Solon autem octogesimũ: multi quintum & septuagesimum: nonnulli septuagesimũ tãtùm. Diuidunt namq; ætatem nostram per septenarium numerum, cui quidem Pythagorici perfectionem quandam tribuunt, & ostendunt singulo quoque septenario aliquid humanis corporibus mutari: quocirca septimum quemque vitæ annũ periculosum esse affirmant, & Græci dicunt κρίσιμον id est iudicialem siue decretorium: & id quidem hoc modo ostendunt, quòd in primo septenario dentes pueris dicidunt, alijsq; aptioribus ad solidum cibum nascentibus cedunt, & absoluitur integritas vernaculi sermonis. In secundo pubis lanugo apparet. In tertio autem barba incipit, & finis proceritatis est. Quarto vero in latitudinem crementi initium. Quinto vires absoluuntur, maturitasq; quædam inest ad sobolem procreandam. Sexto cupiditatibus iam temperatur. Septimo prudentia, eloquentiaque absoluitur, sed vires iam occulta diminutione deficiunt. Octauo vero concinnitas quædam virtutum animi fit, quæ nono septenario in statu permanet. Decimo autem declinando ad occasum vergit. Nam cùm denarius numerus (qui & ipse perfectissimus est) perfecto septenario numero additur, vt aut decies septem, aut septies deni numerentur anni, meta tum viuendi à Pythagoricis quibusdam creditur, & perfectum vitæ nostræ spacium esse dicitur: quod si quis excesserit, ab omni corporis munere vacare debet, & soli sapiẽtiæ incumbere. Eorum verò author Pythagoras, octogesimum annum fatalem dixit, & quatuor vitæ ætates

Septenario quoque annorum numero hominum mores mutari.

[æ]tates per vicenarium numerum pariter discreuit, vt [e]sset pueritia annorum viginti, adolescētia totidem, iuuentus totidem, senectus totidem: comparans humanam vitam anni temporibus, veri puerum, æstati adolescentem, autumno iuuenem, hyemi autem senē. Sed Varro Philosophus Latini nominis excellentissimus, quoque ætatis nostræ gradus æqualiter distribuendos putat, præter extremum, & vnumquemque alium quindecim esse annorum existimat. Pueros ad quintumdecimū vsqe annum dici, quod puri, id est impuberes sint, inde ad trigesimum vsque adolescentes, quòd corpus proceritate ac Latitudine ad id ętatis adoleat. Ad quadragesimum quintum annū iuuenes, quod Remp. armis iuuare possint. Ad sexagesimum seniores, quòd tunc primū senescere corpus incipiat: inde vsque ad vitæ finē vniuscuiusque, quintum gradum esse asserit: quem qui agerent, senes appellatos, quòd ea ætate corpus iam senio laboret. Staseas Neapolitanus Peripateticus temporibus suis excellens, & medicus non vulgaris, humanæ vitæ finem quatuor & octoginta annis determinat: à qua sententia non videtur discedere M. Terentius Varro, de quo modo dixi. Nam scripturus ad Fundaniam vxorē de agricultura, quasi non diu post moriturus testamentum faceret, ita præfatur: *Annus enim octogesimus admonet me, vt sarcinulas colligam antequam proficiscar è vita.* Sed mathematicorum doctissimi centum & viginti annos homini ad viuendum datos iudicant, neque esse inuentum qui amplius vixerit: hoc verò quoniam raro admodum accidit, neutiquam sperandum est, nec nobis optanda est lōga illa ætas, si votis etiam nostris fata arriserint, propter varios fortunæ casus, ambiguamque corporis valetudinem. Nam interrogatus sapiens quidam quàm diu viuendum esset, respondit, quàm diu vitæ commoda plura sint quam incommoda. Verum namque est quod in poëmatis meis iuuenis lude-rememini:

Humana vita temporib. anni comparatur.

Varro.

Octogesimus quartus annus vita humana terminus.

Eheu quid votis longum deposcimus æuum?
Protinus vt miseri multos viuamus in annos?

Et paulò post additur.

Longa dies senium, morbos, effœtaq; membra
Aduehit, atque animum sæuis mœroribus vrget.
Nunc dulces natos, indulgentemq; parentem
Aut charos condit fratres, placidasq; sorores.

Accidit præterea menti senectus, quæ nos amentes, delirosque plerumque efficit, ludibrioque etiam illis sumus, qui bonam ætatẽ nostram admirati sunt. Non enim omnes eiusmodi esse possumus, qualis Themistocles fuit, qui centũ & septem compleuit annos eadem animi præstantia, qua semper fuerat, vt modo diximus, vel qualis fuit Sophocles, qui cũ propter nimiam senectutem iam tædio esset filijs, accusareturq; ab eis amentiæ, & rei familiaris negligẽtiæ, Oedipi tragœdiam quam in manib. habebat, iudicibus ostendit, à quibus non modo absolutus est, sed & sapiẽtissimus iudicatus, filijq; eius grauiter obiurgati sunt. Sed mentẽ atque ingenium conseruat memoria anteactæ vitæ: & perfecta illa sapientia, & vera dicendi ratio senectutem expectat. Vnde Homerus, Hesiodus, Simonides, Stesichorus grandes admodum natu (vt diuus Hieronimus refert) Cycneum nescio quid, & solito dulcius vicina morte cecinerunt. Sed quid refert pauculos annos addere aut demere de humana vita, cum ea quidem vel longissima ad cognitionem rerum infinitarum angustissima dici possit? Nam dum sapere aliquid incipimus, aut morimur aut senio affecti nobis alijsq; tædio sumus. Theophrastus (vt ait Cicero) naturam accusare solebat, quòd cornicibus, & ceruis diuturnam dedisset ætatẽ, quorum vita nihil vtilitatis haberet, hominibus autẽ perexiguam, qui sibi & cõplurib. alijs prodesse possent, si per æuum liceret, & sapientiæ fontem affatim haurire. In sepulchro suo inscribi iussit, Nestor, quòd nondecentum annis in vita fuisset, quasi gloriabundus ad posteros, qui tam longam vixisset ætatem: cùm ne minima quidem ex parte satis fuerit ad comprehẽsionem rerum maximarum, quam neutiquam attigisse arbitror Epimenidem Cretensem philosophũ, quem longæuum adeò fuisse dicunt, vt vix scriptores

Themistoclis ætas.

Sophocles filijs suis tædio fuit.

ptoribus fides habenda sit, cùm alij centum quinquaginta quatuor, alij cētum quinquaginta septem, alij longè pluribus annis eum vixisse afferāt: quæ res veritatem mihi transcendere videtur: nec id vitæ eius scriptores inficiari audent, sed figmento quodā quo risum mihi captare videantur, fidem astruunt. Dicūt enim illum septem & quinquaginta annos perpetuo sopore quieuisse, Nymphis ei inter dormiendum cibum suppeditātib. quod mihi non longè abesse videtur ab Endymionis fabula, quem à Luna, quæ eius amore tenebatur, in monte quodam Cariæ consopitum poëtæ tradūt, vt eum dormientem facilius oscularetur. Ciui tamen nostro satis erit conditionem humanæ vitæ æquo animo ferre, & quodcunque fati sibi datum est, ita dispensare vt nec frustra nec sine laude vixisse videatur. Nā vera est illa sentētia summi Oratoris, pro oraculo habenda, qua dicit, neminem parū diu vixisse, qui virtutis perfectæ functus est munere. Et Plinius secundus in quadā epistola ait, *semper acerbam sibi videri & immaturam eorum mortem, qui immortale aliquid parant.* Nam qui voluptatibus sunt dediti, quasi in diem viuunt, viuendi causas quotidie finiunt. Et Posidonius Philosophus peregregius ait diem vnum hominum eruditorum longè pluris esse, quàm Imperatorum, vel longissimam quamque ætatem. Viuet igitur quàm diu datum est, dummodo honestè cùm hominibus versetur. Nemini noceat iniuriósve sit: sermone & opera compluribus, exemplo autem omnibus prosit. Sitque libertate cum reliquis ciuib. par, Princepsq; virtute & gloria esse nitatur. Adsit eidem pudor in rebus agendis: est enim pudor moderator optimus omnium cupiditatum. Non audeat cuiquam aut dicto proteruo, aut facto improbo nocere. Hæc namque perfacilis ratio est conciliandę hominum gratiæ, & promerendi amoris gratia.

Endymionis fabula.

Pudor, optimus moderator cupiditatum.

De modestia vitæ, de secunda mensa.
Tit. VIII.

Zuingerus li. Volum. 7.

Viuat vir ciuilis modestè admodum, eiusque mensa frugi ac tẽperata sit. Intemperantia enim & ingluuies corpus debilitat, & animũ frangit. Nam sicut temperãtia longam iuuentutem facit, valetudinẽ, & honestũm corporis habitũ conseruat, sic hæc præcipitem senectutẽ, inualidũ corpus, & faciem squallidam ac fœdam præstat. Diogenes Cynicus eos irridere solitus erat, qui per bonam valetudinem dijs sacrificium facerent, & deinde cibo potuq; contra sanitatẽ se ingurgitarent, asserens, *insanum esse ea à dijs precari, quæ in nostra potestate sũt, quæq; nobis ipsis elargiri possumus.* Quàm sancta ac vera Socratis sententia est, qua docet, *edendum esse, vt viuamus, non autem viuendum vt edamus.* Quocirca ciuili viro magna diligentia curandum est, vt sobriè ac modestè se familiamque suam alat. Nam vna & eadem ratione bonæ valetudini ac rei familiari consultum erit. Verum namque est, quod à medicis vsurpari solet, *longè plures esse quos ingluuies ac crapula perimit, quam quos ensis & inedia:* Crudi namque homines malę habitudinis fiunt: assiduè ægrotant, rarò conualescunt, cito occidunt. Præterea nulla vorago, nullum barathrum est, quod magis absorbeat, magisq; præcipitet rẽ, quàm gula, quæ quo melius prandet, melius cœnare studet. Nullæ diuitiæ tam amplæ sunt, nulla suppellex tam præclara, nullæ opes tam magnæ, quæ paruo tẽpore in ventre non demergantur. Facetè Diogenes cũ luxuriosi cuiusdã vænalem domũ inscriptam legeret: *Sciebam* (inquit) *quod vino ciboq; oppleta quam primum dominum euomeret.* Non insulse etiam Bion Borysthenites philosophus peracutus & grauis ad quendam qui possessiones suas vorauerat, inquit: *Terra Amphiaraum absorbuit, tu autem terram.* Quid quòd non modo rem familiarem gula absorbet, sed plerosque ingenuos in seruitutem redigit? Nonne parasitos, & scurras vide-

Frustra à dijs petimus, quæ in nostra sunt potestate.

nus perpetua seruitute addictos cibi gratia? Nonne complures alios cœnam aut prandium non modò blandis obsequijs, verùm turpissimis quoque ministerijs emere? Quàm melius esset decussa glande, & agrestibus baccis ac pomis victitare, quàm aliena cœna pauonem aut accipenserem vorare. Diogenes(de quo modo dixi)aliquando betas cœnæ gratia abluebat, hunc cùm intueretur Plato, submissa voce ait: *Si Dionysio obsecutus fuisses, olera non cœnares*: cui ille: *At qui si tu olera cœnare didicisses*, *Dionysio tyranno non seruires.* Hæc siue Platoni dixerit, siue Aristippo, siue cuicunque philosopho (nam inter scriptores Græcos non satis conuenit) clarissima quidem sententia est, qua eos increpat, qui cibi gratia libertatis obliti dominos quærunt. Quot videmus quotidie, & in antiquis scriptoribus legimus, patrimonia sua per luxuriam subitò prodegisse? Vt Fabium, qui à deuorato patrimonio Gurgitis cognomentum accepit: vt C. Sergium, cui Oratæ nomen fuit(quòd id genus piscium magna auiditate deuoraret) qui primus pensilia balnea instituit, quique diue so[...]icium greges diuersis uiuarijs ac piscinis alere consueuit, & cacutis, vaccarisq; siluestria animalia saginare, & ædificia quamplurima constituere ad cursum deferentium pisces è Lucrino, ne vna quidem cœna conchylijs ostreisq; careret. Albidius etiam quid: m Romanus ciuis bona sua omnia comedit. Postremò autem domus, quæ ei reliqua supereart, incendio consumpta est. Hoc cùm accepisset Cato, per iocum ait: *Albidium fecisse protemiam*: fuit enim proteruia, sacrificij genus in quo mos erat, vt si quid ex epulis superfuisset, id igne cōsumeretur. Quo dicto carpsit Cato ingluuiem Albidi, & eum fortunæ ludibrio expositum esse ostendit: nam cū quod comedisse nō poterat, id combussisset, quod dilui hauririque nequiuerat, fortunæ ioco crematum est. Magnum etiam patrimonium absumpsit Aesopi tragœdi filius, quo quæ maiorem pecuniam citius in vētrem mergeret, liquefactos vniones prādio apposuit, & psittacos & auiculas cantu commendabiles, & in delicijs habitas, magno quoque emptas

Dionis Platonisq; responsa.

Fabius Gurges unde dictus.

Albidius.

emptas pro ficedulis condire non dubitauit, quorum exemplum pessimum fuit in Rom. populo, audaciamq; dedit M. Martio, vt libros tres ederet, quib. cocum & vrbanas mensas, ac lauta conuiuia cum elegantia instrueret. Sextus quoque Fabius Niconis medici discipulus librum edidit, in quo voracitatem suadere nitebatur, quocirca eum inscripsit βιβλίον περὶ τῆς λιχνείας, id est librum de voracitate. Inuenti etiam sunt complures alij, qui irritamenta gulę & diuersa saporum genera versib. & soluta oratione laudauerunt. Eiusmodi luxuria fomes est penè omnium malorũ. Non enim propter caules & Pythagorica legumina rixæ oriuntur, sed propter opipara fercula, & lautas dapes. Non fuit laudi viro fortissimo ac clarissimo Q. Hortensio, qui primũ omnium in augurali cœna pauonẽ coctũ posuerit: sed (vt Varro ait) id potius luxuriosè factum, quã seuere boni viri dicebant. Eum tamẽ citò complures secuti sunt. Verum igitur est quod sæpius diximus, Principes Reipublicæ longe magis exemplo peccare, quàm culpa. Eiusmodi impensis Iulius Cæsar imposuit modum lege sumptuaria, qua nonmodò cœnæ modum statuit, verum inquisitores circum macellum disposuit, vt vendentes ementesque vetita esculenta, punirentur. Sed eius successores hãc legẽ antiquari passi sunt, & præcipue Vitellius, qui sæuitiæ luxuriæq; deditus, quater quotidie mensam ad saturitatem disponebat. Nã primo ientaculo ieiunium soluebat, deinde prandio lautè se inuitabat, tertiò cœna ingurgitabat, postremo si quid helluoni deerat, comessationibus supplebat, vomẽdi potestate facta illis qui minus stomacho valebant. Non parua diligentia curãdum est in libera ciuitate, vt in victu tenues ac frugales ciues sint. Ambitiosam enim mensam fortuna, parcam verò virtus apponit, vt ait Abderites Democritus. Et Cyrus senior vel ex hoc etiam laudatur, quòd cùm ad hospitem diuertisset, rogareturq; quid sibi cœnæ apponi vellet: *Panem tantum cibarium*, respondit, *sperare enim ait prope riuum aqua se cœnaturum*. Qua ex re non immerito diligentissimi parsimoniæ scrutatores fuisse

Peccatũ grauius exemplo quàm culpa.

Lex sumptuaria.

Vitellius.

Laudatum responsum.

Persis

Persæ à Xenophonte scribuntur: quorum mos fuit, non prius sinere adolescentulos è gymnasijs cibi grã tia abire, quàm venia à præfectis impetrata: nec permittebant pueros cum matribus epulari, sed nutu Principum penes magistros: & ad panem nihil adhibebant, præter nasturtium: potuiq; eis dabatur profluens aqua. Exercitatio est optimum ciborum condimentum, & pulpamentum fames. Gulæ irritamenta, & elegantes opiparæq; dapes illæ cœlo, terra mariq; exquisitæ non melius sapiunt viro ocioso ac desidi, quàm panis exercitato ac famelico. Ptolemæus Rex cum AEgyptum peragraret, neque eius milites adhuc eum cum cibarijs assecuti essent, esuriens admodum panem è tugurio pastorali arreptum, magna cum auiditate comedit, iurauitq; in omni vita nihil suauius eo pane comedisse. Et Darius Alexandrum Macedonem fugiens, cum vehemẽter sitiret, aquam turbidam cadaueribusq; inquinatam è proximo haud stam profluenti cum magna auiditate bibit, dixitq; nihil se vnquam iocundius hausisse. Nec admirandũ est, cum nec Ptolemæus esuriens comederat, nec Darius sitiens vnquam biberat, id enim eis vsu accidisse arbitror, quòd homini cuidam ebrioso ac bibacissimo temporibus nostris, qui per iocum dicere solebat, se nunquam sitire, quum crebris potationibus sitti occurreret. Expectandum erit ciuili viro, vt natura cibum exigat, quæ ambulando, laborando, exercendoq; excitanda est, exemplo Socratis; qui cum aliquando contentius ambularet, rogaretque eum quispiam, cur id ageret? Respondit: *Quo melius cœnarem, ambulando obsonare famem.* Anacharsis Scytha ad Annonem gloriabundus scripsit, se lacte, caseo, carne vesci, famemq; sibi pulpamentum esse. Diogenes verò ad Cratem Thebanum literas dedit, quibus hortatur eum ad tenuitatem victus, & lupinos ac caricas si supersunt rogat. Romani veteres nullam aliam ob causam in propatulo ac sub dio vel aperto atrio cœnabant, nisi vt suam continentiam ac frugalitatẽ populo ostenderent: quibus non tanta cura fuit ferculis mensam onerare, quanta eorum posteris: de qui-

Persarum mos.

Ptolemæus, Rex Aegypti.

Curtius.

Socratis ambulatio quali antè cœnã.

Satyra 1. bus Satyricus ille conqueritur, cùm ait:

Quis fercula septem Secretò cœnauit auus?

Plinius testis est optimus, pulte non pane diutius vixisse Romanos, vnde & pulmentaria dici constat: & Ennius antiquissimus Poëta obsidionis famem describens, offam eripuisse plorantibus liberis parẽtes meminit. Cato autem senior in oratione quam ad populum habuit, id verum etiam fuisse ostendit, his verbis: *Nunc verò ita aiunt, in segetibus & herbis bona frumenta esse. Nolite ibi nimiam spem habere, sæpe enim audiui inter os & offam multa interuenire posse: paua verò inter offam atque herbam, ibi verò longum interuallum est.*

Inter os & offam multa cadunt.

Antiquissimi quidem aliarum gentium post glandium vsum in cibis ordeum habuerunt, sic sacri ritus omnes ex eo celebrabantur, & præcipuè Athenis, vt plerique scriptores Græci asserunt. Hæc non eo consilio dico, vt velim ciuem nostrum parcè admodum familiam suam alere, sed paratis vt vescatur hortor, & cibaria inempta ex fructibus prędiorum potius quàm aduecta à transinarinis regionibus laudo. Cornelius Nepos historiarum scriptor peregregius, Pomponium Atticum (cuius vitam edidit) miris effert laudibus, & frugalitatem ac parsimoniam inter præcipuas eius virtutes ponit: dicitque eum neque ędificatorem, neque emacem fuisse: qui commodius duceret, diligentia quàm precio parare quæ vsui sunt: non mediocris esse industriæ, velle elegantem esse non magnificum, non splendidum, non sumptuosum: sed omni diligentia munditiem, non affluentiam affectabat.

Cornelius Nepos, laudatur.

Similem quoque laudem minori Aphricano Plutarchus tradidit. Dicit enim eum quatuor & quinquaginta annis quibus vixit, nihil emisse, nihil vendidisse, nihilq́; ędificasse, semper vixisse, militibusque semper imperasse, vt stantes cruda obsonia pranderent, cœnarent verò discumbentes panem, aut simplicem pultem & carnem assam, aut elixam. Agamemnon verò apud Homerum, Græcis Principibus bouis terga in conuiuio apposuit, non pauonem aut accipenserem, aut perdices, quæ nostro tempore gratissimæ habentur.

Scipio Aphricanus iunior.

Epicurus

Epicurus ipse voluptatis assertor, eleganter opipara quæque aspernabatur, & libros suos omnes oleribus ac pomis refersit, dixitque vescendum esse vilibus cibis, quòd paratiores essent. Fercula enim illa lautiora & exquita pulmenta, ingenti cura & nimia ac miserabili impensa præparantur: maioremque molestiam quæritando faciunt, quàm voluptatem vescendo. Hippocrates etiam scribit, *homines qui gulæ ac ventri student: nunquam bene valere, aut longæuos esse posse, animásque eorum nimio sanguine nimiáque sagina ita impediri, ac si luto inuolutæ essent: idcircóq; nihil tenue, nihilq; cæleste meditari, sed de patinis ac ventris ingluuie semper cogitare.* Siracusanas, Siculas, ac Corinthias mensas vituperat Plato, & omnes Atticos sapores. Sic nos omnes lautas & nimis elegantes dapes.

Epicurus.

Delicati & elegantes nũquam validi.

De vtilitate rei rusticæ, de conuiuijs. TIT. IX.

MVltum confert agrum sationibus ita disponere, vt ex eo omni tempore fructus percipiantur. Ita fuit clemens in genus humanum natura, vt alteram succidiam quasi perpetuam in agris atque hortis constituerit. Videmus namq; fruges frugibus, & fructibus per vniuersum annum succedere. Et nisi cultores terram relinquant incultam, nihil vnquam deest quod ad humanæ vitæ vsum spectat. Quocirca nequam patremfa. antiqui putabant illum, qui ea emeret quæ fundus parare posset. Prima eius cura sit in frumento, quod & optimum parare debet, & quãplurimum. Frumenti autem multæ sunt species, quarum siliginam firmissimã esse Celsus Cornelius ait: Sophocles tragicus triticum Italicum summopere laudat, & fortunatam Italiam candido frumẽto esse dicit. Varro in libro de re rustica, vt far Capuanũ, sic triticum Apulum omnibus alijs præfert. Plinius verò duodeuigesimo libro historiæ naturalis farris genus circa Plusium, & Senã patriam nostrã pondere

Succidiam alteram Cato hortum appellat.

Frumenti species.

Campanũ far.

vel præcipuè commendat, nec immeritò. Abundat enim regio illa optimo frumento, & pecori etiam est accommodatissima. Lucius Columella quãplurima tritici genera facit, verùm ex illis maximè serendum ducit Robum, quem pondere & nitore præstare dicit. Secundã deinde conditionẽ siligini assignat. Asserit tamen omne frumentum post tertiam sationem conuerti. Sed eiusmodi tritici vitium esse ait, quod quamuis candore præstet, vincitur tamen pondere. Hæc diligenter quærat optimus paterfamilias, & cæli, soli, regionisq; rationem diligenter obseruet. Legumina & olera mensam adiuuant: quorum etiam cura non negligens esse debet. Genus omne secundæ mensæ (quod in honorem deorum exhibere consueuerunt veteres) ex frugibus surculorũ, & fructibus arborum fuit. Igitur diligentia non parua est habenda in arboribus serendis, inserendisque, tum ꝓpter speciem ipsam quæ agrum admodum decorat, tum propter vtilitatẽ, iucunditatemq; vitæ. Id omne genus secundæ mensæ bellaria ab antiquis (quando bellatorib. opportuna sint) à Græcis autẽ τραγήματα appellantur. Duas mensas veteres apponere consueuerunt, priorem carnium, pisciúmve: Secundam autẽ pomorum. In priore aqua potui adponebatur, in secunda autem vinum: quo quidem non se ingurgitabant, sed modeste admodum dijs libando assumebatur. Vinum Romani modestissimè bibebant. Sic & Lacædemonij, qui seruos ebrios in cõuiuijs adhibebant, eisque illudebant, non quòd ipsi temulenti essent, sed vt liberos docerent per illorum turpitudinem cauendam esse ebrietatem. Est tamen & vini cura necessaria, idcirco vineta diligenter colenda sunt. Celsus & Atticus scripserunt tres esse motus in vite, & in omni surculo naturales, vnum quo germinet, alterum quo floreat, tertium quo maturescat. Hos motus fossionibus concitari oportere aiunt, natura enim non satis efficit quod vult, nisi eam studio & labore adiuuemus. Oliua industriam laboremq; exigit, cuius liquor vtilis admodum est, & remedijs etiã salutaris. Pauca ad quotidianum victum ciuili viro deesse

Robus.

Secũda mẽsa.

Festus Pomp.
Bellaria.
Mensæ duæ.

Vini vsus in conuiuijs.
Lacedæmoniorum mos.

PAGINATION INCORRECT

deesse possunt, si diligenter curam rei rusticæ habebit, & pascendo pecori incumbet: cuius vel mediocrem diligentiam rem familiarem summopere augere dixit Cato. Nec greges aut armēta pascere quēpiam pudere debet. Nam vt libro secundo de re rustica scribit Varro, illustrissimus quisque antiquorū pastor fuit, & à plurimo pecore pleriq; apud vetustissimos laudabantur. Præcipuam commēdationem habebant oues, propter multiplicem earum fructū. Ex illis namque lac, caseolos, lanam ac pelles habebant, & earum fimus stercorandis agris plurimum præstat. Atqui propter pecudum caritatem, aureas habuisse pelles Poëtæ eàs tradiderunt in Colchide. Nam ad aurati arietis prædam Argonautæ profecti dicuntur. Præstantissimæ etiam habitæ sunt buculæ, tum quòd humanum laborem in colendis agris leuant, tum quòd carne ac lacte mensam adiuuant. Italiam quoque Varro ait Cap.v.li.ij. *à bobus nomen habere*, Cimæumq; dicere inducit, veteres Græcos tauros italos nuncupasse, & cùm plurimi ac pulcherrimi in Italia essent, totam regionem Italiam ab illis dici arbitratus est. Vtiles etiam habentur sues, id nāque pecus idem Varro ait Cap. iiij. lib. ij. *à natura hominibus ad educandum solummodo dono datum esse*, cuius sententiæ adstipulator esse videtur Iuuenalis, quamquam de apro loquatur, vbi ait.

Ouium commendatio.

Idem Varro lib 2.

Vellus aureū

Italia à bobus nomen habet.

Quanta est gula, quæ sibi totos
Ponit apros animal propter conuiuia natum.

A suillo quoque pecore immolandi initium sumptum esse veteres affirmant, & proinde in fœderibus faciundis porcus occiditur, & sic etiam in maritalibus sacris. Sues singulos quosq; patresfa. alere debere, idem Varro author est, his verbis: *Quis enim fundum colit nostrum, quin sues habeat? Et quis non audiuit patres nostros dicere: Ignauum & sumptuosum esse eum, qui succidiam in carnario suspenderit à lanio potius emptam, quàm à domestico fundo?* Suillam carnem pleræque nationes affectarunt, Aegyptij tamen & Iudæi omnino execrati sunt: quod quidem Latini omnes irridebant: vnde illud Iuuenalis satyra sexta.

Obseruant vbi festa mero pede sabbata Reges,
Vt vetus indulget senibus clementia porcis.

Augusti Cæsaris.

Clarius illud facetè dictum Augusti Cæsaris, quo tempore Herodes Iudæorum Rex Christo omnipotētis Dei filio nuper nato mortem meditaretur. Nam cùm audiuisset inter pueros quos in Syria Herodes intra bimatum iussisset interimi, filium quoque eius occisum, ait: *Melius esse arbitror Herodis porcum esse, quam filium.* Hoc ex Latinis scribit Macrobius in secundo libro Saturnalium, capite decimo. Sed ad propositum redeo. Est profectò suilla caro ad familiam bene alendam necessaria admodum. Præbet enim firmissimum nutrimentum, & salubre corpus efficit, vbi modestè sumitur. Cornelius Celsus ait carnem magis alere iurulentam, quàm assam, assam magis quàm frixã. Bonę igitur valetudini potius quàm paruæ voluptati consulendum erit. Elixam frequentius apponere præstabit, cùm propter salubritatem, tum quia familiæ commodior erit. Sed non est consilij nostri singula exequi, quæ ad victum quotidianum spectant. Satis est ciuem nostrum monere vt frugalitatem vitæ in omnibus sequatur, modumq; familiæ adhibeat, vt nulla lege sumptuaria coërcendus sit. Conuiuia verò ab eo rarò celebrentur, incertum namq; est gratiámne an inuidiam conuiuia faciant. Nam si inuitati ad parem gratiam referendam obnoxij redduntur, complures sunt qui neglecti indignãtur, & contumeliam aut iniuriam meditantur. Meminerit conuiuia ab antiquis *dominia* fuisse dicta, & qui ea præbent, dominos. Quod nullam aliam ob causam vsurpatũ esse arbitror, nisi quòd conuiuiũ præbere, Regum, Principum, & opulentissimorum hominum sit. Cicero in epistola quadam ad Pætum conuiuia summopere laudat, vbi ait: *Sed me Hercule, mi Pæte, extra iocum moneo te, quod pertinere ad beatè viuendum arbitror, vt cum viris bonis, iucundis, amantibus tui viuas. Nihil est aptius vitæ, nihil ad beatè viuendum accommodatius, nec id ad voluptatem refero, sed communitatem vitæ atque victus, remissionemq; animorum, quæ maximè sermone efficitur familiari, qui est, in conuiuijs dulcissimus, vt sapiẽtius nostri quàm Græci illi συμπόσια, id est,*

Caro iurulenta, assa, frixa.

Cõuiuia olim dominia dicta esse.

compotationes aut concænationes, nos conuiuia, quod tunc maximè simul viuitur. Legimus tamen Lacedæmonios conuiuium appellasse χλησίαν, vel à liberalitate quæ ἀμφίλεια dicitur, vel quòd cum amicis celebrandum sit. Menippeam Satyram Varronis scimus fuisse, quæ inscribitur: *Nescis quid serus vesper vehat:* in ea fuerunt præcepta à frugalissimo ac doctissimo viro Varrone opportuna admodum ciui nostro. *Dominum conuiuij oportere,* inquit, *esse non tam lautum, quam sine sordibus, & non ea eligi quæ plurimo sumptu & exquisitissima diligentia indigeant, sed paratiora apponere, & quæ iucundè alant delectentq́;.* Quatuor deinde ex rebus conuiuium constare dicit, lectis viris, lecto loco, lecto tempore, apparatu sine indulgentia. Lectos homines eos dicit, qui nec loquaces sunt, nec omnino muti. Eloquentia namque in foro apud subsellia, silentia verò non in foro sed in cubiculo debere esse ait. Iucundos sermones id temporis adhibendos censet, & inuitabiles cum quadam vtili voluptate: quod tunc fiet, cùm de his rebus ad communem vitæ vsum confabulamur, de quibus in foro atque in negocijs agendis loqui non est ocium. Numerum conuiuarum incipere oportere dicit à Gratiarum numero, progredi autem ad Musarum: vt cùm paucissimi, tres saltem sint, cùm autem plurimi non plures quàm nouem. Fuit etiam vetus prouerbium de numero conuiuarum, quod à Varronis sententia parum admodum discedere videtur. *Septem enim dicit conuiuium facere, nouem verò conuicium.* Vetustissima hæc præcepta modestæ frugalitatis rationē habent, & omnia continent quæ ad ciuilem virum spectant. Debet enim esse domestica quædam obseruatio ac disciplina, quæ luxuriam familiæ cōprimat. Sed qui Reipubl. præsunt optimè consulere debēt, ne per luxuriam aut ambitionem ciues patrimonia sua prodigere possint, exemplo Popu. Rom. qui publicis sanctionibus conuiuiorum cœnarumque legem tulit, ad populum, in qua numerum conuiuarum præscribebat. Ea cùm non satis visa essent, (docebat enim inter paucos bona sua consumere)

Conuiuium quatuor rebus constat.

Gellius lib. 13. cap. 11.

Lipsius antiq. lect.

alia lex lata est, & ab authore Fannia dicta, quæ sumptui modum posuit assibus centum, hac lege, vt vniuersa Italia teneretur, cum Itali Romanorum tàtum esse arbitrarentur. Hanc legem Fanniam inter cæteros viros graues suasit vir frugi L. Titus, obiecitque temporibus suis quòd *Porcum Troianum* Romani ciues mensis inferrent, quem conuiuæ sic vocabant, quòd inclusis alijs animalibus esset grauidus, velut Troianus ille equus armatis militibus plenus fuit. Lex Didia lata est, quæ omnem Italiam complectebatur, & non solum qui prandia cœnasque maiore impensa fecissent, sed etiam qui ad eas vocati essent, pœna legis tenebantur. P. Licinius Crassus diues legem rogauit, quæ ducenos æris impendi in nuptijs permisit: singulorum verò dierum sumptum intra triginta asses inclusit, & carnis aridæ ac salsamenti certa pondera constituit. Sed quicquid ex terra, vite, arboréve legeretur, indefinitè largita est. Optimum est & ad improbitatem vendentium comprimendã, & parsimoniam conseruandam, minora rebus precia imponere: quod rogatione sua fecit Cornelius Sylla Dictator. Non fuit etiam inutilis Lex Aemilia, quæ ciborum genus & modum præfinit.

Lex Fannia. *Vide ne sit legendum Cincius, cum Macrobio ca. xiij. li. iij Satur.* *Lex Didia.* *Lex Licinia.* *Lex Aemilia.*

Sumptus omnes comprimendos esse: de impensis funerum & sepulchrorum modus.

Tit. X.

POpulus Romanus priuatã luxuriam semper odio habuit, publicam autẽ magnificentiam dilexit. *Luxuria enim & auaritia duæ pestes sunt, quæ* (vt ait T. Liuius) *vrbes & imperia omnia euerterunt*, his sanctionibus temperanda luxuria est, & helluonum ingluuies comprimenda. Nam ludibrio habentur qui cum frugalitate degunt, eorumque modestia pro auaritia capitur. Imitabitur ciuis noster optimum Philosophorum Socratem, qui cùm diuites quosdam vocasset ad cœnam, puderetq; Xantippen coniugem modici

Luxuria & auaritia duæ pestes Reipu. *Vide ad hunc titulum Pontani lib. de Magnificentia* *Socratis sententia.*

dici obsonij: *Bono animo* (inquit) *sis vxor: nam si modesti erunt, frugi cœnulam non aspernabuntur, sin verò intemperantes: nulla nobis de eis cura fuit.* In vestitu mediocritatē seruet, metiaturq; se ad mensuram sui cēsus. Vt enim turpe est sordida atque indecora veste vti, ita inuidiosum nitidore atq; elegantiore, & præcipuè cùm res familiaris minus suppetit, vel vbi æs alienum contractum est. Est etiam considerandum in vestitu, vt cultus concessus sit, & non discedat à consuetudine patriæ. Deceat personam, genus, ætatem, mores. Vt lauta vestis, quoad decet; dignitatem authoritatemque hominibus addit, sic muliebris & luxuriosa non corpus ornat, sed animum detegit. Hadrianus Cæsar laudem etiam ex hoc consecutus est, quòd Senatores & equites Romanos semper in publico togatos esse voluit, nisi à cœna reuerterentur. Ipse etiam cùm in Italia esset, semper togatus processit. Sumptus enim omnes non necessarij, comprimendi sunt, veluti impensæ funerum, quæ mortuis nihil afferunt, vt ius autem onerosæ sunt. Solonis lex fuit, quæ sumptibus funerum modum imponebat: Et in publicis scriptū etiam est, minuendos esse sumptus ac lamentationes funerum. Eorum fama, qui cum gloria & honestè vixerunt modestis obsequijs non obscuratur: alia autem ex parte, funebris pompa eorum memoriam nō illustrabit, quorum vita pœnitenda atque in gloria nihil memoratu dignum reliquit. Sepulchorum prçterea impensæ, quæ à quibusdam Porphyretico Pariòve marmore, seu diuersis terrarum regionibus exquisitis lapidibus celebrantur, risum potius quàm laudem posteritatis captare videntur. Vera enim monumenta diuturnam memoriam seruant, quæ literarum virtutumq; laude [illegible], non quæ marmoribus clauduntur, ad quæ (vt facetè Poëta ille ait) *diffindenda, valent sterilis mala robora ficus.* Quid quòd sæpenumero videmus magna sepulchra erigi diuitibus ac fortunatis viris, & illis nonnunquam quorum auaritia hominibus ludibrio fuit? Nónne hi lapides ignauiæ ac vecordiæ illorum quos tegunt, memoriā perpetuam faciunt? Monumenta insolentiæ & tempe-

Hadrianus Cæsar.

Funerum sũptus compri-mendi.

Solonis lex.

Sepulchrorũ impensa.

Impensa sepulchrales, vituperata.

ritatis suæ posuisse videtur Licinus ille diues ac fortunatus Romanus, qui tanta impensa Porphyretici marmoris sepulchrum sibi fieri curauit, irridebaturque vulgato epigrammate:

Marmoreo tegitur Licinus tumulo, at Cato paruo,
Pompeius nullo, credimus esse Deos?

Legimus etiam pyramidem vnam ex nigro lapide, qui ab intimis AEthiopiæ montibus deuehitur, meretricis cuiusdam fuisse sepulchrum, & ab amatoribus eius maxima impensa factum, interq; regum monumenta collocatum. Nullum genus sepulturæ magis laudandum puto, quàm humationes sub dio, vbi & flores & herbę nascuntur, cùm id in sepulchris vetustissimis inscriptum sit, veluti à mortuo poscerentur: *Sparge rosas lector, vel candida lilia pone.* Quid illud etiam Poëtarum excellentissimi? *Manibus date lilia plenis. Purpureos spargam flores, animamq; nepotis: His saltem accumulem donis.* Sic etiam Persius satyra prima fœlicitati mortui Poëtæ alludens ait: *Nunc non è manibus illis: Nunc non è tumulo, fortunataq; fauilla Nascentur violæ:* Nónne Pulchrius & optabilius est, vt tellus cōmunis omnium parens, flores, violas, herbas, acrugulta vltrò in tumulis germinet, quàm putrescere inter saxa cadauera? & à scaturientibus vermibus, scarabeis, turpissimisque monstris deuorari? Quid quòd terra terræ redditur? & filij in gremium parentis reuertuntur, quo nihil æquius esse potest. Hoc humationis genus naturæ rationem vel maximè videtur attingere, & à plerisque Philosophorum laudari probarique video. Et nonnulli legumlatores iusserunt id legibus obseruari. Nec quempiam inuenio edixisse marmora excidi, vt sepulchra mortuis parentur. Cyrus quoque Persarum Rex testamento mandauit, nullum sibi aliud sepulchrum construi, sed terra solùm humari, quæ gramina floresque produceret, quibus rebus nihil præclarius inueniri possit, nihilque quod sepulchra magis exornaret. Hanc quoque Ciri curam cùm legeret Iulius Cæsar irrisit, vt qui duceret de sepultura nihil cauendum, nihilq; curandum esse, sed agendum vt virtus & rerum gestarum

Virg. 6. Aeneid.

suum gloria, perpetua nominis nostri præstent monumenta. Sapienter admodum Maro Mantuanus dixit, *Facilis iactura sepulchri*: Et nota est illa sententia vetustissima: *Cœlo tegitur, qui non habet vrnam.* Magnò tamen paternam sepuluram emit Cimon Atheniensis Milciadis filius. Nam cùm pater eius ob crimen peculatus damnatus, in carcere diem obijsset, nec per leges liceret funus efferre, nisi pensitata pecunia, & ipse non esset soluendo, translatis in se vinculis patrem ad sepulturam redemit. Sed hoc pietatis potius, quam humationis iuri concedamus. Lex xij. tabularum fuit, quæ iussit corpora humari extra vrbem, his verbis: *Mortuum hominem in vrbe ne sepelito, neve vrito.* Cecrops Atheniensibus primus omnium ius terra humandi tradidit, quod diutius non modò eis, sed finitimis quoque placuit, plurimumque laudabant, vt terra frugibus obducta esset, quo sinus & gremium (quasi matris) mortuo non sine alimonia præberentur. Demetrius Phaleræus diu pòst legē etiam Atheniensibus tulit, vt ante lucem mortui efferentur, & sepulchris nouis (quorum opera atque impensa nimia erat) modum finiuit, vt super terræ tumulum nihil statuerent præter columnulam non altiorem tribus cubitis, vel paruam mensam. Irridenda sanè veterum AEgyptiorum ratio mihi esse videtur, de qua Diodorus scribit, quòd contemnentes præsentis vitæ tempus, domos nostras diuersoria appellabant, vt qui parui temporis hospitia esse dicerent: verùm in construendis sepulchris nec curæ nec sumptui parcebant: Sepulchra enim perpetuas ac sempiternas ædes mortalibus putant esse, & in illis scribendis tot miracula narrabant Græci, vt fidem veritatis mihi transcendere videantur. Et præcipuè in illo Simādij Regis, quod quidē sumptu & artificio omnium excellentissimum faciunt. Pyramides etiam duas illas, quæ inter septem mundi spectacula locum habere meruerunt, Regum sepulchra fuisse asserunt, de quibus hoc pulchri refert Diodorus, quod nullus ex his Regibus qui eas sibi pyramides pro sepulchris condiderunt, in illis sepultus

AEmilius Probus eius vita. Plutar.

Lex xij. tabularum funebris.

Cecrops Atheniensis humandi ius inuenit.

Demetrij lex.

Pyramides.

tus fuit. Nam alij ante opus perfectum occiderunt, alij præ crudelitate & insolentia populos compulere, vt aut eorum corpora dissiparent, aut eijcerent ex monumentis. Qua ex re facilè cerni licet solida monimenta, non marmoribus, aut Arabicis lapidibus, sed vitæ meritis ac rerum gestarum gloria comparari. Chrysippus de sepultura nonnulla dicit, quę fœda admodum mihi videntur, & risum potius captare, quàm laudem mereri. Sed tolerabilius audio, cùm iubet liberos parentibus simplicem & paruæ impensæ sepulturam præbere, quippe qui cadauer nō pluris faciundum censeat, quàm vnguium capillorumque præsegmina. Et Heraclitus retulit Nabathęos hominum cadauera abiectiora stercore ducere, quocirca non modò alios, sed Reges etiam ipsos, in sterquilinijs defodiunt. Sed consuetudo facit, vt nonnulla aliquādo agamus præter maiorum præcepta, quæ cùm in plerisque rebus minus laudanda sit, in sepulturis apud nonnullas gentes temeritate aut fœditate vituperanda est.

Hyrcanorum, Caspiorum & Bactrianorum mos.

Hyrcani, Caspij, & Bactriani canibus domi ad id officij educatis mortuos edendos, laniandosq; præbent, qua consuetudine quid immanius cogitari potest? Scythæ verò (vt Plutarchus refert) cum mortuis Regibus pincernas, cocos ac pellices sepeliunt, credo, ne quid necessarij officij post obitum eis desit. Et nonnullæ Indiæ gentes cum defunctis viris amatas coniuges, vel alios quoscunq; gratiores vel comburunt, vel infodiunt. O indulgentiam temerariam? O rem non visu modo, sed dictu quoque abhorrendam, viuum hominem necare, ne mortuus amico aut ministro careat, cùm re vera carere non possit, qui nihil sentit.

Carere, quid significet.

Audi Oratorum maximum in Tusculanis quæstionibus: *Carere hoc significat, egere eo quòd habere velis, inest enim velle in carendo.* Quid igitur mortuus velit, non intelligo.

Messagetæ. Derbices.

Parum ab hac Indorum insania Massagetæ & Derbices distant, qui propinquos cognatosque, cùm ad multam senectutem venerint, vel aliquo casu morti appropinquent, iugulatos antè, magno epularum apparatu alijs mistis comedunt, aiuntque id facere, quòd pessimam ho-

minus

Essedones.

ginum fortunam arbitrentur, à vermibus deuorari. Essedones philosophi Europæ Danubij accolæ funera parentum, propinquorumq; læti ac victimis & festo conuentu familiarium celebrant, cadauera autem laniata, & cæsis pecoris visceribus mista, epulando consumunt: capita verò auro argentoq; ornata pro poculis habent, AEgyptij mortuos condire consueuere, quò diutius domi seruarentur. Sic & Persæ ceta circumlitos reddebant eos magis diuturnos. Agesilaus Lacedæmoniorum Rex, cùm tot præclara bella terra marique gessisset morbo implicitus apud Menelai portum qui inter Cyrenas & Aegyptũ iacet, diem obijt: verùm amici (vt eius cadauer facilius Spartam perferre possent) quòd mel non haberent, quo soliti erant corpora condire, cera circumfuderunt, atque ita incorruptum integrumq; domum retulerunt. Quorsum hæc diximus? Vt intelligamus multa per consuetudinem à populis fieri quæ non modo fugienda, sed maioribus etiam execrationibus detestanda sunt. Placet tamen sepulchra mortuorum non violari, sed ea veluti sancta deoque sacrata venerari, quod Romano ac Pontificio iure multis legibus sancitum esse videmus. Solon quoq; inter præclaras leges suas etiã statuit ne quis in defunctos maledicere auderet, pium namque esse dicebat, sanctos eos putare, qui è vita discesserunt, & eorum vrnas violare inexpiabilis religionis arbitratus est. Et sanè Alexander Macedo Darij victoria potitus cùm in Persas venisset, Polymachum Pellæum virum nobilem, quòd Cyri sepulchrum demolitus esset, necari iussit, motus præcipuè epigrammate Græcis literis inscripto, ad hanc ferme sententiam. *Quisque mortalium, & vnde veneris, te enim adempturum scio, hac lege: Cyrus sum, qui Persis imperium armis quæsiui, hoc quodcunque est, humi est, in quo corpus meum tegitur. Noli me irridere.* Hæc verba Alexandri mentẽ commouerunt, vt instabilitatem fortunæ cognosceret, & manes defuncti Regis vltione violati sepulchri impio sanguine parentaret. Quanti faciunda sint monumenta sepulchrorum, placido epigrammate Semiramis

Aegyptij mortuos cõdiunt.

Agesilai mors.

Cera vsus.

Lex Solonis.

Epitaphium Cyri.

Semiramidis sepulchrum: & eius inscriptio. miramis regina animi excellentissimi docuit: quæ cùm sibi sepulchrum admirandi sumptus constituisset, inscribi iussit hæc verba: *Quicunque Rex pecuniæ indiget, aperto monumento quod voluerit accipiat.* Has literas cum legisset Darius, opinatus thesaurum absconditum esse, sepulchri lapidem reuelli iussit: quo reuoluto, literas alias vidit, ad hanc sententiam scriptas: *Nisi Rex auarus esses & pecuniæ insatiabilis, mortuorum monumenta non violasses.* Vrbana irrisione auaritiæ crimen carpsit fœmina excellentissima, & epigrammatum sepulchrorumque nimiam diligentiam contempsit. Nonnulli apud veteres sepulchra sua tanti fecerunt, vt ne inferri etiam posteros permitterent. Hinc est illud Horatij:

Horat. Sat. 8. lib. 1.

Mille pedes in fronte trecentos Cippus in agrum,
Hi dabat heredes monumentum ne sequerentur.

Extant etiam temporibus nostris vetustissimi lapides, qui hoc testantur. Nam post nomina ac titulos sepulchrorum eiusmodi notæ inueniuntur, H.M.H.N.S. Quæ quidem significant: *Hoc monumentum hæredes ne sequantur*: Monumentum ve violandum quidem esse Sertorius edocuit. *Sertorius diruit sepulchrũ Antæi.* Nam cum Tigennam Maurusiæ oppidum expugnasset, in qua nobile sepulchrum Antæi ab incolis esse dicebatur, verùm cũ prę magnitudine fidẽ transcẽderet, id Sertorius dirui iussit, corpusque reperit septuaginta cubitorum, vt Plutarchus refert: quod cum intueretur, summopere admiratus est, & quamprimum sepulchrum instaurari iussit, famamque rei auxit ne violati monumenti reus haberetur. Tigennam Antæi vxorem fuisse perhibent, quam Hercules superato interemptoque viro complexus est, ex eaque filium Syphacem genuit, qui postea de matris nomine vrbem condidit. Scribunt etiam Cosmographi idem Antæi sepulchrum augustum sanctumque *Antæi sepulchrum sanctum.* adeò fuisse, vt si aliqua pars eius erueretur, confestim pluuia & imbres sequantur, nec prius desinant, quàm demolita instauretur. Simile quiddam referunt de Strati Poëtæ monumento, quod ad Pompeiopolim Syriæ vrbem, quæ quondam Soloe vocabatur

Mirum quiddam, de Strati Poeta monumento.

[pa]tur, fuit in edito quodam tumulo: in quod quidē [ia]cti lapides è vestigio in iacentem resiliunt, diuino potius miraculo quàm naturali aliqua ratione. Dixi plura quàm vellem de sepulchris, sed sermonis suauitas me magis quàm sperabam protraxit: reliqua præcepta optimi ciuis paucis verbis percludenda sunt. Nam ipse sibi præscribere poterit his agnitis, quid facto opus sit, & præcipuè si statuerit nihil esse quod ad optimum virum pertineat, quod ab eo non sit agendum. Nam si omnia mente & animo scrutari volumus, & diuersas hominum vitas actionesque animo metiri, inueniemus inter mortales nihil præstabilius, nihil gratius, nihilque vtilius ciuili vita, in qua præstare & pręter cæteros excellere summæ laudis esse puto. Proinde qui plura conferet ad vsum ciuilis societatis, quique ciuibus suis commoda maiora comparabit, honestiusque viuet, pluribus commodabit, neminem iniuria afficiet, præstò aderit in omnibus Reipub. periculis: is profectò ciuis bonus erit, quem in hoc volumine describere conati sumus. Cuius si non omnes partes attigimus, libando tamen multa diximus, ex quibus frugalitatis virtutisque exempla ciues cernere possint, quæ ad ciuilem vitam plurimum prodē-runt, & aucta deinde vsu & exercitatione accumulatam fœlicitatem reddent.

PROOE-

PROOEMIVM LIBRI SEXTI ad Sixtum Pontificem maximum.

PRAECEPTA ciuilis societatis, beatissime Pontifex, non omnibus aeque tradi possunt, sed his praecipuè, qui libertati student, qui nihil magis formidant, quam conditionem seruitutis. Difficilè enim imperare discunt, qui semper paruerunt: & alia ex parte iugum excutere nituntur, imperataque detrectant, qui in libera ciuitate educati sunt, quique aequo iure cum reliquis ciuibus viuere consueuerunt. Cappadoces diu quidem sub Regibus fuerunt: verum cum diuturnitate temporis regia stirps defecisset, eiusmodi honore ab imperio Romano affecti sunt, vt libertate donarentur, sociique amicique haberētur. Egeruntque gratias pro societate & amicitia Cappadoces, perpetuaque in fide se futuros polliciti sunt, libertatem tamen abdicauerunt, vt qui dicerent se ea vti nescire, neque vllo modo perpeti posse vt aequo iure inter se viuerent: proindeque vt Rex sibi daretur. Admirati sanè sunt vehementer Romani, quòd inuenti sint qui libertatem respuerent: attamen vt eis morem gererent, permiserunt quemcunque vellent Regem sibi peterent: qui ex communi omnium consilio Ariobarzanem ius Latini nominis socium Regem elegerunt, cum Reipub. nequaquam insuescere possent. Athenienses verò contra nihil nisi popularem statum perferre potuerunt. Nam quamuis variante fortuna, nunc sub regibus, nunc sub tyrannis essent tamen semper ad optatam democratiam redierunt. Philippus Macedo, & Alexander eius filius, qui eos occupauerunt, nihil de institutis eorum mutarunt. Et Cassander quamuis in alios violentior esset, in Athenienses tamen mitissimus fuit: Demetriumque Phalereum eorum ciuem Theophrasti discipulum eis praefecit, qui popularem potentiam sequutus est, deque ea optimos commentarios scripsit. Romanus quoque Senatus eos donauit, & vt suum vitae genus sequerentur permisit. Non igitur omnibus populis praecepta Reipub. praescribi possunt.

Capadoces imperare ne sciunt.

Ariobarzanes.

Athenienses.

…sunt. Satis est si nobis auscultent, qui libertatem sibi quasi
…men aliquod proposuerunt, quiq́; emori mallent, quàm eam
…quâ ex parte labefactare. Dabitur fortasse mihi vitio & pra-
…stum ab his qui aliena carpere, quàm sua aliquando edere stu-
…dent, quòd cum libros rescripserim de institutione Reipublicæ,
…illos tuo nomini dedicauerim, cùm tu solus imperes, & vnius di-
…cto omnes homines Christianæ religionis auscultent: æquiusq́;
…fuisse de regno, quàm ciuili societate ad te scribere, affirma-
…bunt. Sed si rectè cogitare voluerint, intelligent has duas disci-
…plinas affines inter se esse, & quamplurima præcepta communia
…habere, alteramq́; alteram adiuuare, adeò vt Plato ipse hanc pro-
…tulerit sententiam: Vnum esse Reipub. modum arbitror, nomine
…tamen bifariam nuncupatur. Nam si vir vnus optimus regit, re- Regnum quid.
…gnum vocatur: sin plures, aristocratia, hoc est optimorum domi- Aristocratia.
…natus. Nihil enim refert vnúsne an plures imperent, de ratione
…siquidem viuendi deq́; optimis legibus, nihil mutatur. Hac opi-
…nione ducti Lacedæmonij, regnum cum Repub. iungebant: Regem
…præficiebant, qui parum admodum à priuatis ciuibus differebat,
…& ciuilia instituta ex Lycurgi commentarijs hauriebant. Stoi-
…ci quoque qui Zenonem secuti sunt, eam Rempublicam opti-
mam esse asserunt, quæ mista esset ex regno, popularíq; do-
minatu, optimatumq́; potentia. Sêd his omissis ad
institutum ordinem reuer-
tamur.

DIVISIO CIVITATIS, ET ordo ciuilis, & quid sit nobilitas.

TITVLVS I.

Zuingerus Volum.18.lib.4. Hippodamus.

HIPPODAMVS Milesius vir gloriæ cupidus, bellator egregius, & studijs bonarum artium non mediocriter eruditus, cùm de optimo Reipub. statu scribere institueret, necessarium in primis putauit, ciuitatem ac regionem distribuere. Difficile enim factu illi videbatur, colluuionem quandam hominum vnis mœnibus collectam quiete degere, nisi diuisione aliqua secerneretur. Proinde populum trifariam distribuendum statuit, vt pars vna artifices, altera agricolas, tertia verò belli propulsatores contineret. Censuitque æquo iure ex his partibus magistratus consensu collectæ multitudinis designari. Hæc diuisio apud Milesios satis esse potuit, quorum imperium angustum erat, & opulentis ciuibus minus abundans, nec quippiam adhuc magna laude dignum gesserant: quamquam idem Hippodamus eorum dux fuit nautico bello contra Athenienses, Pirrhumque obsedit. Sed apud excellentiores quasq; vrbes longè aliud fuerat cogitandum. Deducendi siquidem agricolæ sunt, & in agris, villis, pagisque constituendi: tum quòd rei rusticæ custodia diligentius agatur, tutiusque in regione viuatur: tum etiam ne vrbanis functionibus affecti rustici agros negligentius colant, & ciuibus ambitione seditioneque importuni sint. Fuit tamen hæc Hippodami cogitatio opportuna satis, virique ingenium indicauit. Pleræque enim magnæ vrbes eius exemplo non dissimili ratione suas ciuitates diuiserunt

Ciuitatis diuisio.

Romani exẽplum Hippodami secuti.

iam Romani (qui totius orbis terrarum imperium tenuerunt, & in omnibus penè institutis comprobandi sunt) tres ciuitatis ordines constituerunt authore Romulo, vt Dionysius Halicarnasseus scribit: quorum primum patricium appellauerunt, secundũ equestrem, tertium verò plebeium. Primi illi Reip. curam gerebant, qui (vt Titus Liuius testis est lib. I. Romanarũ historiarum ab initio vrbis) *à Romulo centum constituti sunt, & ab ætate Senatores, ab honore ac dignitate patres, progeniesq; eorum deinceps Patricij nuncupati sunt, primumq; dignitatis locum in Republica tenuerũt.* Nam patricios tantùm sacris ac cerimonijs præfecit Romulus, voluitque vt magistratus gererent, ius dicerent, & secum publica munera exercerent: eorumque collegium Senatũ appellauit, vt Græci γερουσίαν dicunt. Ab hoc ordine priscam originem duxerunt maiores mei, vnde Patricij cognomen familiæ nostræ pepetuo adhæsit. Oriundi namq; sumus Roma, orti autem Senæ: quod quidem non modò ab auis atauisq; longo ordine posteris indicatũ est, verũ in veteribus documẽtis pignoribusq; domus nostræ scriptũ reperi, & signa in vetustissimis marmoribus nostra ad hanc vsq; ætatem Romæ pluribus locis cernũtur: Sed illuc redeat sermo vnde diuertimus. Ordo equestris eorum erat quibus vt equum alerent belli gerendi gratia, publicè indulgebatur, vt ad propulsandum hostem, publicasq; iniurias vlciscendas parati essent. Pedestris namq; militia facilè admodũ ex omni hominum collunione comparari potest. Hic ordo, vt quibusdã placet originẽ trahit à trecẽtis illis quos Romulus ad custodiã vrbis elegit, q̃ Celeres appellati sunt, siue ab exequẽdi ministerij celeritate, siue (vt Valerius Antias scripsit) à duce eorũ Celere vocato. Præerat enim eis dux clarissimus, cui tres suberant centuriones. Apud Lacedæmonios quoque trecenti erant custodes, quibus etiam in bello vtebãtur; & cùm opus erat, contra contumaces & inobedientes ciues. Reliqui omnes Romani ciues plebeij nũcupati sunt, siue mercatores institoresq; essent, siue artes, ministeria, agriculturãve exercerẽt. Huic plebeio

Ciuitatis ordo triplex.

Senatores, Patres P. tricij.

Maiores Franc. Patricij.

Pedestris militia facile comparari potest.

ordini permisit Romulus leges scire, de bello decernere, magistratus creare, neque hanc potestatem dedit absolutam, nisi prius omnia Senatus approbasset. Ferebat autem suffragium populus vniuersus, non viritim quidem, sed per curias : & quod pluribus curijs visum erat, id ratum habebatur. Ab hac Romanorum institutione paululũ quippiam discedendũ esse arbitror. Nam consuetudo temporum de equitatu, reliquaq; militia aliud obtinuit, vt infra narrabimus in libro quem de bello scribere destinamus. Sed tres ordines describi in vnaquaque optima ciuitate congruum esse videtur. Quorum primum antiqua generis dignitas commẽdat, si à maiorum virtute ac moribus non aberrat.

Ab ingenuis enim parentib. orti, degeneres deterioresq; facti, nõ modo in plebẽ reijciendi sunt, verũ titulis nominibusq; maiorũ mulctãdi. Secundũ ordinem commendabat mediocritas quædã ciuilis vitæ, & honesta industria, qua quidẽ conciuibus suis prodesse omni studio laborabit. Tertius ordo quoniam diuersam hominum multitudinem complectitur, in qua inopes complures sunt, nihil præclarius habere potest, quàm magistratibus parêre, maioresq; omnes honore afficere, nihilq; nouum cupere, sed pacem ac libertatem optare, honesto labori incũbere, nihilq; magis quàm ociũ formidare, cui ignominia, inopia, & fames tres beluæ truculentissimæ comites accedunt. Clariores illi qui genere censentur, intelligere debent magnum onus esse maiorum famam sustinere. Nam sicut laudem ingentem meretur, qui ex infima plebe, virtute, & rerum gloria sese effert, nobilioribusq; adæquandus est : sic qui à maioribus suis degenerat, laudemq; eorum vitæ turpitudine obscuriorem reddit, non modò nullis honoribus honestandus est, verùm ignominia quoq; & iniuria afficiendus. Quid enim turpius, quam ab eo à quo plurimi speramus nihil afferri? Nam nobilitatem (vt testis Aristoteles est) nullam ob causam magis veneramur, quàm quod ex melioribus ortos meliores fieri consentaneum esse creditur. A qua quidem spe cùm decidimus

cidimus, indignum omnino esse videtur. Nam veluti sereno cœlo nebulam nonnunquam surgentem sydera obscuriora redere cernimus, sic ignauia turpisque vita nobilitatis splendorem obumbrat. Cicero in Salustium, qui eum quasi nouum ciuem, & ignobilem carpebat, seseq; præclarissimum iactabat, eiusmodi verba protulit: *Ego meis maioribus virtute mea præluxi, vt si prius noti non fuerint, à me recipiant initium memoriæ suæ: tu tuis vita (quam turpiter egisti) magnas offudisti tenebras: vt etiam si fuerint egregij ciues, venerint in obliuionem. Quare mihi noli antiquos viros obiectare. Satius est enim me meis rebus gestis florere, quam maiorum opinione niti, & ita viuere, vt sim posteris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplum.* Poterat Cicero antiquũ nobilitatis suæ genus præferre, vt qui à Volscijs Regibus oriundus esset, quod quidem in Tusculanis quæstionibus retulit, libr. primo, vbi ait: *Pherecides Syrus primus animos hominum dixit esse sempiternos, antiquus sanè vir, fuit enim meo regnante gentili*, cùm de Tullo Hostilio Romanorum Rege intelligeret, & certe hãc eius fuisse prosapiam alij quoq; authores affirmant. Nam Plutarchus id etiam scribit, & Eusebius, & ex nostris Silius Italicus affirmat cùm dicit:

Tullius eratas raptabat in agmine turmas,
Regia progenies, & Tulli sanguine ab alto.

Autor Declamationis in Sallustium.

Cicero genus duxit à Volscijs Regibus.

Ciceronis locus. lib. 1.

Sed longe pluris fecit initium nobilitatis suæ à propria virtute manare, quàm à regia dignitate: vel cùm maiores eius præ inopia Arimini delituissent in oppido obscuriore, non putauit virtutem solam satis esse ad veram nobilitatem, nisi etiã dignioris patriæ lumen adderetur, imitatus Themistoclem, qui Seriphio cuidam in iurgio dicenti, eum non sua, sed patriæ gloria splendorem esse assecutũ: *Verum* (inquit) *es, nam neque ego si Seriphius essem, nobilis vnquam fuissem, neque tu, si Atheniensis*: quasi assereret patriam sine virtute nihil dignitatis afferre, virtutem autem patria egere, quasi theatro actionum suarum. Hæc multum differt à Simonidis Lyrici sententia, qui ait oportere eum qui beatè viuere vult, patriam habere gloriosam. Nobilitatis nomen ambiguum est, propter va-

Themistoclis callidum responsum.

Simonidis sententia.

Varij nobilitatis modi.

rias hominum, ac Philosophorum opiniones. Nam Romani (vt diximus) Senatorium ordinem, eorumq; posteros tantummodo nobiles appellarunt. Alij nobilitatem à sola notiorum generis antiquitate esse volunt, vt Thebani, & AEgyptij. Alij à censu & diuitis, vt nonnullæ Asiæ vrbes, quæ solam opulentiam admirabantur. Alij ab equitatu, quoniam equos bellandi gratia alere non nisi locupletes possint. Et qui animi ingenuitate excellunt, veluti fuerunt Chalcidenses, & Magnesij, & accolę omnes Meandri fluuij. Alij à principatu, & potentia, siue etiam à populari aura, vt in plerisque populis cernimus, quorum Principes nonnunquam ad Tyrannidem vsque prouehuntur à populis, vt Pisistratus apud Athenienses, Lysander apud Laccedæmonios, Polycrates apud Samios, alijque complures. Plato Philosophorum sapientissimus, & qui eum secuti sunt, à quibus parum admodum Aristoteles aberrat, quatuor nobilitatis species facit. Primam eorum qui claris iustisque maioribus orti sunt. Secundum eorum quorum parentes potentes ac Principes extiterunt. Tertiam eorum, quorum maiores domi, militiæve, aliqua illustriore gloria clarueram. Quartam nobilitatis speciem facit eam, quam omnium excellentissimam esse ostendit, cùm quispiam animi ingenuitate & magnitudine excellit, suæque virtutis laude nititur: & hunc verè nobilem appellandum censet, cui non aliena, sed sua virtus ad gloriam opitulatur. His quatuor quintam speciem addit Aristoteles eorum videlicet, qui illustriore aliqua disciplina claruerunt: & iure optimo. Nam non modò se, familiamque suam clariorem reddunt, verùm vrbes ac prouincias quibus oriundi sunt illustrant. Stagiritem dicimus fuisse Aristotelem: Democritum Abderitanum, Zenonem Cittiæum, quorum patriæ iam nomen amisissent, nisi eiusmodi ciuium memoria seruaretur. Qanti faciunda sit optimarum disciplinarum nobilitas, quæque patriam sæpenumero adiuuit, Alexander Macedo docuit, qui Aristoteli magistro gratiam disciplinæ in hoc etiam retulit: nam eius patriam Stagiri funditus

Verè nobilis, quis.

funditus euersam rursus ædificauit, ciuesque dissipa-
tos ac seruos restituit. Huius nobilitatis apud veteres
Romanos id eximium fuit, vt Cornelius Tacitus re-
fert, vt cunctis ciuibus qui bonis artibus fiderent,
licitum esset magistratum petere, nec ætas in eis di-
stinguebatur, quin in prima iuuenta consulatum ac
dictaturam inirent. Turpissimum fuit patricijs & illu
strioribus viris literas ignorare: & ab omni nobili-
tate decidere videbatur, qui in studijs disciplinarum
rudis erat: quod quidem ex responso Mutij Scæuo-
læ ad Sulpitium cerni licet, cùm ait: *Turpe esse patricio*
nobili, & causas oranti, ius in quo versaretur ignorare. At
Ammianus Marcellinus in Orphitum summæ nobi-
litatis virum, eiusmodi verba protulit: *Vir quidam pru-*
dens, & forensium negociorum oppido gnarus, sed splendore
liberalium doctrinarum minus quàm nobilem decuerat in-
stitutus. Iuba, Iubæ Numidiæ Regis filius, puer admo-
dum, captiuus Iulij Cæsaris triumphum Africanum
secutus est, & quamuis regnum ac libertatem ami-
sisset, & illustrioris generis gloria esset orbatus, ta-
men se ad literas contulit, & paruo tempore assecu-
tus est, vt inter doctissimos Græciæ scriptores ha-
beretur, & quicquid nobilitatis fortuna eripuerat,
id longè accumulatius ei restituit bonarum artium
disciplina. Ad quam etiam se contulit desperatis
afflictisque rebus Hannibal Carthaginensis, & senio
iam affectus Græcas literas didicit, disertusque adeò
euasit, vt gesta quorundam Imperatorum scripse-
rit, & libros præclarissimos de re militari. Vana est
opinio & risum potius quàm assensum captare vide-
tur, eorũ qui Regum, Imperatorũ, ac Principũ indul-
gentiam, nobilitatẽ appellant, & præcipuè cum ple-
rumq; cernamus indignos improbosq; eiusmodi p̃-
rogatiua à Regibus affici. Caueãt in primis nobilio-
res, ne q̃d per vim in Rep. agant, néve sibi plus arro-
gẽt, quàm alijs tribuant. Superbia namq; eorũ ac fa-
stus magnã inuidiã facit, & fastidiosis ciuibus argu-
mento est, vt fauente plebe tyrannidẽ inuadãt, vt de
Dionysio Syracusano legimus, qui patriæ impe-
rium inuasit: cùm in clariores viros oblatraret,

Non tam clarum est literas scire, quã turpe nescire.

Ammianus Marcellinus.

Iuba Numidicus.

quærereturq́; plebs omnis quòd iam nobiliorib. ſtipendiaria eſſet, ab eisque ludibrio contemptuique haberetur. Superbia & inſolentia, generis dignitatem ac fauorem, gratiamq; virtutis perimit. Pallas vir clariſſimus Neroni quondam à Peto delatus eſt, quòd Cornelium Syllam ad imperium vocaret, is crimen diluere nitebatur, & ſe inſontē eſſe oſtēdebat: verùm cùm liberti eius nominarentur, quos conſcios haberet, reſpondit. Nihil vnquam ſe domi niſi nutu aut manu ſignificaſſe: vel ſi plura demonſtranda eſſent, ſcripto vſum, ne vocem conſociaret. Hæc eius innocentia non tam grata populo fuit, quàm grauis ſuperbia. Proinde ex amicis inimicos plurimos ſibi effecit, & magnam populi inuidiam contraxit. Antiquiore genere qui cenſentur, ſi virtute ac moribus præſtant, longe tutius Reipub. curam gerunt, quàm qui noui in Rempublicam acciti ſunt. AEquum itaque eſſe videtur, vt qui parentes, auos, maiores omnes publicis functionibus honeſtatos habuerunt, quaſi hæreditario quodam iure Reipub. curam accipiant, & in eam amplificandam neruos omnes (vt dicitur) intendāt. Namque vt ager bene admodum cōmittitur indigenis ſuis, qui cœli ſoliq; rationem per naturam optimè callent. Ita ex ſenatoribus orti munera publica adimplere quaſi patria auitaque diſciplina didicerunt. Eorum imperium longè facilius populus omnis tolerat. Nec indignum ſibi videtur, filium magiſtratum gerere, cùm meminerit maiores eius eodem munere functos extitiſſe. Quanquam cernimus aliquando non modò magiſtratus, ſed & imperia hominibus obſcurioris generis, aut alienigenis, ac nouis credita, vt de Tullo Hoſtillio accipimus, qui ruſticis parentibus ortus, ruriq; ad adoleſcētiam vſque paſcendo pecori educatus, imperium tamen Romanum ad ſenectutem vſq; tenuit, non ſine magno incremento, ac maieſtatis dignitate. Tarquinius verò Demarati Corinthij mercatoris atq; exulis filius, Romanis etiam imperauit, laudemq́; ingentem meruit, quòd religionem, Senatum, equeſtrem ordinem, atq; imperium auxit. Agathocles quoq; Siculus

Tullus Hostilius.
Tarquinius priscus.
Liuius.

& figulo Rex creatus fuisse dicitur. Et Adrantenus Andriscus in fullonia natus ad regiam dignitatē est euectus, Pseudophilippi nomine. Hæc quamuis aliquando fuerint, raro tamen optimum exitum habuerunt. Idcirco genus obseruandum erit, & peregrinis, nouis, aut obscurioribus viris raro Resp. committenda est, & id quidem vbi exploratum sit eos virtute & experientiâ longa cōpetitores omnes antecellere. Medij, qui inter plebem ac nobiles versantur, si modestia ac virtute præstabunt, siue studijs disciplinarum fulgebunt, siue aliqua honesta industria vtiles erunt, optime creditam accipiunt Remp. tutiusq; imperant: Nam (vt Aristoteles refert) mediocritas illa penè omnibus grata est: à superbia fastuq; maiorum abest, & ab ignauia humilitateq; plebis est aliena. Magnæ enim diuitiæ & potentiæ clariori generi coniunctæ, magistratui nonnunquam ea suadēt, quæ ciuili societati nequaquam vtilia sunt, & Reipu. periculosa : & alia ex parte abiectus animus plebis nullo diuitiarum fomento, nullisq; maiorum exemplis adiutus, imperium frangit, & vires dignitatemq; publici muneris diminuit. Vtiles igitur in Repub. erunt mediocres viri, si ita inter patricios plebeiosque se gesserint, vt vtrisque grati sint, neque illos formidare, aut hos nimio fauore prosequi videbuntur, sed ita inter eos versabuntur, vt cauti nautæ inter Scillā, & Charibdim, ne dum alteram fugiunt, in alteram incurrant. Plebs multitudinem complectitur diuersam admodū. In ea namque sunt agricolæ, qui suburbana prædia colunt. Negotiatores, qui emendis vendendisq; rebus intenti sunt. Artificesq; omnes, qui minoris laudis artes exercent: & illi quos in sordido quæstu & alieno à libero homine Cicero versari refert, vt sunt baiuli, & mercenarij omnes, quorum opera, non artes emuntur. Est enim eorum merces authoramentum seruitutis, tum voluptatum ministri, & complures alij eius generis, vt nautæ, stabularij, piscatores. Et denique multitudo omnis, quæ corporis labore in diem viuit. Ex hoc ordine pauci admodum ad Reip. munera admittendi sunt. Et hi qui-

Agathocles, ex figulo Rex creatus.

Mediocres viri Reip. vtilissimi.

dem qui admittuntur, eligēdi sunt virtute adeò præstantes, vt generis obscuritas honestæ vitæ splendore illustretur. Nec eiusmodi artes exerceant, quæ odia hominum incurrunt, quæve sordidæ habendæ sunt. Sitque illorum census non omnino tenuis, vt eorum est qui proletarij, aut capite censi dicuntur: ne quid per inopiam agere cogantur quod pœnitendum sit: sed tales sint, vt liberos familiamque suam liberaliter, atque honestè alere possint, ex suis fructibus, aut industria. Est tamen è Repub. vt pauci ex hoc ordine ad eam accedant, eisque etiam maiorem in modum conduci, ne ab artificio discedant. Pudet namque eos à magistratu ac dignitate muneris ad officinam redire, vixque dignantur se ad instrumenta artium admouere. Non dicam tamen plebeios omnes à publicis functionib. extrudendos esse. Nam Romani Tribunos, & Lacedæmonij Ephoros è plebe habuerunt. Cogitandum siquidem eos conciues esse, & sine quibus ciuilis societas neutiquam conseruari posset: neque importuna fuit fabella, quæ docuit membra corporis non posse officio suo fungi sine aluo, quamuis ea in corpore sordidior habeatur. Habenda præterea ratio est multitudinis, quæ seditiosa ac turbulenta fit, si ab vtilitate atque honore publico excluditur. Hæ namque duæ res mutationem Rerumpubl. sæpenumero faciunt. Honori etiam (vt in Græco prouerbio est) tam fortis quàm ignauus incumbit, & lucrum omnes appetunt. Est enim ex his rebus quæ continua lętitia animum perfundunt, & præcipuè illorum qui angustioris animi sunt. Quamquam videndum est, vt agricultura fructuosa sit, non autem Respublica, pro cuius lucro plerumque inter se populi digladiantur. Mitius tamen agendū cum plebe est ne nouis rebus studeat. Proinde diligenter curare debent qui Reip. præsunt, ne caritate annonę populus prematur, vtq; continua (si fieri potest) pace fruatur. Plebs siquidem omnis quamuis ad vlciscendas iniurias pronior sit, pro quibus bella nonnunquam capere videtur, tamen euentum expectat, & minus succedente fortuna, senatoribus

Tribuni. Ephori.

[...]ibus succenset, inque eos culpam per calumniam [...]torquet. De multitudinis iudicio in re bellica id [...]dici potest, quod Pendathes custos Gazæ Regis Ar[...]taxerxis ad Dathanom Principem regiæ militiæ scri[...]psit, cum eum doceret propter inuidiam clarissima[...]rum rerum à se gestarum magno fere in periculo, si quid illo imperante aduersi accidisset. Namque esse consuetudinem regiam affirmabat, vt casus aduersos hominibus qui præsunt tribueret, secundos verò fortunæ suæ: quo facile fieret, vt impelleretur ad eorum perniciem, quorum ductu res malè gestæ nunciantur. Proinde opinioni auræq; vulgi minus credendum est. Nam semper (vt Maro ait:) *Æneid.*

Scinditur incertum studia in contraria vulgus.

Cuius quidem sentētiæ lubricæ mutabilesq; sunt, & non modo non in diem, sed nec in horam quidem firmæ. Quocirca de plebe id dici potest, quod in veteri prouerbio habetur, *Ex incomprehensibili arenæ multitudine funem fieri non posse.* *Prouerbium, vetus ad multitudinem accommodatū.*

Optimè agitur in Rep. si antedicti ordines ita constituti erunt, vt neque plus velit quisque quàm æquum sit, neque alius vtilitate atque honore omni afficiatur, alius autem fraudetur. Iustitia & æqualitas virtutes sunt quæ in primis omnium consensu ciuilem societatem conseruant. Sed de æqualitate ciuili rectè considerandum est. Non enim fieri potest, vt singulis æqualitas seruetur: quocirca præfigendum est, id quod sæpenumero diximus, magistratum non generis aut potentiæ, sed virtutis præmium esse. Æquales inter se ciues sint in rebus in quibus esse possunt, vt in iure condendo non census, non potentia aut genus præualeat, sed pari dimisione inopes ignotiq; cum opulentis clarisq; viris mensurētur. Sic etiam in plerisque alijs rebus iustitia munere suo fungatur. Nec tenues & humiles, & qui nulla virtutis laude illustrantur, iniquo animo ferre debent præstantiores ciues sibi præferri in eligendis magistratibus, si iure suo vti possunt, & in rebus priuatis nullam accipiant iniuriam, sed à legibus magistratibusque ita defendantur, vt illæsi, inviolatique seruentur,

uentur, seque suam portionem à Repu. ferre cognoscant, & meritis suis satis esse factum fateri debent. Nam vbi inter ciues virtutis ac meritorum ratio habetur, idem accidit quod apud figulos fieri videmus, qui si complura vasa diuersæq; formæ ad fontem deferant, eaque omnia ad summum vsq; impleant: quanquam aliud quidem vas magnam aquæ vim capit, aliud autem perexiguam, tamen plena omnia esse verè dicimus, sic inter ciues, cùm pro dignitate sua quisque id cuius capax est accipit, contentus esse debet: quandoquidem in Repub. idem euenit, quod in magnis ædificijs spaciosisq; ædibus, quæ complures habent fenestras, quarum aliæ angustæ sunt, aliæ autem ingentes: nam quamuis omnes in aperto sole sint, tamen latiores multò magis illustrant ædes, quàm exiguæ. Eiusmodi exempla ante oculos sibi ponere debent omnes ciues, nec in seipsis cognoscendis à veritate nimium aberrare. Fit enim (nescio quomodo) vt aliorum vitia potius quàm nostra dignoscamus: & homines hebetiore ingenio idem efficiũt q̃ & humani oculi, qui cùm alia conspiciant, seipsos nunquam intuentur. Quocirca in genere ac virtute plurimi falluntur, qui se optimos existimant, & præclaro etiam genere oriundos, sed aliorum de se iudicium expectent, qui veritatem dignoscere nolũt. Est & alia multitudinis distributio cogitanda ad vrbis custodiam, ac decorem, neque enim tutum neq; pulchrum est, vt pars aliqua vrbis colatur, pars alia deseratur, & pars multudine ac frequentia ciuium abundet, pars autem alia destituta esse videatur. Expedit etiam vt nobiliores, mediocres, ac plebeij per vniuersam vrbem diffundantur, ne regionis opportunitas siue collectus ordo occasionem seditionis præstet. Laudant non modò Latini scriptores, sed & Græci, & in primis Dionysius Halicarnasseus veterem illam Romuli diuisionem, qui multitudinem trifariam diduxit, & singulis partibus duces præfecit: deinde vnamquamque trium partium in denas seiunxit æquales, quibus singulis etiam ducẽ præbuit, & maiores tribus, minores verò curias appellauit. Atqui tribu-

tribunos tres, qui tribubus præessent, dixit: Curiones autem, quod curijs: quas quidem in decurias etiam diuisit, ducesq; singulis præerant, & suam quisque tuebatur decuriam, appellatiq; sunt decuriones, & nutum principis obseruabant, non modò belli, sed pacis tempore & excubias vigiliasq; vicissim exerce bant, & reliqua vrbis munia adimplebant, qua quidem distributione, nulla vrbis pars frequentia aut honore fraudabatur. Hanc Romuli authoritatẽ ciues nostri vt sequantur operæprecium esse arbitror. Hæc de diuisione totius populi dicta sufficiant. *Curiones.*

Regionis agrorumq; diuisio.
TIT. II.

CIuitatẽ nobis superius partitus est Hippodamus Milesius, non quòd eum omni ex parte secuti sumus, sed ab eius exemplo non longè aberrauimus: proinde nõ erit ab re, regionis agrorumq; diuisionem ab eodem authore sumere. Nam veluti trifariam populum secreuit, sic etiã regionẽ in partes tres distribuendam esse censuit. Et vnam quidem partem sacram esse voluit, alteram publicam, tertiam verò priuatam. Isis quoq; multis seculis antequam dilecti coniugis Osiridis mortem vlta esset, Typhone socijsq; cædis interemptis, & Aegypti regno potita tertiam agrorum partem sacerdotibus ad deorum culturam tradidit, vt rem diuinam diligentius facerent, ne paupertate aliquando cohibiti minus diligentes sacrificarent. Aristoteles verò regionem bifariam diuidendam cẽsuit, & partem dimidiam priuatam dedit, alteram autem publicam reliquit. Hanc verò communem pertinere voluit ad diuinum cultum, & publicas impensas: priuatam autem ad singulorum necessitates, & ad publicam vtilitatem. Quocirca parum admodum differre videtur ab aliorum diuisione. Nam ipse etiã sacram partem posuit, & sapienter quidem. Religio enim, ceremoniæ, mysteria, cultusq; omnis diuinus (quo quidem Deum Optimum Maximum, propitiũ paca-

Plinius lib. 18. Cap. 34. & Cap. 4.
Agrorum & regionis diuisio.

pacatumque nobis reddimus) sanctos atque innocentes viros exigit, qui sacrarum diuinarumque literarum studijs imbuti, nebulas cæcitatis ab humanis oculis abstergant. Hi vt modestè degere possint, & templa ædesque sacras ingenti impensa ac sumptu ædificatus conseruare atque instaurare, opibus indigent, ac fructibus terræ, qui rarò vel nunquam mētiuntur, nec comercio aut venditione emptionéve indigent. Benè igitur partem agri ab his qui Reipub. præsunt, religioni assignādam censuit Hippodamus & Isis regina, & Aristoteles, ne diuini ritus negligentius agerentut. Quæ quidem cura optimis quibusque ciuibus maxime cordi esse debet, & non modò temporibus nostris, qui veram colimus religionem, sed priscis etiam cernimus ex Senatus cōsulto Principum populorumque institutis omni pietate rebus diuinis operam datam esse, cùm eorum superstitio temeraria omnino, ludibrioq; esset. Quam quidem rem tanti fecit Senatus populusque Romanus, vt complures Principum ciuitatis filios in Ethruriam miserit ad perdiscendas sacrarum disciplinarum institutiones, cùm minus sibi ipsi in sacrificijs faciendis satisfacerent. Opportunè igitur prima pars religioni conceditur. Secundam partem publicam esse voluit Hippodamus, ex qua stipendium victusque propulsatoribus belli publicè penderetur, quod sapienter quidem institutum est. Nam sine custodibus ac defensoribus Respub. esse non potest. Quid enim intra parietes agerent ciues, si solis mœnibus defenderentur? Quid opulentiæ quidve alimoniæ ciuitas habere potest ad quam confugiunt agricolæ, cùm in agris vndique formidatur? Qua spe quáve industria labori incumbunt rustici, si æstiuos autumnalesque fructus prædæ direptionique hostili expositus cernunt, & sine custodibus passim in agris fortunæ omnia permittunt? Hoc igitur agri quod publicę vtilitati relictum erit, singulos quosque tuebitur ab iniuria. Siquidem à damno omnes abstinebunt, cùm viderint præsto esse vltores, propulsatoresq; iniuriæ. Et si quādo propter diuturnam pacem minus

Ethruria religionis gymnasium.

minus trepidandum esset, minorque impensa militibus eroganda, in publico ærario quicquid superest asseruari potest, vt in temporum bellorumque difficultate ex ærario potius pecuniæ promantur, quàm tributa imperentur, quæ inuidiam odiumque faciunt his qui Reipub. præsunt. Singuli namque pecuniam pensitare iniquo animo ferunt, & si minus id placet quia non sine periculo pecunia publica cōseruatur, annona quæ in agris publicis colligitur, cōseruari potest, vbi sterilitas esset, aut belli difficultas vrgeret. Lucius Columella testis est in scrobibus paleis optimè munitis ad septimum vsque annum frumentum illæsum ab omni carie seruari: quod quidem si diligenter fieret, & suo tempore vetus erueretur frumentum, nouumque reconderetur ab omni obsidione ac fame populum vendicaret, eumque ab hoste tutum redderet. Parum quidem prosunt arma, vbi populus esurit: & famelica plebs nouis rebus semper studet. Templa, theatra, mœnia, aquarum ductus, & reliqua ad vsum atque ornamentum vrbis longè melius fiunt publica quàm priuatorum pecunia. Quocirca necessarium est agros publicè possideri. Tertia agrorum pars eodem authore priuatorum esse debet, & si benè consultum ciuitati volumus, soli agricolę eam possideant. Nam vt Mago Carthaginensis ait, *qui fundum benè colere vult, vrbanas ædes vendat*. Nam cui magis sit cordi vrbanum quàm rusticum domicilium habitare, agro neutiquam indiget, malè enim ciuiles curas exercere potest, qui rusticari gaudet. Alterutrum siquidem vt negligat opus est, qui vtrumque minus implere vult. Possumus tamen partem aliquam priuati ruris ciuibus permittere, suburbana videlicet prædia, quæ minus laboris minusque diligentiæ requirunt, & ad relaxandam ciuilem societatem, voluptatémque capiendam potius, quàm ad fructus percipiendos pertinent. Horti quidem olitorij & arboribus consiti, voluptatis amœnitatisq; causa fiunt: in illis namque parantur rosaria, piscinæ, vacerrę, & cætera eiusmodi quæ speciem voluptatemq; complent. Nam horrea, grana-

Frumentum quomodo diu seruetur.

Suburbana prædia, commoda.

Horti olitorij.

granaria, ac promptuaria, vsum victumque necessarium augent, opulentiam potius domini quam diligentiam expectant. Non erit tamen alienum à ciuili viro rei rusticæ operam dare, vt superius diximus, & vbi locupletior sit, seruos complures rusticos aut inquilinos, quibus agricolationis munera præscribat, habere. Proderit siquidem compluribus: & vbi liberaliter modesteq; se gerat, sine fraude ac mendacio eius industria laudem consequetur. Sed vbi plurimi id agerent, malè rebus vrbanis, & pessimè rusticis cōsuleretur: quandoquidem nec vita vrbana rusticam, nec rursus rustica vrbanam impedire debet. Benè enim præcipitur in veteri prouerbio: *Quam quisque norit artem, in ea se exerceat.* Hanc etiam agrorum partitionem secutus videtur Romulus, vt Dionysius Halicarnasseus ait. Nam cùm agrorū partem sacram fecisset, quæ satis esset ad templa & ceremonias, partem aliam reliquisset, quodcunque agri supererat, in triginta partes æquales distribuit, & suam cuique curiæ tradidit, ne qua seditio inter ciues oriretur. Et de agri diuisione hactenus.

De priuatis patrimonijs.
Tit. III.

Ex Euripidis tragœdia cui titulus est Orestes.

PLato in libris suis de Repub. omnia communia ex tragica sententia, veteriq; prouerbio, videlicet: *Κοινὰ γὰρ τὰ τῶν φίλων*, id est, cōmunia enim cuncta inter amicos sunt, quod inter amicos vsurpabant, cōstituit. Proinde apud eum nulla agrorum diuisio necessaria fuit, quando de patrimonijs priuatorū nulla habenda ratio sit, vbi omnes in communi colligunt, in communiq; victitant. Hæc quidem res in ea ciuitate in qua coniuges liberiq; communes sunt, neque aliena, difficilis admodum esset. Indulgentia enim parentum in liberos posterosque, cogit eos longè maiora patrimonia parare, & diuitias penè infinitas cupere: paruo siquidem contentus esset, qui prolem non cognosceret, parētes ac maiores omnes, affines, cogna-

cognatos agnatosque ignoraret, & præcipuè cùm Respub. sibi victum vestemque suppeditaret. Sed quia optamus non modò nobis, verùm liberis posterisque nostris, quos secūdum nos ipsos amamus, benè esse, & eorum cura adeò insita nobis est ab ipsa natura, vt nihil eos indigere etiam post obitum nostrum cupiamus, non possumus contenti esse paruo, & negligētiam ignauiamq; nostram accusamus, nisi patrimonia nostra industria ac labore augeamus: difficilè tamen factu esse arbitror, ciuitatem vel principio instituere, vel antè constitutam redigere ad Platonicam illam disciplinam, quæ amœnitatis plus habet propter suauitatem sermonis, quam fœlicitatis, cùm cogitamus illa quæ præcipiuntur, ab omni consuetudine humana longè aliena esse. Facilè siquidem est commentitiæ cuidam ciuitati omnia præscribere, atque persuadere, quæ in cogitationem nostram cadere possunt. Sed cùm ad veram ciuitatem ventum fuerit, tunc dignoscemus facta dictis nō semper respondere. Lacedæmonij quamquam priuatam sobolem dignoscebant, & coniuges parentesque non ignorabant, tamen victum vestemque ex publico accipiebant, & maiorem fructuum partem: hostiles prædas ac manubias in publicum conferebant, hi verò priuatas etiam diuitias non negligebāt. De patrimonijs igitur singulorum cogitandum censeo legum latoribus, & his omnibus qui Reipubl. præsunt. Phaleas Carthaginensis, qui de ciuili societate scripsit, in primis constituit patrimonia inter ciues æqualia esse debere, quæ quidem res non careret ratione. Consentiunt namque omnes, nihil esse quod magis Rempub. conseruet, quàm ciuium æqualitatem: quæ tum vel maximè cerneretur, cùm neque diuites neque tenues in ciuitate essent, sed æquali agro æqualique patrimonio censerētur. Atqui (vt Aristoteles testis est,) æquare patrimonia à primis conditæ vrbis incunabilis neutiquam factu difficilè esset, & vtilitatem præseferret non mediocrem. Ad æqualitatem siquidem tenderet eiusmodi sortitio, & negligentia, ignauiaque hominum facilè

Phaleas, scripsit de Repu.

legibus coërceri posset. Patrimonium agrumque alienare pleræque ciuitates non permiserunt, qua in re Solon legem tulit apud Athenienses, & Voconius etiam apud Romanos, ne quis census hæredem filiam relinqueret. Cēsum enim eo tempore diuitem opulentumque appellabant: Postquam verò vrbs cōstituta est, & ab institutis suis diutius ciuitas aberrauit, impossibile penè factu esset, ad patrimonij agrique æqualitatem eam redigere. Qui enim sine seditione ac cæde æquo animo ferrent locupletes opulentioresque magis sibi ante ferri, qui tenuioribus diuiderentur? Præterea tanti ignauia, quanti industria haberetur, vbi rursus æquare patrimonia ciues cōgerentur. Debent tamen qui legibus scribendis præsunt, agri modum præscribere, ne pauci multorum possessiones inuadant, quod quidem & senatusconsulto apud Romanos sancitum fuisse cernimus, & longæ ante ex legibus decemuiralibus, quas duodecim tabulas appellabant. Qua quidem in re agri ratio cū multitudine cōpensanda est, vt fructus omnib. suppetāt. Legis Agrarię obseruātia ꝑdifficilis est, locupletes namq; tenuiores extrudūt, & quo plura possident, plura inuadere conantur: qua ex re seditiones non mediocres oriuntur, cùm plebs stipendiaria atque addicta diuitibus esse videtur, & annona tanti venditur quāti ne integra quidem inopum patrimonia venundari possunt. Cùm possessiones diuitum nimis augerentur, excluderenturque pauperes, legem tulerunt Romani, quæ supra quingenta agri iugera ciuem Romanum habere prohibebat. Locupletes primò fraudem legi intenderunt, suppositis qui conducerent, vel falso nomine emerent: deinde apertè agros occupare cœperunt, egenis omnibus exagitatis. Idcirco inopes nec militiæ nomina dare, nec filios amplius tollere curabant, qua ex re ciuitas & omnis Italia exhauriebatur liberorum multitudine, complebaturque seruicijs, ac barbaris omnibus qui diuitum agros colebant. Hanc Reip. labem pleriq; viri optimi animaduertebāt, sed nemo rem tanti periculi aggredi audebat. Caius tamen

Census.

Leges duodecim tabularū decemuirales appellata.

Lex Agraria.

men Lælius Scipionis amicus multitudini oppressæ succurrere instituit, sed perterrefactus locupletum factionibus, ab incepto destitit: quocirca vbi per alios res tentata malum habuit exitum, sapiens & habitus & cognominatus est. Tiberius vero Gracchus, vt primũ Tribunus plebis creatus est, onus promulgandæ legis suscepit, & quamquam mitissimam legem ferebat, qui nec eos qui contra legem fecerant, pœna afficiebat, aut iniustè possidentes agros, cum perceptis fructibus restituere cogebat, sed accepto precio dimittere, & rursus egenis ciuibus tradi volebat, animos tamen locupletũ ita offendit, vt auaritia producti, quasi pro vrbis mœnibus, aut pro libertate patriæ pugnarent, in authorem legis impetum fecerũt, eumq; crudeliter trucidauerunt, laudato etiam percussore, & diuinis propè honoribus affecto: qua re animum plebis terruerunt, donec Caius Gracchus intercempti frater tribunus plebis crearetur, & malè inchoatum facinus fratris, pessimis etiam auspicijs ad exitum perducere conaretur. Quocirca diuitum factione eiectus è subsellijs fugatus est, & nemine auxilium præstante, in sacrum deorum nemus aliquantulum se recepit, & ne in manus inimicorum viuus perduceretur, ensi incubuit, adiutus à Philocrate seruo, qui solus eũ comitatus fuerat: qui vt primùm dominum interemptum conspicatus est, sibi etiam ipsi mortem consciuit. Nec solum autẽ Romani, cùm malè partirẽtur in re agraria, calamitatem passi sunt, verùm complures aliæ ciuitates. Heraclea vrbs Ponti quondam opulentissima fuit, sed cùm de agrorũ diuisione inter plebem & diuites discordia primùm deinde seditio non parua esset, Clearchum (quem exilio multauerãt Senatores) quasi causæ defensorẽ aduocant. Is occasionem maioris potentiæ nactus, patrocinium plebis suscepit, quæ ei quamprimum summum ciuitatis imperium defert. Clearchus confestim oblitus beneficij, in Senatores se armat, quorum sexaginta in vincula conijcit, reliqui verò fugam arripiunt. Sed cùm bellum (qui profugerant) pararẽt, eorum seruos qui domi remanserãt, Clearchus

Caius Lælius.

Tiberius Gracchus.

Caius Gracchus.

Heraclea.

manumittit, & coniuges ac filias eorum quò fidi magis sibi sint, & dominis infestiores, nuptui eis tradit, qua ex re victoriam belli consecutus Clearchus, Senatores captiuos triumphi instar per vrbem ducit, superbiaque elatus, omne genus sæuiciæ atque insolentiæ in ciues suos diutius exercuit, donec Chion & Leonides Platonis discipuli eum cum cognatis & clientibus suis trucidarint, sed coniuratis tardius eis auxilium ferentibus, à tyranni satellitibus interempti sunt, fraterque Clearchi Satyrus nomine, tyrannidem rursus inuadit, multisque annis Heraclienses per gradus successionis iniquæ seruitutis iugum passi sunt, cùm sibi minus de agris diuidundis consulere scirent. Hæc pluribus verbis dixi, vt cautiores sint qui leges agrarias ferunt. Est & relinquenda Reipub. opulentia, non modò ad publicum vsum, verùm ad pericula ac bella externa. Nec verendum est ne publicæ opes nimiæ sint, nam plerumque tempora accidunt, quæ publicas priuatasque opes exhauriunt. Satis est censere ne priuati plus habeant, quàm per leges liceat. Nimiæ enim priuatorum opes, vrbes plerumq; dirimunt, vel eorum superbia ac fastu qui possident, vel temeritate ac insania eorum qui auêt. Modus etiam lucro adhibendus est, videndumque vt ciues honesto labore ac industria ditiores fiant. Prohibendi sunt quæstus omnes turpes atque illiberales, & vsuræ in primis, quas secundum homicidiū Cato senior exhorruit. Nam cùm à familiari quodam rogaretur, quid fœnerari sibi videretur ad rem familiarem augendam? ipse eum interrogauit. Quid tibi, hominem occidere? Vorago namque vnius multorum patrimonia exhaurit, quo nihil perniciosius in vrbe esse potest. Est etiam turpe, & longè magis abominabile, versuram facere, minore fœnore acceptam pecuniam longè maiore mutare. Eiusmodi quæstus non modò tollendi sunt, verùm grauiter etiam animaduertendum in illos qui eos exercent. Respubl. enim aut nullo aut minimo cuique lucro esse debet: duplici enim iniuria afficiuntur qui magistratibus carent, tum quòd honore, tum quòd lucro priuati

Chion, Leonides, Platonis discipuli.

Satyrus Clearchi frater.

Vsura homicidio non minor.

uati

uati esse videntur. Nihil enim magis odiosum est, quàm videre quempiam quàmprimum publicis muneribus diuitem esse factum. Sint igitur contenti optimi ciues honore & gloria pro rebus benè gestis: nec inuidiosa præmia expectent: sint in affectanda gloria modesti. Quo minus enim quisque gloriā quærit: eo magis eam assequitur. De patrimonijs priuatorum hæc dixisse satis est.

De officio ciuium in peregrinos, & qui ciuitate donandi, quiq; exigendi sint.

Tit. IV.

Peregrini & aduenæ grato hospitio accipiendi sunt, vbi honestæ rei gratia in vrbem venerint. Commercia namque peregrinorum ciuium mercaturam adiuuant, eosque opulentiores reddunt, & ciuitatem his rebus carentem complent, eaque exportant atque deuehunt, quæ supersunt. Pauci tamen ciuitate donandi sunt, & hi vbi optimè de Repub. meriti fuerint: quibus tamen concedendum est vt ædes in vrbe, possessiones in agris emere possint. Incolarum siquidem multitudo periculosa est in omni populo. Plebs namque ex diuersa hominum colluuione collecta raro conuenit. Concordia namque inter diuersæ nationis homines vix esse potest, nec credendum est eodem studio eademque pietate teneri paruo temporis curriculo coaceruatos peregrinos, qua indigenæ tenentur, qui amoris in patriam veluti seminarium à parentibus maioribusque acceperunt, & charitatem in ciues cum materno lacte suxerunt. De nouis enim ciuibus id dici potest, quod in amatorio sermone fœminæ conqueri solent, quæ aiunt nullis blandicijs, nullisque illecebris amatorem allici posse qui aliam adamauerit, vt prioris amicæ obliuiscatur. Adeò nobis à natura indita est patriæ charitas, vt nulla temporis diuturnitate, locorum intercapedine, nulla contumelia, nullaq; iniuria eam omnino deserere possimus. Idcirco cautè agendum est cum

De nouis ciuibus.

aduenis. Aristoteles affirmat populos omnes, qui peregrinos atq; incolas plures acceperunt, seditionibus, discordijsq; diutius fuisse iactatos, vetustissimaq; exempla refert, quibus liquidò ostendat plerasq; ciuitates à peregrinis malè habitas extitisse. Achæos apud Sabarum à Trezenis hospitio susceptos dicit, & paulò pòst Achæorũ multitudine aucta pulsos cæsosq;. Trœzenij quoq; aliorum hospitia quæsierunt, à Turijsq; excepti sunt, quos non minore ingratitudine pepulerunt, quam ex suis sedibus pulsi fuerant. Aduenæ etiã à Byzantinis ciuitate donati, in cædem ciuium coniurauerant, vixq; ex vrbe agrisq; re patefacta armis ac bello eiecti sunt. Rhegini quondam discordia laborabãt, ciuitasq; per dissensionem in duas partes diuisa erat: verũ pars altera ab Himera socia vrbe militum auxilium vocauit, qui vt primùm inter mœnia accepti sunt, eos contra quos implorati fuerant, pepulerunt, deinde oẽs trucidauerunt quibus auxilium tulerant, vrbemq; sociorum cum coniugibus ac liberis occupauerũt, ausi facinus nulli tyranno comparandum. Dionysius quoq; secundus Siciliæ tyrannus eiusdem ingratitudinis exemplũ præbuit: nam cùm victus à Syracusanis, vrbe & insula pelleretur, in Italiã profugit, & à Locrensibus socia tũc ciuitate benignè admodum exceptus est. Is hospitalitatis iure contempto arcem inuasit, & libidinem, solitamq; sæuitiã in eos annos circiter sex exercuit, donec rursus à Syracusanis reciperetur. Romani tamen complures ciuitate donarunt, & præcipuè ex populis quos virtute & armis subegerant. Et quamuis imperio totius orbis terrarum potirentur, victoresq; gentium essent, tamen violati hospicij temeritatem experti sunt, cùm Chrysus & Spartacus ruptis ergastulis, seruilique conspiratione facta, in imperiũ Romanum surrexerunt. Non igitur licebit per leges (si opportunè consultum volumus ciuitati) fundum domumve peregrinis concedere, nisi ex senatuscõsulto, quod quidem hoc tempore obseruari cernimus in optima quaque Italiæ Republica.

Dionysius secundus Siciliæ tyrannus.

Spartacus & Chrysus gladiatorum duces.

Que

Quæ vitanda, queue obseruanda sint, ne ciuitatis status euertatur: & virtutem solam Rempub. augere.

Tit. V.

ADmirari videtur Xenophon Socraticus, vbi de disciplina Cyri scribere orditur, quòd ex tot Rebuspub. quæ sibi in memoriam cogitationemque occurrant, nulla diuturna stabilisq; diutius permanserit, siue à populo, siue à paucis regeretur: id tamen accidere fatetur eorum culpa, qui ciuili societati gerendæ p̄sunt, quorum superbia, intemperantia, ambitio, & auaritia, negligētiáve efficit, vt Reipub. status facilè labefactetur. Huic sententiæ magis assentior quā Platonicæ, quamuis Ciceronem adstipulatorē habeat, vbi ait, *naturales esse ortus, atque obitus Rerumpub.* Nec is sum qui auscultandum censeam Platoni dicenti in octauo libro de ciuili societate. *Et si optimè instituta sit Respub tamen aliquando peribit.* Impossibile namq; est, eam omni tempore permanere, instituta siquidem omnia, atq; creata occident. Nam si qua ratione fieri potest, vt ciues perpetuo bene agant, sequantur honesta, fugiant autem turpia, perpetua erit Respub. dummodo principes labentem populum firment. Vt enim eorum cupiditatibus ac vitijs tota ciuitas inficitur, sic emendatur & corrigitur continētia. Virtus siquidem est, quæ ciuilem societatem stabilem ac diuturnam præstare potest: & optimi mores, optimæq; constitutiones eorum, qui præsunt, rem populi non modo conseruant, verùm dignitatem ac imperium mirum in modum augent: quod quidem exemplo idem Xenophon ostendit, cùm de Lacedæmoniorum Repub. scribit. Dicit namq; Sparten, quæ ciuium frequentiā habebat exiguā, eam tamē paruo tēpore opibus, potētia, multitudine, dignitate, & imperio plurimū creuisse, q̄ res eum in admirationem non mediocrem adducebat. Sed cū Lycurgi leges & sanctissimas constitutiones secum animo & cogita-

Nulla Respu. diutius stabilis.

Dissensum à Platone & Cicerone.

Lacedæmoniorum successus.

tione volutabat, admirari prorsus desinebat. Socrates quoque affirmat legumlatores beatas ciuitates facere posse. Tandiu igitur victura est Respub. quandiu ciuiles in ea virtutes, & optimæ leges dominabuntur. Nullæ enim vires sunt, quæ concordem ac bene moratam ciuitatē diruere possint: absit ambitio, absit cupiditas, absit superbia, & diuinarum populator luxus, aliæque teterrimæ beluæ, omnia in ea diuturna stabiliaque erunt. Eiusmodi sententiæ nos admonent, vt aliquid præcipere velimus his qui Reipub. præsunt, quò intelligant, quæ vitanda, quæve obseruanda sint, ne ciuitatis status euertatur ac corruat. Et si nobis res esset solùm cum viris eruditis ac sapientibus, satis futurū arbitrarer dicere, solam virtutem Rempub. augere, solaque vitia eam labefactare atque euertere. Sed quia cum multitudine res nostra agitur, & popularis omnino sermo noster esse debet, nonnulla præscribere operæ pretium esse arbitror, quæ pro pinguiore (vt dicitur) Minerua singulorum mentes atque animum attingere possint. Nec satis est dixisse iustitiam & æqualitatem duas esse virtutes, quæ ciuilem societatem conseruant, & sine quibus nulla ciuitas diuturnitatem aut pacem habere potest, nisi etiam quædā attingamus, in quibus sæpenumero peccatur & ab his qui magistratum gerunt, & ab alijs qui potentiores in Republica videri volunt. Cauendum in primis ei, ne quid per vim aut dolum in Repub. agatur: quæcunque enim per vim fiunt, infirma instabiliaque sunt, & populum non modo ad inuidiam: verùm ad vltionem quoque alliciunt. Per vim in seruitutem vendicare Virginiam voluit Appius Claudius decemuir, qui legibus scribundis præerat, quam rem neutiquam passus Virginiæ pater, filiam gladio transuerberauit, cruentisque manibus ad exercitum redijt, plebemque contra patres concitauit, quæ res non paruam plagam Reipub. intulit. Fouit namq; diutius simultatem inter plebem ac patricios, quod quidem seminarium fuit plurimorum malorum. Est etiam deterrimum per dolū quippiā inter ciues agere. Nam quam-

Concordia maximum ciuitatis stabilimentum.

Val. Max. lib. 6. Cap. 1. Liu. 3. Dionys. l. 11.

quamuis aliquando succedat, tamen vbi detegitur
fraus, nulla amplius fides adhibetur illis qui dolosè
aliquid egerint, eorũq; manus omnes homines mira
quadam diligentia obseruant. Lysander Lacedæmo-
nius fortitudinis nonnunquam exempla tribuit, sed
cùm sæpius per dolum ac fraudem, quam per virtu-
tem rem ageret, carpebatur, aliquando à familiari- *Lysander ab*
bus suis, quòd ab Hercule, quem generis sui autho- *Hercule de*
rem faceret, omnino degeneraret, cùm pleraque per *generauit.*
dolum, pauca autem per virtutem agere niteretur,
simulato etiam responso crimen suum diluere co-
nabatur. *Vulpis enim pellem assuendum esse dicebat, vbi* *Vulpina pel-*
leonis non satis corpus tegeret. Alexander verò Macedo *lis assuenda,*
vbi ex insidijs cum hoste pugnandum Parmenio *quò leonina*
suaderet, ait: *Istud quidem agerem, si Parmenio essem: ve-* *non peruenit.*
rùm cùm Alexander sim, aperto marte vincendum censeo.
Vnde illud apud Curtium probro obijcitur, cùm ait:
Impia bella geritis, & cum arma habeatis, licitamini ho-
stium capita. Declarat hanc sententiam Fabricij epi-
stola ad Pyrrhum Epirotarum Regem acerrimum, ea
tempestate Romanorum hostem, in qua scribitur
ad hanc ferme sententiam: *Nos pro tuis iniurijs hostiliter* *Fabricij epi-*
tecum bellare studemus, sed communis exempli & fidei gra- *stola ad Pyr-*
tia visum est, vt te saluum esse velimus, vt esses quem armis *rhum.*
vincere possemus. Ad nos venit Nicias familiaris tuus, qui
pretium peteret, si te clam interfecisset, id nos negauimus
velle, ne ob eam rem quicquam commodi expectaret: & simul
visum est, vt te certiorem faceremus, ne, id eiusmodi si ac-
cidisset, nostro consilio ciuitas putaret id factum, quoniam
Romanis non placet præmio aut dolis pugnare. Tu nisi caues,
iacebis, vale. Et Leonides strage dolendum, quàm vi-
ctoriæ pœnitendum esse longè melius arbitratus
est. Et quamuis in bello dolus aliquando non abo-
minabundus sit. Nam et ait Maro: **Dolus an virtus**
quis in hoste requirat? in ciuili tamen societate
nihil turpius, aut æque formidandum. Veteres leges,
optimæ consuetudines neutiquam abolendæ sunt,
in quibus si quippiam mutandum esset pro com-
muni vtilitate, id non subito momento, sed sensim
erit agendum.

Mutatio enim rerum antiquarum mutationem plerũque Reipublicæ facit, quod quidem vel ex hoc cerni licet, quòd fastidiosi ciues, seditiosique populares, euersionem legum vel magistratuum tentare solent, aut promulgationem nouarum sanctionum. Agrarias frumentariasque leges asserebant Gracchi, vt fauorem plebis sibi conciliarent, & alij plebeios magistratus, alij patricios euertere aut minuere conabantur: quæ quidem res rarò sine ciuili seditione aut clade fiunt. Lysander vt secundum populi rumorem hauriret, regiam potestatem tollere nitebatur, quæ apud Lacedæmonios augustissima sanctissimaque semper extiterat. Pausanias autem Rex, vt nobiles egregios quosque ciues sibi asciscerct, Ephoros delere voluit, qui magistratus plebem à potentioribus tuebatur, vt tribuni apud Romanos à Senatorum iniuria tenuiores vendicabant. Nec erit etiam augenda authoritas ac potentia magistratuum, quæ quidem nimium aucta plerunque ciues ad tyrannidem inuitat. Decemuiri illi qui cum imperio scribendis legibus præerant, iam ciuili authoritate abutebantur, & pleraq; per vim agere nitebantur: qui tandem non sine seditione ac cæde ex magistratu deiecti sunt. Sic & triginta illi ciues quos Atheniensibus præfecit Lysander Lacedæmonius, postquã veneno & ferro in complures præclaros viros grassati sunt, scelerum pœnas dederunt, quibus exitium Philosophorum sanctissimus Socrates vaticinatus est antequam eorum iussu mortiferum poculum hauriret, & præcipuè (vt aiebat) Critiæ, qui necis suæ nephario iudicio author fuerat, cùm ait se id poculum eidem propinare, ac prægustare. Nam paulò pòst Thrasybulus Lici filius, vel (vt aiunt) Thrasonis, vir magnitudine animi, & amore in patriam nulli inferior, cùm cerneret tyrannide triginta ciuium oppressas Athenas teneri, & optimos quosque viros partim exilio pulsos, partim interfectos, plurimos autem bonis multatos, de vendicanda in libertatem patria cogitauit, accitisq; paucis exulibus, Philam castellum munitissimum occupauit, bellumque tyrannis indixit: & quam-

Lysander auro popularis captator.

Pausanias.

Decemuiri à Rep. deiecti.

Atheniensibus xxx. prætores Lysander præfecit.

quamuis principio præ inopia & militum paucitate
cõtemptui irrisioniq; esset,tamē succedente fortūna
exercitum contra se missum, primo impetu armis
impedimentisque exutum, in vrbem vsque fugauit.
Secundo autem prælio Critiam tyrannorum ducem
fortissimè dimicantem interemit : quo quidē facto,
oppressam patriam liberauit, mulctatis exilio tyran-
nis qui prælio superfuerant, & decem duntaxat ciui-
bus, qui sæuissimam præturā gesserant. De quo qui-
dem hoc etiam præclarum scribitur, quòd recon-
ciliata quàm primum pace, reliquis omnibus peper-
cit,legemque tulit, ne quis ante actarum rerum ac-
cusaretur, néve multaretur, eamque Athenienses
ἀμνηστίαν, id est, obliuionis legem appellauerunt. *Obliuionis malorum lex à Thrasybulo lata.*
Nihil igitur magis formidandum est in Republica,
quàm eam ad paucos redigi, quorum imperium
nec diuturnum vnquam fuit, nec sine ciuium cæde
ac direptione, qui multos quidem timeant opus
est,quoniam pauci sunt, & multitudinem male con-
ciliatam habent, quæ facilè sibi sententiam illam
Bruti persuadet: *Præstare nemini imperare, quam alicui* *Bruti sententia.*
seruire: nam sine illo quidē viuere honestè licet, cùm
hoc autem viuendi nulla conditio est. Hac formi-
dine nonnunquam perciti quidem multa iniustè a-
gunt in Republ. Nam delatores subornant,conci-
ues suos ad iniusta iudicia rapiunt, & cognato san-
guine se imbuunt, nunquam à cæde abstinent, de
quibus id dici potest quod Plato in octauo libro de
Repub. scribit in eiusmodi virum fabulam Arcadum
circa Lycei Iouis templum optimè conuenire, in
qua dicitur quòd quicunque in tali sacrificio huma-
num intestinum alijs etiam extis commixtum gu-
stauerit,in lupum quàm primum conuertitur.Tutius *Homo quomodo lupus fiat.*
omnino erit magistratuū authoritatem restringere,
quàm augere.Nam (vt Aristoteles ait)quanto magis
reprimitur potestas, tantò magis diuturna erit, tum
quòd minus inuidiæ obnoxia est, tū quòd summis-
sius se gerunt qui imperant.Theopompus apud La-
cedæmonios regiam authoritatem ad mediocrita- *Theopompus Ephoros primus instituit.*
tem quandam subegit,Ephorosque primus instituit:
Et

Et cum aliquando ab vxore quaſi per ludibrium carperetur: *Nónne erubeſcis quòd ſuis minorem regiam authoritatem relinquis, quàm à maioribus accepiſti?* prudenter admodum reſpondit: *Non minorem eis, ô mulier, ſed longe magis ſtabilem ac diuturnam relinquo.* Iulius Cęſar oblatam ſibi regiam poteſtatem abdicauit: dictaturæ nomen retinuit, quò magis inuidiam fugeret. Cliſthenes qui apud Sicyonios tyrannidem à patre acceptam exercuit, modeſte admodum cum ciuibus ſuis ſe geſſit, & cùm præſtantiſſimus eſſet in re militari, oblata præmia pro victoria repudiauit, & iudicem quendam, qui iudicio victoriæ ſuæ contradixerat, muneribus affecit, vt populo oſtenderet ſe mediocritate quadam vti in ciues ſuos ſuumque imperium non eſſe formidandum. Admonendi ſunt hoc loco ciues noſtri, & præcipuè hi qui magnitudine animi, aut eximia aliqua virtute excellunt, vt non ſecus inuidiam fugiant, quàm truculentam aliquam beluam, aut deterrimam peſtem. Eſt enim commune vitium in magnis ac liberis ciuitatibus, vt inuidia gloriæ comes ſit. Libenter ſiquidem his detrahunt, quos eminere altius cernunt. Vt quiſque enim optimus in ciuitate habetur, ita maximè eſt obnoxius inuidiæ, quam vt fugerent nonnulli Athenienſes ciues clariſſimi, patria aliquandiu caruerunt, vt ſui eorum deſiderio, ciuium ſuorum animos ſibi conciliarent. Tandiu ſiquidem inuidia cariturosſe putabant, quandiu à conſpectu atq; oculis ſuorum abeſſent. Conon diutius Cypri vixit, Iphicrates apud Thraces, Timotheus verò apud Lesbios, Chares in Sygeo, Chabrias in AEgypto. Longe tamen optimũ eſt æqualitatem ciuium ſeruare, nec ſe aliquo vento efferre, nec nimis laute viuere, nec ſibi liberalius indulgere. Munera etiam pro rebus benè geſtis in Repub. fugienda ſunt. Exemplo nobis eſſe debet Pittacus Mitylenæus, qui vnus ex ſeptem ſapientibus habitus eſt. Nam cùm patriam à tyranno liberaſſet, & Phrynonem Athenienſium ducem in ſingulari certamine interemiſſet, oblatũ ſibi Reip. principatum abdicauit, & cùm multa agri iugera dono illi

Iulij Cęſaris modeſtia imperij.

Cliſthenes, tyrannus.

Inuidia gloria & felicitatis comes.

ciues

ciues sui offerrent: *Nolite oro* (inquit) *mihi dare quod multi inuideant, plures etiam cõcupiscant, quare ex istis nolo ampium*: quàm pauca admodum quæ meam animi æquitatem, & vestram in me voluntatem indicẽt: nam parua munera diutina, magna verò neutiquam propria esse consueuerunt. Nec in dissimili exemplo erit Thrasybulus Atheniensis, qui patriam à triginta tyrannis liberauit. Nullum nanque aliud præmium ꝓ tantis meritis à populo ferre voluit, præter coronam ex duobus oleaginis surculis: qua quidem contentus, nihil amplius requisiuit, sed facilè quencunque ciuiũ honore sibi præferri passus est. Mouentur nõnulli (cum sibi ipsis diffidant) ad inuidiã in eos quorum virtutes minimè imitari possunt. Aristides cognomento Iustus, cùm animaduerteret quendam ignotam sibi scribentem in populo, vt patria pelleretur, quæsiuit ab eo quare id faceret, aut quid Aristides commisisset, cur tãta pœna dignus putaretur. Cui ille respondit, se Aristidem ignorare, sed sibi non placere, quòd ita cupide elaborasset, vt præter cæteros iustus appellaretur, quæ vox omnium penè populorum mentem offendit, qui iniquo semper animo ferũt, aliquos virtute etiam ipsa alios antecellere. *Nemo è vobis excellat, dicebant* Ephesij: *& si excelluerit, exul esto*. Erat inter eos Hermodorus, vir peregregius, qui cum doctrina ac probitate præstaret, patria eiectus est. Sed admirantibus quibusdam ac rogantibus cur eiusmodi virum eiecissent: respondebant, nihil aliud causæ esse, nisi quòd virtute & moribus nimis reliquos conciues suos anteiret. Fuit tamen vir tanti Hermodorus, vt à Romanis honore & gratia afficeretur, eisque nonnullas leges scribere meruerit. At multi communes obtrectatores, atque maleuoli in omnes & inuidi sunt, quocirca erit nunquam dissimulandum, si inuidiam fugere volumus. Sapientia enim temeritati aliquando vt cedat opus est. Neque abs re Terentianus ille senex de filio loquitur cùm ait: *Aduersus nemini, nunquam præponens te alijs: ita vt facillime sine inuidia laudem inuenias, & amicos pares.* Inuidia nõ modo plerosque viros clarissimos pessundat, verùm ciuita-

Thrasibuli modestia in Athenienses.

Aristides testaceis suffragijs in exiliũ actus.

Ephesiorum edictum.

Hermodorus.

Thebanorum inuidia.

Fœlicitas aliena inuidis est toxicum.

ciuitatum nonnunquam statum euertit, & vrbes ipsas diruit. Quæ pestis magis exhausit Atheniensiũ Rempub. quàm inuidia? Thebani nullum turpitudinis genus, inuidiæ stimulis conciti, reliquerunt, & in seipsos igne ferroque grassati sunt. Præclara de inuidia fabulantur Poëtæ, cum asserunt pestem illam apud inferos serpentibus vesci, & hydris recreari, vt ostendant inuidos venenum deglutire, venenumque euomere. Aliena enim fœlicitas inuidis toxicum est, nec lætari vlla ex parte possint, nisi suo vèneno alios inficiant. Optimè Bion Borysthenites Philosophus sapientissimus, cùm videret inuidum quendam gaudio exultantem, rogauit eum, alieno ne malo, an suo bono lætaretur? Et certè nihil turpius esse potest, nihilque magis contra humanitatem, quàm alieno bono torqueri, quorum vtrumque facit inuidus. Omnibus namque male esse cupit, & nihil aliud quàm vltionem meditatur. Multa in Timonem Atheniensem iocatur Aristophanes, multa etiam Plato. Eundem namque inhumanum scribunt, & inuidia atque odio in omne genus hominum flagrantem. Is semel concionatus Athenis dicitur cum magna totius populi expectatione, cum retulit tantum se hortulum habere, in quo magna esset ficus, de qua multi ciues se laqueo suspendissent: & quoniam eo loci parietem necessariò ædificaturus esset, opus esse, vt ficulneam arborem excideret. Proinde id se ferre, vt si qui se suspendere vellent, accelerarẽt dum arbos extaret. Neminem vnquam amauit præter Alcibiadem adolescentem: quod cùm omnes admirarentur, rogauit eum Apemantes, cur id ageret? Cui Timon respondit, *ideo se beneuolentia complecti Alcibiadem, quòd intelligeret illum multorum malorum causam Atheniensibus futurum esse.* Aristonis, aut incerti auctoris distichon esse dicunt præclarè ad hanc sententiam scriptum: Inuidia est quid pessimum: hoc tamen pulchrum in se habet, quòd oculos & cor eorum, qui inuident, vrit. Eius versus eiusmodi sunt:

ὁ φθόνος ἐστὶ κάκιστος, ἔχει δέ τι καλὸν ἐν αὐτῷ·
τήκει γὰρ φθονερῶν ὄμματα, καὶ κραδίην.

Veteres

Veteres Imperatores apud Romanos cùm post magnas victorias triumpharent, bullam præ se gerebant inclusis in eam remedijs, quæ credebant aduersus inuidiam potentissima esse: quamuis enim reduces ab hostium telis in patriam rediissent, tamen ciuium oculos vehementer formidabant. Mansit eiusmodi gestamen diutius apud pueros ingenuos: quod quidem valere putabant non modo aduersus fascinatores, sed etiam contra inuidos. Auaritia eorum qui præsunt, sæpenumero exitio ciuitati extitit, per eam namque ad rapinam ac violentiam ciues inducuntur, quo nihil deterius esse potest. Tuetur enim quisque rem suam familiarem, tametsi exigua sit, nec minoris facit tenuē rem pauper quàm opulentissimus quisque amplissimam. Et si certamen aliquod inter inopem diuitemque oritur, ille & si iniuriam accipit, tamen (quia potentior est) facere videtur, inuidiamque plurimorum contrahit.

Bulla ingenuorum insigne puerorū.

Atqui si quando per vim tenuioris patrimonia diripi, aut explorari quis cernit, sibi suisque formidat, nouis rebus intendit, oblatrat in maiores, oppressis fauet, seditionibus studet, & nunquam animo quieto esse potest, donec videat sibi satis cautum esse. *Hanc enim ob causam maximè, vt sua quisque teneret ac teneretur: Respublicæ ciuitatésque constitutæ sunt*, vt ait Cicero. Proinde nullum vitium tetrius auaritia esse censet, his præsertim qui Rempublicam gubernant, quod quidem Apollinis oraculo declaratur: nam cùm de diuturnitate patriæ consulerent Lacædemoniorum legati, responsum edidit Deus: Sparten nulla alia re nisi auaritia perituram. Vnde etiam illud à Iugurtha Numidiæ Rege in Romanos iniectum: O *vrbem venalem, & maturè perituram, si emptorem inuenerit.* Non afferat igitur ciuibus lucrum Respub. vt sæpe dictum est. Nam de honore & vtilitate inter se contendunt, adeo vt vix inter plebem & Senatores concordia esse possit. Eiusmodi dissensiones Rempub. obnoxiam faciunt seditionibus, resque etiam paruæ in certamen deducuntur, & alius plebem, alius nobiliores sibi conciliat. Et ex parua sæpe

Salust. in bello Iugurt.

scintilla

ſcintilla propter tales occaſiones magnum nonnunquam excitatur incendium : quod vbi fit, quamprimum obrutum Reipub. ſtatum leui etiam cauſa euertere ſolet. Duo adoleſcentes apud Syracuſanos ſimultatem ex amatoria cauſa inter ſe habebāt, & cùm alter propter magiſtratū abſens eſſet, alter oportunitatem nactus commune ſcortum ſibi conciliauit. At vbi riualis functus munere ſuo in vrbem rediјt, certior rei factus, id grauiter tulit, & vt iniuriam vlciſceretur, vxorem illius adulterij compellauit: quæ quidem res Rempub. ſcidit, & alij priori, alij poſteriori adhæſerunt, ventumque ad arma eſt, & compluribus ciuibus cæſis potētiores deleti ſunt, plebsque Rempub. inuaſit. Eiuſmodi igitur res compeſcendæ ſunt, delendæ ſunt omnes ſeditionis cauſæ. Nam veluti corpus humanum vbi malæ habitudinis eſt, ex parua etiā cauſa ægrotat & occidit, ſic & Reſpub. vbi non firma ac ſolida ſit. Eſt & ambitio res deterrima ac periculoſa: in primis quidem ciuitatem partibus inficit, & indignis pleriſque honores ac magiſtratus potius quam dignis tradidit. Nam largitiones, ludi, conuiuia, congiaria, & eiuſmodi prodigentiæ à leuibus potius viris, quàm à grauibus exhibentur, quæ res ſeditionem efficit, vbi clari viri repulſam ferunt, & obſcuriores præferuntur. Per ſeditionem A. Numius ciuis ille Romanus peregregius interemptus eſt, vt eius cæde Saturnino homini deterrimo facultas adipiſcendæ poteſtatis traderetur. Ambitio plerumq; compellit potētiores Reip. ad cōſpirationem, vt inter ſe munera partiantur, populumq; honore ac publico lucro defraudent : qua ex re ad paucorum potentiam ex populari ſtatu deuenitur, quia dominatus paululum quippiam à tyrannide abeſt, vt diximus.

Ambitio.

Val. Max. li 9. Cap. 8.

Ambitioſi ciuis incommoda.

Nam qui diuitijs inhiat, populo infenſus eſt, plebē formidat, peregrino militi potius quā ciui ſe credit, cui quidē arma detrahit, vt multitudinē omni ex parte peſſundet, & his pecuniam adimit, illos proſcribit, alios nephario iudicio cædit, alios in exilium pellit; vt exhauſta aut timore perculſa multitudo

titudo nihil in paucos illos consulere possit. Despe- ratio aliquando plebis propter eiusmodi iniurias, populares viros audaces nonnunquam extollit, contra paucorum potentiam, qui aut à potentioribus opprimuntur, vt Tiberius Gracchus apud Romanos authoritate ac nutu Scipionis Nasicæ, aut tyrannidem inuadunt, vt Cypsellus apud Corinthios, Pisistratus apud Athenienses, Dionysius apud Syracusanos, qui fauore populi tyrannidē inuaserunt. Nam vbi plebs à paucis oppressa est, alij vltionem affectant, alij seruitutem fugiunt, alij catenas ac secures à ceruicibus excutere nitūtur, alij à perpetua formidine ac timore falsi iudicij aliquando liberari cupiunt: quæ quidem res raro à sapientibus viris tentari possunt, fiunt autem à temerarijs & audacibus, & ius iure pellitur, clauusq; clauo truditur, vt est in veteri prouerbio. Nā vltor ille qui plebem à paucorum potentia liberat, vbi insolentius se gerit, ex leuibus nonnunquam causis vltorem in seipsum armat. Pisistratus (vt modo dixi) populi fauore solium conscendit, ac eius filij cū durius violentiusque se gererent, interempti sunt ab Armodio, & Aristogitone: quæ res adeò grata fuit Atheniensibus, vt nomina & statuæ eorum qui libertatis recuperandæ authores fuerunt, ne à seruis vnquam cōspici possent, publico decreto sancitum est: iniquum namque eis visum est, authorum libertatis imagines seruili oculo pollui. Atqui si causam quærimus, cur iuuenes illi in tyrannidem se armarint, inueniemus non libertatis studium extitisse (vt in Bruto, qui Tarquinium exegit, & Aruntem eius filium interemit, cum violatæ Lucretiæ crimen, vltionis opportunitatem ei tradidit) sed priuata iniuria ac contumelia, eos ad iram accendit. Hippias namque Harmodij sororem forma peregregiam ad stuprum compulit: Harmodiumque adolescētulum compellauit: proinde is vt sororis contumeliam vlcisceretur, facinoris socium Aristogitonem, qui eum impatienter amabat, sibi adsciuit: & vno eodemque tempore vterque iniuriam vltus est. Leues enim nonnumquam iniuriæ vindicem in tyrannum inueniunt. Periander

Pisistrati filiorum interitus.

Harmodij & Aristogitonis statuas & nomina serui non videbāt.

in Ambracia tyrannidem exercebat, consuetudinemque stupri cum puero quodã habebat, quem aliquando inter potandum per iocum pluribus audientibus rogauit an aliquando ex se prægnans fieret. Exarsit in iram puer, & quæ turpia factu passus fuerat, verbo recenseri atque exprobrari neutiquam pertulit, exitiumq; tyranno parauit. Pausanias Macedo adolescẽs forma & genere præstantissimus, stuprum per iniuriã ab Attalo pertulit, à quo etiã mero ingurgitatus, & in conuiuium productus, conuiuarum libidini tãquam vulgare scortum expositus est. Hanc indignitatem cùm iniquo animo ferret Pausanias, Philippo detulit: Rex verò varijs frustrationibus eum ludibrio habuit, & Attalum digniore militia honestauit: qua iniuria percitus Pausanias, iram in Regem conuertit, & vltionem quam ab aduersario non poterat, ab iniquo iudice exegit. Nam cùm in nuptijs Cleopatrę Attali filiæ medius inter duos Alexãdros filium & generum sederet, nihil eiusmodi timentem interemit, & diem lætitiæ regio funere polluit, planeq; edocuit querelas subditorum neutiquam contemptui habendas esse. Optimũ in Rep. erit, si legib. & moribus ita constitueretur, vt nemo solus quod sibi competat quærat, & si quæsierit, id nequaquam assequi possit. At si quis per fortunam ac fauorẽ plus in Rep. habeat quàm par sit, non erit præcipitandus ex potentia sic repẽtè: id enim sine periculo raro esse potest: sed sensim eidẽ honor ac potentia amouenda est, donec ad æqualitatẽ cum reliquis ciuibus redeat. Id verò seruandũ est in delenda potentia, quod Cicero in dirimenda ingrata amicitia præcipit, cùm ait: *Amicitias quæ minus delectant, & minus probãtur magis decere censent sapientes sensim dissuere, quam repente præcidere.* Bene igitur (vt diximus) præcipitur ab Aristotele, optimè Rempub. mediocribus credi, qui neque per inopiam summissè nimis se gerunt, neque per opulentiam insolenter exultant. Proinde sanctã illam mediocritatẽ, sicut in alijs rebus omnib. sic etiã in ciuili societate seruandam censet Philosophorum ille acutissimus. His & similibus de causis seditiones in po-

Amicitia sensim dissuenda.

in populo fiunt, & mutationes Rerumpub. quæ quidem omnes stabiles essent, si benè constitutæ legibus ac moribus, iustitiam & æqualitatem seruarent, adeò vt ex ciuium societate nemo se nimium efferre posset successu aut populari fauore, & alia ex parte nemo vbi bene ageret, inuidiam formidaret, aut insidias falsúmve iudicium metueret. Vitio igitur corruunt Resp. eorũ qui eas gubernant, nam falsò libertatis nomen ostendunt, & præcipuè cùm eos ambitio & auaritia adeo rapit, vt obliti publicæ vtilitatis, omnia in rem suam conuertant, ciuilem societatem negligant, populos vanis rumoribus seducant, mendacia inuehant, vanos timores prætendant, vt eis solummodo potestas à populo tribuatur, quò de alijs ciuibus, qui eorum infamiam comprimere vellent, vltionem capere possint. Male enim agitur in ea Rep. in qua precariò viuendũ est, nec possunt ciues libere loqui quæ ex eius vtilitate esse arbitrantur, illorum repressi timore, qui conspiratione inter se coniuncti, omnia sibi licere volunt. Philippus Macedo sub prętextu quodam libertatis cum magnam Græciæ partẽ inuasisset, Athenas obsidebat, excusabatq; literis atque Oratoribus Senatui populoque Atheniensi, se non ea facere quò libertatem eis preripere vellet, vrbémve in seruitutem redigere, sed quòd decem eorum ciues infensos haberet, qui in eum semper in Senatu oblatrarent, & maledictis eum incessere non desinerent. Proinde si pauculi illi sibi dederentur, fore vt ab obsidione discederet, populumque à bello ac fame liberaret. Poscebatque in primis Demosthenem Oratorem excellentissimum, in quem tum omnis Græcia ora obuertebat sua: & nouem item alios ciues disertissimos, sermone & authoritate præclaros. Anceps erat Senatus, multiq; acclamabãt multitudini potius quàm paucis esse consulẽdũ. Formidabant pauci illi qui ad supplicium poscebãtur, vixque fari audebant, cum eorum interitu reliqui omnes pacem ac libertatem sperarent: ventumq; fuisset in sententiam vt dederentur, nisi Demosthenes eiusmodi fabella Regis dolum atq; insidias aperuis-

Precariò viuere, miserũ est.

Philippus Macedo dolo Athenas obsidet.

ſet. *Lupus aliquando* (inquit) *paſtoribus, quorum diligentiam de ipere cupiebat, perſuaſit, vt ſecum in amicitiam conuenirent, ea conditione, vt canes, qui ſibi infenſi erãt, & cauſas inimicitiarum præbebant, ſibi obſides traderentur: audiunt paſtores, canesq́; ob fidem ſeruandæ pacis traduntur, qui ouium diligentiſsimi cuſtodes erant: tunc lupus adempta omni formidine, omne pecus non pro ſatietate tantùm, verò etiam pro libidine lacerat, & paſtores ipſos trucidat: ſic in præſentia, viri Athenienſes, Philippus efficit, qui omnes illos, qui in eius conatus concionantur, quiq́; eius inſidias pandũt, depoſcit, quò facilius vrbem cuſtodibus ſpoliatam inuadere ac diripere poſsit.* Hæc fabella doceat Senatores, omnes inſidias eorum vitare, qui calumnijs in illos nituntur, quibus virtute pares eſſe non poſſunt. Actũ ſiquidem eſt de ea ciuitate, in qua non licet fari ea quæ è Repub. eſſe poſſunt, & vbi illud Virgilianum præfari oportet:

Dicam quidem, licet arma mihi mortemq́; minentur.

Communis terror concordiam parit. Videndum etiam erit, ne eodem tempore iudicia in complures agantur, communis enim terror homines etiam diſcordes conciliat, & quæ quiſque ſibi formidat, in alijs præcauere ſimulat. Rhodiorum Reſp. præclara aliquando extitit, ſtatusque eorum popularis erat, cui admiſcebatur tamen ex parte nobilitas, & cùm belli tempus vrgeret, potentiores publicæ impenſæ præerant. Atqui vbi nonnunquam fœliciter cum hoſte bellatum eſſet, populus fœlicitate exultans rationem repoſcebat, & repetundarum nobiliores ferè omnes reos fecit, qua indignatione commoti illi ſeditione facta in plebem ſurrexerunt, & cæſis compluribus ſtatum Reipub. euerterunt. Senſim igitur agendum eſt, vbi plurimi peccant, & quibuſdam ignoſcendum, vbi excuſationis aliqua ratio prætendi poſſet. Quibuſdam autem in

Miſericordiã colebant Athenienſes. queis maior culpa cernitur, mulcta magna etiam cũ clementia indicenda eſt. Miſericordia eorum qui Reip. præſunt, gratiſſima omnibus eſt, & eos multitudini commendat. Athenienſium ciuitas prudentiſſima non pro affectu, ſed pro Dea miſericordiam colebat, vt ciuibus ſuis perſuaderet, mitiſſimè etiã cũ ſon-

PAGINATION INCORRECT

sontibus esse agendum. Abstineant summopere à ciuili sanguine, memores illius Tragicæ sententiæ.

Sanguine humano abstine quicunque regnas.

Sed si necessitas vrget, nec aliter ciuitas emendari potest, nisi fuso sanguine alicuius pessimi viri, id agant quod optimi medici, qui postquā liquidò cernūt nullis remedijs alienata infectaq; morbis membra restitui posse, quamuis inuiti, & cum dolore etiā reliqui corporis, tamen ea mutilant atque amputant, ne reliquum corpus inficiant: non enim parcendum est, ne tota Resp. corruat, sed vlciscendū, vt seruetur. Malum siquidem nascens facilè opprimitur, inueteratum autem fit plerumque immedicabile. Inuidiosum etiam est ciues exilio mulctare, & plerumque periculosum. Exules namque aliquando vbi malè animati sunt, discordiam nonnunquam, nonnunquā etiam calamitatem maximam pariunt. Et quamquam nulla causa iusta esse potest contra patriam arma capiendi, tamē asserunt se iure id facere, quando perperam eiecti sint. Periculosum est etiam eos in patriam restituere: nam (vt ait Plato) expulsi si inuitis inimicis redeunt, tyranni fiunt. Et illud in ore populi Romani quondam fuit:

Venienti occurrite morbo.

Regnabit sanguine multo
Ad regnum quisquis venit ab exilio.

Super hac re breuior ero, quia libro quarto poëmatum meorum de exilio diffusè cecini, & plurima exempla collegi, quæ rem ipsam liquidè declarant. Proscriptorum bona diripienda populo dare, iniquū admodum est. Laudem gratiamque meruit Romana plebs, cùm Marius & Cinna locupletum domos diripiendas proposuissent. Nemo enim tā egens tamq; infimus inuentus est, qui alieno labori nō pepercerit, nec quispiā fuit qui de ciuili luctu fructum contrectare pateretur, sibi etiam à Principibus ciuitatis liberè concessum, adeò mites vulgi animi erant, & humana respicientes. Sed vt seueritas in ciuitate salutaris nonnunquā est, ita sæuitia semper pestifera. L. Syllæ sæuitia initium fuit omnium malorum apud Romanos. Nam infamis illa tabula, in qua proscripta

Romana plebis modestia in proscriptos.

fuerant millia hominum octoginta, in quibus quatuor consulares erant Carbo, Marius, Norbanus, & Scipio, & inter eos Sertorius tunc maximè formidabilis, magnam Reipublicæ plagam intulit: eiusmodi enim exemplum alij secuti paruo tempore imperium profligarunt. Parcendum quoque multitudini est, etiam si deliquerit. Scita habetur illa poëtica sententia:

Multi peccãtes impunè.

Multorum crimen inultum.

Et (vt Ciceoro ait, *semper sapientes ea quæ populus fecisset, ferenda, non autem semper laudanda esse duxerunt.* Iulius Cæsar postquam exercitum magni Pompeij superauit, ciuibus pepercit: & quos armis vicerat, beneficijs ac liberalitate prosecutus est. Atqui gloriabundus Romã ad amicos literas dedit, in quibus scriptũ erat, se maximũ ac iucũdissimum fructum capere, quippe qui ciues quos semper aduersarios atque hostes habuerat, conseruaret, & charitate ac beneuolentia sibi deuinciret. Crudelitatis species, victoriæ laudẽ lõge minorem facit. Maior Octauij gloria in Antonium fuisset, nisi Atyllum puerum eius, & Fuluiæ filium innocentissimum securi percuti iussisset. Pœnitentiæ tamen signa quamprimũ dedit Octauius: illius namque interitum è vestigio vltus est. Theodorus siquidẽ pueri pædagogus, qui illum Octauio tradiderat, quũ occideretur Atyllus, lapidem preciosum quem circa collum gestabat, clam eripuit: cuius rei certior factus Cæsar, eum conuictũ cruci affigi iussit, & pessimi proditoris vltus est facinus, ac mutati animi clarissimum indiciũ dedit.

Octauij Augusti v'tio in Antonium.

Absoluẽdi rei aliquando erũt, quamuis deliquerint, vbi è Repub. esse cernemus, & præcipuè si per inuidiam & vltionẽ deferuntur. Caius Valerius ædilis Q. Flauium cui infensus admodum erat, apud populum reum fecit: & cum iam quatuordecim tribuum suffragijs damnatus esset, proclamauit se innocentem opprimi. Rursus ædilis clara voce respondit, nihil sua interesse, iuréne, an perperam dãnaretur, dummodo periret. Qua improbitate reliquæ trib⁹ commotæ, sontem absoluerunt, pessũdatumq; erexerũt,

inuidiam temerarij ædilis explerent, qui victoriam in limine victoriæ perdidit, cum saltem parcere nequiuit. Inuitat etiam ad seditionem desidia incuriaque eorum, qui ciuili societate præsunt. Arbaces de opprimendo Sardanapalo cogitauit, cùm eũ pensa inter pellices ancillasq; diuidentem offendit, indignũ omnino arbitratus, eum tot millibus hominum imperare, qui quum muliere corruptior esset, præ ignauia ac luxuria delitesceret. Thebana quoque Resp. desidia eorum qui præerant euersa est, nec iniuria. Negligentia enim illorum qui custodiæ præsunt, futures inuitat: & opportunitas peccandi aditum ad male agendum bonis alioqui viris plerumque præbet. Longum esset omnes seditionis causas connumerare, & quotmodis Resp. euertatur recensere, quocirca sermo præstringendus est ad hanc sententiam, vt virtutibus conseruari atque augeri ciuilem societatem concludamus, vitijs autem non modò diminui, verùm funditus labefactari.

Periculosas omnium institutionum mutationes, & delectum inter ciues suo tempore esse habendum, & super eis publicè esse decernendum.

TITVLVS. VI.

Massilienses qui in Narbonensi prouincia sunt, Phocenses authores habẽt, qui Persarũ aduentu sedib. suis pulsi, vrbem illam condiderunt: Hi quondã præclarã Rẽp habuerunt, cuius quidẽ nonnulla instituta à Græcis ac Latinis scriptorib. celebrantur. Ea lõgè magis ordine & ciuili disciplina q̃ opib. atq; imperio præstitit, adeoq; constans in morib. ac constitutionib. suis extitit, vt vix in magna etiã necessitate vetera commutarit. Vnde gladium quo à condita vrbe sontes iugulabãtur, tandiu seruauit, donec rubigine exesus ministerio neutiquam idoneus esset: adeò periculosum esse duxit, ab antiqua consuetudi-

Massilienses à Phocensib. instaurati.

ne discedere. Quæ res quidem magno authore non caret. Plato enim modulorum minimam mutationē in Musica perniciosam Reipublicæ esse statuit. Inter præclara Massiliensium præcepta hoc vel in primis Aristoteles comprobare videtur, quòd publicum iudicium modicis quibusque annis faciebant, in quo nomina sua singuli ciues profitebantur, super quibus deinde decernebatur, qui admittendi ad publica munera, quique exigendi essent: ex his deinde minores magistratus sorte ducebant. Nam maiores à senatoribus (qui numero erant sexcenti) post magnam sacrorum celebritatem, post ceremonias & auspicia quasi Deo interueniente designabantur: memores illius Homericæ sententiæ, qua quidem disseritur, *quòd solummodo viri boni à Deo sceptra imperiaq; accipiunt.* Eiusmodi delectus inter ciues optimus mihi esse videtur. Nam qui in Remp. admittuntur, vita ac moribus comprobati, à virtute non discedunt, sed eam perficiunt, si qua ex parte inchoata esset, ne paruo tempore pòst quasi deteriores facti excludantur. Hi vero qui reiecti sunt propter intemperantiam, aut improbitatem, aut quòd alijs ciuilibus virtutibus careant, nisi omnino deterrimi sint, ad meliorem plerumque vitam rediguntur, vt in numero æqualium suorum aliquando describantur. Ambitio, & honoris studium, ingenium ac mores nonnunquam mutare solet. Nemo enim æquo animo ferre potest se contemptui ludibrioq; haberi, & inuidiæ stimulis plerique iuuenes excitantur. Legimus Manlium Torquatum Lucij Manlij fortissimi amplissimique viri filium ab ineunte ætate hebetis obtusique ingenij extitisse, adeò vt à parente ruri relegatus degeret, vt qui nec priuatis nec publicis functionibus vtilis esse videretur. Is tamen paulò pòst quasi ignauiæ suæ pertæsus, & patrem reum iudiciali periculo liberauit, & Latino bello ingenti totius populi Rom. plausu triumphum duxit. Quid corruptius Fabio Max. in adolescētia? At postquā ad maiorem ætatem peruenit, nihil ei defuit, quod ad summū virum spectare posset: cui ob virtutis meritum Allobrogis cognomen-

Mālius Torquatus spem de se dubiam fecit.

mentum traditum est, ob ingentem Gallicam illam victoriam ductu atque auspitio eius partam: quod cognomen ab eius posteris nunquam discessit. Nec tacendus est Themistocles, cuius vitæ turpitudine in desperationem conuersa, mater laqueo sibi mortem consciuit: maior tamen deinde natu tantæ præstantiæ extitit, vt eum Oratorum excellentissimus Cicero, totius Græciæ Principem appellet, nec immeritò. Afflictas namque vires Græciæ assumpsit, postquam Xerxes cum innumerabili illa classe Thespiades, Plateas, & Athenas incendit, & vltor patriæ fuit, ac Medum Regem, cui vix maria satis erant, vt piscatoria scapha trepidus in patriam rediret, compulit. Hæc Massiliensium consuetudo efficit, vt minus comprobandum censeam, quod in quadam clarissima nostri temporis Republ. obseruant. Vt enim primùm pueri in lucem editi sunt, nomenque (vt religionis nostrę est) accipiunt, ad Reipubl. munera deputantur, dummodo ingenuis parentibus orti sint, & qui partem aliquam Reipubl. vel leui etiam affinitate attigerint. Proinde anniculi, bimi, trimi, aut ad summum quadrimi, in capacissima vrna cum innumerabilibus alijs commiscentur, ex qua quidem cùm tempus comitiorum appetit, sorte ducuntur: & vt quisque vndeuiginti annos natus est, magistratui præficitur, quando id ętatis legitimum habetur. Sin verò minor esset, eius nomen rursus publico sigillo imprimitur, inque vrnam deijcitur. Atqui sępe sorte accidit, vt prę multitudine nomina quorundam dignissimorum etiam ciuium ad decrepitam vsque ætatem delitescãt: quorundam verò qui vel ignauia à desidia neglectui habendi sunt, nomina adeò enatãt, vt cùm primum per ætatem licet, muneribus fungantur. Eiusmodi consuetudo abolenda mihi videtur, nam minus est permittendum sorti, expectandumque saltem, quoad cuius indolis futuri sint iuuenes dignoscatur. Fieri enim per fortunam potest, vt nonnulli hebetis ingenij sint, & (vt nonnunquam accidit) vesanæ mentis, aut etiam deterrimi: qui siquidem à magistratu amouentur, notam vniuersæ familiæ perpetuam inurunt,

Themistocli adolescentia turpis.

Xerxes.

Medus Rex.

sin munere funguntur, ludibrio contemptuique sunt, dignitatemque Reipubl. frangunt. Longè igitur melius erit tempus expectare, & hominum multorum iudicio comprobare, ratio præterea ætatis habenda est, vt (si cætera paria sint) proferantur maiores natu: annusque quartus & vicesimus sit legitimus. Nemo indignatur ante id ætatis non præfici magistratibus, si id in omnibus obseruatur. Præterea indignatur etiam nemo aliquem maiorem natu sibi præferri: tum quòd maior inuidia est inter pares, tum quòd sperat quisque, cùm ad id ætatis accesserit, idem se assecuturum esse.

Magistratib. eligendis ætas legitima.

Pulchris nominibus ciues esse appellandos. Et de nominibus, prænominibus, cognominibus, & agnominibus. TIT. VII.

Sigonius l. de nominib. Romanorum. Et Valerius Probus.

Diximus nomina ciuium suo tempore recensenda esse in Senatu, vt delectus haberi possit. Non erit in præsentia alienum de proprijs nominibus differere. Accedit siquidem ad ornamentum ciuitatis, ciues pulchris nominibus nuncupari: turpis enim nominatio ita de dignitate aliquid detrahere videtur, vt honesta addere: qua in re parentum diligentia in denominandis infantibus laudanda est, & præcipuè cùm in ea re nihil impendij faciant, & filios non parum ornent. Quocirca vituperandi sunt nonnulli, qui cùm pessime nominatos parentes ac maiores habuerint, ab eorũ nominibus nunquam discedere voluerunt, veluti si à probro & ignominia maiorũ posteros fraudare nollent. Propria nomina dicimus, quæ vnamquamq; personam sine alterius communione significant. Eadem varia ratione indita esse inuenio. Sunt quidem ex Græcis nonnulli, qui non fortuitò ea dari arbitrarentur, sed præsagium veluti quoddam esse futuri euentus: quod quidem ex quibusdam quæ ex appellatiuis fiunt, nituntur ostendere. Scimus Thesei filiũ quadrigis fuisse discerptum: id ex eius nomine præsagiri volunt. Hippolytus namq; equis solutũ significat; sic & Priamus precio redemptum, & Pantasilea popu-

Propria nomina.

populi lutũ, & ne res ficta à Poëtis dici possit in alijs etiam sic vsuuenire cernimus. Plato à latitudine dicitur. Is enim latis humeris, lato atq; vberi sermone, lata etiã humanarũ diuinarumq; disciplina extitit. Aristoteles optimum significat finem, quod quidẽ non alienum à Philosopho omnium acutissimo, & qui optimum bonorum malorumque finem statuit, videri potest. Hoc etiam ex quibusdam Aegyptiorum nominibus asserere nituntur. Osiris eorum lingua oculatum significat, nec abs re id quidẽ dici potest. Fuit enim Rex ille, magno ingenio, magnaque prudentia. Alij autem sentiunt (quod longè magis verũ esse mihi videtur) nomina futuri nihil præsagire, sed passim ac fortuitò inuenta esse. Nam non omnes Hippolyti, equis interempti, nec omnes Priami precio redempti extiterunt. Atqui apud plerasque gẽtes cernimus propria nomina non à vocabulis fieri, sed nihil vtique significare præter eum qui sic dicitur, vt Ninus, Boccar, & alia quamplurima. Alij per imitationem clarissimorum virorum filios nominant, vt eorum facta imitari nõ pigeat, quorum nominibus nuncupatur. Apud veteres nationes magna ex parte nomina simplicia erant, quod & Varro, & Græcorum nonnulli scriptores testantur. Vnde vrbis conditores Romulus & Remus vno tantùm nomine censebantur: quãuis Romulus deinde Altellus & Quirinus cognominatus sit. Fuerunt etiam ex Albanis duplici nomine nuncupati, vt Carpentus Silinus, & Agrippa Silinus. Fuerũt etiam ex posterioribus Regibus ac Ducibus, vt Titus Tatius, Metius S[illegible], Numa Pompilius. Crescente deinde imperio [illegible]ni nobiliores quatuor penè nominibus appellabantur: & quod nomẽ præibat, prænomen dicebatur. Nomen verò ex familia vel maiorum sanguine dicebatur, ex quo gens cognoscebatur, & idcirco gentilitium vocabatur, vt, Tullius ex Tulliorum familia, Cornelius ex Corneliorum, Iulius ex Iuliorum. Suetonius Tranquillus id verum esse ostendit, his verbis: *Non Cæsare & Bibulo, sed Iulio & Cæsare consulibus actum scribebant, bis eundem præponentes nomine ac cognomine.*

Cogno-

Cognomen. Cognomen, vt Grammaticorum quidam ſentiunt, cognationis commune eſt. Sed ſi rectè inſpicimus, cognomen proprium cuiuſque perſonæ erat, vt Cicero, Scipio. Agnomen autem extrinſecus ab euentu, veluti ex animo, ex corpore, ex fortuna: vt Superbus, Pius, Pertinax, ex animo. Craſſus, Pulcher, Ruffus, ex corpore. Ex fortuna, vt Aphricanus, Numidicus, Creticus. Prænomina nonnulli aſſerunt Romanos à Sabinis beneuolentiæ cauſa accepiſſe, vel ab Albanis, à quibus ducebant originem: quæ quandoquidem pauca erant, ſingulis binis, vel ternis literis ſcribebantur, vt C. Caius, Cn. Cneus, Sex. Sextus. Inuenti ſunt qui quatuor illis nominib. cenſerentur, vt P. Cornelius Scipio Aphricanus. Alij tribus, vt Marcus Tullius Cicero. Gentilia nomina Varro pauca admodũ fuiſſe cenſet, quibus nequaquam ſerui aut libertini vocarentur: quod quidem in prænominibus ideo nõ ſeruari ait, quòd ad diſcenda nomina inuẽta fuerint. Quorũ quædã à numeris fieri arbitratur, vt Quintus, Sextus, Decimus, in viris. Secunda, Tertia, Quarta, in fœminis. Vel ex alijs cauſis, vt Manius, qui mane natus eſſet: inde fit Manilius, & detracta vocali Manlius. Lucius, quòd ad ortum lucis: Poſthumus, quòd poſt patris obitum, quæ etiam prænomina mulierum antiqua fuiſſe refert Varro libro ſecundo de analogia his verbis: *Videmus enim Maniam matrem Larium dici Luciam: Volumniam Saliorum carminibus appellari: Poſthumam à multis poſt patris mortem etiam nunc appellari.*

Manius. Manilius. Manlius. Vide Cuiac. obſeruat.

Quædam olim prænomina vel agnomina fuerunt, poſtea verò mutata ſunt [illegible] cognomina, vt Poſthumus, Agrippa, Proc[illegible]æſar, Opiter. Cæſar primò dictus, quòd mortua matre, & ventre cæſo natus ſit: vel (vt alij dicunt) quòd cum cæſarie ſit ortus. Alij quod oculis cæſis (quos Græco nomine glaucos appellant) vltra humanum morem viguerit. Sunt qui credant primùm Cęſarem dictum à cęſo Elephante, qui Cæſar Maurorũ lingua dicitur. Agrippa ab ægro partu, quòd cum labore matris educitur, nõ præmiſſo capite, ſed pedibus. Vopiſcus verò, qui ex duobus conceptis vno abortu eiecto, editur, nam cùm ambo

Agrippa. Proculus.

oriun-

oriuntur, gemini, vel geminij nuncupantur. Statius nomen seruile fuit, vt Aulus Gellius cap. vlti. libr. iiij. refert. Pleriq; enim serui apud veteres eo nomine fuerunt. Cæcilius quoq;, cui palmam comicorum Nigidius Figulus detulit, seruus fuit, & Statius dictus est. Deinde verò manumissus id cognomentum accepit, & Cęcilius Statius vocabatur. Eiusdem nominis origo à stabilitate trahitur. Faustus à fauore. Ancus, Marcus Varro prænomen fuisse ait à Sabinis translatum. Valerius autem Antias Græcorum esse ait, & à cubito dici, qui Græcè ἄγκων appellatur, quod eam corporis partem vitiosam habuerint. Gneum sunt qui à generando dictum putēt. Alij insigne neui: eius scriptura varia apud priscos fuit: Nam alij Neum, alij Gneum, alij Gneum scribunt, qui C. literam ponunt, antiquos sequuntur, qui eam aliquando superfluam addebant, & C. naturam pro natura dicebant. Sic & neuum corporis insigne Cneum appellabant, qui verò G. etiam à prisco scribendi more non recedunt. Cernimus enim quibusdam G. addi dictionibus, vt gnatus, gnosco, pro nato, nosco. Marcus à duritate dicitur. Est ènim Marcus malleus maior, inde Marculus pusillus malleus. Públij verò à pube dicūtur, vel quasi pupilli quòd eorum pater antè diē obierit, quàm prænomina habuerint. Quintus enim Scæuola scripsit pueris non prius quàm togam virilem sumerent, puellis verò non antequam nuberēt, prænomina addere moris fuisse. Tiberij vocari cœperunt, qui ad Tiberim nascebantur. Seruij, qui mortua matre in vtero seruati erāt. Ex prænominibus ac cognominibus, alia inuenta sunt alijs de causis dicta. Nā M. Aemilius, qui primus familiæ nomen dedit (vt Plutarchus scribit) propter sermonis leporem, ac facundiam, quā Græci αἱμυλίαν vocant, appellatus: Et Antonius ab Antone Herculis filio denominatus est, vt eidem authori placet: erat enim antiqua opinio Antoniorū familiā ab Hercule originē ducere. Habemus etiā nonnulla nomina à pecore, vt Varro in libris de re rustica scriptū reliquit, vt Porcius, Ouinius, Caprinus, Equitius, Taurus. Sic etiam ab auibus, vt merula, pauo, pica, passer.

Publius quod populo grati essent, dictos accepimus. Ex Val. Probo.

Æmilius.

Colu-

Columella à columine dicitur. Columen apud veteres decus, famam, sustentationem significat, vnde columnæ etiam appellantur: sic & maiores serui qui alijs præerant, columellæ vocabantur, quòd quasi culmen aliorum essent. *Camillus.* Camillum Statius Tullianus de vocabulis rerum scripsit Callimachum dixisse Tuscos appellare Mercurium, quo vocabulo significant præministrum Deorum, vnde Virgilius Camillam quasi Dianæ ministram fecit. Pacuuius verò cùm de Medæa loqueretur: *Cælitum Camilla spectata aduenis: Salue hospita.* *Vide Ios. Scalig. ad Festũ. Æneid. 12.* Romani puellas, puerośque nobiles inuestes Camillas Camillośque appellarunt flaminiumq́ue ministros: & in nuptijs Camillus, qui merũ ferebat dicebatur. In mysterijs diuinis Samothracum dijs magnis minister Casmillus dicebatur. Veteres namque S. nonnunquam interponebant, vt Varro docet, & Casmenam pro Camœna, Casmillum pro Camillo dicebant. S. etiam in quibusdam proprijs pro R. ponebant, vt Valesius pro Valerio, Fusius pro Furio. *S. pro R.* Catus (vt idem Varro ait) Sabinum est nomen, & acutum significat: vnde Catus Aelius Sextus, quòd acutus esset & sagax, cognominatus fuit. Sic & cata acuta: Qui Scipio primò cognominatus fuit, puerq́ cum parentem, qui eius humero nitebatur, ducebat: proinde ab æqualibus suis per iocum Scipio vocari cœpit. Est enim Scipio, baculus quo inualidi senes nituntur, cuius rei testis est Plautus Comicorum facetissimus, apud quem senex seruo minatur his verbis: *Ego te hoc Scipione lædam.* Nec caret hoc nomen Græca origine, vt opinor, σκίπωνος namque baculum significat, & præcipuè salignum, quo propter leuitatẽ senes vtebantur. Cornelius Ruffus decemuir, prius Sylla dictus fuit, quòd secundo Punico bello ludos Apollinares ex Sibyllinis libris dicauerit, quasi Sibylla. Valerius Coruinus à victa Messana Sicilię vrbe honoris causa primùm Messana, deinde mutata litera Messala dictus est. Nerio, & detracta litera Nero, Sabinum est nomẽ, & virũ fortẽ significat. Vnde ex Claudijs (quos à Sabinis oriũdos accepimus) qui erat egregia ac præstanti fortitudine, Nero appellatur. Asinæ

cogno-

cognomentum in Corneliorũ familia legimus, quod quidẽ eiuſmodi initiũ habuit. Cornelius, qui primus ſic appellatus eſt, vir opulentiſſimus, cum filiam magna cũ dote collocauerat: verùm cũ gener pecuniæ ſponſores poſceret, id ille iniquo animo ferens, aſinã pecunia onuſtam in forum adduci iuſſit, & accipe, inquit; pecuniam, ne ſponſores meos aliquando appelles, quæ res quidem perpetui cognominis cauſa fuit. Rei quoq; ruſticæ diligentia aliquando nomẽ dedit, vt Stoloni illi, cui primùm eiuſmodi cognomẽ adhæſit. Nam cùm radices fruticum arborumque, qui ruſtico verbo ſtolones appellãtur, magna diligentia euelleret, ab æqualib. ſuis Stolo cognominatus eſt, vt Varro libr. 1. de re ruſtica ſcribit. Piſones à piſendo dicti ſunt, vel à piſis, ſicut lentuli à Lentib. Fabij à fabis, Cicerones à ciceribus. Nã vt quiſq; leguminis aliquod genus optimè ſereret, ab eo apud priſcos nomen aſſumebat, vt ait Plinius. Sic etiã ab habitu corporis nõ nulli dicti ſunt, vt Luſci quòd vna luce careant, hos Coclites (vt Varro ait) veteres appellarunt, quaſi oclites ab oculo. Sic Plautus in Gurgulione teſtari videtur, vbi inquit: *Eſt de Coclitũ proſapia, vt arbitror.* Nam hi oẽs ſunt vnoculi, cum Cyclopas intelligat. Strabones quoq; à vitio oculorum dicuntur. Frontones ab eminentia frontis, Dentones à magnitudine dentium, Capitones à magnitudine capitis, Vari, quòd obtortis eſſent pedibus, Labeones à magnis labris, ſunt enim labra maiora labia. Lepidus dicitur quaſi politus, vt λεπὶς quę eſt lana nitida ac terſa. Dantur etiam nonnunquã ignominiæ gratia cognomina, vt Fabio Helluoni, qui in vẽtrem omnia bona demerſerat, cui Gurgiti cognomẽ iure optimo adhæſit, ſic & Murenæ, quoniam ſumma cum auiditate murenas deuoraret, vt Lucio Oratæ quòd Oratas nunquam precio parcens magna cum voluptate manderet. Tremellio Scrophæ periurium nomen dedit. *Eius enim ſerui ſuem viciuo abegerant, & interemptam ſub centonibus, ne ab inquirente ruſtico inueniretur, collocauerant. Eam rem cum comperiſſet* Tremellius*, vxori iuſſit vt recumberet. Venit in cubiculum ruſticus ſuem quæritans: quem tali iura-*

Piſones.
Lentuli.
Fabij.
Cicerones.
Coclites.
Lepidus.
Varro de re ruſtica l. 2.

mento illusit, nullam in villa sua scropham esse, prater eam quæ in centonibus iaceret, lectulumq; monstrauit, quo fallaci iureiurando sibi posterisq; cognomentum inuratus est. Hæc Macrob. cap. 5. lib. 1. saturnalium refert. Sed Varro locupletior testis est lib. 2. de re rustica. Nam Tremellium Scrophum id gēti suæ cognomentum reliquisse eiusmodi historiam recensens, facit. *Auus meus primus appellatus est Scropha. Nam cum quæstor esset in Macedonia Licinio Neruæ prætori, relictusq; ab eo, qui exercitui præesset, donec prætor rediret, hostes occasionem rati victoriæ, impreßionem in castra facere cœperunt, tunc auus cùm milites hortaretur, vt arma caperent atq; exirent, dixit celeriter se illos vt scropha porcos disiecturū, idq; effecit. Eo enim prælio hostes ita fudit, ac fugauit, vt ex eo Nerua prætor Imperator appellatus sit, auus verò cognomen inuenerit, vt diceretur Scropha.* Nerua fortitudinis est, proinde fortibus nonnullis viris apud antiquos adhæsit, & originem vt arbitror Græcam habet. Est enim νεῦρα neruus & præcipuè quo arcus tenditur & pro firmamento neruorum etiam ponitur. Sed Latini consonantiæ gratia literas mutarunt, & quod neura dicebatur neruam dicere maluerunt. Itidem in neruo. Nam & ab eadem origine ducitur, & eandem mutationem accipit. Scęua quoq; & Scæuola ab optimo auspicio dicta sunt. Scæua enim sinistra apud veteres (vt ait Varro) dicebantur, quòd quę sinistra sunt, bona existimabantur. Multa de nominibus dixi, & fortasse plura quàm res ipsa exigebat. Verum suauitate vetustatis illectus, vix calamum retinere valui. Sed hæc huius rei conclusio sit, nomina pulchriora non modò familias, verùm etiam ciuitatem honestare: à quibus qui discedunt, vel inurbani habendi sunt, vel in rebus parui impendij negligentes.

Nerua. *Scæua.* *Scæuola.*

PROOE-

PROOEMIVM LIBRI SEPTIMI AD SIXTVM QVARTVM PONTIFICEM MAXIMUM.

ASCRA oppidum non longè distat à Thespia, finitimumq́; est Heliconi, hac patria fuit Hesiodi Poetæ, loco edito sita, sed adeo effœti duriq́; soli, vt vix indigenas alere possit. Eam exectrari videtur Hesiodus, cùm ait: *Ascra oppidum.*

Ascram linque pater, rus nunquam optabile, verno
Sole caret, brumaque riget, sed aduritur æstu.

Simili sterilitate est Seriphus insula illa lapidosa, de qua Poetæ fabulantur illuc delatum Perseum cum Danae matre, cũ deiectus esset ab Acrisio patre. Et deinde cum caput Gorgonis Seriphijs ostendisset, omnes in lapides mutatos esse. Hec autem in vltionem matris Perseum egisse asserunt, cum Polidectes eorũ Rex fauente populo Danaem duxisset inuitam. Simili conuicio in Seriphium cauillatus est Themistocles, cum ait, se nequaquam futurum nobilem si Seriphius esset, quasi fateatur inopem miserãq́; patriã nulla ex parte ciues suos adiuuare, sed potius virtutes eorum, si quas haberent, eneruare, & obscuros omnino reddere. Cõplures Athenienses, complures etiam Romani splendore patriæ illustres habiti sunt, qui si ex obscuriore aliquo loco oriundi essent, theatro virtutum suarum omnino caruissent, & nunquã rebus magnis profuissent, quibus laudem & gloriam consecuti sunt. Erit igitur optimi consilij hu qui inopem aut sordidam patriam habent, sedem mutare, & meliorem quærere, quò beatius degere possint, & clariorem sobolem propagare, quamuis hoc difficile factu sit. Quis enim æquo animo patria carere potest? quis facilè propinquos, affines, necessariosq́; amicos deserit? quis domesticam cõsuetudinem, quis vernaculum sermonem, quis natalis soli cœlum sine mœrore & lachrimis relinquit? Gratias equidem peringentes Deo habere possum, Sixte pater sanctissime, quòd in ea patria mihi nasci contigerit, quæ ea omnia suppeditat, quæ satis ad benè *Seriphus insula.*

beateq; viuendum omni ex parte esse possunt, & in qua quisq; ciuiu mediocri etiã ingenio, mediocriq; re familiari laudem ac felicitatẽ (nisi sibi ipsi deerit) assequi poterit. Nõ indigebit externis opibus, vt se familiamq; suam optimè alat, cùm omnia in agro Senẽsi abundẽt, quæ natura mortalib. tradere consueuit. Non exquiret aduentitiã, aut transmarinã sapientiã, cũ musas oẽs intra pomoeria contubernales habeat, adeò vt Sena Alexãdriæ, Tarso, Athenis (quæ tres vrbes quondam præter cæteras totius orbis terrarũ, literarũ studia coluerunt) æmula omni ex parte videri possit, nec formidabit laudem suam intra domesticos parietes obscurari, cũ patria ipsa ei præbeat theatrum, spectaculumq; omnium maximarum rerum.

DE SITV VRBIS ET REGIONIS, DE loci opportunitate, de eligendo solo, agroq; qui ea omnia suppeditet, quæ ad viuendum spectant, & animalia omnia, ac plantas cum plagis, regionibusq; cœli conuenire.

TIT. PRIMVS.

DE ciuili societate pleraque diximus in superioribus voluminibus complecti solùm quæ ad ciuitatem pertinent. Nam de institutis Reipublicæ, de studijs ac virtute ciuium satis abundè tractauimus. Nunc tempus exigit vt de regione, de vrbe ac mœnibus aliquid differamus. Parum siquidem esset optimum instituere ciuem, nisi vrbem ei describeremus, in qua securè ciuilem virtutem degere posset. Nam veluti Peripatetici affirmant, ad perpetuam fœlicitatem bona animi neutiquam satis esse putantur, nisi corporis & fortunæ bona accedant. Sic nos ad beatam vitam ciuilem nequaquã satis esse arbitramur, populũ optimè institutũ habere, nisi vrbis ac regionis opportunitas ea suppeditet, quæ ad vsum tranquillę vitæ satis esse possunt. Nec is sum, qui vnamquamq; vrbẽ satis idoneam

doneã esse putem ad statũ optimæ Reip. conseruã-
dũ: quocirca eiusmodi eligendã esse arbitror, cui ni-
hil desit quod ad bene viuẽdũ spectet, vel potius no-
uam ædificandã, si per fortunã, atq; opes daretur. Nã
longè difficilius est vel ad ciuiles mores inueteratam
ciuitatẽ redigere, vel malè ædificatam restituere, atq;
instaurare, quàm nouã ab initio instituere atque ędi-
ficare. Difficile tamen esse arbitror, vrbẽ inueniri cui
omnia suppetant, quæ ad humanã vitam pertinẽt, &
quæ subuectiõnibus nõ aliqua ex parte indigeat, sed
eam magis probabimus, quæ suis fructibus magis a-
letur, minusq; externis opibus egebit, memores sen-
tentiæ Xenophontis Socratici, dicentis: *Nihil egere, Deorum esse: quàm minimo autem proximũ dijs.* Nec Sĕres
illi, quos tantopere laudant Cosmographi, beatosq;
esse prædicant, omnibus (vt arbitror) rebus affluunt,
licet cum voluptate degant, perpetua pace cum fini-
timis fruantur, cœli aërisq; temperiẽ habeant saluber
rimam, & siluis abundẽt, quarum ex arborib. sericum
vellus deducant, ad vsum Principũ ac purpuratorũ:
Terraq; eis adeò fertilis sit vt nulla satione nullisque
sationibus adiuta, sola naturæ benignitate, fruges ac
fructus afferat, quibus se indigenæ alere possint, & vi
cinis etiam commodare. Sed puto eos aliquando ex-
ternas opes desiderare, & aduectiones peregrinorũ
non semper respuere. Marci igitur Porcij Catonis sen
tentia fundamenta vrbis nostræ iacere poterit, qui
duo præcipuè consideranda ducit in emendo agro, salubritatem cœli, & loci vbertatem: quorum si alte-
rum deesset, agrum nequaquam colendum esse cen-
set, nec iniuria: nam qui fundum infœcundi soli mer-
catur, paupertatem ac perpetuum laborem sibi po-
sterisque comparat: qui verò pestilentis cœli, ægro-
tationem assiduam, intempestiuam senectutẽ, ac prę-
cipitem mortem. Vesanæ enim mentis esset, & mari-
nas ad aquas, ac gentiles ille omnino deducẽdus, qui
feracissimi soli culturam agere vellet, vbi de valetu-
dine ac vita semper ambigendũ esset: & alia ex parte
parũ saperet, q̃ steriles glebas ad aspectũ saluberrimi
cœli semp̃ verteret, vbi ꝑpetuò esurire necesse esset.

Agri emptorẽ quid conside-rare oporteat.

Non enim parum esset ad beatè viuendum soli fertilitas, quocirca Arabes fœlices cognominantur, quòd frugibus, fœtibus, palmite, odorumq; suauitate prædimites sint. Et Cyprum Veneri dilectā Poetę canunt: quia benigna rerum omnium parēs natura (quæ Veneris nomine priscis seculis nuncupabatur) mirum in modum ei indulsit. Cyprus enim tanta tamq; multiplici fertilitate rerum omnium præstat, vt nullis externis opibus aut fructibus indigeat, & sola ferè indigenis rebus alatur: quod quidem paucis admodum insulis aut regionibus accidit: pleræq; enim oēs pluribus rebus indigent, & paucioribus abundant. Si votis verò nostris fortuna arriserit, & principio vrbem constituere possimus, electio loci saluberrimi primò habēda est. Is erit editus. Nam planicies rarò omni ex parte tuta inuenitur, conuallis verò nebulosa est, & noxia. Ea verò regiones cœli neq; æstuosas spectabit neq; nimium frigidas ac pruinosas, sed temperatas, ad orientem vel ad meridiem vergentes, nisi sit regio maritima: ea noxios flatus plerunq; habet à meridie & ab occiduo, & pręcipuè si paludes vicinę sunt, quę non profluunt in maria vel flumina. Nam ex stagnāte aqua sole matutino oriente frigidæ auræ vel nebulæ oriuntur, quæ venenatos spiritus palustrium bestiarum nebula mistos afferunt, efficiuntq; locum pestilentem, & præcipuè per æstatem & autumnum: cùm æstuosa longè magis meridionalis plaga esse censetur, quanquam palus omnis vitanda sit, quæ semper pessimū virus eructat, & æstate vaporatis, hyeme autem frigidis nebulis caligat. Quinetiam magis caloribus culices, & infestis aculeis armata animalia gignit, quæ in vrbem densissimis agminibus volitant, & hominibus, animalibusq; reliquis molestissima sunt. Arboribus, plantis, & segetibus, hæ duæ regiones optimæ habentur. Occidentalis autem minus est vtilis, nā ex orto sole tepescit, meridie calet, vespere verò plurimum feruet, quibus mutationib. corpora facilè in ægrotationem incidunt, difficiliusq; curantur. Septētrionalis plaga non recipit huiusmodi mutationes, & quia firmior est, corpora diutius seruat, quod quidē ex o-

Oriētalis meridionalisq; plaga.

ex esculentis quæ reconduntur, cerni licet, quæ dum modicis fenestellis ad septentrionem refrigerantur, tardius tabescunt & diutiùs durant. Nam obsonia, & poma quæ ad calidas cœli partes ponũtur, quamprimum corrumpuntur. Nec admirandum est, calore siquidẽ non modo animata, sed solidiora etiam quæq; fatiscunt. Ferri naturam durissimam esse videmus, ea nullis alijs viribus mollescit, quàm caloris, vnde in fornacibus spiritu & calore ignis calefactum ferrum quamque formę speciem accipit. Idẽ tamen sic mollefactum & candens, refrigeratum deinde, aut aqua immersum, in pristinam duritiem redit. Proinde non est admirandum, si corpora humana per æstum imbecilliora fiunt, per hyemem verò firmiora. Asserunt etiam Physiologi corpora quędam quę à frigidis regionibus in calidas traducuntur, durare nõ posse, sed quamprimum dissolui. At contrà, quæ ex calidis in frigidas septentrionales, non modo mutatione loci non laborant, verùm validiora fiunt, & magis diuturna. Aristoteles testis est gentes quę frigidas regiones incolunt, animo ac viribus potius abundare, quàm ingenio, & arte: earum verò corpora longè alijs proceriora cernimus, ac pulchriora. Eadem candido sunt colore, recto & rutilo capillo, oculis verò cœsijs, abundat multo sanguine, parum mente, viribus autem plurimum præstant, ferro sine timore resistunt, in ægrotationibus verò timida & imbecilla sunt, vt Galli, qui cùm proceritate corporis præstarent, Romanum exercitum irridebant, dicentes: *In homines tantulæ staturæ*: quorum meminit Cæsar in elegantissimis commentarijs suis, vbi ait: *Omnibus Gallis præ magnitudine corporum suorum breuitas nostra contemptui habita est.* Et paulò pòst de eorum ingenio addit. *Vt ad bella suscipienda Gallorum alacer & promptus est animus, sic mollis ac minime resistens ad calamitates perferendas mens eorum est.* Parthi quoque niuales, & pruinosas terras ad aquilonem colẽtes, ita pugnaces atque intrepidi sunt, vt solos beatos iudicent, qui fortiter in bello ceciderint, excedentes autem è vita in lectulis suis naturali morte, conuicijs insectantur vt ignauos, ac degeneres. At

Galli Italis proceriores.

Parthorum mores.

contra homines, qui ad meridiem naſcuntur, & qui magis ſubiecti ſunt ſolis curſibus, puſilli magis ſunt, & graciliores, colore verò fuſco, criſpo capillo, oculis nigris, cruribus repandis, atque inualidis. Hi propter ſanguinis exiguitatem, cœliq; tenuitatem, ingenio præſtant, & mente plurimum valent, quocirca celerius agnitionem rerũ percipiunt, & ad conſiliorum cogitationes prõptiores ſunt, ægrotant forti animo, in bello autem ingentem ignauiam præ ſe ferũt. Hæc naturę diuerſitas alia potiora, alia verò deteriora habet. Quocirca in electione loci plurimum præſtabit temperatam regionem eligere, quæ neque algore rigeat, nec ſolibus nimium æſtuet.

Italiam regionum omnium temperatiſſimam.

TIT. II.

CONueniunt ſcriptores complurimi temperatiſſimã regionum omnium eſſe Italiam. Eadem, quemadmodum Iouis ſtella inter Martis feruentiſſimam, & Saturni frigidiſſimam media decurrens, temperiem à diuerſitate accipit: ſic inter ſeptemtrionale meridionaleq; plagã porrecta, temperatam accipit miſtionẽ: quocirca innumerabiles habet laudes, vt M. Vitruuius ait. Nam viros gignit corporum membris, ac figura præſtantiſſimos, & qui fortitudine animi, ingenio ac diſciplina omnes gentes ſuperare poſſint. Teſtis ſit populus Romanus, qui conſilio & virtute, omniũ barbarorũ ferocitatẽ domuit, quippe (vt Cicero ait) per ſe omnia melius inuenit, quàm reliquę oẽs nationes, vel ab alijs accepta longè reddidit meliora, & paruo quidem tempore nationes omnes ſubegit, imperioque totius orbis terrarum potitus eſt. Laudãt Græci ſcriptores ingenium & artem eorum qui Aſiam incolunt. Præferant licet omnib. gentib. Græcorum genus, viribus, ingenio, ac fortitudine, inueniẽt tandem Italis neutiquam eoſdem eſſe comparandos. Pleriq; eorum Mathematici vetuſtiſſimi diutius laborauerũt radio, numeris, dimenſionib. & ſiderũ curſu, vt oſtenderent

derent perpetuam fore Græcorum gloriam. Verùm
si diutius vixissent, vanitatem suarum artium digno-
uissent. Nam vix Greciam in ipsa Grecia inuenire po-
tuissent: & cùm imperia euersa, vrbes dirutas, & ho-
minum mores adeò mutatos cernerēt, vt iam omnes
ludibrio contemptuiue essent, faterentur (opinor)
virtute, excellentia animi, & doctrina imperia teneri,
non siderum cursu diuturna esse, nisi confugere vel-
lent ad sententiam Astronomorum & consultissimi
Hipparchi, quem prædixisse ferunt sedes orbium cœ-
lestium aliquando in contrarias partes moueri, cur-
sus siderum alios futuros, tempusque fore quo car-
dines mundi suo loco mouerentur. Hæc astrorum
mutatio fortunas fortasse hominum ac locorum po-
tuit variare. Sed redeat vnde digressa est oratio. Ma-
gna diligentia adhibenda est in eligēdo loco, in quo
vrbem ædificare volumus. Et primùm quidem ratio
cœli habenda est. Videmus namq; vrbes quampluri-
mas sola aëris inclementia desertas destitutasque es-
se. Populonia ad oram nostri maris, vbertate soli & Populonia.
loci opportunitate quondam vrbs fuit peregregia,
& vt ex dirutis mœnibus adhuc cernere possumus,
magnam populi frequent[illegible] habuit. Verùm cū per
æstatem & autumnum assidua pestilentia laboraret,
in vicina loca salubrioris cœli, p[illegible]ria destituta, colo-
ni exierunt, aliaq; oppida edifica[illegible]unt, ne perpetuis
febrib. laborar[illegible]ent. Salapia vetustissim[illegible] Apuliæ oppi- Salapia.
dum, quod alij à Diomede, cum à Tro[illegible]ico bello re-
diret, conditum fuisse tradunt, alij ab Hel[illegible]ia Rhodio
duce clarissimo, propter cœli inclementiam [illegible] incolas
habebat singulis penè annis graui ęgrotation[illegible] labo-
rantes. Hi consilium inierunt de mutandis sed[illegible]bus,
oratoresq; ad Senatum populumq; Rhodium mi[illegible]
runt, vt eorū valetudini consulerēt, res ex senatuscō-
sulto Marco Gostilio demandata est, vt is idoneum
locum ad mœnia transferēda quæreret: quod quidē
effecit, quæsitisque rationibus summa diligentia, se-
cundum mare, salubrem locum eis tradidit, vt oppi-
dū transferrent, & mœnia constituerent, quo effecto
locū in mari aperiri iussit, portumq; effodi: quocirca

Salapini à veteri oppido quatuor millibus passuum progressi, locum salubrem habuerunt. Eiusmodi exempla nos monent, vt loca non paulo post pœnitenda eligamus, quæ quidem non sine magna difficultate, ingentiq; impensa commutãtur, aut destituuntur.

De ventis & eorum regionibus, ac nominibus.

TIT. III.

Venti qui salubres.

VEntorum flabra hac in re vel in primis animaduertenda sunt. Nam sicut deterrima sunt australia, & secundum illa, quæ ad æstiuum occidentem flant, sic tutiora orientalia, & septentrionalia longè salubriora. Videndum igitur erit ne regio obnoxia sit noxijs illis flatibus, quibus si oppositos habuerit montes, longè tutior salubriorque erit. Ventorum rationem vt ciues intelligant non modò ad nauigandi vsum, verum ad corporis quoque sanitatem, optimum factu esse arbitror. Qua in re, Atheniensium exemplo vti non erit alienum, & præcipuè cùm ciuitas illa domiciliũ fuerit musarum, & omnium disciplinarum sedes. In ea vrbe publico consilio Andronicus Cyrrhestes astronomus peregregius, & architectus excellentissimus marmoream turrim erexit. Eam octogonam esse voluerunt, quoniam totidem ventorum diuersos flatus esse putabant. Planicies, quæ mediæ erant inter angulos singulæ, quæq; sculptas imagines singulorũ ventorum habebant contra cuiusque flatum. In turris verò apice metam marmoream statuit Andronicus, super quã æreũ Tritonẽ magna arte fusum collocauit, tali libramento, vt vento circumageretur, cõsisteretque supra imaginem flantis venti, indicemque virgam, vel (vt alij dicunt) tubam prætenderet. Hæc præclarissimorum ciuiũ solertia magnam præ se vtilitatẽ ferebat. Poterat enim quisq; sic & bonæ valetudinis, & fœlicis nauigationis rationem quocunq; tempore habere. Hæc octo ventorum imagines ea industria descriptæ erant, vt quæq; suam regionem spectaret, ventumque qui inde flaret, ostenderet. Ab oriente enim

Vitru. lib. 1. cap. 6.

Ventorũ nomina & regiones.

enim æquinoctiali Subsolani, siue (vt alij appellant)
Solani erat imago, à meridie autem Austri, ab occi-
dente verò equinoctiali Fauonij, à septẽtrionali au-
tem plaga Septentrionis: hi enim quatuor Philoso-
phorum omnium consensu principales venti haben-
tur. Quatuor deinde reliqui medij inter hos, suas e-
tiam habebant imagines. Nam inter Solanum & au-
strũ ab oriente hyberno Eurus erat, inter Austrum &
Fauonium ab occidente itidem hyberno Aphricus:
inter Fauonium & Septentrionem erat Corus, quem
prisci Caurum appellarunt: inter Septentrionem ve-
rò & Solanum Aquilo. Hæc descriptio in ciuitate o-
mnium doctissima, ostendit eo tempore plerosque
philosophorũ exstimasse, vẽtos dũtaxat octo nume-
ro extitisse: sed Aegyptij, Phœnices, & Græci alij cõ-
plures duodecim ventos esse existimãt. Nã inter qua
tuor illos principales, octo intermedios esse volunt:
dicunt Subsolaũn à latere dextro Vulturnum, à læuo
autem Eurũ habare Austrum à dextro Euronotum, à
dextro Zephyrum, à læuo Corum; Septentrionem à
dextro Circium, à sinistro Aquilonem. In ventis verò
hoc seruandum est, noxios omnes esse, qui per palu-
des, stagna, aut æstuosas Syrtes flant, alioqui verò cœ
li ac regionis suæ naturam sapiunt. In ædificijs quoq;
ventorum ratio habenda est. Varro cap. 4. lib. 1. de a-
gricultura de seipso verba huiusmodi protulit: *Non
hic Varro noster, cùm Corcyræ esset exercitus ac classis, & o-
mnes domus repleta essent ægrotis ac funeribus, immisso fene
stris nouo aquilone, & obstructis pestilentibus, ianuaq; per-
mutata, ateraq; eius generis diligentia suos comites, ac fami-
liam incolumes reduxit?* Laudat idem scriptor ædificia
sita ad ortum æquinoctialem, quia æstate vmbram
habent, hyeme autem solem: & loco edito edificari
iubet. Nam facilius, noxium quodcunq; infertur, di-
scutitur à ventis, & quod à sole tota die illustratur
salubrius est. Et si bestiolæ volucres inferuntur,
aut quamprimum efflantur, aut aritu-
dine citò pereunt.

Pestilentia quomodo vitanda.

Ædificia vbi optima.

De vbertate soli eligenda.
Tit. IV.

Varro, de re rust. Isid. & Plin. lib. 18. cap. 34.

SEcundum cœli clementiam soli vbertas necessaria est, illa enim salubritatem, hęc autē alimoniam mortalibus prębet, & vna ab altera nequaquam separanda est. Marci Attilij Reguli sententiam fuisse L. Columella prodit, agrum sicuti nec fœcundissimi quidem soli, cùm sit insalubris cœli, esse colendum: ita nec effœti, si vel saluberrimi sit. Diligenter igitur qui locum idoneum eligere vult, scrutabitur, vt fœcunda ac læta sit terra, ex qua populum alere vult, vt quæ facilè excolatur, fermenteturq; vbi altè effoditur, & resoluatur atq; in puluerem fatiscat, & præcipuè per serenam hyemem ac per æstuosos calores: ea namque vbi sicca, densa, & macilēta est, siue exercetur assiduo labore, siue cessat colono omnino pœnitenda est, & veluti pestilens esset, omnino refugiēda. Nam illa ægrotationem ac mortem præstat, hæc verò squallorem, & teterrimam mortis comitem famem, vbi fœcunditas non apparet, sed omni humore exhausta est. Cato nouem discriminibus bonum agrum diuidit. Primam partem esse vult, vbi vineæ esse possint bono & multo vino. Secundā vbi hortus irriguus. Tertiam, vbi salicta. Quartam, vbi oliueta. Quintam, vbi pratum. Sextam, vbi campus frumentarius. Septimam, vbi cædua silua. Octauam, vbi arbustum. Nonam, vbi glandaria silua. Sed hoc (vt omnia conueniant) optandū est: bonus tamē erit ager, qui ex his plura habebit. Sed si votis nostris Deus arriserit, bene disposita erit regio, si parte campestri iacebit, parte alia collibus attolletur molliter deuexis ad orientem ac meridiem. Partes relinquendæ sunt iuxta amnes & riuos pascuis, quibus armenta ac greges aluntur. Ex his opportunè assurgunt colles virgultis ac siluis. Opaci Campi lōgè maiorem partem ad vbertatem frugum relinquere debemus. Ager namq; frumentarius diuersas habet sationes, variasque culturas. In eo siquidem est arūum quod aratū

est,necdum satum. Est seges,quæ tunc dicitur, cùm arata sataque est terra. Est nouale quod vt renouetur alternis annis relinquitur. Est etiã restibilis, quæ singulis quibusque annis seritur:& quod feracissima lætissimaque sit, restibilis dicitur,restat enim assiduis laboribus.Proximè hanc partem prata erunt,quibus secundas partes in agricultura veteres Romani tradiderunt,nomenque ab eo deductum putant, quòd pratum protinus paratum sit, nec magnum laborem desideret:cui M.Cato multas affert laudes,quòd nulla vel minima admodum impẽsa indigeat,quòd paruo labore feruetur , quòd nullis tempestatibus obnoxium , quòd singulis annis & pabulo & fœno fructum reddit. Pratum cùm exolescit, segniusque herbam emittit,frumenti causa excolitur.Nam post longam desidiam lætas admodum segetes reddit. Iuxta etiam riuos bene collocantur prata , & pone illa salicta &arundineta ad vinearum pedamenta aliosq; rusticos vsus.Collium qui eminent aliquantulum , alij arboribus vacui sint, vt aprici vndiq; solem acipiant, & frumento ferantur. Nam vbi mollissimè deuexi sunt, optimum frumentum faciunt,& vbi per aduersam tempestatem ingentemq; pluuiam planities agricolam fallit,eius labores rarò defraudant. Alij verò colles celsiores,arbustis,oliuetis,vinetis,alijsq; arboribus vestiantur,quæ optimæ spectant solis ortũ. Deinde meridiem , quamuis Tremellius Scropha etiam occasum laudet , quem Vergilius fugiendum præcipit, cum ait : *Néve tibi ad solem vergant vineta cadentem.* Esse tamen potest , vt in quibusdam regionibus occasus vitibus vtilis sit , sicuti in quibusdam alijs Septentrio , quem Democritus Abderites , & Mago Carthaginensis vinetis idoneum esse putant.

De

De silua. TIT V.

Silua quadrifariam diuiditur.

Silua si nobis ex voto contingat, optabimus in collibus ac vallibus non longè à pascuis, eritque vsui vt plurima sit, humanam namque vitam omnibus ferè in rebus adiuuat, adeò vt secundum segetem optanda sit, nisi elemento ignis carere volumus. Ea quadrifariam distributa esse debet, in saltus, nemora, siluam cæduam, & materiariam. Saltus appellarunt veteres, in quibus frutices, virgulta, & minores arbustulæ res, in quibus ... ad vsum pecoris inter herbas passim oriuntur, in illis vtiles sunt myricæ, arbuti, cythisi, dumi, lentisci, salices, & calami siluestres, & præcipuè hiberno tempore: nam minus à niuibus pessundatur. Myrteta etiam vtilia essent, non modò pecori verum coriarijs. Scorta enim illis folijs præcipuè molliuntur. Iuniperi baccis suis hybernas volucres nutriunt, quibus etiam capones saginati elegantiores mensas nostro tempore adiuuant. Ligna etiam igni admota odoratum fumũ mittunt, & saluberrimum per æstatem ad omnes noxios flatus pellendos. Nemora siluæ sunt maiores, in quibus arbores proueniunt, quæ baccas habent aut glãdes, aut castaneas suillo pecori vtiles admodum, & siluestribus animalibus, quæ propter venationis vsum non iniucunda sunt, nec ciuibus respuenda.

Venatio. Venatio robustiores iuuenes reddit, desidiam, ignauiamque vmbratilem tollit, & populum promptiorẽ alacrioremque ad rem bellicam præstat.

Nemus. Nemus Græcum est nomen, & à pascendo ducit originem, νέμω enim pasco est, quocirca non possum non admirari, quosdam nostri temporis nemora siluas manufactas opinari, & voluptatis duntaxat gratia inuẽtas, & præcipuè cùm nõ modò verbi origo, sed Vergiliana proprietas illa in in ore pene omnium sit, cùm ait:

Æneid. 4.

Venatum Aeneas, vnaq; miserrima Dido
In nemus ire parant, vbi primos crastinus ortus
Extulerit Titan, radijsq; retexerit orbem.

Non enim ex siluis voluptatis gratia cõsitis descendut ferę illæ, quas paulò pòst Ascanius medijs in vallibus optare inducitur à poëta, cum ait.

Spumantemq; dari pecora inter inertia votis *Ibidem.*
Optat aprum, aut fuluum descendere montem leonem.

Optima erunt nemora in quibus glandiferæ arbores fuerint complures. Hæc sunt quercus, ilex, fagus, æsculus, suber, robor, & cerrus. Dulcissimas omnium glandium esse faginas Plinius refert cap. 5. lib. 16. vt quibus obsessos homines durasse in opido Chio asserit, testemque eius historiæ Corneliū Alexandrū inducit. Vnde Græca interpretatione, quod esui glādem pariat, à comedendo fagus dicitus, φάγω siquidem comedo est: hanc fageam glandem, qui de agri cultura scripserunt, suem optime alere dicunt, eamque alacriorem facere, & carnem leuem, & coctibilem, nec admirandum est: sapor ori siquidem castaneę similis, echino tegitur, & dulcedinem non paruā habet. Eiusdem arboris materiam celeriter propter humoris raritatē in ædificijs marcescere Vitruui⁹ scribit. Ex pulpa tamen transuersos pectines fieri legimus, & vasa etiam, quibus honor apud antiquos fuit. Nam Marcus Curius iurauit ex præda nihil attigisse præter guttum fagineum, quo sacrificaret. Quercea verò glans grauissima est, proinde pecus reddit longe maioris ponderis, & salsamenta eius. Et præcipuè pernæ fumo duratæ longè magis diuturnæ sunt. Eius robor cum in fabricis terra obruitur, perpetuū est. Ferreos clauos paruo tempore rubigine conficit, idcirco in neuibus minus vtile habetur, vel si quando inuectitur, æreis clauis transfigendum erit, qui nulla ærugine consumuntur. Ilex minutissimas habet glandes. Suem reddunt angustā, nitidā, strigosam ac ponderosam. Lignum durissimum est, & magni ponderis, inutile potius, quam trabibus vtile. Hæc arbos Græcis dicitur πρῖνος, & tanti fuit vt nomen Prænestino monti ob eius abundatiam dederit, etiam vrbi Prænestinæ. Plutarchus in Parallelis ad fi. testem facit Aristoclem, 3. rerum Italicarum libro, Telegonū Vlyssis & Circes filium nomen vrbi ab eiusmodi euentu tradidisse. Nam cùm ad inuestigandum patrē dimissus esset, Deorum responsis cōmonefactus est, vt eo loci vrbem conderet, vbi rusticos coronatos saltan-

Arbores glādifera.

Pulpa.

Ilex.

Pranestinus mons.

Plutarchi codex Latinus factus, habet pini ramulu.

saltãtes cerneret. Is in Italiam profectus, ilicis ramis coronatos colonos vidit, memorq; oraculi vrbẽ condidit, & à coronæ fronde Prinistum (quod mox dedignato nomine Præneste factum est) appellauit. Hac mente ductus Strabo Cretensis lib.5. scribit: *Præneste quandam Polystephanon vocari, hoc est multarum coronarum.* Hanc opinionem Virgilius in 7. æneidos nequaquam sequitur: sed Cæculum Vulcani filium eam condidisse asserit, his versibus.

Nec Prænestinæ fundator defuit vrbis,
Vulcano genitum pecora inter agrestia Regem,
Inuentumq; focis, omnis quem credidit ætas,
Cæculus: hunc legio latè comitatur agrestis.

Sed harum opinionum vtra verior sit, nihil ad nos attinet, qui de ilice [illegible]n de vrbis origine loquimur.

Æsculus.

Aesculus paucas & amaras nimis glandes habet, non dissimiles iligneis. Eius lignum temperatissimum esse dicitur, & in ædificijs vtilitatem & gratiam habet. Suberis glans cum iligna similitudinem tenet, durior tamen aliquantulum est, & proinde serius decutienda. Eius lignum (præterquam igni vbi delibratum sit) vtile est. Cortex verò pro fructu habetur, plurimis enim rebus vtilis est, & præcipuè amphorarum vasorumque operculis atque obturamentis. Calceos quondam muliebribus adhibebant, quos cortices per irrisionem appellabant, nunc autem etiam viri suberatis crepidis vtuntur. Natandi vsum pueri apud veteres corticibus ad vtrunque latus deligatis sine periculo ediscebant, quoad aquæ vsum optimè callerent. Robur ligno & glande paululum quippiam à quercu differt, adeò vt vtrunque lignum robora appelletur, cùm folijs tantum aliquid intersit, vixque rusticis ipsis differentia satis nota sit. Cercus glandem habet reliquis maiorem, quæ non vt reliquæ vermiculatum habet calicem, verum echinatum sicut castanea: in ędificijs eius lignum habetur inutile, cito enim marcescit. Nucem castaneæ in nemoribus vtilem esse nemo inficiari potest. Prodest autem non modò pecori, quòd optimè alat, sed vniuersæ familię. Sunt qui ex ea cratibus ad fumum exiccata, ac deinde

inde in pistrino contusa, non modò panem, sed pultem etiam conficiant, quæ primo die antequam obdurescat, sine fastidio sumitur. Hæc nux echinato calice munita est, adeò vt vix illæsis manibus educi possit. Idcirco consueuere rustici eam in scrobibus terræ aliquot diebus defodere, quoad hiantes echini ac marcescentes nucem è calice emittantur. Nam ex singulo quoque duæ aut tres castaneæ educuntur. Eius arbor ad proceritatē magnam crescit, & penè omnibus in rebus ædificijs vtilis est, & ex ea amphoræ optimæ fiunt, & vinaria oleriaque vasa omnia: hanc nostri temporis lignarij fabri arborum reginam appellant, quòd singulis penè vsibus optima habeatur, quocirca non modò in nemore propter fructū, verùm in silua materiaria propter lignum præcipua habenda est. Quàm necessarius sit ignis non modò ad fouendam mortalium vitam, sed ad omnes penè vsus, facilè quiuis iudicare potest. Idcirco pessima esset electio loci qui aut à silua longius distaret, aut omnino careret. Legimus obsessas vrbes, & tēporib. nostris vidimus præ lignorum inopia ad deditionem esse compulsas, & inter seuera instituta veteris militiæ lixas, & calones, seruos videlicet qui aquam ac ligna ministrabant publicum stipendium meruisse. Eligenda igitur erit regio, quæ siluam cæduam habeat plurimam. Ea sic distribuenda est, vt singulis septennijs ea pars cædatur, quæ satis sit vniuerso populo. Cæsa namque septennio indiget antequam ex cespitibus frutices ac surculi rursus adolescāt, vt cædantur. Idcirco hāc veteres siluam cæduam appellarunt, vt Caius Iureconsultus de verborū significatione scripsit, quæ in hoc haberetur, vt cæderetur. Seruius tamen Sulpitius ait eam esse siluam cæduā, quę succisa rursus ex stipitibus aut radicib. renasceretur. Siluestres arbores omnes vulgò vtiles sunt, sed solidiores lōgè meliores. Optima ergò erit quercus, quæ maioris potentiæ ignem efficit, cuiusque pruna magis candet, diutiusque viget. Querneus præterea carbo ærariorum officinis idoneus est, quoniam deficiente follium flatu protinus emoriens sæpius accen-

tenditur. Querneus deinde cinis ad familiarem vsum optimus est. Lixiuiam enim meliorem facit, qua quidem lintea minus conterũtur, & candidiora nitidioraque redduntur. Cerrus quamprimum vritur: eius prunæ minus candent, & eius cinere lixiuia ducitur, quæ diutius concreta oleoque mista Saxauem efficit purgandis pannis alijsque rebus vtilem admodũ. Picea quibusdam in montibus valde crescit, frigora amat, & propter eius resinam, quæ pin uis est, magnum concitat incendium. Hanc quia religionis gratia veteres consecrabant, libenter alebant, eamque feralem arborem esse dicebant: foribusq; (vt cypariссum) mortui indicio prçfigebant, quòd dijs manibus eam dicatam esse arbitrarentur, cum alijs quibusdam quas infœlices arbores appellabant, vt altercum, sagmen, silicem, ficum atram, acrifolium, rubum, sentes. Nam quercum, æsculum, ilicem, fagum, corylum & albam ficum dijs superis consecratas putabant, & proinde fœlices arbores eas appellabant. Est vtilis & decora in syluis in quib. prouenit Teda arbor liquore ac pingui succo abundans, quæ puriorem flammam reddit, & cæreis funeralibus non dissimilem: ea grata habebatur in conuiuijs, & in sacris, quam maiores solùm præferebant, piaculumque habebatur si fœmina eam attigisset. Taxus igni admota periculosa est, eius fumus vertiginẽ capitis facit, & lippitudinem oculorum. Ea arbor tristis est, minimeque virens, baccas in Hispania habet veneficas. Compertum in Gallia (ait Plinius cap. 10. lib. 16.) vt vasa vinaria ex ea facta mortifera quamprimũ fuerint hominibus. Asseritq; eam in Arcadia tam præsentis esse veneni, vt si qui dormiant sub ea, cibúmve capiãt, confestim moriãtur. Sunt qui toxica venena quibus sagittę imbuitur, hinc appellata esse arbitrantur. Eius flores apibus noxios esse Vergilius refert, cùm ait: *Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos.* Hæc igitur è siluis non modo excidenda, sed auellenda est, quando prodest nunquã, obest autem sæpenumero. Silua quæ materiam ædificijs nauigijsq; præstat diligentius asseruãda est, emundandaq; singulis annis à sentibus ac vepribus,

Arbores infœlices. *Arbores fœlices.* *Taxus.* *Toxica.*

nec no-

ac nouis surculis arbusculisque crescentibus impedimento sint, quo minus proceritatem suam absoluant, néve tortuosæ fiãt, inanes aut flaccidæ. Solidiores longeq; proceriores arbores fiunt in montanis, quàm in palustribus locis: quamuis illæ tardius, hæ autem celerius crescant. Humor ille aquatilis nimis nodosa robora alit, idcirco facilius dolãtur, dētataq; serra celerius secantur, suntq; minoris ponderis: firmiora tamen sunt illa quæ æditis locis nascuntur, tũ quòd serius excreuerunt, tum quod humoris minus habent. Eiusmodi silua septentrionalem, oriẽtalemque plagam optimè spectabit. Arbores enim matutino sole confotæ, & pruinis siccioribusq; illis ventis obduratæ perpetuæ fiunt, dummodo opportuno tempore cædãtur. Materies optimè cæditur ab æquinoctio autumnali vsq; ad Calendas Ianuarias, vt quibusdam placet. M. tamen Vitruuius à primo autumno eam cædi vult, vsque ad tempus quo incipiunt flare fauonij. Vbi enim ver annum aperit, arbores prægnantes fiunt, viresq; omnes in frondes ac baccas effundunt, proinde inanes exhaustæq; sunt, veluti muliebria corpora, quæ grauida, tenuiora imbecilliorаque esse cernuntur. Deinde cùm ad partũ venerũt, inualida effœtaq; aliquandiu fiunt, donec vires per alimenta colligunt: sic arbores cùm flagella ac folia tenuiora habent, ac deinceps dum fructus nutriunt immaturas, minus solidæ sunt: verùm cùm per autũnum poma vel baccę decutiuntur, & folia decidunt, radices integrũ succum in se recipiunt, & sic in suam soliditatem redeunt, & præcipuè flantibus septentrionalibus ventis, qui hyberni aëris vires augent, materiamq; solidiorem ac tempestiuam magis reddunt. Sunt qui opinẽtur arborem quamprimum securibus decutiendam, sternendamque esse, mox sub tecto, loco tamen aperto à ventis erigendam. Alij sub dio tollendam, suspendẽdámve asserunt, vt mutationibus cœli consuescat, quoad humor omnis exhauriatur. Alij tantùm delibrandum censent, ne carie exedatur, humique mutulis suppositis relinquendam. Veteres tamen architecti non statim sternendas

Silua cædua quo tempore cædi debet.

arbores censent, sed eas castrari iubent, donec omnis succus defluat. Hanc rationem prçter cæteros omnes scriptores Vitruuius laudat, easque hoc modo castrari docet, vt opportuno tempore arboris crassitudo ad mediam vsque medullam cædatur, reliquum integrum relinquatur, donec liquor omnis quasi per canaliculum effluat, ne in ligno moriatur, conuertaturque in muccum, ac saniem, tum sicca aliquãtulum arbor cùm omnino sine stillis ac gutta est opportunè deijcitur, fitque ad vsum optima. Nam liquor ille qui sensim è medullis per ima foramina defluxit, siccescentem materiam solidiorem diuturnioremque facit. Est etiã obseruanda Luna, vt ne ferro ante quintumdecimum diem viua arbor attingatur, néve vltra quintum & vigesimum: aliter materies flaccida sit, & quamprimum blatta, & carie fathiscit. Arbores enim, & multa alia, veluti sunt conchylia omnia ad Lunæ cursum augentur, decrescuntq;. Vtilissima est ad vsum ædificiorum, & decora admodum montana abies, ea namq; procera est & teres, & crassitudinem præter cæteras æqualem habet. Eiusmodi quamquã difficilius tollantur, tamen non indecoræ sunt, nec lignum frangunt: hæc parui est ponderis, oneri non facilè cedit, directa permanet, & in contignatione non flectitur, humore atq; aqua facilè vincitur propter corporis raritatem. Idcirco architecti nonnulli asserunt hanc plumbi lamina coopertam perpetuam esse. Et quia caloris plus in se habet, patensque est, facile ignem accipit, & ita vehemẽtem ex se flammam mittit, vt vix vnquam in ædificijs succensa extinguatur. Populi duæ species sunt, alba vna, & nigra altera. Alba facilior ad dolãdum est, & commissuris melius cohæret, durior nigra: proinde trabibus atque contignationibus magis idonea. Vtraque species aquas amat, & fluuij ripas, verùm quæ proueniunt in syluis ac montibus, duriores sunt, & magis diuturnæ. Pyxis, quæ mutatis literis à Latinis Buxus dicitur, parũ crescit, sed gratiam plurimam habet in sculpturis, vasculis, ac commissuris: ea densa, dura ac diuturna est, & colore croceo pergrata. Huic non dissimilis est

Lunæ obseruatio in cædendis arboribus.

Populus arbor.

est Siler, ponderis tamen ac duritatis minus habet. Tilia arbor est rarior, facilius dolatur. Proinde in sculpturis commodius tractatur, & candor eius non indecorus est. Baccas gignit quas nullum attingit animal. Sed librum habet inter corticem & lignum ad membranæ similitudinem, ex quo vincula fiunt, quę etiam tiliæ vocantur. Fraxinus vbi vetustate aruit, aut vbi castrata in agris liquorem miserit, dura satis fit, & commissuris, coagmentationibus, catenationibusq; idonea. Eadem Homeri præconio nobilitata fuit, qui Achillis hastā ex ea fuisse asserit. In Ida Troadis sylua optimè prouenit, & cedro adeò similis est, vt ementes cortice sæpe fallat. Fagus prædura est, & hastis, missilibusque accommodata, eadem serra leuiter secta & non cuneis fissa, vtiles admodum tabellas præstat, & manubrijs dolabrarum idonea est. Carpinus vtilem tractabilitatem habere dicitur: hæc fragilis est, & parui ponderis: ex ea Græci bubulci boū iuga faciebant, à quibus nomen accepit, diciturque *ζυγία*. Nostri tamen rustici ex salice siluestri potius quàm ex carpino iuga faciunt. Pinus vbi prouenit, & nauigijs & ædificijs omnibus optima est: eadem in longam vetustatem sine vitio conseruatur, habet enim liquorem qui propter acritudinem nec nocentes bestiolas nec cariem penetrare sinit: Sic etiam cupressus, item Cedrus, & iuniperus, quæ similitudinē non paruam habent in ligno, & odoratissimæ sunt, mittuntq; ex se diuersas resinas non inutiles. Ex cedro oleum etiam nascitur, quo res perunctæ à tineis & carie illesæ seruantur, qua ex re, quæ diuturna ac perpetua significare volebant prisci, cedro seruata dicebāt: hinc est sententia Persij Satyrici illius obscurioris, cùm ait: *Et cedro digna locutus, Linquere nec scombros metuentia carmina, nec thus.* Sic & Ouidius j. tristium merorem q; libelli sui ostendens dixit: *Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.* Huius arboris mala omniū fœlicissima esse Vergilius refert his verbis: *Fœlicius mali, quo nō præstantius vllum.* Oppius verò in libro de siluestrib. arboribus ait Citreum malum odoratissimum esse, vnde interiectū vesti tineas necat. Fertur

Tilia arbor.

Citreum malū non est ce-

drí arboris sed citri Dioscoride Plin. teste lib.

etiam venenis esse contrarium. Generari idem Oppius ait in Perside omni tempore mala citrea: quorū alia præcarpuntur, alia interim maturescunt. In Italia ad Caietam plurima sunt, & specie diuersa, quæ quidem varium succum variumq; saporem habent, propter diuersas (vt arbitror) insitiones, quarū nomina difficile esset percensere, cùm in veterib. libris neutiquā lectitauerim, quocirca minus admirandū puto quòd fœlix malū appellauerit Vergilius, arboris verò nomen non posuerit. Palmarum arbores proceras ad trabium magnitudinem in Perside gigni multi testes sunt, inter quos Ammianus Marcellinus, qui eas vidisse testatur crebras admodum instar ingentium nemorum, refertq; exercitum Romanum flumina eius regionis transiuisse, cōstratis pontibus multis ex palmarum trabibus. Dicitq; eas ita vulgò nasci, vt quaquisq; incesserit, Spadicas cernat. Est .n. Spadix, fructus eius. Aulus tamen Gellius c.26. li.2. phœniceum colorem significare dicit, quoniam palmæ trames ex arbore cum fructu auulsus, spadix dicitur. Eius ligni robor solidum ac firmū esse affirmant, quocirca Plutarchus 7. Symposiacon in certaminibus palmam victoriæ signū esse dicit, quia ingenium eius ligni sit vrgentibus deprimentibusq; ponderibus nunquam cedere. Sed mira quædam & præter fidem Ammianus de his arboribus refert. Dicit namq;, *maritari palmas inter se, facileq; eas sexu posse discerni, indigenasq; locorum asserere fœminam arborem maris seminibus illitā fœtus generare, quandoquidem inter se mutuo amore delectantur, quod quidem tali argumento probare nituntur: quòd contra se vicissim nutantes, ne flabris quidem ventorum auerti possint: & si ex more fœmina maris semine non fuerit illita, intempestiuos fœtus amittit, & quasi abortū. Atqui si ignoratur, cuius amore perculsa sit fœmina, vnguento proximo mari inficitur eius truncus: cuius amore si tenetur, statim concipit.* Hæc prolixius dixi, quia noua ac mira mihi videntur, & nisi idoneum authorem haberent, omnino reiicienda. Larix arbos est (vt Plinius ca.29. lib.16. refert) non dissimilis piceæ. Hanc Vitruuius circa ripam fluminis Padi, & littora maris Adriatici solum inuenit in-

La-

Eam asserunt amarum succum habere, quò à carie & tinea vendicetur. Conueniunt multi scriptores eam nec concipere ignem, nec carbonem facere, aut alio modo ignis vi consumi, non aliter quàm si lapis esset aut ferrum. Hoc illum Cæsarem cognouisse aiunt, cũ Larinum opidum iuxta Alpes obsideret, quod ei parere detrectaret. Fuisse dicunt ante eius portam turrim larigneis trabibus transuersis, editam instar pyrę, cui cũ copias moueri iussisset, cenerentq; milites turrim ligneam esse, sarmẽta, & virgarum fasciculos circum eam complures adduxerunt, facibusq; admotis, turris ignem nequaquam concipere potuit, sed intacta quamprimum extincto igne apparuit. Cæsar rei nouitatem admiratus, cùm oppidani timore perciti se dedidissent, quęsiuit vnde essent ea ligna, quę igne non læderentur. Vulgò arbores ei ostenderunt, quarum in his locis magna erat copia, adeò, vt Larino oppido ex materia nomen esset. Esse dicunt huius arboris folia pinis simillima, materiam verò prolixam, & ad omne opus tractabilem, resinam mittere, Attici mellis colore, quæ phthisicis etiã medetur. Has ergo arbores, cùm in regionibus illis essem, diligenter perquisiui, inueni tamen nusquam, nec hi qui loca illa incolunt eas nouerunt. Idcirco aut fabulosum esse arbitror quod de his scribitur, aut propter temporis diuturnitatem funditus interierunt, quod fortasse etiam nonnullis alijs contigit. Nam platanum, quæ in delicijs apud priscos erat, ignoramus: cuius commẽdatio tanta fuit vmbræ gratia, nõ ex fructu, quoniam nullum gignit, vt ex Ionio in Diomedis insulam, & in Siciliam atque in Italiam transuecta gratissimam vmbram Romanis ciuibus præbuerit. Hæc de arboribus satis. Infinitum namque esset earum species diuersas complecti, & fortasse minus vtile, cum de institutis Reipub. potius quàm de naturali historia scripturus sim.

Platanũ ignorant nunc Itali.

De materia lapidea ad vsum ædificandi.

TITVLVS. VI.

Vitruuius. IN electione loci cogitandum etiam materiam, lapidemq;, & reliqua ad vsum ædificandi necessaria esse. Idcirco lapidicinæ commoditatem vel maximam habent, ex quibus quadrata saxa, & cæmentorum copiæ comparentur, & præcipuè si molles lapides sunt, aut mediocres. Nam duriores illi speciem potius præ se ferunt, quàm vtilitatem: labore enim plurimo indigent & ingenti impensa. Videmus namque marmorea ædificia vix longo æuo erigi: quæ verò lateritia sunt, vel tenerioris lapidis, paruo tempore absoluuntur. Vtiles sunt tophi. *Lapidicina.* Lapidicinæ non modò propter molliciem, verũ quia igni & tormentis bellicis non facilè cedunt, & humorem minus admittunt, quàm lapides reliqui. Thophi species tres inueniuntur. Est enim vna rubra quæ mollior est: sed vbi imbribus ac sole obduruit, non inutilis habetur. Est & alia nigra, vel murini coloris, quę solidior densiorq; inuenitur: his speciebus Picentes & Campani abundant. Tertiam habent Vmbri, quæ vel alba vel mellina est: hæc quamprimum cæsa facilè dolabris æquatur: dentata serra more ligni sequatur: sub dio tamen mensibus aliquot exposità, densior duriorq; fit. Eiusmodi lapides ad calcem excoquendam inutiles sunt, fathiscunt enim in puluerem.

De calce, & quibus lapidibus optimè coquitur.

TIT. VII.

Calx. CAlx marmore aut albo saxo aut etiam viuo silice optimè coquitur. Nam quo spissiore dorioreq; lapide feruet, eo vtilior in structura est. Nam quæ ex fistuloso lapide fit, tectorijs præualet: quæ vero candido saxo locis humectis, nullo æuo cõsumitur. Videndum tamen est ne arena calci misceatur, antequam optimè macerata calx deferueat: amitteret enim vires suas,

nec

nec optimè fermentaretur. Sed ab arena quasi sepa-
rata remanet, vbi frigiditatē liquoremq; aquæ fugit.

De arenarum generibus.
Tit. VIII.

Arenarum genera.

A Renarū genera sunt tria, Marina, Fluuia-
lis, Fossitia. Fluuialis nonnullis locis præ-
stat, Marina autem rarò optima habetur.
Fossitia species habet tres, canam, rubrā,
ē . . mmistam nigro, quam carbunculi nonnulli vo-
cant. Ex his illa optima habebitur, quæ manu confri-
cata magis stridorem efficit. Nam quæ terram cōmi-
stam habet, minus aspera est: probatur etiam recepta
in candidum pannum, si postquam excutitur, cando-
rem non læserit. Sunt qui arbitrentur, hanc fossitiam
fluuiali semper præstare: quod quidem verum esse
arbitror, vbi puris locis effodiatur, nullamq; terræ
commistiqnem habeat.

De lateribus. Tit. IX.

E . t etiam cogitandum de lateribus, quo-
. . um vsus necessarius est, hi nequaquam
lucuntur ex luto arenoso, calculoso, sa-
. bulosoue: nam rimosi essent, & graues
. imodum: quin etiam imbribus & au-
stral. pluuia in parietibus dissoluuntur, dilabunturq-
que. Optime ducunt ex terra albida, vel cretosa, ex
qua imbrices & tegulæ etiam fiunt. Nam vbi abaci
desint, fictilibus tegumentis vtendum est. Columnas
namque culmo (vnde nomen trahunt) cooperire, vel
ligneis scandulis non modò indecorum, verùm pe-
riculosum est: vilis namque ædibus accensis,
totum vt incendatur oppidum ple-
rumque accidit.

Columna vn-de.

De aqua & diuersis eius virtutibus.
TIT. X.

Plinius lib. 31.

Omnis electio soli inanis habenda est, & si omnia suppetant quæ superius cõnumerata sunt, nisi diligẽtissima ratio aquæ ad omnium rerum vsum habeatur. Nec admirandum censeo, quòd Thales Milesius (qui vnus è septem sapientibus perhibetur, quique multa in philosophia subtilissimè disputauit, primus secreta Astronomiæ, vt Eudemus retulit, indagauit, & animos hominum primus vt Cherilus poëta ait, sempiternos esse dixit) aquam rerum omnium principium posuit. Nam quãquam id minus est verum (vt sapientes quã plurimi testantur) tamen propter eius ad vsum humanæ vitæ necessitatem, tolerandum esse arbitror. Mortalium namq; natura facilius cuiusq; rei indigentiã, quàm aquæ ferre potest. Desint frumenta, suppetũt surculorum arborumq; fruges, tutabimur vitam carne, aucupio, piscatu, oleribus, radicibus etiam herbarum: verum vbi aqua deest, nulla cibi virtus aut seruari, aut parari potest. Infœlicem illam omnino patriã dicemus, quæ aqua careat, vel quæ eam noxiam habeat. Vnde Claudianus poëta peregregius cùm fœlicem virum describere vellet, non eum neutiquam periturum Mareottico, aut Chio vino facit, sed noxia, & insalubri aqua, cùm ait:

Claudiani distichon.

Illum non vario traxit fortuna tumultu,
Nec bibit ignotas nobilis hospes aquas.

Fuit etiam Aegyptiorum mos eorum casta religione diutius obseruatus, vt ante numinum ædes ac templa hydria aquæ poneretur, vt intrantes conspergerentur, procumbentesque sublatis ad cœlum manibus diuinæ maiestati gratias agerent, quòd munere saluberrimæ aquæ affecti fuissent. Legimus preterea regiones nonnullas solis aquis illustratas, vt montem Thiliadum apud Molossos, quem Theopompus centum fontibus nobilem facit. Et Magnesia longè præclarior habetur, propter fontis excellentiam, quem Musis dicatum poëtæ referunt, hac (vt opinor) ratione,

ratione, quòd ex eo potantes egregijs ad canendum
vocibus redduntur. Nec admirandum est, cùm innu-
merabiles aquarum virtutes inueniantur, partim ma-
nifesta, partim abdita & obscura ratione, veluti de Ar
cadiæ fonte dicitur, quem Clitorium accolæ appel-
lant, qui vini odium eius latices haurientibus quam-
primum facit, eosq; abstemios reddit. Ad hunc fontē
Poëtæ ferunt Melampodem furorem filiarum Prœti
curasse, easq; mentis compotes reddidisse, cum in fu
rorem, rabiemq; cōuersæ se iuuencas esse opinaren- *Eglog. 6.*
tur: de quibus Vergilius:

Prœtides implerunt falsis mugitibus agros.

Eas putandum est fuisse temulentas; ac turpes, &
aquæ virtute per Melampodem redditas deinde ab-
stemias, idque epigrammate iuxta fontem marmori
inscriptum inueniri. Sic apud Hieropolim Phrygiæ
oppidum puteum fuisse dicunt, vnde noxius spiritus
exalabat, omniaq; corrumpebat, interimebatq; mor-
tales omneis præter spadones: quæ quidem cur acci-
dunt, Physici nouerunt. Nam talium quidem rerum
rationem reddere difficile admodum mihi esse vide-
tur. Nec facilè etiam dixerim, cur apud Cicones flu- *Apud Cicones mira fluuius natura.*
uius inuenitur, cuius liquor epotus præcordia vertat
in cilicem. Est etiam Lyriope fons limpidus mirum *Lyriope fons.*
in modum, & qui inspicientibus veram imaginē red-
dat sicut speculum, in quo Poëtæ fabulantur Narcis-
sum se inspexisse, & propria captū forma demersum.
Apud Leontinum Siciliæ oppidum fons cernitur,
quem multis laudibus Græci Poëtę celebrarunt, quē-
que epotum medicas virtutes habere testantur: in eo
numen esse Leontini ciuis quondam arbitrabantur.
Idcirco non minus per eum iurare formidabant, quā
superi per Stygiam paludem. Caria quoque fontem
habere dicitur, qui ex eo potantes molles quampri-
mū & effœminatos reddit, ideo à sordido meretri-
cioque affectu Salmacis à Græcis nuncupatus est.
Quid quòd multa adeò admiranda in quibusdam a-
quis inueniuntur, vt nulla ratione deprehēdi possint?
In Cyrenaica prouincia fontem fuisse ferunt apud
Hammonis templum, qui media nocte feruens, ad-

ueniente die tepescebat, & subinde surgente sole frigidior, ad meridiem algebat, sumebatque per vices temperiē, & prima nocte calidus, tum vt illa excedebat, calidior, ad diem feruebat. Cuius quidem Titus Lucretius optimus humanæ naturæ indagator meminit his versibus:

Est apud Hammonis fanum, fons luce diurna
Frigidus, & calidus nocturno tempore fertur.
Hunc homines fontem nimis admirantur, & acri
Sole putant subter terras feruescere partim,
Nox vbi terribili terras caligine texit.

Paphlagoniæ fontem Vitruuius esse dicit, qui vino mistus esse videatur, adeo vt ex eo potantes temulēti fiant. Eiusmodi naturam dicitur etiam habere Licesius Thraciæ fluuius, in cuius ripa viatores pleriq; ebrij, ac dormientes inueniuntur. Hepesini non longè ab oppido fontes habent, quorum aquæ aceto mistæ esse videntur, & idcirco ægrotantibus gratissimæ sunt. Nónne mirum etiam videri debet, quod à plerisque scriptoribus Græcis scribitur? Castalium fontem fatidicam habuisse aquam? Quod quidē cōprobare videtur Ammianus Marcellinus historicus non vulgaris, qui ait *Iulianum Cæsarem fatidicas venas Castalij fontis recindere cogitasse, quas obstruxerat Cæsar Hadrianus ingenti saxorum mole, veritus ne vt ipse præcinentibus aquis capessendam Rempubl. comperit, etiam alij similia docerentur.* Sunt & flumina quæ accolas ditiores faciunt, vt Cynips Arabiæ, in quo gemmarum quamplurima genera inueniuntur. Est & Arimaspus fluuius, ex quo Scythæ aurum legūt. Sic & Pactolus Lydiæ, qui & auriferam à Poëtis arenam habere dicitur. Strabo quoq; Geographus vndecimo plæclarissimi operis sui libro refert, *apud Soanes, qui Colchidis populi sunt, torrentes esse, qui aurum deferunt, quod quidem barbari perforatis tabulis ac lanosis pellibus excipiunt*: vnde aurati velleris fabulam confictā esse existimat. Aquam quoque apud Hierapolim esse idem auctor lib. 14. refert, adeò inficiendis lanis idoneam, vt radicibus herbarum dilutis, colore cum his decertent quæ croco, murice, aut purpura infecta fuerint. Inueniuntur etiam

etiam aquæ complures noxiæ, vt in Thessalia profluens, ex qua nec pecus gustat, nec bestiarum genus vllum propius accedit. Est etiam in Macedonia admiranda aquæ diuersitas iuxta sepulchrum Euripidis tragici Poëtæ: siquidem ad dexterã riuus saluberrimus viatores propter mirificã suauitatẽ allicit: à sinistra aũt alter riuus est, qui mortiferã aquã habet, non modò potantibus, sed abluentibus. Dicũt etiam stillare in Arcadiæ montibus frigidissimos humores, noxios admodum, & qui nec ferreo, nec argenteo æneóve poculo sustineri queunt, sed vngula tantùm equina, aut mulina. Hoc veneno enectus dicitur Alexander Macedo ab Antipatro per Iolam filiũ, qui ei pocula ministrabat. Eiusmodi mortifera aquæ genera credendum est maleficum terræ succum in se recipere, & ideo venenatam vim habere. Talis aqua quondam Tarracina scatebat, fonsque Neptunius vocabatur, quem oppidani obstruxerunt, quòd sæpe imprudentibus exitio esset. Complures in Alpibus fontes sunt, & in Italia apud Vmbros, & apud Equiculos, qui potantes vel strumosos faciunt vel turgidis gutturibus. His medentur fontes qui septem milibus passuum à Volscinis distant, regionemque Septentrionalem spectant. Scribunt etiam Cydnum ad Tarsum Siciliæ vrbem fluuium esse, in quo aliquãdiu abluti articulari morbo liberantur. Hypanis Scythicorum fluminũ princeps, de quo Gallus Poëta ait:

Alexandri Macedonis mors.

Neptunius fons.

Vno tellures diuidit amne duas.

(separat enim Asiam ab Europa) purus est, & haustu saluberrimus, saporeque dulcissimo, à capite quo profluit milibus circiter passuũ quadringentis, deinde fonticulo quodam miscetur, qui Exampus dicitur, & amara scaturigine infamis est. Nam cũ in eum influit, tantam fluminis magnitudinem amaram efficit, adeò vt dissimilis sibi in maria prorumpat, variamque de se gentibus famam relinquat, quando potantes à principijs Hypanim suauissimum esse dicant, à fine autem illum omni iniuria execrantur. Gallum Phrygiæ fluuium esse dicunt, ex quo potantes insaniunt, vt phanaticos ab eo sacerdo-

Hypanis naturã imitantur, qui prius benigni, posterius terribiles fiunt.

Gallus fluuius.

tes

Oui. l. 4. Fast. tes matris Deûm dici Ouidius testis sit in quarto librorum suorum quos de fastis scripsit, his versibus:

Cur igitur Gallos, qui se excidere vocamus?
Cum tantum à Phrygia Gallica distet humus?
Inter (ait) viridem Cybelen, altasq; Celaenas
Amnis it, insana nomine Gallus aqua.
Qui bibit inde, furit, procul hinc discedite, queis est
Cura bonae mentis, qui bibit inde furit.

Scribit Pomponius Cosmographus vnam ex fortunatis insulis singulari Deorum fontium ingenio insignem esse: alterũ enim qui gustauerint, risu soluuntur: eiusmodi verò affectui, remediũ est ex altero bibere. *Fons insipientes faciens.* In insula Chio fons est cuius potio suauissima est, sed insipientes efficit bibentes, adeò vt à Graeco Poëta quondam inscriptus sit aquas suaues habere, sed haurientes in saxa conuertere. Est & aliud: Susis fons est in regione Persarum, qui potantibus dentes excutit, abluentibus autem saluberrimus est. Dicuntur etiam alij fontes esse, qui per pingues terrae venas profluentes, oleo vncti erumpant: cuius naturae *Liparis.* Liparis Ciliciae fluuius habetur, in quo nantes ab ipsa aqua vnguntur. Et in India locus esse dicitur, in quo sereno aliquando coelo magna olei vis supernatat. Non minor admiratio est fontium quorumdam circa Dyrachium & Apolloniam, qui picem cum aqua emittere dicuntur. Sic & in Assyria locum esse Ammianus Marcellinus testatur, quem Sagnitem accolę appellant, in quem Tygris mergitur, exitque per subterraneum cursum, & non longè à lacu emergit: nasciturq; prope lacum bitumen, & Nepita picea specie, glutinosa similis quoque bitumini, cui si auicula insiderit, praepedito volatu detinetur: hoc liquoris genus, cùm ardere coeperit, nullo pacto nisi superiecto puluere extinguitur.

De balneis & medicis aquis. TIT. XI.

CAlidae, omnes aquae medicam vim praeter ceteras habent, quanquam sua natura frigide sint: sed quia profluunt per aestuaria & loca ardẽtia, ęgrediũtur calefactae: ideò diutius

diutius non possunt permanere, sed breui spacio frigidæ fiunt, nam si per naturam calorem haberent, nõ tam facilè refrigerarentur. Harum aliæ sulphurosæ, & articulorum neruorumque laboribus vtiles, nimios noxiósque humores corporis ablutione exhauriunt, & profluuio capitis medentur, ab impetigine, porrigine, scabieque emundant. In eiusmodi balneas multa luserunt poëtæ, & in ardentes etiam cauernas, putaruntque eiusmodi ignis ex infernis fluminibus manare. Vnde Silius Italicus de Aethna lib.14. sic ait:

Nocte dieq; simul fonte è phlegethontis, & antro
Flammarum exundat torrens, piceaq; procella,
Semina busta rotat liquefactis saxa cauernis,
Sed quanquam largo flammarum exæstuat intus
Turbine, & assiduè subnascens profluit ignis.

Et paulò ante de Lipare.

Nam Lipare vastis subter depasta caminis
Sulphureum vomit exeso de vertice fumum.

Hanc rem ambiguam facit Claudianus, cum balneas miris laudibus afficit.

Seu ruptis inferna ruunt incendia ripis,
Et nostro phlegethon deuius orbe calet.
Sulphuris in venas gelidus seu decidit amnis
Accensusq; fluit, quod manifestat odor.

Vtcunq; tamen res se habeat, optimè consuluisse humano generi natura videtur, quæ balneas protulit ad salutem mortalium: de quibus idem poëta ait:

Quod si forte malus membris exuberat humor,
Languida vel nimio viscera felle rubent:
Non venas resecant, non vulnera vuulnere sanant,
Pocula nec tristi germine mista bibunt.
Amissum lymphis reparant impune vigorem,
Pacaturq; ægro luxuriante dolor.
Et quamuis Lachesis lethali flumine damnet,
Inde sibi fata prosperiora petunt.

Equidem in balneas adolescens elegis versibus aliquando me ludere memini, & eiusmodi sententiam proferre:

Dumq; alios macerant medici dum toxica miscent,

Languida

Languida sulphurea membra fouemus aqua.

Et certè res admiranda mihi videtur, omnium ferè morborum medicas aquas à Deo Optimo Maximo mortalibus esse traditas, quæ non pigmentis, antidotis, & amaris dilutionibus ægrotos excrucient, nõ igne aut ferro lacerent, sed suauissima ablutione pristinam valetudinem restituant. Nec has virtutes soli sulphurati fontes habent, verùm aluminosi, qui pituitæ fluxioni medentur, resolutioniq́ue neruorum, quam Græci paralysin appellant. Crudis, & qui stomacho parum valent, plurimum conferunt, & deniq; id præstant, quod Asclepiades officium optimi medici esse dicit, vt tutò, celeriter, & iucundè curent. Habent & suas virtutes bituminosæ aquæ, quæ quidem potione potius quàm ablutione adiuuant. Soluunt enim aluum sine dolore, & penè omnia interioris corporis vitia purgando curant, quinetiã aliquando mala intestinorum tormina, cùm exulcerãtur intestina, & cruor ex his manat, pristinæ valetudini restituunt. Est etiã genus frigidæ aquæ nitrosum, quod quidem potionibus purgat, & omnes accessiones corporis minuit, & præcipuè strumarum tumores. Eiusmodi aluminosi ac nitrosi fontes malo plerumq; odore ac sapore sunt, nam ab inferioribus locis penitus orti, per loca ardentia transeunt, ac deinde longo spacio terræ refrigerati perueniunt ad superiora loca, odore, sapore, caloreq; corrupto, secumq; feruoris vertiginem deuehunt, adeò vt refrigerati etiam feruere videantur: veluti est in agro Senensi quatuor milibus ab vrbe passuum aqua, quam vulgo Bullã appellant, quæ quidem saluberrima est, & verno tempore epota compluribus ægrotationibus prodest. Sed omnium salubrium aquarũ feracissimus est ager Senensis, nullumq; genus deest, quod ad mortalium salutẽ spectare possit. Quod quidem notum spectatumq; priscis temporibus fuisse arbitror, & præcipuè cùm M. Tullium videam balneas Senias nuncupare, ad quas quidẽ recuperandæ valetudinis gratia Romani ciues accedebant. M. quoq; Terentius Varro lib. 1. de analogia idẽ sentire videtur. Nã cum prius dixis-

Aluminosi fontes.

Bituminosa aqua.

dixisset male reprehendi à quibusdam, quod dicantur multitudinis nomine publicæ balneæ, non balnea, & contrà priuati dicant vnum balneum, non plura balnea: deinde paulò post addit: Sic aquæ calidæ multitudinis nomine dicuntur. Nam cùm in vsum venissent nostris, vt colerentur, & al æ ad alium morbū idoneæ essent, & complures, vt Puteolis, & in Tuscis quibus vtebantur multitudinis potius quàm singulari vocabulo eas appellarunt. Quorsum hæc tam longa aquarū cōmemoratio? vt intelligamus ad electionem loci in primis pertinere, vt optimarū aquarum diligentissima fiat inquisitio. Hac in re diligentissimi veteres non modò oppida vrbesq; condituri, sed & dum castra statiua militum eligebant, factis sacrificijs diligentissimè bidentum extarimabantur: & si iecinora liuida vitiosáue inueniebant: (quoniam id aquæ vitio fieri arbitrabantur) locum quamprimum mutabant. Eiusmodi probationes optimæ sunt. Sed longè meliores (si illic habitant) erunt. Et præcipuè si diligenter inspexerimus qua corporis figura, quibusq; lineamentis sint aquæ illius potores. Et si validis corporibus, nitido colore, cruribus rectis, ac non vitiosis, peracri oculorum acie, palpebris folliculisq; non lippientibus, ventre etiam neque obeso, neque nimium exhausto. Naturę inspectatores asserunt, puræ aquæ in primis esse signum, si sine sapore, sine odore ac sine colore fuerit. Et si aqua in vasculum cōiecta nullam fecerit maculam, nihilque in ea decesserit, postquam aliquādiu quieuit. Est & optima experientia, si ea decocta postquam deferbuit, & quieuit, nihil ar. næ, aut limi in fundo vasis reliquerit. Dicunt etiam qui de agricultura scribunt, cuius quidem rei adstipulatores sunt Vitruuius & Cornelius Celsus, legumina optimè aquam probare, cum in eam coniecta fuerint, ad ignemque admota si celeriter percoquātur: quod quidem veteres medici eam aquam optimam censent, quæ minoris sit ponderis, quæúe igni admota celerius fit calida, dummodo limpida sit, & musco ac iunco careat. Insalubris est omnis aqua palustris, & quæ non fluit, siue per loca transit vmbro-

Castrorū eligendorū mos antiquus.

Aqua pura signa.

Aqua optima qua.

Aqua insalubris.

vmbrosa,atque opaca,&à sole minimum aperta.Deterrima tamen omnium est ea, quæ ex niuibus fluit, quæúe ex pruinis instillat vt nonnulli veteres tradiderunt,Celsus Cornelius de aquis sic loquitur.*Aqua leuissima pluuialis est,deinde fontana, tum ex flumine, tum ex puteo,post hac ex niue aut glacie,grauior ex lacu,grauissima ex palude* Hæc qui diligenter inspexerit, salubrem liquorem ciuibus suis facile præbebit.

De optimo vrbis situ. TIT. XII.

OPtimus vrbis situs, qui non procul à mari absit,aut à flumine nauigabili, per quod euehi possint quæ supersunt, & aduehi quæ desunt.Ostia quidem fluminum magnam habent opportunitatem,& eorum fluenta, ac placidi cursus, non modo voluptatẽ augent, & gregibus,armentisq; saluberrimi sunt,cùm facilè & sine cursu atque obluctatione aquarum pergunt, verùm magnam agris & segetibus vbertatem afferunt. Magna tamen fluminum diuersitas est, & non aqua omnium vtilitas. *Nilus.* Nilus omnium fluuiorum feracissimus habetur,is namque Aegyptum perfluit,eamque regionem magna cum fertilitate irrigat. Nam cum tota ęstate obrutam oppletamque tenuit,recedit,inque alueum suum redit,& agros mollitos oblimatosque ita ad serẽdum relinquit, vt vix boum laboribus aut rusticis manibus, nisi ad proijciendũ semina indigeant. Cuius natura admiranda fuit, vt varias scriptorum opiniones reliquerit de eius inundatione,& præcipuè cùm ad fluminis fontẽ peruenire nequeat. Nã Physicus Anaxagoras, & eius discipulus Euripides Tragicus,causam incrementi niuem esse sentiunt in Aethiopia liquefactam. Sed incredibile est in regione solibus exusta niuem esse. Alij ipsius fontem miram illam abundantiam habere asserũt à nubium densitate quas illuc cogũt Etesiæ vẽti,qui Euri dicũtur,& ab oriẽte æstiuo fluunt, vt Strabo lib.iij.refert. Sed Democritus illuuiẽ illã septentrionali niue fieri putat, quæ æstate liquescit, eleuatisque vaporibus multas

multas ac densas nebulas circa montana tollit, quæ tum ab Etesijs ad altissimos Aethiopiæ montes deferuntur, & in pluuiā solutæ magnos imbres faciunt, quibus Etesiarum tempore Nilus ad maximum illud incrementum augetur. Alij repercussione diuersorū ventorum id fieri asserūt. Alij autem id siderum motibus excitari volunt: alij lunæ, solisque cursu. Herodotus quidem Nilum ait propria natura esse talem qualis sit tempore incrementi. Hyeme tamen solem ad Libram delatum, humorem ad se trahere, ob eamque causam eo tempore flumen decrescere. Ego autem arbitror eiusmodi cogitationes quasi palæstram quandam doctissimorum hominū extitisse, qui peregregias ratiocinationes quasi mentis pabulum habuerunt: idque naturæ optimæ parenti omnium attribuendum censeo. Nam cum destituta cœlesti humore ac pluuia Aegyptus esset, ei fluuium dedit, qui segetibus, ac plantis alimenta traderet. Nam innumerabiles fluminum cursus ad subiecti soli vtilitatē diuina prouidentia tradidit, ne qua regio esset, quæ omni ex parte naturali ope fraudaretur. Nili incremētum (vt Diodorus refert) à solstitio æstiuo fit vsq; ad æquinoctium autumnale. Nec parum regioni confert, quòd terrestres beluæ, quæ noxiæ hominibus sunt, eius inundatione pereunt, nisi quamprimum ad altiora confugiant. Solus etiam omnium fluminum neque nebulas neque frigidas auras, aut densas exhalationes gignit. Eiusque aqua præcipuæ dulcedinis habetur, adeò vt accolæ perfacilè vino careāt, & eam summa cum voluptate hauriāt. Fert etiam Nilus Loton, ex cuius baccis panem conficiunt: & fructibus etiam alijs omnibus salutaris habetur. Accedit igitur non solum ad vtilitatem, sed ad oppidorū ornamentum fluminum cursus, quod quidem versibus Mantuanis comprobare licet. Nam cum de Italiæ laudib. loqueretur, eiusmodi sententiam protulit:

Aegyptus cœlesti humore destituta.

Adde tot egregias vrbes, operumq; laborem,
Tot congesta manu præruptis oppida saxis,
Fluminaq; antiquos subterlabentia muros.

Vicinitatem maris longè optimam esse arbitror

cùm ad vitæ ciuilis vsum, tum ad opes comparandas, quibus ciuitates mirum in modum augentur. Atqui longè difficilius vrbes obsidentur, quas mare alluit, cum nautico terrestrique exercitu ad earum oppugnationem opus sit: quorum si alteruter deest, facilè oppidani exercitum superant, cum difficile admodum sit à terrestribus copijs auxilium clausis impediri, & alia ex parte nautica turba facile ab equitibus superatur. Aristoteles tamen asserit, ambiguum fuisse apud priscos, vtilitatisne plus, an incommodi vicinitas maris vrbibus afferat, & præcipue cùm colluuionem hominum mare aduehat è diuersis ac nonnunquam barbaris regionibus, quæ ad ciuilem disciplinam capessendam minus idonea sit. Sed huic rei subuenire possunt legumlatores, qui præcauere [illegible]sunt, ne peregrini ciuitate donentur, nisi post [illegible] virtutis experiētiā, néue emere aut ædificare possint. His & similibus sanctionibus ab aduenarum contagione ciuilis societas liberabitur, nec alijs maritimis commodis carebit, quibus ornamenta pacis, & subsidia belli comparantur. Portuum igitur oportunitas eligenda erit ab his qui vrbem statuere volunt. Idque considerandum in primis erit, quibus rationibus à tempestatibus, atque ab hostibus nauigia defendantur. Portuum autē alij naturales sunt, alij manufacti. Naturales optimi sunt, qui vel è conspectu insulam habent, vt promontoria, quibus vndarū fluctus franguntur, & curuaturæ illæ introrsus tutiores ab omni tempestatis iniuria reddantur. Eiusinodi portus Virgilius probare videtur præter cæteros, cum ait: *Æneid. 1.*

Est in secessu longo locus, insula portum
Efficit, obiectu laterum, quibus omnis ab alto
Frangitur, inq; sinus scindit sese vnda reductos.

Mutuatus siquidem est Hippanensis Carthaginis formam, cum Aphricanus portus minus sib satisfaceret. Optimè autem constituētur hi portus, si naualia habebunt, & iuxta erit porticus, ex qua aditus sit ad emporia. Ducenturque muri ab vtraq; parte porrecti, cum solidis rotundisq; turribus, ex quibus catenæ machinis facilè trahantur. Manu verò facti portus *Portus manufacti.*

tus minus tuti erunt, minusque vtiles, rarò enim idoneum locum habere possunt ad tuendas naues à tempestatibus. Idcirco eiusmodi stationes structuris, aggeribus optimis adunandæ sunt, vt ars suppeditet, quod per naturam deest. Ostia nonnunquam fluminum si placido latoque cursu in mare prorumpunt, vtilitatem non minimam habẽt, vbi naturalis portus desit. Sed redeuntib. nauigijs ostia omnia periculosa sunt. In ædificanda vrbe si ex voto nobis contigerit (quoniam oẽs affirmant situm optimũ esse iuxta mare) videndum erit vt portus vel stationes pone vrbis mœnia sint. Non tamen adeò iungantur, vt marinis fluctibus collidantur: neque adeò distent, vt inter portum ac muros belli tempore hostes castra collocare possint. Priuaretur siquidem vrbs nautico præsidio, in quo non parua spes collocãda est, si à mari tutũ non sit. Et propterea locus ille intermedius fossis, muris, ac turrib. ita muniendus erit, vt nihil ab hostib. inuadi possit. Et præterea in quocunq; vrbis situ cõsiderandum, vt locus eligatur, qui nõ facilè ab hostibus inuadi possit, & ex quo ciuibus facilis sit egressio in agros, & in vicina loca, & tutissima regressio in vrbem. Cogitare etiam debemus, vt adiacens regio cõspectui adeò subiecta sit, vt facile cognosci possit, ne per obscuriora diuortia, & hiantes conualles populus ex insidijs pereat, neúe socij amiciúe qui auxilio vrbis adesse vellent, cæcis diuerticulis aut opprimantur, aut impediantur. Cauendum etiam est ne mons vicinus sit, qui vrbi incumbat, tormentis namque & lapidum ballistis hostes qui eum inuaserint, ciuem è propugnaculis ac turribus facilè deturbant, vrbemque inuadunt, vel in subiectos prælantes victores euadũt, quinimo iacula ac saxa in vrbem mittunt, adeo vt nec in vijs, nec inter domesticos ciuibus tutum satis esse possit, quæ quidem desperatio quamprimum ad deditionem compellit. Non minus etiam erit cauendum, ne flumen per edita ac prærupta loca decurrens, in subiectam ac iacentem vrbem abrumpi possit. Per eiusmodi namq; alluuiones nõnunquã hostes victoria potiti sunt, cum oppidani

aut mergantur, aut aquæ impetum neutiquam ferre possint, & inundatio illa animalibus, muris, agrisque perniciosa sit. Videndũ præterea est, ne regio nimis angusta sit, nimisue vasta, agrorum enim aruorumque angustia, annonę caritatem facilè efficit, quę quidem causa est, vt parua populi admodum sit frequentia. Esuriens namque plebs connubia formidat, nec desiderat sobolem, quocirca nullum populus incrementum facit. Quinimo tenuiores, vix cum famis ratio habenda sit, patriam deserunt, & lætiores feracioresque sedes quærunt, & pręcipuè si pascendo pecori per angustias regio minus idonea est. Nam secundum frumenta armenta & greges, quæ carne lacte caseoque abundant, valde alunt. Piscatio etiam quibusdam in locis plurimum adiuuat tenuem atque inopem turbam. Sed ea minus optanda mihi esse videtur, cùm quod pisces malè nutriunt, & corpora inualida atque ægrota præstant, (quod Homeri etiam testimonio probare possum, qui bellatores suos qui iuxta littus maris castra habebant, nunquam piscem gustare facit, & Hellespõtiacos piscosos Ichthyophagos per irrisionem appellat, quasi imbelles & effeminatos) tum quod piscatorem algentem, nudum, atq; inopem semper video: & alia ex parte quanquam minus formidanda est minus vasta regio, tamẽ plerumque incommoda habere cernitur: Alit siquidẽ feras truculentissimas, hominibus pecoriq; noxias, ac formidabiles, veluti sunt quibusdã locis leones & vrsi, regionem omnibus animantibus exhauriunt. Aphrica enim deserta loca quamplurima habet propter huiusmodi animalia. Hyrcani, qui ostia Oxij fluminis habitãt, immanes habent feras, & pręcipuè Tigres, quarum quidem perniciositas animantibus ferè omnibus ineuitabilis habetur. Breui siquidẽ tempore longum conficiunt spacium, & præcurrentia animalia assequuntur. Sunt & Pantheræ apud illos quæ pecuaria insidijs populãtur. Contra eiusmodi feras Hyrcani veneno potius quàm ferro agunt: aconito enim carnes illinunt, & per diuerticula ac compita spargunt, quas vbi Pantheræ comedunt, anginæ morbo conficiuntur.

Pisces ægrota corpora præstant.

tur. Hac solertia opus est Hyrcanis, si vitam in regionibus suis agere volunt. Erunt igitur eiusmodi loca fugienda, & in quibus serpentes repunt, qui non modò morsu sed solo spiritu animalia necant. Nō etiam parui detrimenti est in vastis regionibus: quòd si bestiæ noxiæ desunt, latrones, sicarij, grassatores, fures, ac deterrimi homines non deerunt, quorum insidiæ non minus timendæ sunt, quàm luporum vrsorumq; ingluuies, & leonum tigridumque immanitas. Dixi quæ exquirenda essent his qui condēdæ vrbis locum eligerēt, quæúe fugienda. Nunc de vrbe, mœnibus, & ædificijs pauca in sequenti volumine disserere constitui, vt præscripti cursum suo ordine absoluam.

PROOEMIVM LIBRI OCTAVI AD SIXTVM QVARTVM PONTIFICEM MAXIMUM.

OPTIMA operum descriptio distributioq; intra mœnia, & arearum, viarum, platearumq; diuisio, decorem ac speciem vrbis plurimū adiuuat. Et ea nonnunquam præstat, quæ ingenio loci deesse videtur: quæ in re quicquid relinquitur aut peccatur, cum magna admodum difficultate restituitur instauratúrve. Smyrna omnium penè vrbium pulcherrima habebatur, quæ post euersionem, quam à Lydis pertulit, instaurata ab Antigono, auctaq; deinde à Lysimacho magnam speciem præseferebat. Pars namq; eius in monte sita facili ascensu clarissimum aspectum præbebat. Et Meles fluuius inde decurrens, magnam mœnium partem alluebat. Nam reliquæ omnes partes in campo iacebant, & portus aderat optima structura clausus, viæ vrbis latæ directaq; erant, & pulchro admodū pauimento strata, templa altis fastigijs suffulta, porticus magnæ, & Gymnasia omni opere perfecta: vnus tamen eorum qui statuerunt, error decorem vrbis hyberno præcipuè tempore obscuriorem Smyrna. Meles.

reddebat. Deerant namq; cloacæ, & pluuia colluuies vndique fluitabat: quocirca præ luto atq; aqua vix homines per vrbem incedere poterant. Mithylene quoq; vrbs in Lesbo insula pulcherrima habita est, inter Methymnam & Malliam sita, sed pessimè descripta, nam viæ omnes nullis oppositis ædificijs ab austro in septentrionem vergunt: quocirca æstate & autumno propter æstum pestifera sunt. Hyeme autem propter boream frigore & gelicidijs adeò rigent, vt nemo in eis consistere possit, quæ si ab oriente in occiduum vergerent, saluberrimæ omnino essent. Talia quidem errata apud Rhodios nequaquam deprehendebantur, quorum vrbs mœnibus, vicis, ædificijs in omni opere nulli secunda priscis temporibus habita est. Fuit namq; apud eos maximum studium architecturæ, & eiusmodi artifices magnis præmijs afficiebantur. Ciziceni quoq; optimos habuerunt architectos, proinde Cizicum eorum vrbs in Propontide insula pulchritudine, & publicorum ædificiorũ fabrica reliquas omnes Asiæ vrbes antecelluit, habuit etiam suam laudem Carthago, habuit & Massilia, & nonnullæ aliæ, quæ artifices habuerunt in ratione ædificandi eruditissimos. Natiua bona patriæ meæ, pater sanctissime, plurima sunt. Multa etiam emendata apparent ab his qui principio Senam statuerũt. Viæ à borea, & austro magna ex parte adopertæ sunt, ab oriente autem æstiuo & brumali occidente longè magis apertæ. Deerat aquæ abundantia ad omnium rerum vsum, effoderunt aquæ ductus stadiorum circiter quadraginta, opera & impensa adeò admirabiles, vt cum omni antiquitate certare possint: ex quibus singuli penè ciues in ædes suas per subterraneas fistulas aquam deriuare possint, & fontes plurimos paribus penè spacijs per vrbẽ emittunt, qui & vsui omnibus sunt, & speciem decoremq; ornant. Quotidie etiam ædificia vetustate disturbata aut collapsa restituuntur, & noua à solo eriguntur, quibus pulchritudo, splendorq; vrbis in dies magis magisq; augeatur. Sed ad propositum instituti nostri ordinem reuertamur.

ARCHI-

ARCHITECTVM OPTIMVM *adhibendum esse cùm vrbs statuitur.*

POSTQVAM diligentem rationem habuit in loci electione is cui per fortunam concessum est vt vrbē condere possit, antequam ædificet, situm faciemque vrbis secum animo volutare debet. Proinde operępræcium futurum arbitror, si architectum idoneum adhibebit, & eum cuius experientiam in plerisque ædificijs viderit. Nec pudere debet quemquam peritis in arte auscultare, cum illud quasi diuinum oraculum habeatur: *Quam quisq; norit artem, in ea se exerceat.* Et Alexander Macedo (cui Magno ob virtutem nomen traditum est) nobis exemplo esse potest, qui cū in Aegypto non longe à Canopico Nili ostio vrbem (quam à suo nomine Alexandriam appellauit) statuere vellet, Dinocrati Macedoni huius artis peritissimo, vt eam metiretur ac conderet demandauit, quamuis primò Rex ipse loci ratione magno cum iudicio comprobarat. Viderat enim portum loci ingenio admodum tutum, & emporium egregium, ac campos frumentarios feracissimos, & Nili vtilitatem nō mediocrem, voluit tamen vt architectus ille sui temporis nobilissimus, artis suæ munere fungeretur, ne quid præclaro operi deesset. Eam itaque (vt nonnulli scriptores sentiunt) ad similitudinem aquilę pandentis alas statuit: vt autem Strabo lib. xvij. ait, ad figuram chlamydis: qua specie habitabilem mundi partem esse Cosmographi omnes sentiunt. Hęc siquidem forma speciosissima iudicio quamplurimū habita est. Et quāquam hæc vrbs Regem & architectum habuit peritissimum & purpurati complures atque eruditi viri eis in consilio fuerunt, tamen longo tempore post Iulius Cæsar vidit continendæ rei aliquid deesse,

Idcirco Pharos Colonia eo loci ab eo deducta est. Et enim Pharos insula, quæ obiecta Alexandriæ, portum efficit, & iactis molibus angusto itinere & ponte vrbi coniūgitur: in ea turris magna altitudine eminet, mirificis operibus instructa, quæ de nomine insulæ Pharos etiam vocatur, ex qua facibus accensis nocturna tutius dirigitur nauigatio. Habet enim Alexandriæ portus insidiosum accessum, & fallacissima vada, quocirca periclitantibus nauigijs nocturnis ignibus subueniendum fuit. Ammianus tamen Marcellinus eiusmodi opus non Cæsaris Dictatoris, sed Cleopatræ reginæ fuisse retulit, cuius quidem eiusmodi sunt verba: *Alexandria littus cum fallacibus & insidiosis accessibus affligeret nauigantes, subuenit Cleopatra, quæ turrim erexit excelsam, quæ à loco Pharos cognominatur, prælucendi nauibus nocturna suggerens ministeria.* Hic à plerisque Latinis scriptoribus discedere videtur, sed facile fieri potest, vt iussu Cæsaris turrim illam consummauerit Cleopatra. Nam Aegypti regnū eidem promisit post victoriam Cæsar, & eam in delicijs habuit, ex qua filium forma & incessu sibi similem genuit, & Cæsarionem à suo nomine appellari passus est. Alij sentiunt hanc turrim nec Cleopatræ, nec Cæsaris, sed regum fuisse opus, quod quidē astipulari videtur Strabo libr. xvij. cùm ait Sostratum Gnidium architectum Regum amicum eam statuisse & tali inscripsisse epigrammate: *Sostratus Gnidius Dexiphanis filius dijs seruatoribus pro nauigantibus.*

Pharos turris.

Loci genium antiqui antequam vrbem conderent propiciare consueuerunt. Quid sit Genius, quid Penates, quid Dij patrij, quid Dij Samothraces. TIT. II.

VEteres vana superstitione antequam vrbem statuerent, loci Genium sacrificijs propiciare consueuerunt. Vnde peritissimus omnium Poëtarum Vergilius cùm hoc ostendere vellet, ait:

Hortor amare focos,

Id est,

Id est, Genium sacrificio placatum, propitiumq; reddere. Quãquam hoc potest ambiguũ videri, & præcipuè apud peritos in sacris rebus veteres. Nã (vt Varro ait in libro cui Attico nomen fuit) *moris & instituti maiorum erat, Genio hostiam non cadere, sed pateras libare, vinumq; diffundere*, vnde illud Persij.

Funde merum genio.

Sed aliter faciebant cùm genio natiuitatis Deo sacrificabant, aliter cum eidem vt loci præsidi. Natali quidem die, quo quidem vitam ipsi lucemq; acceperant, iniquum videbatur alijs eam eripere. Proinde à cæde & sanguine abstinebant, sic etiam (vt Timæus refert) ad Apollinis genitoris aram nemo hostiam cædebat, quando id numen esse natiuitatis omniũ mortalium arbitrabantur. Hanc arã Pythagorã veluti inuiolatam adorauisse dicunt, cuius etiam meminit Cato in libris de educandis liberis, vbi ait: *Hæc omnia faciebat nutrix in verbenis ac tabis sine hostia, vt Delij ad Apollinis Genij videlicet aram.* Sed Genium in sacris pluribus modis acceperunt, quandoquidem in primis eum putauerunt animi partem esse rationalem. Nam (vt Varro ait in libris de dijs electis) *tres animæ gradus esse in vniuersa natura veteres putauerunt. Vnum qui sine sensu alitur, viuit tamen ac crescit vi sua, vt sunt virgulta & arbores, & in corporibus nostris ossa, vngues, & capilli. Secundum in quo sensus est, cuius quidem vires ad oculos, nares, palatum, tactumq; perueniunt. Tertium summum animæ, quem animum appellabant, per quem intelligimus, ac sapimus, cuius etiam præter homines, mortales reliqui expertes omnino sunt: hanc partem in mundo Deum vocari Varro asserit, in nobis autem Genium.* Alio modo plerique omnes poëtæ Genium esse dicunt Deum illum in cuius tutela, vt quisque natus esset viueret, & à geniendo antiquissimo verbo originem ducere arbitrabantur, siue quòd nobiscum generetur, curam habeat. Hinc dicebant vt primùm editus in lucem quisque esset, eius suscipere curam, & actiones regere gestisque singulis adesse: virtutesq; augere, ac nonnunquã colloqui: quod quidẽ Homeri sententia comprobari asserunt, qui non cœlestia numina sermonẽ cum

De quo Censorinus.

Animæ tres gradus.

viris fortibus habere facit, eisve in prælio adesse, & familiarem Genium, cum quo legimus Pythagoram fuisse versatum ac Socratē, & ex nostris Numam Pompilium, & Scipionem superiorem. Hinc etiam genialem thorum poëtæ maritalem thalamum appellant, quem sub tutella Genij esse Satyricorum excellentissimus ostendit Satyra 6. vbi ait.

Indulgere genio.

Antiquum, & vetus est alienum Posthume lectum
Concutere, ac sacri Genium contemnere fulcri.

Cum contra adulteros loquatur, & geniale pro voluptuoso ac conuiuali ponatur. Vnde illud Vergilij,

Inuitat genialis hyems.

Et Iuuenalis:

Genialis agatur
Iste dies, propera stomachum laxare saginis.

Veteres enim Genio indulgere dicebant eū, qui voluptati operam dabat. Hinc illud rursus Persij Sat. 5.

Indulge Genio, & carpamus dulcia: nostrum est
Quod viuis, cinis & manes & fabula fies.

Defraudare genium.

Et econtrario cùm vellet Terentius eum ostendere qui de necessario cibo sibi demebat, suum defraudans Genium dixit. Hunc Genium qui singulis mortalibus adhibetur, quiq; consiliorum cogitationumque nostrarum particeps est, præsidem etiam appellauerunt, quod vitæ nostræ præsit: & qui de sacris litterum scripserunt, eundem esse quem Mediastinum vocant: putabant namq; medias quasdam esse potestates inter infimas terras summumq; æthera in medio aëris spacio, per quas desideria, cogitationes & merita nostra ad Deum perferrentur. Has Græci dæmonas, nonnulli nostrorum verbum è verbo exprimentes intelligentias nuncupauerunt. Ab hac opinione non longè abhorret Dionysius Halicarnasseus in libris quos de Romanorū origine scripsit, in quibus eiusmodi sententiā protulit: *Inter diuinum & humanum genus tertiam quandam extare naturam philosophi aiunt, qua Geniorum natio continetur, quandoq; hominibus, quandoque Dijs admista, ex qua genus illud Heroum ortum esse fabulantur.* Subtilis sane fuit hæc cogitatio, & à veritate non omnino aliena. De qua tamen clarius Plato

Mediastinus quis?

to in Symposio differit: sentit enim ab eisdem plera-que nobis nunciari, quæ etiam futurũ euentum aperiant. Sapienter igitur a Christianis scriptoribus angeli dicuntur, quasi nuncij veritatis, ac voluntatis diuinæ. Nam aliquando sanctissimus, innocentissimisque viris, vel dormientibus, vel nonnunquam vigilãtibus ea prænunciant, quæ futurorum præsagia ex vero rerum euentu esse dignoscũtur. Sed ad poëtas veteresq; scriptores redeamus. Putabant singulorum locorum genium esse: hinc illud Vergilij: *Æneid. 7.*

Sic deinde effatus, frondenti tempora ramo
Implicat, & Genium loci primamq; Deorum
Tellurem, Nymphas, & adhuc innata precatur
Flumina.

Hoc alio nomine penates dixerunt. Quocirca ab eodem poëta dicitur: *Penates.*

Sacra suosq; tibi commendat Troia penates.

Hos Nigidius Figulus Apollinem & Neptunum esse voluit, qui Troianos muros ædificasse creduntur. *Vesta Dea.* Sed hanc opinionem minime habere videtur poëta, cum inter penates Vestam deam esse doceat, & in eo *Ibidem.* quod statim sequitur, sic ait:

Et manibus vittas, Vestamq; potentem,
Aeternumq; adytis effert penetralibus ignem.

Alibi eos patrios Deos appellat.

Dij patrij seruate domum, seruate nepotem.

Et alibi patrios penates. M. Terentius Varro (quem in rebus diuinis Romanorũ peritissimum esse voluerunt) Penates Deos existimat, per quos spiramus, viuimus, & corpus animumq; habemus. Aethera, Iouẽ, Iunonem, Tellurem, & Mineruam, quam summi etheris cacumen esse ostendit. Huius sententiæ adstipulatores, populi Romani testimonium adducunt, Tarquinio prisco Rege cõprobante, qui omniũ supra dictorum numinum simulachra vno eodemque templo collocarit. Hos Samothraces Deos esse idem Varro affirmat, quos ex Samothracia in Phrygiam Dardanus, & mox in Italiam Aeneas trãstulerit. Sed alios esse Deos penates, alios Samothraces Vergilius ipse videtur ostendere in hoc versu:

Cum

Cum patribus, populoq; penatibus, & magnis dijs:

Ac si magnos Deos Samothraces esse intelligeret. Sic & Iuuen. Saty. 3.

Iures licet, & Samothracum
Et nostrorum aras contemnere fulmina pauper
Creditur atque Deos, dijs ignoscentibus ipsis.

Samothraces Cicero maiores gentium Deos appellat in Tusculanis quæstionibus. Nam in libro secundo de Deorum natura, de Dijs penatibus eiusmodi verba protulit: *Penates dij, siue à penu ducto nomine: est enim omne quo vescuntur homines penus, siue ab eo quod penitus insident, ex quo etiam penetrales dij à poetis vocantur.* Tales propitiationes numinum (vt ad propositum reuertamur) in condenda vrbe Varro Hetrusco ritu fieri solitas affirmat: sed pudet me talia referre, cùm ridicula potius quàm mystica esse mihi videantur. Iungebant namque taurum & vaccam, & aratro sulcum circumagebant, quod quidem eleuabant manibus, qua parte vrbis portam relinquere volebant. Quocirca fuere grammatici veteres, qui arbitrati sunt portam dici non ab importando exportandoque quæ vsui essent, sed à portando aratro, quando ex sacrorum ritu eo loci (vt dictum est) eleuaretur, ne in portæ limine fossa effoderetur. Vrbis nomen (vt superius diximus) vel à parte aratri nomen trahit, vel ab vrbando, id est arando, propter eiusmodi consuetudinem. Sed hanc veteres auspicato die & loco fatali religionem obseruabant: quid nos facere oportet, qui verum Deum colimus, non vana simulacra, & æreas imagines? Deum igitur Optimum Maximum inuocabimus, & veritatis salutisque nostræ auctorem vnigenitum eius Christum, cuius sacrificatione & cerimonijs solida fundamenta iaciuntur.

De

De facie, ac forma vrbis, de pomœrio, siue agro effato. Tit. II.

Hæc postquam fecerimus, fossa, sulco, signóve murorum ambitũ præscribemus, quem quidem veteres nonnulli in circulum, si loci ingenium id ferret, fieri præcipiunt. Alij octogonam speciem, alij autem quadratam vrbis formam magis probant, cũ quòd aptè satis muniri possit, tum quòd ad speciem, commoditatemq; viarum ædiumq; valde accommodata sit. Hanc speciem præter omnes probauit Romulus, qua quidem vrbis mœnia primò constituit, vnde Roma quadrata dicta est, vt ex sententia M. Varronis refert Dionysius Halicarnassæus. Eadem figura etiam fuit Nicæa vrbis Bithyniæ, quę portas habuit quatuor, ad lineam adeò directas, vt ex lapide quodã magno, qui in quadriuio circa Gymnasiũ stabat, pari spacio singulæ portæ cernerentur. Sed hæc cura architecto relinquenda est, qui ratione dimensioneq; loci habita facilè iudicabit quid vtilius esse possit. Cogitabimus deinde spacium relinquendum esse pone mœnia, in quo nec colere nec ędificare cuiquã vnquam permittatur: & id nonmodo intra muros, sed etiam extra. Eiusmodi locum Nigidius & nonnulli alij veteres agrum effatum appellarunt, quod pontificum iussu piaculum committeret, qui effoderet, ædificúmve erigeret. Varro autem pomœrium appellat, quem pleriq; omnes scriptores sequuntur, dictumq; putat quasi post murum. T. Liuius verbi huius significationem optimè declarat libro primo Romanarum historiarũ: *Pomœrium* (inquit) *verbi vim solum intuentes, postmœnium interpretantur esse, est tamen magis circa murum locus, quem in condendis vrbibus quondam Hetrusci, qua murum ducturi erant, certis circa terminis inauguratò consecrabant, vt neque interiore parte ędificia mœnibus continuarentur, quæ nunc vulgò etiam coniungũt: & extrinsecus puri aliquid ab humano cultu pateret soli, hoc spacium, quod neque habitari, neque arari fas erat, non magis quòd post murum esset, quam quòd murus post, id* Pomœ-

Isidorus & Horat. imprimeretq; muris Hostile aratrum.

Roma & Nicæa vrbes quadratæ.

Ager effatus.

Pomœrium.

Pomœrium Romani appellarunt, & vrbis incremento semper quantum mœnia processura erant, tantum termini consecrati proferebantur. Hanc Liuij opinionem his versibus A Gellius ca.14.lib.13.comprobare videtur. Pomœriũ est locus intra agrum effatum per totius vrbis circuitum pone mœnia regionibus certis terminatus, qui faciunt finem vrbani auspicij.

De munimentis loci & de mœnibus. Tit. IV.

Antequam mœnia constituamus, hoc cogitandum erit, locus ille naturáne munitus, an arte ac manu muniẽdus sit. Locus enim editus, vel qui præruptos habet anfractus siue altissimus mari vel magno flumine abluitur, longè minore opera atque impensa indiget. Nã minorib. mœnibus muniendus erit, vbi naturali situ defenditur. Sed in regionibus planis, vel paululũ editis opera & impensa subueniendum est. Erunt igitur ducenda mœnia vel quadratis lapidibus, si natura suppeditat, vel cocto latere, calce, & arena optima commista. Nam bituminis materia illa, quam in Babylonis muro labore tantopere Græci Latinique scriptores laudant, magis desiderãda est, quàm quærenda: non enim vulgo nascitur, sed raris admodum locis inuenitur. Fodienda in primis fundamenta sunt ad solidum vsque terrę, ne super instructum opus, vbi minus firma iecerimus fundamenta, aut ruat, aut nimis hiet. Et altitudinis crassitudinisque murorum ratio habenda est. Nam vbi nimis elata sunt mœnia, facilè machinis tormentisque concutiuntur, vbi verò nimis depressa atque humilia sunt funibus scalisque admotis quamprimum victoriam hosti tradunt. *Muri iusta altitudo.* Quadraginta aut quinquaginta cubitorum altitudo à compluribus architectis ac peritis in re militari cõprobatur, in summitate verò crassitudo ea satis esse dicitur, vbi intra pinnas tantùm spacij relinquitur, vt via satis duobus armatis sit militibus, ne alter alteri obuius impedimento sit. Nam mirabilis illa altitudo

do latitudoque murorum Babylonis, quam Semiramis fieri voluit, minus quærenda mihi esse videtur, quamquam inter septem mundi spectacula connumeratur, quorum altitudinem ducentorum cubitorum, latitudinem verò quinquaginta fuisse Græci testantur scriptores. Eiusmodi tamen miracula Alexander Macedo contempsit, quoniam triduo ante vrbē inuaserat, deripueratq; , quàm qui superiorē partem habitabant, hostem inuasisse conspicati essent, vt locupletissimus testis est Aristoteles. Modus igitur amplitudini vrbis præscribendus est, ne id accidere possit. Nam Babylonis ambitum quis non admiretur: quem quidem fuisse asserunt octoginta & quadringentorum stadiorum , & eiusmodi mensura millia passuum sexaginta complectitur. Nam stadium habet passus centum & viginti quinque, passus verò pedes quinque, pes autem digitos sexdecim. Octies igitur stadij mensura mille passus efficit, qui sunt quinque millia pedum. Stadij nomen Romani à Græcis acceperunt, dicitur enim σάδιον & octauam mille passuum partem significat, & locum etiam exercitationis. Eius dimensionis Herculem auctorem fuisse dicunt, qui citato cursu stadium vno semper spiritu faciebat, cum pernicitate etiam mortales omnes præuerteret. Videndum pręterea est, ne in longitudinem directi muri ducantur, nimis enim obnoxij sunt ballistis, tormentisque lapidum. Nam sinuosi illi anfractus murorum tutiores defensores reddunt, vbi hostes non modò à fronte, sed dextra, læuaq; & ponè à tergo missilibus impetuntur.

Babylonis altitudo latitudoq.

De turribus & earum forma.

Tit. V.

SVnt etiam à fundamentis erigendæ turres, quæ in exteriorē partem porrigātur, vt à lateribus appropinquantes hostes vulnerentur, atq; machinę testitudinesq; muris admotæ, ballistis è turribus excutiantur. Distabunt inter se turres paribus spacijs ad sagittæ emissio-

Turres qua forma adificanda.

sionem: & nequaquam quadratæ ædificandæ sunt. Nam vbi angulus tormento ballistáve decutitur, tota statim turris eliditur. Optima eius facies rotunda est, non enim tam facilè dissipatur: nam quando percutitur, quadrati in cuneum lapides stringuntur, & diutius inconcussa resistit. Secundum hanc turris faciem optima habetur octogona, quæ propter plures angulos ictibus minus facilè decutitur, quàm si quadrata esset. Optimum est etiam querneo robore in media murorum latitudine palis præfixo turrim munire. Ea siquidem contignatio ac ligatura firmiorem ictibus illam præbet. Nam aut tota corruat opus est, aut stet, & integra maneat. Adhibenda non parua diligentia in turribus, cùm quòd vrbem tutiorem reddunt, tum etiam quòd ei quasi pro corona & ornamento sint. Huius sententiæ optimus adstipulator est Homerus. Nam vt equites planitiem ornare ait, & naues maritimam oram, sic turres vrbem quasi coronant. Quod quidem facilius elegantiusque quàm à me dici possit, exprimitur ab eo versibus illis, quos Herodotus eius esse affirmat in vita quam edidit Homeri, in qua pręclara multa diuini illius poëtę refert, quæ apud alios qui de eius vita scripserunt, minimè extant. Idcircò interserendos hoc loci versus eiusmodi cēseo, nunquam enim me alibi lectitasse memini. Græci versus quinque sunt hi:

Turres vrbem decorant.

Α'νδρὸς μὲν στέφανος παῖδες, πύργοι δὲ πόληος.
Ι'πποι δ' ἐν πεδίῳ κόσμος, νῆες δὲ θαλάσσης.
Χρήματα δ' αὔξει οἶκον, ἀτὰρ γεραροὶ βασιλῆες
Η'μενοι εἰν ἀγορῇ κόσμος τ' ἄλλοισιν ὁρᾶσθαι,
Αἰθομένου δὲ πυρὸς γεραρώτερος οἶκος ἰδέσθαι.

Hoc est:

Pulcra corona viro nati sunt, vrbibus arces:
Campi ornantur equis: & nauibus Amphitrite:
Lauta domo decori res est: at Regis honesto
Inde foro lato nihil est augustius ore:
Ornamentum ingens lucens focus ædibus addit.

De

De pinnis turrium, & murorum.
Tit. VI.

IN Turrium verò summitate pinnæ esse debent, sic etiam in omni murorum ambitu, ex quibus repugnantes videre possint hostes sine periculo. Nam ex interuallo crates, plutei, tabulæ, vel suberis cortices expãduntur anulis ferreis, quibus contra sagittarum ictus defenduntur. Vestis stragula vbi improuisus ac repentinus hostium aduentus fuerit, pinnis superextensa sagittarum ictus optimè excipit. Neque enim facilè transfigitur, cedit siquidem, ac fluctuat, quocirca hebescunt spicula, vimque omnem amittunt. Pinnas Varro dici murorum summitates ait, ab his quas insigniti milites in galeis habere solent: Gestabant enim in conis galearum, cristarum ornamenta, & plerique ex auium pennis, vt est illud Vergilij de Cycni filio: *Pinna.*

Cuius olorinæ surgunt de vertice pennæ. *Virg. lib. 10. Æneid.*

Et Plinius secundus libro 18. naturalis historiæ ca. 1. de struthiocamelo scribens hæc verba protulit: *Præmia ex his oua propter amplitudinem pro quibusdam habita vasis, conosq; bellicos, & galeas adornantes pennæ.* Veteres (vt arbitror, si Varroni credere volumus) pinnas etiam auium dicebant, sed propinquitate literæ seu differentiæ consonantiæve causa vsus obtinuit, vt pennas auium dicamus, pinnas verò murorũ, turrium, montiúmve summitates, aut aciem securis. Vtrumq; Quintilianus optimus vetustatis scrutator docere videtur in primo præclari operis sui de institutione Oratoria, cuius verba ideo ponenda censui, vt animaduertamus eum reprehendere illos, qui pinnas pro pennis auium posuerunt, dicit enim: *Pinna est acutum securis, vtrinque habens aciem, vnde bipennis dicitur. Error est eorum, qui, quia à pennis duabus hoc esse nomen existimant, pinnas auium dici volunt.*

Anfractus, & præcipitia optimè munire vrbes: de fossa, de aggere, de munimento contra ictum arietis.

Tit. VII.

In statuendis muris erit cogitandum ne facilè hostis adhærere possit. Idcirco præcipitia & anfractus eligendi sunt, qui mœnia facilè defendant, aditusque oppugnantibus præcludant: vbi verò loci natura propter planitiem minus munita sit, fossa latissima altissimaque ducenda est, cuius aggesta terra aggerem faciat. Consueuere etiam antiqui viam relinquere inter eiusmodi aggerem & muros, vt repugnantes sagittis iaculisque fossam defenderent, ne facilè æquari ab oppugnantibus possit. Aggerem, vallis transuersis more dentium serræ præfigebant, per quorum interualla iacula in hostem mittebantur. Sed temporibus nostris nouum ballistæ lapidum genus inuentum est ad fulminis similitudinem, cui Bombardæ à tonitru ac sono horribili est nomen: huic quidem non mœnia, non turres ipsæ resistere valent. Contra arietis ictum, aggestæ terræ murum, quasi maceriem erigere solebant veteres, sed nescio an satis esse posset contrà nouum huiusmodi tormentum. Eiusmodi muri facies talis erat. Minutis lapidibus, vel coctis laterculis parietes duos ex interuallo vicenum pedum ducebant circum vrbis mœnia, terramque quæ ex fossis educebatur, inter illos deijciebant, fistibusque ac vectibus eam densabant, quoad solida fieret: murus tamen qui mœnibus superior erat depressior fiebat & humilis magis, ne ad summum vsque muri pariter terra replerentur, vtque defensoribus tutum ex oppido iter esset. Eiusmodi murus arietis ictus feriebat, & si exterior pars illa collideretur, aggesta terra cedendo veluti moles resistebat. Placuit tale inuentum commemorare, quod quidem non inutile esse arbitror. Nam fortasse

Bombarda nouum balistæ genus.

fulmina

fulmina hæc nostri temporis ferret, si terra illa congesta ab iniuria imbrium procellarumque muri testudine contecta diutius extitisset, essentque muri querneo robore inter se coniuncti contignatiq;.

De portis vrbis. TIT. VIII.

EST etiam habenda portarum ratio diligẽtissima, per eas enim aliquando accidit, vt prius irruptione oppida diripiantur: vel redeuntibus fugientibúsve oppidanis cõmisti hostes portas inuadant. Non aliter Romulus Fidenatium vrbem quadraginta stadijs à Roma distantem, vna incursione (vt Dionysius Halicarnasseus refert) inuasit. Nam populabatur corũ agros, prædam abigere, & exercitum adducere meditabatur. Verùm exeuntibus Fidenatibus leue prælium commissum est, in quo cùm inferiores essent, in fugam vertuntur. Romulus verò persequens eos simul cum fugientibus quasi vno agmine intra muros irrupit, & vrbe potitus est: quam Romanorum coloniam fecit, quæ prius fuerat Albanorum, eodem tempore deducta, quo Momentana, & Crustumenia. De portis autem M. Vitruuius in libris de Architectura ad Octauium eiusmodi verba protulit: *Curandum est vt portarum itinera non sint directa, sed scena. Scenum apud Veteres flexum & tortuosum significauit. Apud Græcos enim σκηνὴ non modo scenam ac tabernaculum, sed fraudem significat & σκήνωμα habitaculum, ac diuersiorium.* Inde Scena itinera ducta esse puto, quæ & diuertant, flectanturque, & fraudi sint obnoxia. Hæc fortasse alienum esset opinari, si per Seruium, & Donatum liceret dixisse Vergilium, eiusmodi viæ flexum ad Nympharum ædem fuisse vbi ait:

Scena quid propriè dicatur.

Æneid.

Tum siluis scena coruscis
Desuper, horrentiq; atrum nemus imminet vmbra,
Fronte sub aduersa scopulis pendentibus antrum,
Intus aquæ dulces, viuoq; sedilia saxo,
Nympharum domus.

Portas vetustissimi non solùm itinerum flexu, sed propugnaculis ad similitudinem vestibulorum, quæ ante ædes fiunt, muniebant, quarum etiam p̃cipuum

aditum fossa præruptum ponte coniungebant, qui pari penè pondere suspensus, facilè in repentino hostium aduentu detorquebatur, & in egressu deinde propugnaculi anulis catenisque ferreis cataracta suspendebatur, quæ per hostes canalibus ad id factis ita è muro dimittebantur, vt in limine ferreis mucronibus defigeretur, hostemque vel inuadentem arceret, vel clausum oppidanorum potestati subijceret. Est etiam non inutile inter cataractam portamq; aliũ ponticulum suspendere, si id loci genio fieri poterit. Murorum deinde porta ferreis laminis & clauis maioribus præfixa esse debet, tum vt ab omni vi atque impetu munita sit, tum etiã à subiectis ignibus, quibus plerumq; picato, sulphurato, intrusoq; puluere exuritur, nihil etiam aliquando nocturnis vigilibus eiusmodi suspicantibus. Cui etiam rei in ædificandis muris portæ remedium est adhibendum, foraminibus relictis, quibus omne incendium portæ extinguatur. Eius periculum tanti fecerunt Romani, *vt lege cauerint, ne iuxta portas habitare liceret propter fortuita incendia*, vt Paulus Iureconsultus scribit. Multis alijs rationibus muniendæ sunt vrbes, quas quidem longũ admodum percensere esset, & fortasse minus operęprecium, quocirca relinquendam hanc partem Architecto esse arbitror, qui loci naturam dimetietur, uidebitq; alijs munimentis opus esse vbi plano pede accessus fuerit ad mœnia oppugnanda, & alijs vbi præcipitia & anfractus vrbem natura munierint. Proinde progrediemur ad ea quæ intra mœnia constituenda sunt suo ordine, pleraq; recensentes, non tamen omnia. Nam fortasse ambigi posset, sitne talia dicere, officium eius qui de ciuili societate se scripturum pollicetur. Sed cùm omnis intentio ciuilis disciplinæ ad fœlicitatem redigenda sit, & ad viuẽdi tranquillitatem, vtramq; rem accumulare videtur iocunditas vitæ, quam quidem non minima ex parte efficit priuata commoditas habitãdi, & publicorum oblectatio: quæ quidem tunc magna esse videtur, cũ spacia in plateis, porticibus, deambulatorijsq; conficimus, cum his quos nobis honesta studiorũ commercia

Lex Romanorum.

mercia coniungunt, cum quibus aut de disciplinis disserimus,(quarum meditatio animi ingenui quasi pabulum esse cernitur)aut de Repub. commentamur, aut nonnunquam de re familiari, cùm aut amicum consulimus,aut consulenti fidele consilium damus, nonnunquam etiam cùm à rebus serijs ocium est, à confabulatione,& ioco negocium sumimus,animũque reficimus,& ad obeunda negotia promptiorem alacrioremq; reddimus.

Sit ne statuenda arx in vrbe libera ciuitatis. TIT. IX.

CONstitutis mœnibus, priusquam areæ plateæq; diuidantur, de arce considerandum est, quæ loco edito proxime muros statuenda est, vt vrbi immineat, & facilè externum militem vbi opus sit,excipere possit. In ea namque situm est totius ciuitatis præsidiũ, nec pars vlla in vrbe tuta esse potest, cùm arci timendum sit. Optimè apud Maronem AEneas formidare, ac desperare inducitur cùm Pantheo per noctem arcis ꝑfecto obuius fit,vbi ait: *Virgil. lib. 2. Æneid.*

Quo res summa loco Panthu? quam prendimus arcem?

Sed disceptatio non mediocris oritur inter eos qui de ciuili societate scripserunt. Sit ne statuenda arx in vrbe liberæ ciuitatis: qua in re videndum est, boni ne an mali plus afferat in libero populo munitissimum præsidium paucis creditum. Et si verè iudicare volumus, & veterum historiarum monumenta reuoluere,inueniemus plures rerum status euersos incuria ac perfidia eorum qui arci præfuerunt, quam seruatos. Roma tamen à Gallis capta incensaq; fuerat, sed capitolij præsidio ex parte seruata, pacẽ auro redemit. At vbi ad imperium rerum euasit,vrbana munimenta seditionum, discordiarum, & intestini belli sæpenumero causas præbuerunt. Aristoteles affirmat inutilem periculosamq; arcem esse in optima Repub. præbereq; eam tyrannidis opportunitatem quis ambigit? Nam vbi æquo iure inter ciues vi-

uitur, æqualia ædificia esse debent, non alia populi imminere atque minari, alia depressa, atque subiecta iacere. Optimè Pedianus arcem definit, *sedem esse tyranni.* Timoleon summus ille Corinthiorum Imperator, qui patriam primò à tyranno liberauit, & à Syracusis, quibus auxilio missus fuerat, inueteratam seruitutem depulit, docuit vrbem, quæ arcis præsidio teneretur, vix vnquam sine tyrannide esse posse. Nam cùm Dionysium Sicilia pepulisset, & ciuibus sua restituisset, vrbiumque mœnia bello desiecta instaurasset, & ciuitatibus suas leges libertatemq; reddidisset, arcem Syracusanam funditus euertit, & nunc (inquit) solida pacis fundamenta iecimus, cùm tyrannorum domicilium ac sedem euertimus. Arcem simultatem & ciuilem discordiam fouere, vel ex hoc vno exemplo ostendere possumus. Lacedæmonij exercitum cui Phœbidas præerat, Olynthum mittebant, iterque per Thebas amicam tunc ciuitatem vt faceret opus erat: laborabat tunc intestina seditione Thebanus populus, & pauciores qui multitudinem formidabant, Lacedæmonio duci persuaserunt, vt munitissimam arcem, quam Cadmiam à conditoris nomine appellabant, occuparet: quod quidem eo concilio faciebant, vt aduersæ factioni facilius resisterent Lacedæmoniorum auxilio adiuti. Cùm autem occupasset arcem Phœbibas, hospitalitatis iura violata esse querebantur Thebani. Lacedæmonij excusabant factum id priuati ducis consilio, non publico. Et (vt rei fidem facerent) eum ab exercitu amouerunt pecunia multatum. Arcem tamen nihilo magis reddiderunt, vt qui assererent periculosas esse inimicitias nisi simul prius paciscerentur: & dissimulato consilio Lacedæmonij summam potestatem amicis dedere, qui tali auxilio freti, principes alterius factionis partim interfecerunt, partim verò in exilium eiecerunt. Et sic libertatem amiserunt Thebani, & paucorum potentia, externa tyrannide adiuta, tandiu populum Thebanum vexauit, donec Pelopidas vir fortissimus, exulibus accitis, & parua sociorum manu adiutus, patriam hostibus cæsis in pristinam liber-

Arcis munimentum Thebanis fuit exitio.

Lacedæmonij Thebanam arcem occupant.

Pelopidas Thebis potitur.

libertatem vendicauit. Periculosa enim cum in bello, tum etiam in pace & ocio arcis munimenta sunt, & custodum ignauia seu incuria, nonnunquam ciuem, nonnunquam externum ad tyranidem inuitat.

Pyrrhus Epirotarum Rex, qui Siciliam occupauit, & partem inferiorem illam Italiæ tenuit, quæ tunc magna Græcia dicebatur, bellumque contra Romanos periculosum admodum gessit, & mox Macedoniam inuasit, aliquando Athenas venit benignoque ciuium hospitio exceptus est. Is postquam vrbem illam tunc opulentissimam & disciplinarum omnium matrem lustrauit, in arcem Palladis deductus est sacraque magna cum veneratione fecit, & arcem natura aut arte munitissimam magna cum admiratione contemplatus est. Deinde cum discederet, inque forum venisset, Principibus ciuitatis, qui eum comitabantur, gratias peringentes egit pro fide magna, quam de se habere ostenderent: deinde eos monuit, vt in posterum nulli Regum potestatem facerent amplius arcem ingrediendi, ne opportunitatem præsidij nactus quispiam inuaderet. Gratum consilium fuit Atheniensibus, vt qui liquido cognoscerent periculosum admodum esse fortibus viris arcis aditum præbere, & deinceps maiore diligentia portas asseruarũt. Hæc Molossi Regis præcepta si tenuissent Locrenses, nobile quondam Italiæ oppidũ, & Timei Platonici alumni memoria venerandum, non amisissent libertatem, nec Dionysij tyranni crudelitatem ac libidinem perpessi essent. Exegerant namque eum crudelissimo bello Syracusani. Is in Italiam profugit, & quamuis nomen eius propter sæuitiam compluribus odio esset, tamen à Locrẽsibus hospitij ac societatis iure benignè admodum exceptus est: & hi non modo vrbis & agri, verùm priuatarum ædium tyranno potestatem fecerunt: ille sæuitię iniuriæq; memor, immemor autem humani diuiniq; iuris, vrbis arcẽ, q̃ minus diligenter custodiebatur inuasit, & eandẽ immanitatẽ in Locrenses diutius exercuit, quam in Syracusanos prius exercuerat. Nam Principum ciuitatis coniuges, vbi forma præstarent,

Arx Palladis.

Pyrrhi consiliũ ad Athenienses.

Dionysij sæuitia in Locrenses.

rapi iubebat, & libidini satellitum suorum exponebat. Virgines ante nuptias adducebat, stupratasque spōsis, procis, patribúsve reddebat. Locupletes quosque aut ciuitate eijciebat, aut occidi iubebat, vt eorū bona inuaderet. Ita demum pœnas Locrenses malè custoditæ arcis dederunt, alijsq; exemplum præbuerunt, non temerè tyrannos in vrbem accipiēdos esse. Tarentini ignauiæ desidiæque quondam etiam pœnas luerunt, nam cùm spurij illi Lacedæmoniorum, ob notam materni pudoris relicta patria, ad nouas sedes quærendas in Italiam se recepissent, Tarentum accesserunt, & exploratoribus præmissis animaduerterunt Tarentinam arcem minus diligēter custodiri: quocirca eam repentino impetu occuparunt, vrbēque non modò diripuerunt, verùm ad vnum vsq; ciues omnes pepulerunt, & retentis solùm virginibus, alijs verò omnibus relictis, sedes sibi constituerunt. Sic veteres Tarentini vrbe ac laribus expoliati sunt, & in perpetuum exilium acti, dum negligentius vrbis præsidium asseruarent. Eadem tamen Tarentina arx longo tempore pòst diligentius asseruata à Romanis, vrbis recuperandæ causam præbuit. Nam cùm ad Hannibalem defecissent Tarentini, & M. Liuius Salinator arci præesset, præstò cum exercitu adfuit Fabius Maximus, vrbemque per arcem recuperauit: qua ex re ortum est illud facetè dictum, cuius non solùm Cicero, sed etiam meminit Plutarchus in apophthegmatis ad Traianum Cæsarem cùm ait, M. Liuium dicere. *Memento Fabi te mea opera recuperasse Tarentum*, cui ille. *Verum*, inquit, *au nam nisi tu amisisses, nunquam recuperassem.* Ex hoc igitur exemplo concludere possumus arcem in vrbe liberæ ciuitatis inutilē esse, in subiecta autem necessariam admodum.

Tarentini ignauia sua pœnas luerūt.

F. Maximi dictum.

Viarum ratio, & de porticibus. Tit. X.

Viarum latitudo.

ARearum intra mœnia, platearumq; ratio habenda est, ad salubrem cœli aspectum. Et viæ in primis ducendæ sunt directæ à portis ad alias è cōspectu portas, quarū latitu-

latitudinem quatuor & triginta pedum nonnulli approbant. Hæ quidem sternendæ silice, vbi currus aguntur, ne orbitæ ponderi desidāt. Exemplo Romanorum, qui vias cōplures in omnes ferè Italiæ oras statuerunt, ad currum, rhedarumq; opportunitatem, quarum partes nostra quoque ætate integræ cernuntur, vt non longè à Tarracina Minturnum vltra via est quæ Appia dicitur, ab Appio Claudio, qui cā strauit Roma Brundusium vsque. Fuit enim apud antiquos maximæ laudi vias sternere. Vnde M. AEmylius & C. Flaminius collegæ in consulatu cum Ligures vicissent, duas vias strauerunt, & à suis nominibus nuncuparunt Flamminiam à Roma Ariminum vsq; Aemyliam à Roma quoque Bononiam vsque. Vbi verò silex deest, vel magna impēsa aduehitur, vel nullus est curruū vsus, coctili laterculo optimè viæ sternuntur, & præcipuè ad equitandi vtilitatem. Fortius namq; iumenta pedem figunt, nec tam crebro dilabuntur, si quando districtæ sint hyberno gelu. Humidæq; etiam satis sunt, quanquam pluuia ex eis citò defluit, paruoq; luto polluuntur. Sunt ducendæ quoque transuersæ viæ, quæ ad alias portas dirigantur, & & in earum triuijs latiores plateæ relinquendæ sunt, in quibus veteres architecti porticus erigere consueuerunt, non modò ad deambulandi commoditatem, verùm ad studia bonarum artium. In his grammatice publica mercede docebatur: vnde *triuialis scientia* dicta est à Latinis. Apud Atheniēses verò in porticibus Philosophi disserebant, vnde nomē Stoicæ sectæ adhæsit, & Cynicæ, vt nonnulli arbitrātur. Diogenes Sinopeus cùm quidam eum carperet, quòd sine domo esset, scitè admodum respondit: *Athenienses sibi pulcherrimam condidisse, digitoq; Iouis porticum ostendit.* In triuijs etiam & compitis ad communem viciniæ vtilitatem expedit sacella ædificare, in quibus pueri & mulieres religiosæ sanctæq; rei diuinæ dent operam. Diebus enim sacris (in quibus diuina tantū curantur) omnes in templa maiora conuenire debent: diebus verò profestis quibus humana agimus, satis sit sacella adire, quæ in vicinia erunt. Vnde illud Propertij Poëtæ:

Via Flamminia.

Via Aemilia.

Flore sacella tego, verbenis compita velo,
Et crepat ad veteres herba Sabina focos.

De priuatis ædibus. TIT. XI.

SEcundum vias priuatæ ædes longo ordine ad pares (si fieri potest) dimensiones constituendæ sunt, vt speciem vrbis ornent. Nec quippiam exporrectum habeant, quod vijs impedimento esse possit. Sic enim viuendum est, vt priuata domus descripta sit ad vsum ac commoditatem familiæ, neque in ea pars vlla sit vacua & inutilis: sicque eius aspectus ad decorū accedere debet. Nam (vt ait Cicero) *dignitatem viri augeat ædium pulchritudo.* Asserit namque L. Octauium ædificasse in palatio præclaram & plenam dignitatis domū, quæ cùm vulgò viseretur, suffragata Domino nouo homini ad consulatum putabatur. Sed illud præclarius ab eo dicitur: *Viri dignitas domo ornanda est, non autem ex domo tota quærenda, nec domo dominus sed domino domus honestāda est.* Plutarchus etiam huius sententiæ adstipulator esse videtur in vita AEmylij Pauli, vbi ait: *AElius Tubero. Pauli filiam vxorem habuit, vir optimus, & in Repub. summæ authoritatis: sed ita tenui patrimonio fuit, vt sexdecim viri ex eadem Tuberonum familia simul vnis in ædibus, & modicis quidem cum coniugibus ac liberis habitarent.* In his Pauli AEmilij bis consulis ac bis triumphalis viri filia diutius fuit, nec modicæ domus eam puduit, quippe quæ non paupertatem exhorruit, sed viri virtutem admirata est, qui perquam quidem pauper erat. Ego tamen ciuilis viri officium esse puto, vbi familiaris opulentia superat, pulchras habere ædes. Auaritiamque eorum vituperandam censeo, qui cum in summis diuitijs essent, nihil vnquam ædificauerunt, vt pecuniæ parcerent, posterisque arcas complerent: quòd si tali quid maiores nostri sibi persuasissent, adhuc pastorum tuguria & rusticas casas in vrbibus haberemus. Pomponium Atticum laudat Cornelius nepos, quòd nihil in vita eius vnquam ædificauerit, sic & Plutarchus mino-

Ædium pulchritudo auget viri dignitatem.

Pomponius Atticus.

minorem Aphricanum, quòd si præclaras ædes sta- *Scipio Aphricanus.*
tuissent, non putamus illustrissimas illorum laudes
obscuriores esse factas, aut citius consenuisse, quòd
dignissimam in domum ædificassent. Non tamen
laudo, qui rem omnem exhauriunt, & magnificen-
tiam illustrium virorum imitantur. Odiosum nam-
que fuit epigramma illud in Neronem,

Roma domus fiet, Veios migrate Quirites
Si non & Veios continet ista domus,

Cæterum Nero vsus est(vt Cornelius Tacitus li-
bro decimoquinto historiarum ab excessu diui Au-
gusti refert) patriæ ruinis, extruxitque domum in
qua haud perinde aurum & gemmæ miraculo fue-
runt solita pridem & luxu vulgata, quam arua, & sta-
gna: & in modum solitudinum hinc siluæ, inde aper-
ta spacia & prospectus, magistris, & machinatori-
bus Seuero & Celere, quibus ingenium & audacia
erat etiam quæ natura denegauisset, per artem ten-
tare, & viribus Principis illudere. In priuatis tamen
ædificijs sancta illa mediocritas seruanda est, quæ res
omnes mirificè commendat, vt Peripatetici asserunt.

De communibus ac publicis ædificijs.

TIT. XII.

PVblicis in operibus magnificentia lon-
gè magis efferenda est: Atqui haud scio
in publica pecunia laudabilius pacis tē-
pore impēdi possit, quàm in communi-
bus ędificijs. Templa enim, fora, theatra,
amphitheatra, thermę, emporia, porticus, & eiusmo-
di ædificia vrbes illustriores & longè magis conspi-
cuas reddunt: inutiles namque impensæ illæ ha-
bentur, quæ ad parui temporis spectaculū exhiben-
tur, citoque è memoria labuntur. Illa autem quæ so-
lido marmore, atque optimè structa fabrica consti- *Diuturna quæ ædificia.*
tuuntur, diuturna sunt, & vel cum vrbibus ipsis
corruunt, vel longè diutius permanent. Ephesum
vix temporibus nostris sui ipsius vestigium in sese
habere scimus. At Dianæ Ephesiæ templum perpe-
tuis monumentis literarum extabit. Id quidem
Amazo-

Dianæ Ephesiæ templum. Herostratus nomen suum scelere perpetuum fecit.

Amazonum fabrica fuit, adeò augusta ac sancta, vt cũ Xerxes Asiatica omnia templa igni ferroq; vastaret, huic vni pepercit, quod quidẽ quãti fuerit extruere, clarè docuit Herostratus vir deterrimus, qui vt nominis sui gloriam postquam virtute non poterat, saltẽ scelere propagaret, incendium tẽplo manu sua struxit, eadem die (vt Cornelius nepos scripsit) qua Alexander Magnus Pellæ natus est, trecentesimo octogesimoquinto anno post Romam conditam. Id tamen templum, ne tali gloria carerent, Ephesij paulò pòst instaurarunt, Dimocratesq; architectus Macedo operi præfuit, & longè præstantius reddidit. Diuturnæ etiam memoriæ fuit templum eiusdem numinis apud Magnesios, Apollinis architecti, & Hermogenis Alabandẽsis fabrica. In his omnib. ædificijs arearum electio fieri debet, ad opportunitatem vsumq; communem ciuitatis.

De foro. Tit. XIII.

Forum vnde?

MAgna quidem diligentia videndum est, vt forum optimè constituatur: vt enim eius nomen (quod Varro testatur) à ferendo dictum est, quòd illuc res afferantur: sic cogitandum erit, vt iumenta & homines vndiq; illuc cõfluere possint. Et si vrbis mœnia secundum mare fuerint, area fori proximè portũ eligenda est. Sin vrbs mediterranea erit, in medio cõstituatur forum. Eius dimensio ad vrbis magnitudinem, populiq; frequentiam metienda est. Ne paruũ sit spacium ad ciuium vsum, néve populi inopia præ magnitudine vastum esse videatur. Et sicut angusta mœnia non magnum desiderant forum, ne paruum oppidum in ventrem creuisse videatur: sic rursus indecorum esset, si maxima vrbs angustum haberet forum, graciliorisq; arui esse appareret. Cernimus tamen in quibusdã amplissimis vrbibus plura esse fora, & à generibus rerum dici, vt forum olitorium, piscatorium, boarium. Fora diuersis dimensionibus inueniuntur. Græci in quadratam formam amplissimis dupli-

duplicibusq; porticibus constituerunt. Itali autem oblonga specie delectati sunt, vt qui gladiatoria quōdam munera, & alia eiusmodi spectacula in foro dare consueuerunt. Longitudo tamē ita disposita erat, vt in tres partes diuisa, duæ facerent latitudinē. Alij in orbem constituerunt forum, & in medio deuexū spacium reliquerunt, instar spectaculi, quale est in patria nostra, quod in tota Italia conspicuum habetur.

De theatris. TIT. XIV.

Veteres in theatris statuēdis magnam curam adhibuerūt, vt qui nihil gratius multitudini præstare possent, quàm fabulas dare, & spectacula ac ludos exhibere. Quæ quidem res tanti fuit, vt præmijs allecti à Principibus ac Regibus architecti, magna doctrina libros scripserint de theatrorum dimēsione, de scena & orchestra: fuit enim in primis necessariū, vt locum musica ratione & geometrica dimensione eligeret architectus, in quo vox quàm clarissimè vagari posset, vt ex scena ad spectatorum aures clarissimè suauissimoq; sono perueniret. Sunt loci quidē nonnulli vel ingenio surdi, in quibus vix verborum discrimina audiri possunt: vel natura dissonantes, qui vocem in altitudinem elatam ita repellunt, vt in imum eam deprimere videantur: alij vndique imaginem reddunt, & circumsonantes vocem circumagunt, adeò vt dissoluatur, extinguaturq; sine certa verborum significatione. Alij resonant & ex imagine vltimos casus duplices auditoribus reddunt. Alij consonantiam accipiunt, & quasi multiplicem vocem ex vna faciunt. Quocirca in electione loci ad theatrum statuendum magna cura fuit adhibenda, emendandusque locus doctrina ac diligentia architecti, in singulis etiā partibus elaborandum fuit. Nam proscenij pulpitum accutissimam rationem exigebat, sic etiam orchestra, in qua sedibus loca Senatorum designabātur. Scenæ ad fabularum argumentum, ac rationem constituebantur. Earum genera tria erant: vnum quod tragicū appella-

Iust. Lipsius li. de Amphitheatro.

Orchestra præstantior locus in theatro.

Scenarū tria genera.

appellabant; id ornabatur columnis ac fastigiis, & signis, reliquisque regalibus ornamentis. Secundum Comicum dicebatur, in quo similitudo quędam dicebatur ad imitationem priuatorum ædificiorum. Tertium Satyricum, quod ornabatur arboribus, speluncis, montibus, reliquisque rebus agrestibus. Horum quodq; suam dimensionem habebat ad carminis harmoniam, & actoris mimorumque rationem. Hoc tamen commune erat omnibus spectaculis eorumque partibus, vt parietes non pinnis, sed exporrectioribus coronis præcingerentur. Vox enim in vnam partem demersa, aliquantulũ morabatur priusquam in aëra dissiparetur, quasi retenta à muri corona, & sic suauius clariusque ad aures spectatorum perueniebat, longeq; melius intelligebatur. Sed hæc theatrorum ratio temporibus nostris minus necessaria est. Fabulæ enim omnes reiectæ, explosæque sunt, & seueritate moris, religionisque sanctitate vrbibus eiectæ, quocirca superuacaneum omnino esset, de statuendis theatris plura dicere, cum vetera spectacula diruantur, & noua neutiquam ædificentur.

De bibliotheca. Tit. XV.

Bibliotheca laus per comparationem.

Bibliotheca salubri, ac quieto loco constituenda est. Nec permittendum erit, vt ciues nostri tanto munere fraudentur. Nam si palestra quæ corpus adiuuat, tanta impensa in plerisque vrbibus statuitur, quanto magis bibliotheca ornanda erit? quæ pabulum mentis bene institutæ est, & exercitatio animi ingenui. Et si certaminum victores magnos honores meruerunt, vt in conuentu stantes, palma & corona decorarentur, & redeuntes in propropiam patriam quasi victoria triumphantes, quadrigis inueherentur, & veste publica, perpetuoque victu alerentur: quanto magis efferendi sunt viri doctissimi, qui disciplina & moribus Rempub. adiuuãt, & scriptis suis ea omnia memoriæ commendant, quæ posteris seculis profutura sint? Bibliothecę locus eligatur qui ad orientem spectet,

ſpectet, acies namq; oculorum matutinũ lumẽ poſtulat. Nam ſi ad meridiem vel occidẽtem ſpectaret, venti qui locum perflant, humido pallore librorum volumina corrumperent, tineasq; procrearent, quibus libri exeduntur, corrumpunturq;. Poliantur parietes opere tectorio, adornenturq; viridi colore: viridia enim omnia oculis proſunt, aciemq; aciem reddunt. Laudantur ſummoperè Attalici Reges, qui ſtudio diſciplinarum inducti, nobilem bibliothecam Pergami ad communem ciuium peregrinorumque vtilitatem, ac delectationem inſtituerũt. Hanc Pergamenam bibliothecam Plutarchus in M. Antonij vita ſcribit largitum fuiſſe Antonium Cleopatræ; in qua ducenta librorũ milia fuerant, teſtemq; Caluiſiũ Octauij amicũ inducit. Sic & Ptolemæus Aegypti Rex eodem ſtudio ac cupiditate pellectus, longe maiore impenſa ac diligentia Alexandriæ bibliothecam cõſummauit, in qua quadraginta milia librorũ voluminа fuiſſe memorantur: hi omnes libri fortuito incendio perierunt in prælio Cæſaris cõtra Achilam regiæ militiæ præfectum. Nam cùm regia claſſis fortè ſubducta iuberetur incendi, ea flamma vrbis partem inuaſit, & ædes in quibus libri reconditi erant, omni ex parte exuſſit: quo quidem incendio miſerandam iacturam diſciplinæ omnium bonarum artiũ fecerũt. Certatim ſiquidem ſcriptores omnium gentium, omniumque terrarum illuc volumina ſua deferebant, quaſi in theatrum palæſtramq; ſapientię ac doctrinę. Eo namque loci Muſis & Apollini ludi celebrabantur, in quibus magnis muneribus propoſitis, Poëtæ, Oratores, ac Philoſophi ſeorſum inter ſe certabãt, & victores p̃mia & honores ſecundo penè totius orbis terrarũ rumore accipiebãt, eorũq; volumina ac ſcripta bibliothecæ inſerebãtur. Quod quidẽ ſtudiũ ita animum iuuenum incẽdebat, vt nemo ſatis ſibi eruditus videretur, niſi in his certaminibus laudem meruiſſet, habuerunt & Romani plures bibliothecas, cũ publicas, tum priuatas: ſed diuturnitate temporis, & bellorum tempeſtate omnes perierunt: quarũ ſi qua veſtigia extarent, magnis nos laboribus liberarent, &

Viridis color oculorum iuuat aciem.

Pergamena bibliotheca.

& obscuriores literarum tenebras lumine vetustatis illustrarent.

De ædibus sacris. Tit. XIV.

Diligētia magna in arearum diuisione videndum erit, vt ędes sacræ oportunis locis ædificentur: qua quidem in re in primis cogitādum est, sacrarum ædium alias commoditati ciuium accommodatas esse, alias eorum duntaxat, qui sacris initiati religioniq; addicti, contemplationi diuinorū inseruiunt, contemptis omnibus rebus humanis. Eiusmodi ædes solitudinem exigunt, & locum quietum ab omni multitudinis conuitio, ciuiliq; tumultu. Ideo semouendæ sunt ab hominum cœtu, & ab aspectu priuatarum ædium, & vel in pomœrio ædificandæ, vel extra mœnia. Illæ autem quæ ad communem vsum constituuntur, aream habere debent vel non longè à foro, vel in magna vicinorum frequentia: quò facilè illuc ciues quotidie peruenire possint, & fœminæ pueriq; honesto aditu accedere. AEdem quam Basilicam appellant, cui ciuitatis Pontifex præest, loco edito in medio vrbis omnes architecti ædificandam censent, vt ex ea maxima mœnium pars conspiciatur. In eius namque tutela ciuitas omnis esse videtur, & illuc omnes diebus sacris confluunt quasi ad spectaculum diuinarum maximarumq; reru[m]. His editis excelsisq; locis antiqua superstitione veteres, Iouis, Iunonis, & Mineruæ ædes statuebant ingenti atque admirabili & pene innumerabili impensa. Triplex ratio sacrarum ædium fuit apud veteres. Prima Doricorum exemplo, secunda Corinthiorum, tertia Ionicorum. AEdes Doricæ sine delitijs erant, & seueritatem magnam habebāt, cum magnificentia, & pompa: hoc exemplo penè omnes nationes Mineruæ, Marti, & Herculi ædes faciebant, arbitrantes virtutum numina sola seueritate & grauitate venerari. Corinthiæ autem cōtra affluebant delitijs, folijs floribusque ornabantur, & graciliore quadam seueritate decorabantur. Hac specie Veneri, Floræ, Proserpinę & fonti decorem augebāt,

Ædium sacrarum triplex ratio.

&

& qui arbitrarentur hæc numina his delitijs propitiari. Ionicę verò ędes ratione quadam mediocritatis constituebantur, à seuero enim more Doricorum, & temeritate Corinthiorum temperabatur, qua facilè Iunoni, Dianæ, & Libero patri ædes statuebant, præseferentes mediocritatē his dijs gratissimam esse. Hæc antiquarum rationum memoria nostro quoque tempore in ædificandis varijs ædibus sacris non erit omnino inutilis. Sed & alia quædam generalia præcepta traduntur, non contemnenda, vt sic distribuatur ædis longitudo, vt latitudo sit eius dimidia pars, sitque ædes quadrifariam partita. Sinistra ad oriētem spectet, dextera ad occasum: antiqua ad meridiem, postica ad Septentrionem. Aræ, quoad fieri potest, ad Orientem spectent, vt supplicantes sacrificantesque exorientia simulachra videantur spectare: sed si loci natura id minus pateretur, videndum erit vt aræ maiorem partem templi conspiciant. Si secundum flumina ædes sint, ripas spectare debent aræ. Si verò secundum publicas vias, ita sunt in conspectu constituendæ, vt eas prætereuntes intueri possint, & simulachra venerari ac salutare. Si singula quæque publica priuataque opera, quæ intra mœnia fiunt, describere aut metiri vellem, nimis fortasse viderer; modumque volumen egrederetur, idcirco finem huic libro præscribere destinaui. Nam si architectos adhibebunt (vt superius dixi) qui fabricæ præsint, omnia emendatè ædificabunt, nec indigebunt scriptis præceptis, cum ædificandi ratio viuum potius præceptorem exigat, quàm mortuum ratiocinatorem. Est & præterea verum quod vulgo dici solet, *longè melius in propria area indoctum Dominum, quàm doctissimum architectum in aliena ædificare.* Diligētia enim & diuturna cogitatio domini solertiam doctrinamq; artificis superat.

Aedis sacræ latitudo longitudinis dimidium esse debet.

Octo superioribus libris studia pacis (quo ad potui) complexus sum. In sequenti autem de his rebus quæ ad difficillima bellorum tempora spectant tractabo: Vt enim malus gubernator habetur, qui nauim tranquillo tempore optimè gubernaret, reflan-

Parasceue ad sequentem librum.

tibus verò ventis negligeret: & vt minus diligens medicus haberetur, qui præcepta secundæ valetudinis traderet, aduersæ autem relinqueret: sic & siquis instituta pacis præscriberet, & ea quæ ad bellum spectant omitteret. Igitur ne pars hæc necessaria admodum & perdifficilis inchoato operi desit, eam breuiter transcurrere festinabo.

PROOEMIVM LIBRI NONI

DE INSTITVTIONE REIPVB.

ad Sixtum Quartum Pontificem maximum.

Hominis natura vult, fortuna potest longioribus uti.

OMnibus ex virtutibus tuis, quæ quidem plurima sunt, ac penè diuina, Sixte pater clementissime, nulla gratior nullàque admirabilior mortalibus videtur esse liberalitate ac beneficentia, qua reliquos omnes homines adeò antecellis, vt tibi soli similis esse videaris. Tribuis namque quotidie ita multa his quos charos habes, quosq; bene de te deq; hominum genere meritos cernis, vt beatiores interdum iudicentur illi, qui tua fruuntur liberalitate, quam tu ipse, qui tam multa tamque magna elargiri potes. Et profectò nihil hominis natura melius habere potest, quàm vt velit, nec fortuna ipsa maius, quàm vt possit plurimis cōmodare. Sed cùm singulorum opes tenues plerisque sint, vt si maximè etiam cupiant, nequeant bene merentibus liberales esse, aut parem gratiam habere, soli Reges ac Principes largi, benefici ac magnanimi esse possunt, quibus virtutibus cùm præstant, iure optimo qui imperant digni sunt. Cùm verò carent reliquis hominibus pares fiunt, cùm non intelligant, quibus bonis cæteris mortalibus præferendi sunt.

Chilo.

Chilo Lacedæmonius (qui vnus è septem Græciæ sapientibus fuit) virtutibus penè omnibus affluebat, nulla tamē magis gloriabatur, quàm benignitate ac liberalitate.

Proinde cum iam senio affectus esset, sæpenumero gloriabundus dicere solebat, nihil se in omni vita ingratè vnquam egisse. Magnam liberalitatis laudem apud antiquissimos assecutus est Etheocles, natusq; putabatur ad benignitatem ac largitatem: is hūc affectum non modo pro virtute, sed pro diuino quodam numine habuit. Nam primus omnium Gratias deas esse dixit, eisq; templum miro decore erexit, sacrificiumq; magnis largitionibus instituit. Fuit enim Etheocles Orchomeniorum Rex opulentissimus, nam Orchomenon quondam vrbs Beotiæ tanta potentia extitit, vt à Thebanis tributa acciperet, & Homerus pares diuitias Orchomeniorum, & Thebanorum facit. Hac de libertate hoc loco dixi, quia in sequenti volumine de bello scripturus sum. Nullaq; virtus duces, Imperatoresq; exercituum magis commendat, quàm liberalitas, qua quidem milites suos firmos in officio perpetuo seruant, & inimicos benignitatis spe semper sibi alliciunt. Tu tamen Pontifex maximè, his præceptis non eges, studia namque tua pacis sunt nihilque magis efficis, quam vt vniuersa Italia in pace degat; si qui tamen nouarum rerum cupidi, aliquod conflarent incendium, eos comprimis, studiosis pacis faues, oppressis ades, res difficillimas componis, illis autem qui contumaces sunt, quiq; minus dicto auscultant, minaris arma, atque inimicitias, exercitumq; quem expeditissimum habes, in eos paras, qua formidine coerciti omnes Itali pace atq; ocio fruuntur. Hoc consilio quōdam vsi sunt Colophonij vt pacatam tenerent Ioniā, & vniuersam Græciam. Præstant enim equestribus copijs, & vbi inter aliquos bellum oriebatur, Oratores de pace agenda mittebant: quam si minus assequebantur, equitatus auxilio bellū dirimebant. Vnde inter Græcos ortum est prouerbium, Colophonem addidit, cum significare volebant extremam manum operi impositam esse, quod quidem etiam Latini veteres vsurparunt, & Colophonem pro finito aliquando posuerunt, vt Festus etiam Pompeius de verborum significatione meminit.

Etheocles gratijs primus sacrificauit.

Orchomenon.

Colophonem addere.

DE BELLI RATIONE & consilio, periculosum in Rep. esse, se belli authorem polliceri. Sitne decernendum bellum propagandi imperij gratia. Moderandam esse cupiditatem vincendi: fallacem esse belli fortunam.

TITVLVS I.

Cicero in offic. Bellum pacis tantùm gratia suscipiendum est ab his qui Reipub. præsunt. Idcirco feciali Populi Romani (vt ait Cicero officiorum libro primo) nullum bellum iustum dicebatur, nisi quod pro rebus iniustè ablatis repetundis gerebatur, aut quod ante pater patratus denunciabat, indicebatque. Cuius rei formam priscis verbis & eleganti admodum oratione describit Aulus Gellius: quam quidem consultò in præsentia præterire decreui, cùm quòd eius libri in manibus sunt, & facilè quisque lectitare poterit, tum quòd iam diu exoleuit, & à cõsuetudine nostri temporis aliena est. Propulsandi belli ratio latè patet. Natura enim hoc beluis ac feris præscribit, quod ratio doctis hominibus persuadet, necessitas autem indoctos compellit, vt se suaque tueantur, & omnem vim quacumque ope consilióve possint, à corpore, à vita, à fortunis propulsent. Videndum tamen est ne desidia ignauiáve nostra vagos homines ad iniuriam inuitet. Fit enim sæpenumero, vt opportunitas, & manifestæ prædæ spes animos auidiores reddat, & manus ad rapinam promptiores efficiat: quocirca *Cap. 4. l. 16.*

copiæ

copiæ etiam in pace habendæ ſunt,non quibus bellum inferre poſſumus (nam res nimij impendij, nimijq; laboris eſſet) ſed quibus fines noſtros ab incurſionibus ac latrocinijs tueri valeamus: vel vbi maior vis impulerit, tali auxilio noſtris hominibus occaſio detur,vt pecora deducant, ſuaque omnia ex agris in oppida cōferant, & qui lignatum, pabulatum,aquatumve progreſſi eſſent, intra munimenta ſe recipiant. Eſt enim res non parua primos belli impetus ſuſtinere, & quaſi acuti gladij aciem ludificare. Improuiſus namque ille terror mentem hominibus conſiliumque eripit, & membra omni ex parte debilitat. Maiora ſibi quiſque fingit, quæ ignorat. Et primus pugnæ congreſſus difficilis ſemper habitus eſt; vera namque eſt illa Scipionis ſententia, *plus animi eſſe inferenti periculum, quàm propulſanti*. At poſtquam ad arma conclamatum eſt, domumque reditio ex agris facta, conuenit ordo militaris: vigiliæ ſtationesque diſponuntur: quiſque animum colligit, hoſtem cernit,nec tumultuario prælio aut agminibus decernit, ſed ordine, atque acie diſpoſita pugnandum cenſet. Tunc ea quæ pauor maiora fingebat, ratio longè minora eſſe docet, & ſibi quiſque præſcribit quid facto opus eſt. Nec improuiſi pereunt, verùm in dies magis magiſque confirmantur. Hoc igitur pacto victoria plerumque potiuntur, qui iniuria affecti ſunt, hoſteſque vlciſcuntur & patriā ab omni ſeruitutis iugo vendicant. Inferendi verò belli ratio lōgè magis augusta eſt, & conſilio maiore indiget. Nec ſatis eſt conſiderare nos pro rebus iuſte repetundis certare, iuſtumq; bellum indici poſſe: ſed videndum eſt quantæ vires noſtræ ſint, quantæq; aduerſariorum, quales milites, qui ſocij, qui vectigales, quo etiam ſtudio in nos animati, quanti ſint pecunia. Nam tributa priuatis imperare odioſum eſt, & quamprimum inuidiam ciuium facit. Eſt quoque cogitandum quibus munimentis vrbs valida ſit, quibuſque commeatibus firmata, quo præſidio oppida caſtellaque ditionis noſtræ teneantur, quibuſq; machinis armamentarium abundet. Hæc & ſimilia multa volutāda ſunt, quæ tū

Scipionis ſententia.

vel maximè dignoſcuntur, cùm portis clauſis hoſtis à mœnibus, fundis, ſagittis tormentisq; lapidum arcetur ac propellitur.

Conſilium, virtus, & ſcientia rei militaris in bello adiuuant, ſed fortuna plurimum præſtat: quocirca vera eſſe cernitur ſententia illa Hannibalis ad Scipionem, cum ait: *Nunquam minus euentus rerum respondere, quàm in bello*: ideoque meliorem tutioremque eſſe certam pacem, quàm ſperatã victoriam. Quid quod multitudini credendũ eſt, cuius fides ſemper ex fortuna pendet: & hominibus plerumque miſtis ex varia gentium colluuione, quos nulla patriæ pietas, nullus Dei metus, nulla religio retinet, ſed ſola ſtipendij merces allicit? Omnis inferendi belli conſultatio (tametſi plurima ſuppetant quæ vſui ſunt) in libera ciuitate periculoſa eſt. Cùm enim res ad Senatum refertur, non omnes in vnam ſententiam veniunt, ſed alij veritatem ſequuntur, quæ (vt Plato in legibus ſcribit) *res præclara eſt, verùm non facilè perſuaderi poteſt*. Alij autem auram popularem captant, & vulgi rumorem hauriunt, in eamq; partem ruunt, in quam populus aſpirat, hi plerumque falluntur. Nihil enim rerum mortalium tam inſtabile ac fluxum eſt, quàm voluntas ſenſusque ciuium, qui non modo improbati (vt ait Cicero) iraſcuntur, ſed etiam in rite factis ſepe faſtidiunt, & vbi ea quæ fore arbitrati ſunt, minus ſuccedunt, auctoribus ſententiæ quam paulò antè probauerant, ſuccenſent, ſeſeque ab illis illuſos clamitant, quaſi illi fortunam populi in conſilio habere potuerint: vel alius in alium culpam refert, vt in aduerſis rebus fieri ſolet. Hinc conſpirationes, ſimultates, inuidięque oriuntur, quę nihil aliud quàm vltionis tempus expectant. Ideo prudens vir plurimum cogitabit, antequam inferendi belli manifeſtam ſententiam dicat, ne tale onus ceruicibus ſuis imponat, ſub quod decidat. Nam vbi occaſio vindictæ appetit, vt quiſque acerbiſſimè crudeliſſimeq; in authorem belli oblatrat, ita quam maximè collaudatur. Atqui ipſe durioris ſententiæ author neutiquam ſi aliter acciderit ſibi indulgeri putat. Idcirco

Hannibalis ſententia.

Difficilè de bello inferendo cõſultari.

circo timore percitus, vel nouis rebus ſtudet, vel in malo conſilio perſeuerat. Labienus vir fortunatus, ac diues, qui Cingulũ oppidum in agro Piceno ſua pecunia exædificauit, Pompeianas partes nimia auiditate ſecutus eſt: proinde veniam gratiamq; nequaquam à victore etiam clementiſſimo ſperare poterat. Nam cum de pace inter Cæſaris & Pompeij milites ageretur exclamauit: *Deſinite de compoſitione loqui. Nam vobis niſi Cæſaris capite delato pax nulla eſſe poterit.* Iuba quoque Numidarum Rex, & Petreius reparati rurſus in Cæſarem belli authores, poſtremò victi, & extruſi ab omnibus ciuitatibus, deſperata omni ſalute, vt per virtutem ſaltem cecidiſſe viderentur, ferro inter ſe pugnarunt: verum imbecillior Petreius à Rege traiectus perijt. Iuba cum conaretur gladio ſibi ipſi vim afferre, nec poſſet, ſeruum ſuum exorauit, vt ſe interficeret. Liceret id de Catone dicere, qui ſeipſum ferro transfegit, & cùm non ſtatim mors ſequeretur, obluctatione ex ſuſpicione à familiaribus cognita, paſſus vulnus à medico obligari, perinde per ſpeciem ſomni hominibus remotis, exulcerata rurſus recenti plaga crudeliſſime ſuis manibus præſtanti ac forti animo ſe interemit. Sed anteactæ vitæ ſeueritas, morumq; grauitas facilè oſtendunt eum nõ veniæ (quàm facilè impetraſſet) deſperatione id egiſſe, ſed ne patriæ libertatem vnius ciuis dominatu oppreſſam cerneret. Hanc igitur partẽ ex Laberij ſententia concludendam cenſeo, q ait: *Ita cũ inimico agẽdum eſſe, vt cogitemus eũ aliquando nobis amicum fieri poſſe.* Inter cõplures Scipionis virtutes Titus Liu. lib. 24. ſecundi belli Punici hanc vel præcipuè laudat, aſſerẽs tantã in eo comitatẽ, ingenijq; dexteritatẽ fuiſſe, vt nõ modo Siphacẽ barbarũ, inſuetũq; Rom. morib. ſed Haſdrubalẽ hoſtẽ ipſum infeſtiſſimũ facũde alloquẽdo ſibi cõciliaret. Hęc ſi in aduerſis ſæpe accidũt, in qbus ciuiũ mẽtes labiles fluxæq; ſunt, qd in proſperis, cũ omnia ſecunda lætaq; ſuccedunt, & in dies meliora ſperamus? Ecce inuidia obrepit, & vbi fortuna fauet liuor peſſundat. Nam q gloria nequaquam Principibus pares eſſe poſſunt, calumnia & odio in-

Labienus.

Cæſar de bello Gal. lib. 1.

Laberij ſententia.

Scipio.

ſultant. Teſtis ſit Coriolanus, qui ob rem bene geſſ miſeri indignique exilij pœnas tulit. Teſtis quoque apud Athenienſes Themiſtocles eodem fere tempore, vt refert Cicero de claris Oratorib. qui Brutus inſcribitur, non longè à principio, libro quarto his verbis: *Bellum Volſcorum illud grauiſſimum, cui Coriolanus exul interfuit, eodem tempore quo Perſarū bellū fuit, ſimilisq;* Coriolanus. *fortuna clarorum virorum. Siquidem vterque cùm ciuis egregius fuiſſet, populi ingrati pulſus iniuria, ſe ad hoſtes cõtulit, conatumq; iracundiæ ſuæ morte ſedauit.* Quid de Scipione dicam, cui virtus gloriam, gloria autem tot æmulos peperit, vt ſeruatæ reſtitutęque patriæ, & propagati etiam populi Romani pœnas luerit. Audivictum ab eo Hannibalem, quàm de ciuium ſuorum inuidia conqueratur, cùm frendens gemensque, ac vix lachrymis temperans, Carthaginenſium legatis (qui eum edicto in Aphricam reuocabant) reſponſum afferret, vicit Hannibalem non Romanus populus toties cæſus fugatusque, ſed Senatus Carthaginenſis obtrectatione atque inuidia: neque hac deformitate reditus mei tam Proconſul Scipio exultabit, atque efferet ſe, quàm Hanno, qui domum noſtram quando alia re non potuit, ruina Carthaginis oppreſſit. Vicit Iulius Cæſar Gallias, vltus vrbis antiquum incendium, & complures recentes iniurias, animum tamen æmulorum ſuorum ſubigere nequiuit. Nunquā enim impetrare potuit, vt ex literis quibus triumphum ſibi decerni expectabat, ad Senatum referretur & dum Lentulus conſul ſe non defuturum Reipub. polliceretur, dummodo audacter ac fortiter ſententias in Cæſarem dicere velint.

Dum Pōpeius ipſe inimicitias eius ſuſcipit, quod dignitate neminem ſecum exæquari velit, Cæſar vniuerſum terrarum orbem miſcet, imperioq; patriæ & omnium gentium potitur, non ſine magna ac miſerabili inimicorum ac ciuium ſtrage. Sed ne multus in exemplis recenſendis ſim, hoc ſtatuendum arbitror, nihil periculoſius eſſe in libera ciuitate, quàm ſe authorem belli polliceri: quod quidem etiā mihi facere videtur, qui apertè in Senatu ſententiam di-

eunt, bellum esse suscipiendum. Solon sapientissimus quidem habitus est: is tamen ne libere quidem sentẽtiam diceret, bellum aduersus Megarenses pro repetenda Salamine decernendum esse, subitam insaniam simulauit, deformique habitu vecordium more, Athenienses in certamen allexit: verùm succedente fortuna, cùm Salamine potiti essent, omnes consilium laudauerunt. Solon autem simulatæ dementiæ clypeo se protexerat, vt si res minus ex sententia succederet, dictorum factorumq; veniam consequeretur. Solet etiam plerumque in disceptationem cadere, sitne decernendum bellum propagandi imperij gratia, vbi aliqua vincendi occasio ostendatur. Hoc qui affirmant esse agendum, sententiam illã tragicam Euripidis vsurpant: *Si ius violandum est, regni gratia violandum est: cæteris in rebus pietatem colas.* Laudantq; summopere leges Lacedæmoniorum, quòd ad imperandum statutæ esse videantur, dicuntq; plurimas ciuitates bello non modo incolumes euasisse, verùm illustratas, auctasq; esse. At vbi quieuerunt in pace & ocio, rubiginem, sicut ferrum contraxisse, & paruo tempore obscuras esse factas, atque ignauia perijsse. Parthos etiam efferunt laude, quòd cum per desidiam Macedonum serui essent, virtute & armis eorum domini euaserint. Qui verò quietem & pacẽ laudant, & quemque contentum esse debere suis finibus præcipiunt, multas nobiles atque opulentissimas vrbes bello euersas referunt, plerasque autem pace & ocio seruatas. Pacis studia magis admirantur, in quibus bonarum artium disciplinæ, & veræ virtutes quasi theatrum laudis inueniũt, quàm belli, cùm furor dominatur, & de strage ac sanguine triumphus ducitur. Hæc & similia argumenta in vtramq; partem afferunt iuuenes apud Sophistas cùm declamationibus exercentur. Magna est gloria rei militaris, & haud scio an omnium maxima, & negare nemo potest, summa quæue imperia bello & armis quæsita esse, iacerentque in tenebris nomina nobilium fere omnium ciuitatum, nisi rerum gestarum splendore illustrarentur. Nec tãtam laudem consecuta est vrbs

Periculosum in Rep. se belli authorem polliceri.

Cic. lib. 1. offictorum: Decernendum ne sit augendi imperij gratia.

Athenarum, quæ mater omnium disciplinarum vocari meruit, quantam Roma ipsa, quæ sedes imperij totius orbis terrarum fuisse cernitur, quamuis neutra expers alterius laudis esse voluerit. Nam Roma omnium bonarum artium studiis claruit, & Athenæ belli gloria non caruerunt, vtraque enim ciuitas armatam, inermemque Mineruam coluit. Nos tamen pacis artes magis sequimur: eiusdem eruditi vel maximè ciuem nostrum cupimus, quando securius tutiusque ad animi trãquillitatem ducunt, & eam scribimus Rempublicam quæ viam fœlicitatis affectat. Igitur contenti finibus nostris bellum non nisi necessarium agimus: vel si eos vspiam egredimur, finẽ quamprimum imperandi cupiditati præscribimus, quod quidem comprobasse videtur etiam armatus Hannibal cùm ad Scipionem ait: *Optimum enim fuerat eam patribus nostris mentem datam à dijs esse, vt vos Italiæ, nos Aphricæ imperio contenti essemus.* Sed præterita magis reprehendi possunt quàm corrigi. Ductus belli pœnitentia videtur Hannibal post victoriam tot annorum, profligato cæsoque toties exercitu Romano, interemptisq; consulibus, & victa penè vniuersa Italia, quibus rebus id consecutus est, vt omniũ iudicio præferretur ducibus Imperatoribusq; omnibus externarum gentium. Quid alij efficere debẽt, ad quos vel nulla vel exigua admodum militaris gloria peruenit? Sed inanis laudis studium & cæca regnandi cupiditas homines plerumque rapit, vt nullis finibus contenti sint, nulloque pacis munere oblectentur. Scytharum legatos sic locutos ad Alexandrum Regem refert Curtius: *Si dij habitum corporis tui, auiditati animi parem esse voluissent, orbis te non caperet, altera manu Orientem, altera Occidentem contingeres: & hoc assecutus, scire velles vbi tanti numinis fulgor conderetur, sic quoque concupiscis quod non capitur, ab Europa petis Asiam, ex Asia transis in Europam. Deinde si humanum genus omne superaueris, cũ siluis, & niuibus, & fluminibus, ferisq; ac bestijs gesturus es bellum, quid? tu ignoras arbores magnas diu crescere, vna tamen hora extirpari? Stultus est qui fructus earum spectat, altitudinem non metitur, vide ne dum ad*

Moderandam esse imperandi cupiditatẽ.

ad cacumen peruenire contendis, cum ipsis ramis quos comprehenderis decidas. Leo *quoque aliquando minima- rum auium pabulum fuit : ferrum rubigo consumit : nihil tam firmum est, cui periculum non sit etiam ab inualido.* Præclara mihi videtur hæc sententia Scythica, quæ moderandas esse cupiditates admonet, & conditionem humanam edocet. Cyneas quoque Thessalus vir admirabili memoria, & eloquio tali, vt Demosthenis auditor fuisse liquido dignoscatur, cùm Pyrrhum Regem nimis incitatum in bellum Italicum cerneret, iocundè eum rogauit : *Victis Romanis quid agemus?* *Vincemus* (inquit Pyrrhus) *Siciliam. Et rursus ea victa quid?* A *Libya & Carthagine* (Pyrrhus ait) *quis abstineat?* *Deinceps* (ait Cyneas) *his victis eritne finis militiæ nostræ:* *Hic* (Rex ait) *nequaquam, sed Macedoniam, Græciã, & reliquas mundi partes cum hac potentia facilè superabimus.* Tum Cyneas: *Sed subactis omnibus quid acturi sumus? Pyrrhus ridens, ocium agemus, ait, & suauissimis sermonibus, atque lætitia fruemur. Adest nobis Pyrrhe, aceruus ingens* (ait Cyneas) *eorum omnium ad quæ per cædem ac sanguinem nos ducis, fruamur ergo præsentibus.* Hæc documenta Regem ab incepto non reuocauerunt, sed stimulos potius iracundiæ addiderunt. Nec admirandum est quòd sapientis amici dictis non auscultauerit, cum domesticorum exemplorum, & fortunæ quam bimulus sustinuerat, immemor fuerit. Patruus namque eius Alexander, cum nimis auidè Italiæ regnum affectaret, in Brutijs interemptus est, pater autem Aeacidas Epiri Rex, assiduis aduersus Macedonas bellis fatigato populo, regno pulsus est, secumq; exilij comitem hunc infantem filiũ habuit, qui annum vndecimum agens post parentis obitum, ab Epirotis odio in misericordiam conuerso, reuocatus est in regnum, & dum sub tutoribus & authoribus fuit quietè vixit : cùm verò adoleuisset, nullo exemplo retentus est quin fortunam experiretur: quam primò secundam inuenit. Pugnauit namque fœliciter contra finitimos : quo successu elatus, Tarentinis, Lucanis, Samnitibusque contra Romanos in auxilium venit, & Valerium Leuinum consulem

Cynea dictum in Pyrrhum.

Pyrrhus Alexandri Patruus.

sulem insueto elephantorum terrore superauit, tursusque Romanum exercitum fudit. Deinde Rex Siciliæ factus est, cùm insula omnis Carthaginensium bello vexaretur: quibus eiectis quasi diuturnum imperium nactus esset, Heleno filio Siciliæ, Alexandro autem Italiæ regnum destinauit: reuersusque in Epirum Macedoniam occupat, Antigono Rege expulso: nec contentus tāto successu, Græciæ Asiçq; regna meditatur. Spartanos alijs bellis intentos primò aggreditur, sed mulieris virtute repulsus, filium Ptolemæum & magnam exercitus partem amisit, inde Argos concessit, vbi dum Antigonum in vrbe obsessum expugnare conatur, saxo è muro à muliercula quadam ictus perijt, caputque eius Antigono oblatum est. Et hunc exitum habuit Pyrrhus, Regum omnium virtute & moribus præstantissimus: in quo dum nimia imperij auiditate vrgeretur, vtriusque fortunæ ludibria cernuntur. Nam sicut antea rebus omnibus vltra vota fluentibus admirabilis videbatur, ita paulò pòst amisso Italiæ Siciliæque regno, & naufragio, cæde, turpique fuga pressus, contemptui habitus est, adeò vt mors illa non modò opportuna sibi, sed optanda fuisse videatur. O miseram conditionem humanam, & fallacem mortalium spem? Quid tanta auiditate rapimur, cùm cernamus nostra omnia mutabilia & caduca esse, & præter virtutem nihil esse optandum? Quid vrbis euersiones, quid imperia nobis addunt, nisi vt solliciti anxijque viuamus? Vera namque est illa Iuliani Cæsaris sententia, cum principio imperij sui Gallico tumultu premeretur, qui ait: *Nihil se amplius assecutum esse propter Cæsaris dignitatem, nisi quòd occupatius viueret.*

Iuliani Cæsaris sententia.

De consulibus, Imperatoribúsve in bello deligendis, quibus virtutibus, atque artibus abundare debent. De eorum officio, de officio militum. Præcepta frugalitatis, & prudentiæ. Imperatores ingenij magis quàm virium munera præstare oportere.

Tit. II.

SI verò bellum suscipiendum est, in primis cogitandum erit, cui habeas imperij permittamus. Diximus enim supra vbi de origine magistratuum tractauimus, duos singulis annis consules esse deligendos, quorum alter vrbanam, alter militarem curam agat. Videndum tamen est, ne non satis hoc sit vbi difficiliora tempora occurrant: non enim semper viri idonei magistratibus præferuntur, & mediocres in pace & ocio tolerandi sunt, in bello autem & tumultu periculosi essent. Atqui si rectè iudicare volumus, nihil rarius aut difficilius optimo Imperatore inueniri potest. Philippus Macedo admirari se aiebat, quòd Athenienses singulis annis nouos Imperatores eligerent, cùm ipse in omni vita non nisi vnum ducem bonum Parmeniona inuenisset. Et cùm de Homeri versibus certamen esset, quisnam omnium elegantissimus haberetur, eum prætulit qui de Agamemnone est ad hanc ferme sententiam. *Homeri versus sententia.*

Hic vtrumq; fuit bonus & Rex, miles & acer.

Quasi manus & mens in duce necessaria sint, consilium & robur, quæ duo in Parmenione vel præcipua extiterant. *Parmenion.* Nam manu strenuus, & prudentia præstantissimus habitus est: quin etiam septuaginta annos natus, iuuenis, ducis, & egregij militis munera sæpe implebat, quem dicunt scriptores multa sine Rege Alexandro prospere egisse. Cicero in summo Imperatore quatuor res inesse oportere existimat, *scientiam rei militaris, virtutem, authoritatem, fœlicitatem*: & deinde addit: *Virtutes Imperatoriæ sunt, labor in nego-*

cijs, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in prouidendo. Et rursus: *Quanta innocentia debent esse Imperatores, quanta in rebus omnibus temperantia, quanta fœlicitate, quanto ingenio, quanta humanitate?* His postremis virtutibus pręcipuè laudatur Hiero Syracusanus, qui facilitate, ingenio, probitate, & modestia sua consentiente omnium ciuitatum fauore, dux primò aduersus Carthaginenses, & paulò pòst Rex creatus est. Hæ enim virtutes secundas res ornant, omnes namque mortales sciunt fortunam non in nostra esse potestate, sed à Deo petendam: virtutem verò & sapientiam à nobis ipsis esse sumendam. Cambyses (vt refert Xenopbon) Cyrum filium monebat belli ducem æstate præter cæteros milites solem ac puluerem ferre opportere, hyeme autem imbrem ac frigora. In laboribus ac periculis semper adesse, quando non æque graues labores ducibus, atque gregario militi. Metiri enim animo qui imperat debet famam, ac gloriam rerum gestarum longè plurimum ad se pertinere. Clitus qui Philippi Macedonis, & Alexandri deinde militiam non mediocri laude secutus est, militum vices dolebat, quòd cum laborum & functionum omnium Imperatorum socij essent, non tamen ad pacem, laudem, ac gloriam proueherentur: vnde in conuiuio non sine molestia Euripidis versus retulit, quibus significabatur male instituisse Græcos, qui in trophæis Regum duntaxat nomina inscriberent, militum autem tacerent, quorum sanguine parta gloria eis interciperetur. Hunc errorem quondam emendare conati sunt Lacedæmonij. Nam cùm Pausanias illustri victoria Persas superasset, duce interempto, & ex præda aureum tripodem Delphis dicasset, epigrammate ad hanc sententiam inscripto,

Imperatoris ornamēta ex Cic. pro lege Manilia.

Cambyses.

Clitus.

Pausanias.

Sub ductu Pausaniæ Barbari apud Plateam deleti sunt
Eiusque victoriæ hoc donum Apollini datum.

Hos versus incidi passi sunt: addiderunt tamen nomina earum ciuitatum quarum auxilio Persæ victi fuerant, ne multorum populorum laudem duci suo adscriberēt, reliquos autem omnes gloria fraudarent.

Sum

Sunt & aliæ Imperatoriæ virtutes penè innumerabiles, quæ ab illis censentur, qui de re militari scribere prserunt. Paternus Iureconsultus retulit, officium eius qui exercitui præest esse milites in castris retinere, parcissimeque alicui commeatum dare, vt semper omnes adessent, & non modo in dies, verum in horas ad pugnam essent parati. In militem qui ad diem commeatus non venerit, iure Romano per vim statuendum est ac si emansisset, vel desertuisset, facta prius copia dicēdi, ne forte casibus quibusdam detentus sit, propter quos venia dignus videatur. Expedit etiā eodem iure ei qui armato impetat, iuuenes ad exercitationē producere, vigilias interdum circuire, frumentationibus commilitonum interesse, frumētum probare, mensuræ fraudē coërcere, delicta castigare, principijs frequentes adesse, militum querelas audire, & valetudinarios inspicere. Pœna militū (vt Modestinus scribit) huiusmodi est, castigatio, pecuniaria multa, munerū interdictio, militiæ mutatio, gradus deiectio, ignominiosa missio, q̃ est cùm quis propter delictum sacramēto soluitur: nā honesta habetur missio, q̃ militiæ tempore implēto datur, sicut causaria, cùm quis vitio animi vel corporis minus idoneus militiæ renunciatur. Coërcendi sunt milites qui delinquunt, & legum formidine cohibendi, vt emansores, qui diu vagātur, deinde ad castra reuertuntur. Et desertores, qui ad prolixum tempus euagātur, postremò reducuntur. Miles qui prior in acie fugam fecerit, in exemplū aliorū capite puniendus: sic & q̄ bello rem prohibitā à duce egerit, aut mandata non seruauerit, etiam si rem benè gesserit. Qua in re ꝑpetuis seculis laudatur Manlius Torquatus, qui filiū securi ꝑcuti iussit, quòd contra eius imperiū pugnauerat, tametsi viriliter ꝓ Rep. dimicasset. Miles turbator pacis capite etiā puniatur. Arma abalienasse, graue crimē est: q̃ culpa (vt Paulo Iurecōsulto placet) desertioni exequatur. Hæ leges, & cōplures aliç ꝑscribendç sunt, de expeditione ducum, Imperatorumq; nutu. Sed hoc in primis persuadere debent, frustra se alijs disciplinam dare, nisi ipsi obseruent.

Milites infrequentia notabantur.

uent. Proderunt namque longè magis vitæ exemplo, quàm morum censura, aut aliquo sæuitiæ genere. Cyrum inducit Xenophon concionem habentem, his penè verbis: *Præcipuum Principis opus est, sese virum bonum præbere, ac etiam curare, vt qui eius imperio parent, quàm optimi euadant.* Munus autem militis est imperanti parere: labores ac pericula vltrò subire, nonnisi ordine pugnare, armis lætari, peritiam rei militaris tenere, & honorem ac dignitatem cæteris rebus omnibus anteferre. Seueræ admodum in re bellica fuerunt leges Lacedæmoniorum, quibus acriter puniebatur (vt Ammianus Marcellinus refert) miles, q procinctus tempore, ausus sit sub tecto videri. Idē scriptor elegantiam opulentiamq; militum sui temporis arguit, asserens ea vitia Romanum exercitum paulò antè inuasisse, quæ prius omnino erant incognita, cùm sub Maximiano Cæsare, vallo regis Persarum direpto gregarius quidam miles sacculum Parthicum, in quo erant margaritæ, reperit, qui proiectis imperitia gemmis, abijt, pellis solo nitore contentus. Nostro verò tempore nullum nequitiæ genus militibus incognitum est, & ambitione vltra Reges ac purpuratos laborant, luxuque adeò exultant, vt non modò mensas atque abacos aureis argenteisque vasculis onerent, & gemmatis poculis bibant, sed obscœna etiam corporis argenteis matulis excipiant. His opibus non egebat Scipionis mēsa, quem tradunt cum amicis ambulantem solo cibario pane vesci solitum. Sic etiam de Massinissa scribunt, qui nonagesimum ætatis annum agens, stans adhuc ante tabernaculum vel ambulans cibum capiebat. Eiusmodi peccata ab his qui imperant, præcipue manāt. Milites enim eorum qui præsunt naturam imitantur. Nam si boni fuerint, ad honesta eos ducunt: sin mali, ad turpia. Multitudo etiam facilè corrumpitur. Præsens enim voluptas quamprimum homines rapit, & omnes à labore ad libidinē ꝓcliues. Nec equi iustiq; esse possunt, qui cū iniustis iniquisq; assiduè versantur. Difficileque admodum est in luxuriam prolapsos ad virtutem redigere. Scite Arcesilaus mediæ

Militum luxuria, hoc æuo.

Scipio, solo cibario pane contentus.

Archisilai scitum.

Acade-

Academiæ inuentor, roganti cuidam cur ex disciplinis alijs multi ad Epicuream transirent, ex Epicurea autem nemo ad alias? respondit: *Quia ex viris eunuchi facilè fiunt, ex eunuchis autem viri nunquam.* Docendi sunt milites exemplo M. Catonis, vt feroces aduersus hostes sint, humani erga amicos ac socios, timidi ad iniurias inferendas, prompti ad vlciscendas, & nihil magis cupiant, quàm laudem ac gloriam adipisci, quæ quidem persuasio optima est. Cyrus ad milites ait: *Quod maximum est omnium, vobis persuasistis, laudem præ omnibus rebus esse expetendam.* Laudis enim cupidi nullos labores fugiunt, nullum discrimen aut periculum detractant, sed gloriæ cupiditate incensi, maxima quæq; pericula obire non ambigunt. Puniendi etiam sunt milites cum deliquerunt. Nimia enim indulgentia homines ad vitia proniores facit. Nec si plures peccauerunt, præ timore omnibus indulgendum est, sed in eos animaduertendũ est, qui maiorem culpam admiserint, vel si multi plectuntur, distribuendi sunt in diuersa loca. Sempronius Gracchus in ea victoria quam iuxta Beneuentum habuit contra Hannonem Hannibalis ducem, accersiri iussit omnes milites qui secessionem ex pugna fecerant, & singulos iureiurando adegit, vt non aliter quàm stantes cibum potumq; acciperent, quandiu militarent: qua ignauiæ nota eos affecit, ne discrimen virtutis ignauiæque omnino periret. Iulius autem Cæsar legionem vnam, quę in eius exercitu tumultum concitauerat, exauthorauit, seditionis ducibus securi percussis. Mox eosdem quos exauthorauerat ignominiã deprecantes restituit: quorum opera forti & fideli vsus est, & eos omnes optimos milites habuit. Vbi verò manifestum vltionis periculum immineret, dissimulandum est, occasioque vindictæ expectanda. *Consilia quidem* (vt ait Cicero prò lege Manilia) *temporum sunt, quæ in horas mutantur.* Et rursus C. Pompeio: Maiores nostri semper in pace consuetudini, in bello vtilitati paruerunt, semperq; ad nouos casus temporum nouorum consiliorum rationes accommodauerunt. Proinde cauendum est vbi pœna sontem

Catonis præcepta militaria.

B

tutò afficere nequeat, dolo vel beneficio agendum erit, vt Respublica salua sit. Marcellus palam tenebat Plautium Nolanum virum audacem ac factiosum oppidanos sollicitantem, vt ad Hannibalem deficerent: nec audebat præ Nolanorum timore eũ interimere, quocirca eum blandis verbis appellauit, laudauitq; coram, & optimum militem hortatus est vt in officio perstaret, secumque militare vellet. Et vt verbis fidem faceret optimo equo eũ donauit, qua benignitate malam eius mentem malumque animũ mutauit ac deinceps expertus est hominem fidum, & omnes qui eum comitabantur. Sunt qui quærant, expediatne Imperatorem ducémve vniuersæ militiæ hosti congredi, & singulari certamine decernere. Hæc qui affirmant, priscos illos inducunt, quos heroas appellant, & Vulcanum in primis, quem nonnulli (vt Diodorus libro primo scribit) primum regnasse volunt, alij Mercurio antiquiori successisse hunc pugnacissimum fuisse memorant, & multos virtute ac viribus superasse: & quoniam vulnus in pede acceplisset, claudus factus est. Laudant Dionysium patrem, quem Bacchum appellant, qui congressus cum principibus multis, omnes superauit. Indiæque imperio potitus est, quod annos duos & quinquaginta tenuit: Referunt etiam eum in bello Giganteo fortissimum Gigantem interemisse, laudemq; à summo Numine meruisse, qui eum Euhyũ quasi bonũ filium nuncupauerit. Herculem admirantur, qui Antheum superauit, et triplicẽ Geryonem, & patriã à varijs monstris atq; feris animalibus liberauit. Is clauam gestabat, & leonis pellem: eo namque tempore (vt asserit Diodorus libro primo) neque vestimenta, neque arma in vsu erant: vnde illud T. Lucretij.

Dionysius.

Hercules.

Arma antiqua.

Arma antiqua, manus, vngues, dentesq; fuere,
Et lapides, & item siluarum fragmina rami.
Posterius ferri vis est ærisq; reperta.
Et prior æris erat, quàm ferri cognitus vsus.

Hectorem dicunt diutius patriam tutatum fuisse corporis viribus, & assiduo hostium congressu. Numerant etiam nonnullos duces, qui vel soli vel pau-

cis

cis stipati magnas victorias assecuti sunt. Magnũ Alexandrum in exemplo ponunt, qui periculosissima quæq; in bello aggrediebatur, & vbi confertissimos hostes acerrimè pugnare conspiciebat, eò se confidenter inferebat. Nec is solus ea præfidentia fuit, sed & alij complures, vt inter Romanos ac finitimos, cũ præ omnibus soli Trigemini Horatij & Curiatij de summa rei suo periculo decertauerunt. Bellumque prius duellum dictum asserũt, quòd inter duos præcipuè decerneretur. Deinde contractũ fuisse nomen, bellumq; ex duello factum, sicuti Cicero in Oratore suo ad Brutum testatur, cùm addit: *Duellium eum qui Pœnos classe deuicit, Bellum fuisse appellatum, cùm superiores omnes Duellij semper fuissent nominati.* His & similibus rationibus & exemplis Imperatorem pugnacissimum faciunt. Alij qui eum consilio potius quàm manu decernentem volunt, alia argumenta inducũt, quibus colligunt, eum qui exercitui præest, non nisi in magna necessitate viribus aut singulari certamine pugnare oportere, satisq; ei esse ducis munera non gregarij militis implere. Vrbes euersas numerãt, & fugatos cæsosq; exercitus ducum Imperatorumq; temeritate: qui dũ singulos hostes insequũtur, vniuersum exercitum deserunt: & dum vnius viri ictus cauere student, omnes hostiles vires alliciunt, minus cogitantes suum ipsorum periculum cladem secum totius exercitus trahere. Vera esse ostenditur Xenophontis ratio, qui Cambysem inducit Cyrum filium docẽtem duces multo maiora in bello munera præstitisse ingenij atque animi viribus, quàm corporis. Vnde illud Sylij Italici: *Bellũ vnde.*

Bellandum est astu, leuior laus in duce dextra.

Et Iulius Cæsar cum militum paucitate contra innumerabilem hostium manum artificio potius quàm viribus decernendum statuit. Scipio quoque Aphricanus cùm eum quidam parum pugnacem dicerent, prudenter respondebat: *Imperatorem me mater non bellatorem peperit*: vt ostenderet vincendi rationem in vnius potius scientia & ingenio quàm in vnius viribus & armis esse posse. Mago quoque Car- *Aphricani responsum.*

thaginienſis diſciplina militari & bellandi arte, non robore & viribus Pœnorum imperium condidit. Ferociſſimi habiti ſunt in re bellica Luſitani. Hi tamen ducem nullum, qui viribus corporis præſtaret, ſecuti ſunt, ſed ſolum Viriatum, quem cauendi ſcientem, & declinandorum periculorum peritiſſimum eſſe nouerunt, qui arte & ingenio Romanos gentiũ domitores, annis decem vario marte fatigauit, nullaq; victoria vnquam illectus eſt, vt arma, veſtem, cultum, victúmve mutauerit, ſed in eo habitu quo militare principio cœperat, perſeuerauit, adeò vt quiuis ſuorum militum Imperatore ipſo opulentior videretur. Pyrrhus ſcientia rei militaris Regum omnium præſtantiſſimus habitus eſt. Is filium Ptolemæum in oppugnatione Spartæ parti exercitus ſui præfecit, qui primò impetu pugnãdi, auiditate ductus, in mediam vrbẽ procurrit, & multitudinis concurſu multis vulneribus confoſſus, perijt, eiusq; cadauer Pyrrho relatum eſt, qui cùm agnouiſſet filiũ eſſe, ingemuit, aſſerens aliquãto tardius eum quàm timuerit ipſe, vel temeritas eius meruerit, occiſum eſſe. Diximus ſuperius nihil per dolũ eſſe agendum in Rep. Id quod etiam hoc loco affirmamus. Laudamus quoq; eos qui in bello aperto marte decernunt: exempla que veterũ Romanorum, & magni Alexandri, ac Leonidæ Spartani attulimus. Attamen in tanta hominum malitia, malisq; dolis omnes ſcriptores ſentiũt vincendũ eſſe ex inſidijs, vbi apertè & collatis ſignis certare periculoſum ſit, vel vbi hoſtis eadem arte nos excipiat.

Cambyſis Cyriq; eius filij diſceptatio de æquitate in bello ſeruanda.

Cambyſem Cyrus apud Xenophontem rogat, qua maxima ratione vincendum ſit. Cui ille: *Si victoriam cupis, quacunque arte capiendi ſunt hoſtes, occultis inſidijs, dolo, fraudeq; fallendi, & furto ac rapinis exhauriendi.* Nihil enim prætermittendum eſt, quo expugnari hoſtes poſſunt. Ad hæc Cyrus: O *qualem me pater, virum eſſe ſuades? Contrariam enim ab ineunte ætate diſciplinam didici.* Tũ Cambyſes, *verum eſt*, inquit, *ò filij, ſed ea inter amicos ac ciues ſeruanda eſt: hoſtes vero quocunque dolo ac fraude inuadendi ſunt.* Philippus Macedo Alexandri pater, Epaminundam Thebanum militiæ & literarum

rum præceptorem habuit, qui ex Pythagorica disciplina haberi potest. Lysis enim Tarentinus Pythagoræ disciplina patria eiectus, cùm Thebas profugisset, apud Epaminundam desedit, quem non mediocriter erudiuit. Is tamen Philippus bella omnia versutia & arte tractauit, deceptisque hostibus gaudebat: quocirca prudentissimus habitus est, & à militibus summa beneuolentia complectebatur, vt qui ea dolo & fraude in hostes conficeret, quæ alij Reges sanguine suorum & cæde vix efficere possent, & sæpius consilio, quàm armis vinceret. Huic etiam sententiæ adstipulari videtur Homerus. Nam cùm Vlyssem laudibus efferret, eiusque calliditatem ac versutiam admiraretur, belli confectorem eum appellat. Id enim [illegible] significare arbitror: quam quidē laudem neq; Aiaci, neq; etiam Achilli vnquam tradidit: fortissimum quoque Troianorum Hectorem facit, Aeneam autem prudentissimum. Sed Achiui (vt Philostratus scribit) Hectora Troianorū manum, Aeneā verò mentem appellabant. Atqui plus negotij eis attulisse Aeneæ sapientiam dicebat, quàm Hectoris furorem. Placuit antiquis Romanis ab initio Reipub. nihil per dolum geri. At vero Romulus vrbis conditor, nonnunquam etiam fraude vincebat. Nam cùm Fidenas obsideret, nec posset hostes vi superare, insidias per latebras & loca inuia disposuit, ad pugnāque cum paucis (vt impar viribus esse videretur) Fidenates prouocauit: qui cùm eū vrgerent, fugam simulauit: illi temere insequebātur, Romulus illuc eos perduxit, vbi suos occultauerat, qui eos vndiq; effusos adorti, magna ex parte ceciderunt. Ab exemplo Romuli paululum discessit Antonius: qui cum pansam consulem contra se magnis itineribus aduentare comperisset, insidias per siluestria Aemyliæ viæ disposuit, agmenq; eius excepit, fuditque. Maximi sæpè exercitus insidijs paucorum pereunt, & imbelles nōnunquam dolo ferocissimos superant. Thomyris Scytharum Regina, non muliebrem animum submisit, Spargapise filio orbata, cæsoque exercitu à Cyro Persarum Rege: sed ingenio loci freta, vltioni se

Romuli versutia bellica.

accinxit, simulatoque metu hostē ad notas militi suo angustias elicuit, atque ibi repentè conuerso agmine, Regem cum vniuerso exercitu ad vnum vsque trucidauit. Alcibiades Byzantios obsidebat, illi intra mœnia se asseruabant, nec vlla ratione elici poterant: quod quidem cùm cerneret, insidias disposuit, discessumque simulauit: mox quamprimum rediens, palantes ac vagos oppressit. Viriatus quoque Lusitanus cùm tridui iter discedens fecisset, illud idem vno die remensus, securos, incautosq; hostes profligauit. Opportunum aliquando Imperatoris mendacium victoriam peperit, vt illud Valerij Leuini, qui exclamauit Pyrrhum à se interemptum esse, cū militis cuiusdam cæde gladium cruentum haberet. Quo mendacio Epirotæ consternati, in castra quamprimum se pauidi ac flentes receperūt. Sic etiā Iugurtha in Numidia occisum à se C. Marium exercitui persuasit: quo rumore Romanorum aciem auertit. Ipse idem Marius mendacio sibi in exercitu authoritatem comprobauit, vt qui sagam quandam ex Syria haberet, à qua dimicationum tempus, & euentum præscire simulabat. Exemplo (vt arbitror) Numæ Pompilij, qui Egeriæ nymphæ simulata authoritate nouas feroci populo leges persuadebat. Et Sertorius candidæ ceruæ præsagia mentitus, male sibi auscultantes milites conciliabat, & ad duriora quæq; imperia capessenda promptiores alacrioresque reddebat. Magnam vim habet persuasio in re bellica, quæ falsa etiam magni momenti plerumque in exercitu extitit. Nicias exercitum in Sicilia amisit Solis defectione perterrefactum, non enim syderum natura id fieri arbitrabatur, sed numinis ira in Athenienses id accidere dicebat. Sunt qui scribant Periclem eodem metu perculsum, exercitum suum liberasse, patefacta syderum ratione. Alij scribunt non solis defectu confusos Periclis milites, sed quòd fulmen decidisset in eius castra: & idcirco eum concionem aduocasse, & lapidibus in conspectu omnium collisis ignem excussisse: qua re tumultū fuisse sedatum, cùm docuisset simili ratione nubium attritu fulmen excuti. Hoc exemplo doce-

Sertorij cerua.

docemur disciplinas bonarum artiũ etiam in re militari plurimum prodesse. Nam (vt Aristoteles ait) *sicut acies oculorum à circunfuso aere lumẽ accipit, sic animus à doctrina, & liberalium artium studio.* Docti enim ab indoctis paulò minus differũt, quàm viui à mortuis. Eloquentia præcipuè Imperatori necessaria est, qua quidem res magnas longe magis adiuuat, quàm robore & armis. Homerus poëtarum sapientissimus triplicem dicendi figuram tribus Principibus in bello Troiano tradidit, vberem Vlyssi, gracilem Menelao, mediocrem Nestori: vt ostenderet pro rerum ipsarũ ratione differendum esse in bello. Dignitas enim & amplitudo orationis ad promouẽdos cõuertendosque animos instructa ac parata est, sicut venustas ac subtilitas ad docendos dilucidandosque. Mediocritas verò quæ vtrisque particeps est, consilijs conuenit, & quotidianis deliberationibus. Apud Athenienses autem vt quisque Imperator maximus extitit, ita eloquentissimus habitus est. Nam Pisistratus, qui Megarenses superauit, Orator temporibus suis non indisertus fuit. Sic & Themistocles, qui Xerxem fudit, fugauitque. Et Pericles qui contra Lacedæmonios fœliciter pugnauit, & eius collega Sophocles Tragœdiarum scriptor. Alcibiades quoque fortis in bello fuit, & eloquio preclarus. Demosthenes Grecorum Orator maximus plurima etiam bella gessit, & prælio magno interfuit apud Cheroneã: cum Philippus Atheniensis vicit, ex quo quidem salutem fuga quæsiuit: cumq; id probrosè ei obijceretur (mortuo iam Philippo) nouissimo versu se excusabat:

Triplex dicendi figura.

Pisistratus.

Alcibiades.

Demosthenes.

Flet quidem victus, victor autem interijt.

Romani quoque qui magna facinora in re bellica gesserunt, in eloquentia claruerunt penè omnes, adeò vix summum Imperatorem aliquem inuenias qui dicendi laude caruit. Iulius Cæsar, vt rebus gestis mortales omnes anteiuit, ita Romanos penè omnes Latina elegantia superauit. Vtilis est etiam his qui armato præsunt historiarum cognitio: cum quòd in capiendis consilijs ex aliorũ euentu firmissima exempla sumuntur, tum quòd laudata in alijs vir-

Iulius Cæsar.

tus,nos ad parem laudem assequendam inuitat,& castigata ingnauia fortiores reddit. Atque haud scio an scientia rei militaris vlla alia disciplina magis adiuuari possit,quàm rerum gestarū monumentis,quibus docemur omnia optimè agere, quæ dici aut cogitari possunt. Nihil nouum, nihil admirabile, nihil inauditum accidere potest Imperatori, qui optimè historias callet. Ordo militaris,disciplina militū, studium inuadēdi cauendíve hostes, ars dirigēdi aciem in cuneum quem trigonum Græci appellant, ars inchoandæ dirimendæque pugnæ, quomodo disponendæ insidiæ sint, quomodo cauendæ, qui locus idoneus eligendus, qui præoccupandus, qui hosti relinquendus, qua via oppugnandum quáve repugnandum sit, & innumerabilia alia quæ vix longo sermone connumerari possent,qua alia ratione facilius edisci possunt, quàm historiarum monumentis. Sed ad alia transeamus: hoc concludendum est,multisque artibus multisque virtutibus ornatum esse oportere eum qui exercitui præest. Quocirca(vt diximus)nihil rarius ex omni hominū genere; perfectus Imperatore inueniri potest,qui si nusquam in ciuitate inuenitur, accersendus est aliunde. Melius est enim cum peregrino Imperatore optimè pugnare, quàm cum ciue periclitari. Exemplo igitur Carthaginensium vtemur, qui cùm sæpius male pugnassent contra Romanos, arbitrarenturque id Imperatorum imperitia accidere,ducem à Lac[illegible]monijs Xāthippum impetrarunt,cuius auspicio ac ductu Romanus exercitus qui antea semper victor extiterat,profligatus est.Nam ex triginta milibus militum,quibus præerat M.Attilius Regulus,pauci euaserunt, reliqui omnes partim cæsi,partim autem capti sunt. Perseuerandum tamen est, donec integra victoria potiamur. Nec agendum quod Carthaginenses, qui postquam viderunt Regulum captū victum à Xantippo, quasi id satis esset contra Romanos, qui animum etiam cladibus sumebant, Xantippum multis muneribus affectum dimiserunt, nautisque clam edixerunt, vt eum mergerent, ne Lacedæmonij eiusmodi gloriæ laudem

Carthaginenses.

laudem sibi vindicarent. Sed Deus Optimus Maximus vltor ingratitudinis, eos compulit vt condignas pœnas luerent: & qui vincere nesciuerunt, eodem bello victi Siciliam Sardiniamque amiserunt. *Ingratitudo Carthaginensium.*

De officio alterius consulis qui militiæ vrbanæ præest, præcepta calliditatis, & custodiæ: de clementia imperatorum in subiectos.

TIT. III.

Alter qui cum imperio ciuitati præest & vrbanam curam agit, maximam diligentiam adhibere debet, ne quid detrimenti ciuitas patiatur, & sicut ille in castris munus suũ præstare debet, sic hic intra mœnia exercere militem suum, ne ocio, vmbra & vrbanis delicijs effœminetur. Stationes vigiliasque interdum obire, nec omnia præfectis vigilium credere, qui lõgè diligentius excubabunt, si eum qui summum magistratum gerit, vigilantem formidabunt. Sunt qui arbitrentur grauius esse statuendum in eos qui minus diligenter custodias vigiliasúe obseruãt, ne somno, aut desidia vnius vniuersa ciuitas pereat, quæ omnia paucorum diligentiæ credit. Quocirca Epaminundam Thebanum laudant, qui cum in magno periculo vigilias circumiret, vigilem quem dormientem inuenerat, gladio transfixerit, asserens: *Mortuum hominem inueni, mortuum reliqui.* Nec admirandum est Epaminundam Imperatorem alijs omnibus mitissimum, tantam sæuitiam in hominem dormientem exercuisse, cùm videamus vrbes direptas incensasq; huiusmodi negligentia: vnde illud Vergilij:

Inuadunt vrbem somno, vinoq; sepultam.

Et Q. Cæcilius Metellus desperata iã victoria, cùm discessum meditaretur, certior factus à Sostrato proditore, custodias vigiliasque festo die negligentius asseruari, Syracusas cæsis vigilijs inuasit. Athenienses in bello quod aduersus Peloponenses sexto & vigesimo anno gerebant, diuturna militia fessi, remissius *Atheniensis desidia ceciderunt.*

custodias excubiasque agebant: qua re cognita Lysander passim in agros diffusos oppressit: qua quidē victoria Athenienses compulsi sunt, vt qui superiores antea semper fuerant, Lacedæmonijs succumberent. Et Thrasybulus, qui non longo tempore pòst patriam à triginta tyrannis (quos ei præfecerant Lacedæmonij) liberauit, cùm deinde prætor ab Atheniensib⁹ in Siciliam missus, classem applicuisset, neq; satis diligenter in castris vigiliæ agerentur, à Barbaris ex oppido eruptione facta, in tabernaculo interfectus est, vt in eius vita Aemilius Probus refert: quo quidem interitu Thrasybuli res magnæ longè minores habitæ sunt. Nam sicuti præclara mors anteactam vitam illustrat, sic turpis obscuriorem facit. Hac solertia præter cæteros Alcibiades laudatur. Nā Athenis à Lacedæmonijs obsessis, vigilibus denunciauit obseruarent lumen quod noctè ostensurus esset ex arce, & ad conspectum eius ipsi quoque lumen attollerent, à quo munere qui cessasset, pœnas lueret: qua ex re vigiles diligentissimos reddidit: Sunt etiam habendi semper exploratores, qui hostium aduentum è speculis noctu flamma indicent, interdiu autem fumo: nec antè homines in agros è portis dimittendi sunt, quam exploratum fuerit, eos intrepidè rustica munera obire posse. Nec diutius perseuerent idem exploratores, sed quotidie integri fessis succedant: ne labore aut tædio rem negligentius agant. Est etiām admodum vtile, vt qui cum imperio sunt siue domi, siue militiæ, vbi duriora quædā occurrant, speculatum prodeant, exemplo Marcelli, qui ad collegā ait: *Quin imus ipsi cum equitibus paucis exploratum*? Subiecta enim res oculis certius dabit consilium. Iubet Plato Principibus Reip. vt speculatum prodeāt, & secum pueros in equis ducant, vt & ipsi discant & hostium aspectum minus formident. Perutilis admodū habetur ad perdiscenda omnia quæ agunt, Gallorum antiqua consuetudo, quam pleriq; populi ac Principes nostro quoq; tempore vsurpāt, vt sagaces aliqui viri præficiantur, qui famam ac rumorem hauriant, & viatores inuitos etiam consistere cogant, & quod

Gallorū mos militaris peritiæ.

quis-

quisque eorum de quacumque re audierit, aut cognouerit, quærant, discantque, quibus ex regionibus veniant quidque acturi sint: & quæcunque acceperint moliunturque, pronuntiare cogant. His tamen auditionibus non semper credendum est, nam plerique ad voluntatẽ eorũ qui interrogant, ficta respondent, & incertos rumores deferunt, sed si quæsitores sagaces erunt, facile poterunt veritatem elicere, & cõsilia, quæ in dies capiẽda sunt, certis indicijs adiuuare: Præstet preterea qui vrbanis imperat, magnã diligentiam in portarum cũstodia, quarum claues ipse suscipiat, & vigilias stationesque optime disponat. Videat etiam ne specie suorum militũ, aut noti sermonis simulatione illudatur. Hannibal enim vrbes complures Italię inuasit, suppositis militibus suis armis atque habitu Romanorum, præmissisque etiam, qui longo belli vsu Latinè loquerentur. Multi doli intenduntur in limine portarum, qui cauendi sunt. Nam aliquãdo de industria efficiunt, vt iumenta sarcinis impedita decidant, vel trabes relinquantur prolapsis bobus, vel plaustra magnis lapidibus onerata desidant, & sic subito hostium concursu, cùm portæ claudi nequeant, paruo labore oppida capiuntur. Hoc formidantes Massilienses ex optimis Reipubl. institutis, sic pacis tempore custodiebant vrbem, ac si bello vrgerentur: quocirca festis dieb. portas claudere, vigilias agere, stationes in muris obseruare, peregrinos regnoscere, & alias bellicas curas habere soliti erant, ne à recta consuetudine discederent, etiam si tempora eiusmodi diligentiam minus exigerent. Profugi in vrbem nequaquam accipiendi sunt. Sinon namque benigne exceptus exitio Troianis fuit, Zopyrus quoque Darij Persarum Regis amicus cùm videret eum longa obsidione Babylonis defessum, nec spe vlla victoriæ teneri, sibiipsi nares & auriculas abscidit, & ad Babylonios profugit, multaque in Regem oblatrando, victoriam atque vltionem pollicebatur, illi re credita Zopyro imperium permiserunt, quo accepto vrbem atque exercitum Dario tradidit. Sic & Sex. Tarquinius ab

Massiliensiũ solertia.

Sinonis exemplo & Zopyri Persæ.

exerci-

exercitu patris virgis cæsus fugam simulauit, obsessisque Gabijs persuasit, vt suo aduersus Regis sæuitiã odio vterentur, qui dux ab illis erectus, è vestigio oppidum patri prodidit. Est etiam periculosum plures conuenas in vrbem accipere, tum quòd inquieta est omnis multitudo ex diuersa hominum colluuione collecta, sæpe ex parua re tumultum excitat: tũ quòd insani hominis est, ea inter plures consumere, quæ haud scius est an satis paucis esse poterunt. Ad hanc sententiam redigi potest præceptum illud Cambysis Persarum Regis ad Cyrum filium, cùm ait: *Nunquã expectandam esse egestatem, sed in rerum copia præcipuè de inopia cogitandum*. Alexander Macedo cùm Leucadiam obsideret, passus est ex finitimis locis omnes illuc confugere, vt citius alimenta, quæ habebant, inter plurimos absumerent: quibus absumptis facilè victoriam assecutus est. Simili consilio vsus videtur Antigonus in Athenienses, qui vastatis eorum agris, sementis tempore discessit, vt quod reliquum frumenti habebant, in sationes spargerent: reuersus deinde nouo vere, segetem iam adultam protriuit, & ad famem redactos in suam voluntatem pellexit. Multitudo etiam peregrinorum militum valde formidanda est: hoc Carthaginenses docuerunt, qui conciliata cum Romanis pace, nunquam in pari periculo fuerunt. Nam mercenarij milites, qui contra Romanos pugnauerant (quorum numerus circiter viginti milium fuerat) conspiratione facta defecerunt, omnemque Aphricam abalienarunt, Carthaginemque obsederunt, quos Hamilcar Imperator è Sicilia properãs, non modò à mœnibus pepulit, verùm eo compulit, vt locorum angustijs clausi plures famè quàm ferro interierint. Quæcunque acturus est qui imperat, festinet. Nam vt Xenophon ad milites Cyrum loquentem facit, optima belli comes est festinatio. Et Alexander in hoc laudatur præcipuè, quòd velocitate sua omnium ducum celeritatem antecedebat, pedités que suos instituerat vt eorum pernicitate equorũ velocitatem adæquarent, quocirca cùm ab eo vrgeretur Darius, grauiter querebatur, nullum interuallum

Cambysis præceptum ad filium.

Alexandri astutia.

lum sibi satis longum dari aduersus Alexandri alacritatem, qui sæpe magnis itineribus noctu diuque strenuè contendebat vt improuisus hosti superueniret. Agat etiam omnia tacitus, neminique secretum suum credat: Metelli documento, quem Plutarchus roganti cuidam amico quid postera die acturus esset, respondisse ait: *Si tunica hæc secreta mea eloqui posset, exutus quamprimum eam comburerem.* Et Licinius Crassus militi percunctanti quando castra mouere institueret, respondit: *Num vereris ne tubam audias?* Iulius autem Cæsar cùm aciem transmittere aliò destinaret, iter tacitus carpebat, tabellasq; signatas alicui dabat, vt in tempore procinctus locum certum vniuersi peterent, & nonnunquam scriptos lapides inter eundem spargi iubebat, in quibus tesseram insequentibus militibus dabat, vt scirent quid facto opus esset. Nihil pręterea in hoste despiciat, nam sicut magni est animi nō timere, sic summi consilij omnia cauere quę reb9 nostris obesse possunt. Et sicut optimi medici est, nihil quod nociturum sit in corpore ægroto relinquere, sic boni Imperatoris, quicquid imperio obstat, remouere. Parua enim scintilla contempta, magnum aliquādo incendium excitat, vt in prouerbio dicitur. Pro oraculo habenda est M. Catonis sententia, quam scripsit in libro de re militari: *Alijs in rebus errata postmodum corrigi posse, in bello autem delicta emendationem non accipere, quippe cùm pœna ipsa è vestigio errorem sequatur: præsto enim est ignauiæ aut imperitiæ vltor, qui nunquam delinquenti hosti indulget.* Quòd si plures cum imperio sunt, ille præferendus est, qui virtute & scientia rei militaris præstat, vt fecit Minutius Fabij Maximi collega contra Hannibalem, qui postquam experientia sensit Fabium plurimum pręstare, conuersus ad milites suos, Hesiodi versus ad hanc sententiam occupauit, vt scribit Liuius: *Sepe ego audiui optimum eum esse virum, qui ipse consulat quid in rē sit: secundum, eum qui bene monenti obediat: qui nec ipse cōsulere, nec alteri parêre scit, eū extremi ingenij esse. Nobis quoniam prima ingenij negata sors est, secundam & mediam teneamus: & dum imperare discimus, parêre prudenti animum dedu-*

Alexandri velocitas.

Cæsaris versutia.

Catonis sententia.

deducamus, castraq; cum Fabio iungamus. Huiusmodi præceptis si auscultare voluisset C. Terentius Varro homo nouus, & militaris disciplinæ omnino expers, L. Paulo Aemylio collegæ viro fortissimo fasces submisisset, nec temeritate sua Cānensis cladis omnium infœlicissimæ author fuisset: ex qua quidem eò malorum ventum est à Romano populo, vt vinceretur, si vincere sciuisset Hannibal. Tantus enim terror tantaque mœstitia animos illorum incesserat, vt patriç occasum cum suo vitio in ea die omnes expectarent: sed imbre & ingentibus procellis à mœnibus vrbis repulsus, persuaderi à suis sibi permisit, vt in oppidis hybernarent, qua ex re id idē vsu venit, quod non diu pòst Marcellus ad milites dicebat, Capuam Hannibali Cannas fuisse: ibi virtutem bellicam, ibi militarem disciplinam, ibi præteriti temporis famam, ibi spem futuri extinctam. Duo denique præcepta sunt, quæ rem omnem militarem in se habere videntur, vt pauci sint, qui optimè imperent, & hi per omnes militares gradus ascenderint, vt parendo imperare didicerint: reliqui autem omnes libenter obsequantur. Hæc quibus aderunt, nunquam fieri poterit quin aut victoriam aut honestam pacem consequantur: quibus verò aberunt, nihil virium satis erit, & in manifestam mortem cæco impetu belluarum more ferentur. Clementia in subiectos maximè Imperatores ac duces commēdat, eorumque res gestas illustriores facit. Cicero affirmat omnes recipiendos esse, qui positis armis ad Imperatorum fidem confugiunt, quamuis murum aries percusserit, & Cæsar dicere solebat, nihil sibi gratius esse, quàm supplicibus parcere, nec omittenda est hæc virtus in eos qui victi sunt. Nā clades, libido, crudelitas & omne inhumanę superbiæ exemplum, in miseros semper detestandū atque abhorrendum fuit. Maximam consecutus est laudem M. Marcellus, qui antequam Syracusas vrbem opulentissimam prædæ pro concione militibus permisisset, fleuit, edictoque cauit, ne quis corpus liberum violaret: curamque sepulturę interempti Archimedis dilgentissimè habuit, affectis propinquis præ-

C. Terentius Varro.

Lib. 1. offic.

dio,

dio, multisque honoribus honestatis. Eius vrbis prædæ tantum fuisse Liuius refert, quantum vix capta Carthagine tunc fuisset, cum qua æquis viribus certabatur. *Præda Syracusarum.*

Scribendæ militiæ ratio: de ætate, forma & indole tyronum, & de ludicris armorum certaminibus TIT. IV.

SCribendæ militię munus consulibus superius tradidi. Aequum namque videtur esse, vt quisque eorum delectum habeat, quibus imperat. Libaui etiam eò loci nonnulla præcepta pro temporis ratione: nunc res admonet vt reliqua absoluã, & consummato propè operi finem præscribam. Et hoc in primis præcipiendum cęteo, longe pluris faciendam esse eruditã exercitatamq; paucitatẽ, faciliusq; victoria potiri quã indoctam ac belli expertem multitudinem, quę cùm cædi exposita est, minima quæque formidat, & fugam citius quàm gloriã meditatur. Bene igitur præcipitur: *Tyronem quærat, qui veteranum non habet.* Alexander mortuo Philippo patre, cum quadraginta millibus armatorum (quos ille ei reliquit optimè eruditos, atque assuefactos rei bellicæ) varias innumerabilesque hostium copias superauit, & complures orbis terrarum prouincias subegit. Quid de Romanis dicemus, qui modicis orti principijs sola virtute, & militari disciplina vniuersum terrarum orbem vicerunt? Nónne admirandum est pastorum conuenarumque populum Italiam regionum omnium potẽtissimam inuasisse? Germanos, Galliamque omnem spreta corporum proceritate, hominumque numero subegisse? Hispanos bellatores ferocissimos domuisse? Aphros dolis atque opibus exultantes euertisse? Græcorum artes ac sapientiam superasse? & demum vniuerso generi humano imperasse? Cùm verò cogitabimus animorum & fortitudinem corporum exercitationem, & scientiam rei bellicę, planè fatebimur generosam pertinacemque virtutem omnia superare, *Tyronẽ quærat qui veteranum non habet.*

Ætas in milite conducendo spectanda. perare. In delectu militiæ ætas prius spectanda est, quæ tenera esse debet. Facilius enim pueri discunt quæ vsui sunt, meliusúe assuescunt rebus difficilioribus nondum obduratis membris, & ad perfectum crementum adultis, quocirca aptius equo sedent, leuius habenas tractant, quam vbi obstipo corpore callum penè omnibus membris obduxerunt. Præterea alacritas desiliendi, velocitas currendi, celeritas iaciendi, facilior est corpori nondum pleno ac perfecto, quàm omni ex parte absoluto. Plato vigesimo ætatis anno legendos adolescentes ad militiam censuit: Seruius autem Tullius Romanorum Rex decimo septimo, quo tempore eos iuuenes appellauit, quòd Rempubl. adiuuerint. *Iuuenes vnde dicti.* Alij primum pubertatis annum optimum delectui esse scribunt. Noui vero milites, qui vltra trigesimum annum scribuntur, rarò vtiles sunt, & cum arma tractant (quoniam ineptè id agunt) ludibrio habentur, sæpeque veteri prouerbio incessuntur, Clitellæ bobus aptantur, quasi non suo onere premuntur. Satius igitur erit eos ad quas norint artes dimittere, quàm sacramento inutiliter adigere, nisi in magna necessitate, in qua legimus sontes è custodia dimissos, & cum seruitijs etiam descriptos, vt secundo Punico bello, cum M. Iunius dictator dixit: *Qui capitalem fraudem ausi, quiq; pecunia iudicati in vinculis essent, qui eorum apud milites fierent, eos noxa pecuniaq; exolui iussurum.* Forma, habitudo, valetudoque corporis in primis spectanda est. Celsus Cornelius habilissimum corpus quadratum esse scribit, & latitudinis longitudinisque mediocritatem laudat: quippe cùm proceritas vt iuuenta decora est, sic matura senectute conficitur. Statura autem quæ ad mediocritatem tendit, firmior est, & magis diuturna. Sic alia ex parte gracile corpus infirmũ habetur, obesum autem hebes. Scio tamen plerosque proceritatem militum probare, exemplo etiam Romanorum, qui inter alacres equites, & in primis legionum cohortibus non nisi eos qui senis pedibus extarent, aut paulò minores, militare permittebant. Nec me latet, Alexandrum, eiusque exercitum præ corporum paritate

uitate primò illusos à Scythis fuisse, quorum neminem adeò humilem fuisse refert Curtius, vt humeri eius non possent Macedonis cuiusque militis verticem adæquare, sed paulò pòst didicerunt, virtutem, nõ proceritatem in hoste dimetiendã esse. Accidit enim nonnũquam, vt homines pusillæ staturæ optimi bellatores sint, vt Tydeus fuit, quem Musarum præconio paruum, sed pugnacissimum fuisse accepimus. Proceritas illa heroum fabulosa mihi esse videtur: nec animum inducere possum, vt vera esse credam quæ Philostratus scribit, quanquam domesticum testem inducit. Ait enim villicus eius: *Referebat mihi auus se vidisse Aiacis sepulchrum à mari fluctibus dirutum, in quo ossa erãt quæ vndecim cubitorum hominem extitisse ostenderent: Adrianumq; Imperatorem (cùm Troia iter faceret) sepulchrum instaurasse, ossaq; condidisse, & monumentu Aiacis rursus inscripsisse.* Veritatem quoque mihi transcendere videtur Orestis corpus à Lacedæmonijs in Nemea inuentum, quod cubitorum septem fuisse scribitur. Idcirco hæc quasi nimis vetera dimittamus. Habenda igitur ratio erit non proceritatis, sed virium. Membrorum tamen conformatio & figura multa roboris indicia præstare possunt. Sit in primis adolescens facie liberali, recto corpore, obstipa ac tereti ceruice, oculis vigilantibus, lata fronte, lato pectore, latisque humeris, vt simulachrum Martis veteres pingebãt. Lacertorum toris vigeat, vt statuas Herculis cernimus, sit firmissimis digitorum articulis: vnde quibusdã in laude fuisse legimus, quòd ictu nudi digiti malum transegerint. Sit longis plenisque brachijs, firmis cubitis, modico vẽtre, pleniore coxa, exili potius quam tereti sura, obducto pede. Commendat militem ac ducem dignitas formæ, & aspectus ille truculentior. Audi Pacuuium Capuanum, cùm Anilium filium supremum Hannibali ensem stringere inter epulas cupientem dehortatur, apud Silium Italicum lib. xj.

Tydeus ingenio pugnax, corpore paruus erat.

Adolescentis descriptio

Simulachri Martis facies.

Silius. lib. 11.

Tu ne illum, quem non acies, nec mœnia & vrbes
Ferre valent, cui frons propior, lumenq; corusco
Igne micat, túne illa viri quæ vertice fundit

Fulmina pertulerit, si viso interferit ense,
Diram qua vertit per campos agmina vocem?

Et C. Marius Gallum percussorem in se missum quamuis in custodia esset, horrore vultus perterruit. M. Antonij aspectum summopere laudarunt historici, eumque similem Herculis simulachris fuisse dixerunt: adeoque maiestatem quandam præ se ferebat, vt cùm in coronam Principum accederet, nonnulli dicerent eius genium, aliorum genios longe obscuriores reddere. Imperatoria forma præter cæteros fuisse dicitur Iphicrates Atheniensis, adeò vt ex aspectu solum cuicunque admirationem inijceret. Artaxerxes quoque cognomento Macrochir, quòd alteram manum longiorem haberet, præcipuam habuit laudem amplissimæ pulcherrimæque corporis formæ, quam viribus & virtute bellica honestauit. Obfuit plurimum Agesilao Lacedæmonio exigui corporis informitas, & quòd pede altero claudicaret. Nam cùm esset omni virtute ac militari gloria illustratus, sæpe ab his qui eum non nouerant, præ deformitate contemptui habitus est. Oris laudatio nonnunquam ex diuersa facie oritur, vt in geminorum imaginibus cernimus. Pollux enim placidus ac mitis esse videtur, Castor autem durior, asperiorque: vterque tamen eorum laudem suam meruit: vt eo quò esset aspectu, summus omnium haberetur. Achilles diuina & admirabili maiestate, cùm grata quadam proteruitatis facie laudabatur. Antilochum autem Nestoris filium, qui fere eius æqualis fuit, iocunda, & mansueta species commendabat: Nireum verò venustas. Vnde Horatius eum similem facit Ganymedi, cùm ait:

M. Antonij aspectus.

Artaxerxis forma.

Castor & Pollux.

Qualis aut Nereus fuit, aut aquosa
Raptus ab Ida.

In delectu habendo cogitandum etiam erit, in qua regione orti educatique sint qui nomen militiæ dent. Quamuis enim in singulis quibusque locis ignaui & strenui nascantur, cœli tamen aspectus ad animum ac vires plurimum confert: & septentrionalis plaga melior est, quàm orientalis: omnis verò temperata opti-

optima, vt superius libro septimo dictum est. Vtilior ex agris miles legitur, quàm ex vrbibus, vt veteres omnes sentiunt qui de re militari scripserunt: nec abs re. Rustica enim illa pubes obdurata solibus, pulueris, pluuiæ niuisque patiens, cibario pane, agrestibus siluestribusque baccis contẽta longè facilius sub dio pernoctat, pluuias imbresque perfert, ac per campos lubricos, & illuuie inequitabiles, nudo etiam pede discurrit, quam vmbratilis iuuentus, quæ vrbanis blãditijs illecta, vix somnum nisi molli strato, & culcitra plumea, longoque accersitum silentio capere potest: & caloris frigorisque impatiens, parum stomacho valet: nunquam esurit, nisi ciuilium epularum nidorẽ senserit: cibiq; pulpamentum semper quærit, nec æquo animo domesticis blãditijs caret. Præterea natura ipsa generi humano hoc præscribit, vt vulnera ac mortẽ minus ille timeat, q̃ minus deliciarũ nouit in vita. Lacedæmonij magnã laudẽ in re militari meruerunt: & si eorum vitam quærimus, inuenimus eos ad robustam vsque ætatem in agris ac venationibus versatos, & omnem eorum victum duriorem fuisse. Romani veteres militiæ curàm & rei rusticæ vnam eandemque esse existimabant, vt ijdem pacis tempore rusticarentur, qui in bello militassent. Vnde Q. Cincinatus ab aratro vocatus ad dictaturam venit, & rursus victor, fascibus depositis, ad boues atque aggellum redijt. Sic & Fabricius Pyrrho finibus Italiæ pulso, & M. Curius cognomento Dentatus, Sabinis victis, ad excolendos agros. C. quoque Marius diu post rusticanus Imperator fuit: is tamen septies consul, multisque magnis victorijs illustratus est, & adeò laboribus obdurucrat, vt cùm varicosus factus esset, ita medico intrepidus crus secandum præbuit, vt si lignum fabro dolandum tradidisset. Et Sertorius strenuam militiam gessit, natus educatusque in agro Sabino, oppidoque Nursiæ: hic cùm in prælio fortiter dimicans luscus factus esset, Philippo, Antigono, Hannibali, qui altero oculo caruerunt, & bellacissimi duces habiti sunt, quartus connumeratus est. Hoc tandem concludendum

est, duriores artes robustiores milites reddere, molliores autem virtutem omnem eneruare. Nec expectandum erit, vt canes qui ex ganeis popinisque exeunt, pardum aut leonem assequantur, sed vt ad patinas quamprimum redeant: in vrbibus autem ac delicijs nati, vt primùm nomina militiæ dederunt, laboribus obdurent, vallum & onera ferant, fossam ducant, castra muniant, & alia militaria opera non contemnant, non detrectent certamina cum æqualibus, sed magnum Pompeium imitentur, qui adolescens semper cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte ac sude certabat. Optima est enim venationis exercitatio, quæ à rusticis militaribusque laboribus non multum abest. Xenophon cùm Cyri militiam sequi destinaret, equorum venationisque disciplinam prius summo studio affectatus est, asserens inutilem esse militem qui in illis non magnopere versatus esset. Romani iuuenes ne in vmbra & ocio delitescerent, néve delicijs fluerent, Campum Martium instituerunt, in quo ludicra armorum certamina, non mòdo ad gladiatorium spectaculum, verùm ad militum quoque vsum celebrantur: aderantque militum præceptores, qui ex publico duplici annona donabantur, vt diligentius allecti præmio docerent. Et sicut mangones, & lanistæ gladiatoria docebant, sic donati militaribus donis, bellicam disciplinam, Senatorum etiam iudicio adhibito, ne quo virtutis studio iuuenes fraudarentur. Exercebantur igitur multis modis vt in superioribus docuimus, cùm de corporis exercitatione diximus. Sed optima armorum exercitatio ad palum habita est, in qua singulorum certaminis similitudo edebatur. Nam singulis militibus pali terræ infigebantur, extabantque pedibus sex. Contra illum, tanquam in aduersarium assultabat tyro. Scutum vimineum maioris duplo ponderis quàm verum scutum erat, sinistra tenebat: altera autem clauem, quæ itidem altero tanto ense grauior habebatur; vt cum ad veram pugnam accederet, dimidiato pondere alacrius prosiliret. In palum tanquam in hostem magno

Campus Martius cur institutus.

Pali exercitatio, ex Vegetij lib. 1.

gno impetu omnique bellandi arte ferebatur:& nūc toto corpore insurgebat, quasi caput aut faciem peteret:nūc autem tectus clypeo, & proiecta hasta poplitibus desidebat, vt fortius hostis impetum excipere videretur. Quo inuento laudatur Chabrias Atheniensis: nam cùm Thebanis auxilio missus esset, nec possent milites impetum Lacedæmoniorū (qui Agesilao duce pugnabant) ferre, iámque mercenarij omnes fusi fugatique essent, iussit reliquos loco stare, & obnixo genu, scuto impetum hostium ferre docuit: quod cùm videret Agesilaus, signo tuba receptui dato, suos iam incurrentes reuocauit, nec amplius progredi ausus est, quod quidem omnis Græcia admirata est: & eo statu Athenienses pro foro statuam Chabriæ decreuerunt: quo exemplo atletæ victores statuas sibi deinceps constitui curabant. Sed ad palum redeo. Nunc lateribus nunc cruribus minitabatur. Sedebat nonnunquam, assultabat, insultabat, simulando dissimulandoque omni arte vtebatur. In quo præcipuè hoc seruabatur, vt ita vulnus inferret ne qua corporis parte pateret ad plagam. In armorum enim ratione præstantior semper cauendi, quàm ictum inferēdi cura fuit. Punctim potius quàm cæsim ferire discebant.

Hostis quidem confodiendus interimendusque est, non vulnerandus. Puncta enim paululum adacta hominem perimunt. Nunc tecto corpore infertur, priusque aduersarium ferit, quam eum suspicari possit. Cæsuum autem dextrum brachium ac latus nudum exhibet, & corpus obluctanti aduersario obnoxium facit, faciliusque eum quisque decutere aut cauere potest, cùm manifestè immineat. Torquebant etiam in palum magnis viribus hastilia grauiora, destinato optimè ictu: & nonnunquam etiam arcu in illum sagittas dirigebant. Vsus pali adeò communis erat omnibus apud Romanos, vt non modò ad eum exercerentur viri omnes, sed & nonnullæ fœminæ Spartanarum more, quæ Lycurgi legibus etiam in Palæstra luctabantur. Quarum non sine indignatione meminit Iuuenalis Satyra sexta, cùm ait: *Iuuen. Sat. 6.*

Quis non vidit vulnera pali.
Quem cauat assiduis ludibus scutóq; lacessat.

Et paulò pòst addit:

Aspice quo fremitu monstratos perferat ictus,
Et quanto galeæ curuetur pondere, quanta Poplitibus sedeat.

Illud ind gnationis est.

Quem præstare potest mulier galeata pudorem,
Quæ fugit à sexu.

Fessi deinde his exercitationibus mergebantur in Tiberim non modo vt sudorem ac puluerem abluerent, sed vt natandi vsum discerent, ad complures necessarios militię casus, id quod nõnulli armis onusti faciebãt: vnde illud Silij li. viij. de indole Scipionis.

Vndosum frangere nando,
Indutus thoraca vadum.

Compluribus alijs laboribus insuescebant Romani iuuenes, vt vtiles fierẽt rei bellicę, & præter omnium gentium milites laboriosissimi habebantur, nam vallum indefesse ferebant, & dimidiata mensis cibaria, vt ait Cicero. Scutum autem & arma longo vsũ quasi pro membris corporis habebant, celeritateque gradiendi hostes semper præuertebant, quod quidem Mantuani versus indicant:

Non secus ac patrijs acer Romanus in armis
Georg. 3. *Iniusto sub fasce viam cum carpit & hostem*
Ante expectatum positis stat in agmine castris.

Longum esset omnes militares exercitationes referre, & earum rationes recensere, præceptaque dare, quibus partibus imbuendi sunt tyrones, quo gestu nitantur, dum tela venientia deflectunt, & quo dum plagam prudenter & audacter inferunt, & quomodo numeros in armorũ ratione implere debeant, quomodo scutum tractent, sudes figant, ordinẽ seruent, locum tueantur, quæ omnia potius eius esse videntur, qui de re militari scribit, quàm eius qui de ciuili societate: quocirca multa consultò prætereunda esse duxi, ne in possessionem alienam furtim obrepere videar. Id tamen concludendum censeo, complures ex iuuenibus nostris bellica disciplina erudiendos esse, tum vt Rempublicam tuea-

tueantur omni tempore, tum ne in bellorum difficultate omnia peregrino ac venali militi credere cogamur.

Qua ætate militiæ præficiendi sunt milites.

TIT. V.

PLato ante trigesimum ætatis annum neminem militiæ præficiendum statuit, etiam si spectatæ virtutis esset, & aliqua militari gloria illustratus. Hanc ætatem legitimam etiam bellicis muneribus arbitrati sunt Athenienses. Tametsi huic legi aliquando derogauerint, & præcipuè in Alcibiade, qui adeò gratus populo in adolescentia fuit, vt omnium ciuium oculos, quoties in publicum prodiret, in se vnum conuerteret, nemoque ei par Athenis existimaretur. Is ante ætatem bello Syracusano præfectus est, cui tamen duo longè maiores natu collegæ dati sunt, Nicias, & Lamachus, vt tutius Reipubl. consulerent. Idem etiam placuit Romanis, nec ab hoc præscripto discesserunt, nisi in maxima Reipubl. calamitate post varias multiplicesque Hannibalis victorias, cùm iam vrbi immineret, ciuesque omnes in magna desperatione esset. Scipionem iuuenẽ admodum delegerunt, quem cum exercitu Carthaginem mitterent, vt pressi domesticis malis, ab Italia Hannibalem reuocarent. Octauius quoque duo de viginti natus annos Imperator designatus est, Cicerone id populo Romano suadente: verùm cùm deinde rem gereret minus ex sententia, ingemuit Cicero, & pertæsus consilij sui epistolam scripsit, in qua se nunquam sapientem exclamat, & Rempublicam à se deceptam fatetur. Sed longè tutius veteranis militibus exercitus creditur, iuuenibus nequaquam, quorum consilia illa prima ferociora sunt, minusque incerta casuum reputant, cum fortuna nunquam eos deceperit. Senes autem quieto animo multa præuident, & fortunæ aditus consilio præcludunt: & vbi fortibus viris esse opus est, faciunt id quidem non tam libenter, quàm necessario: maluntq; in

prælio potius quàm in fuga mortem oppetere. Duæ verò ille virtutes (quas in Themistocle summis laudibus effert Thucydides) nō nisi post longam experientiam ducibus esse possunt, vt de instantibus verissimè iudicent, & de futuris callidissimè coniiciant.

Nestor.

Nestor Nelei filius maximus natu Græcorum omniū qui contra Troianos militauerunt, quanta virtute, quanta sapientia, quantaque eloquētia ab Homero, & alijs qui de bello Troiano scripserunt fuisse dicitur? Sic & Philotectes, qui sexagenarius Troiam venit, plerosque iuuenes virtute & consilio superauit, adeo vt ex eius sagittis fatum Troianum non parua ex parte penderet. Doctus enim ab Hercule, sagittarius optimus euasit, meruitque sagittarum ab eo hæres institui. Hanc sententiam secutus est Alexander Macedo, qui annum vnum & vigesimum agens, Philippum patrem amisit, & vt non tam imperij quàm gloriæ successor esset, cùm paternum exercitum hæres accepisset, non æquales suos, cum quibus educatus fuerat, aliósue primæ ætatis ac roboris iuuenes, sed veteranos elegit, & plerosque etiam emeritæ militiæ, qui cum patre dudum militauerant, vt non tam milites, quàm militiæ magistri lecti viderentur. Ordines autem non nisi sexagenarijs permisit, vt principia intuentes, non castrorum magistratus, sed antiquæ alicuius Reipubl. Senatum esse putarent: quæ quidem res effecit, vt victor semper euaserit, & cum parua admodum manu sexcenta Persarum milia superauerit: & nisi morte præuentus fuisset, vniuersum terrarum orbem subegisset. Et sanè si rectè iudicare volumus, non modò consules, sed deinceps omnes qui cum imperio sunt, alijsque imperant, grauitatem consilij, & magnam rerum experientiam habere debent. Nam (vt Romanis nominibus vtar) Legati in bello nonne Imperatoris vicem subeunt? omnibus præscribunt quid facto opus sit, vadimonia constituunt, & cùm expedit iustitium indicunt, aliaq; omnia agunt quæ ad summū quemque ducem spectant: sic tribunus militum, qui primæ legioni præest, vir fortissimus esse debet, & virtute

Philotectes iuuenib. alacerrimus.

Alexāder maturæ ætatis viros sequutus.

Legati in bello Imperatoris vice sunt.

virtute atque omni militari arte optimè institutus. Præfecti quoque singularum legionum, qui tot viros dicto audientes habent, tum suo munere grauissimi esse debent, tum quòd absente legato eius vices gerunt. Præfectus præterea ad quem castrorum positio pertinet peritissimus omnium sit opus est, longa, probataque militia spectatus: loci enim Genium diligenter speculari debet, vt optimam partem eligat, in qua tutissima sint castra, ne mons immineat, ex quo facilè ab hostibus milites sui exturbari possint, néve à flumine innundari, ac mergi, seu à nimis vicina silua incēdio deleri, quòd Crasso bello Sociali contigit, qui eiusmodi incuria cum omnibus propè copijs, subito igne ab hoste supposito crematus est. Sic etiam Camillus incendio proximæ siluę Volscorum castra deleuit. Præterea cogitet, vt lignorum, pabuli, aquæq; copia suppetat, facilis sit egressus in subiectos agros, tutissimusque reditus in castra. Nec longa experientia carere debet fabrorum præfectus, cui præcipua cura incumbit, ne quid exercitui desit, quod ad expugnandum repugnandumq; pertineat. Hic lignarios, ferrarios, carpentarios, tignarios, cementariosque fabros paratos habere debet, ad machinas, turresq; ligneas, & ad arietes, onagros, ballistas, cæteraque tormentorum genera: Denique concludendum est maiores natu reliquis in exercitu præficiendos, iuuenes autem alijs honoribus honestandos, & præcipuè his, qui plus gloriæ habeant vbi res bene successerit, quàm periculi, si fortuna eos fraudarit.

De præmijs ac muneribus militaribus.

TIT. VI.

PRæmium & pœnam duo quasi numina statuenda esse in Repub. in superioribus diximus, id quod & in re militari censendum est. Neque enim satis erit pœnæ formidine milites dicto audientes habe- *Iust. Lipsius libris Electorum. Et commentariis.*

re, nisi gloriæ præmijque spes calcaria fortitudini adhibeat, & virtutis studium ea vltro singulis præscribat, quæ neque duces neque Imperatores docere possunt. Maximus quidem animi affectus est spes, & ad ea nonnunquam impellit, quæ præter humanas vires esse videntur, nullaque ratione suaderi possent. Hac opinione ductus Simonides poëta, hunc affectum quem alij omnium dulcissimum esse dicunt tyrannum bonorum appellauit, vt qui inuitos sæpenumero trahat, & torpentes foueat, oscitantesque expergefaciat. Prodest castigata segnities, adiuuat laudata virtus: sed laudis, gloriæque præmia longè magis militum animos excitant. Hinc munera in Republica, & coronæ militares à veteribus propositæ militibus erant, quarum auctorem nonnulli Vulcanum, qui apud Aegyptios regnauit, fuisse perhibent. Nam cùm bellum gereret, fortitudine pręstantes corona quã ex auro & gemmis Indicis fecerat, alliciebat, hanc coronam suasu Veneris Baccho dono datam dicunt, cùm ab inferis Dionem matrem incolumem reduxisset.

Alij Bacchum à Venere in nuptijs Ariadnes dono accepisse asserunt, eamque authoramentum fuisse stupri, vt ad æternam Bacchi memoriam inter sydera pone Ariadnes astrum luceret, vt appareat fortibus viris coronam virtutis præmium esse. Athenienses (vt fabulas omittamus) hoc inuento gloriantur, vt qui primi oleagina corona de Republica bene meritos ciues, & fortes Imperatores ac duces decorauerint, quam quidem ex olea ad honorem Palladis, virtutis ac sapientiæ Deæ fieri voluerunt. Et coronatus dicitur Thrasybulus, qui patriam à tyrannis liberauit, quem fide, constantia, & animi magnitudine nemo Atheniensium vnquam vicit, duxitque satis pro meritis suis in patriam oleaginam coronam esse, cũ magna munera & patriæ prope imperium ei deberetur. Romani complures militares coronas instituerunt, & in primis triumphales, laureasq;, quas deinde malo vso ex auro à populis Principibusq; Imperatoribus dato effecerũt, aurumq; coronarium appellarunt.

Corona oleagina.

Gellius lib. 5. cap. 6.

runt.

runt. Secundum munus fuit Oualis corona, qua donabantur Imperatores, qui non triumphantes sed ouantes in vrbem reuertebantur. Hæc mirtea erat in honorem Veneris. Fuit & alia quam obsidionalem appellarunt, quam hi qui li erati obsidione fuerant, ei duci dabant qui illos liberauerat. Hæc graminea fuit facta eo loci, quo obsidio facta fuerat. Ciuica quoq; corona inter nobilissimas habita est, quam ciuis ciui à quo seruatus in prælio fuerat, salutis vitæq; testem dono dabat: huius meminit Cicero cùm ait: *At etiam gregarij milites faciunt vt inuiti, coronam dent ciuicam, & se ab aliquo seruatos esse fateantur: non quòd turpe sit protectũ in acie manibus hostium eripi (nam id accidere nisi forti viro & cominus pugnanti non potest) sed onus beneficij reformidant, quòd permagnum est alieno deberę, idem quod parenti.* Ea fuit quernea ex Martis honore, vt quidam volunt, vel quoniam cibus victusque antiquissimus ex glande fuit, vnde deficiente quercu, iligna fiebat, cùm secundam glandem ferat ilex. Muralis corona etiam nobilitate elata est, quam Imperator donabat ei qui primus hostium muros inuaserat. Idcirco quasi muri pinnis insignata erat, sicut Castrensis, quæ insigne valli habuit, qua coronabatur qui primus in hostium castra pugnãs introiuerat. Sic & Naualis rostris nauium ornata, quæ maritimo prælio donabatur militi qui primus in hostium nauim vi transiijsset. Multis alijs muneribus eos afficiebant Romani, qui fortiter pro Repub. pugnauerant, ne virtutis præmia deessent, sed gloria allicerentur, qui fortitudinis exempla ostenderent. Nam Torques, Anuli, Bullæ, Armillæ dona fuerunt militaria. Et optio etiam vxoris inter quasque pulcherrimas præmium virtutis apud nonnullas gentes aliquando fuit, vt apud Tapyros qui inter Derbicas & Hyrcanos habitant, quorũ fortissimus quisq; patrio instituto quãcunque vult ducit vxorẽ. Pedestres verò equestresq; statuæ clarissimornm artificum manu factæ, quid aliud quã militum gloriam ostendunt? Sic trophea & arcus triumphales Imperatorũ ac ducum, in quibus non modò inscriptiones, & nomina illorum gesta im-

Obsidionalis graminea.

Ciuica quernea.

Pro Cn. Plantio.

Naualis aurea.

immortalitati commendant, verùm elegantiſſimæ ſculpturæ pugnarum faciem indicant, & poſteros æmulationis ſtudio incendunt. Antiquiſſimum victoriæ monumentum Obeliſcus fuit apud Aegyptios (vt Ammianus Marcellinus ſcribit) lapis quam maximus ſpecie quadrata cõſurgens in excelſam altitudinem, inſtar radij ſenſim decreſcens in anguſtum verticem, elatusque à baſi, æreisque talis, quatuor quaſi pedibus ad angulorum perpendiculum, eo inciſæ erant innumeræ volucrum ferarumque formæ, hieroglyphicæ appellatæ, velut notæ hiſtoriam indicantes, non enim adhuc literæ inuentæ fuerant, quibus mentis humanæ ſenſus facilè exprimerentur, ſed ſingulæ animalium figuræ, ſingula verba, ſingulásve ſententias ſignificabant, quibus perpetuæ memoriæ poſteris ſeculis Imperatorum laudes mandarentur. Fuerunt etiam Thebis obeliſci, in quibus Regum nomina inſcripta erant, & pręclara eorum domi militiæque geſta: ex quibus declarabatur non modò ex ambitioſo portarum numero, Thebas fuiſſe præclaras, verùm etiam ex imperio, quod quidem vſque in Scythiam & Bactrianam & Indiam, & Ioniam propagauerant, vt Strabo Cretenſis paſſim refert. Diodorus tamen Siculus libro primo antiquiſſimum tropheũ fuiſſe putat columnam in Lybia erectam ab Hercule Aegyptio in memoriam belli Gigantini, principio quaſi humani generis priusquam ferrum & veſtimẽta inuenta eſſent. Vnde heros ille clauam geſtabat, & leonis pelle tegebatur. Fuerunt etiam Imperatores qui ob memoriam magnæ alicuius victoriæ vrbes condiderunt vt Octauius Auguſtus, qui ante oſtium Ambrachij ſinus vbi nauali prælio M. Antonium, & Cleopatram Aegypti Reginam vicit, vrbem ſtatuit, quam à victoria Nicopolim appellauit, & Actio Apollini templũ præclari operis ædificauit, ludosque conſecrauit, quæ Actia dicebantur. Nec ſolum viuos homines, qui res egregias in bello geſſerant, præmijs, & honoribus afficiebant veteres, verùm illos quoque qui fortiter occubuerant, in numina relatos eſſe opinabantur,

Lib. 17.

Hieroglyphica nota.

Actia, quinquennales ludi.

bantur, eisque locum in cœlo dari putabant, in quo cum dijs æuo pe petuo fruerentur. Hac opinione ductus Demosthenes sæpenumero iurat in orationibus suis per interfectos in Marathone & Salamine, quasi indigetes illos aut Deos esse omnino arbitraretur. Publicum præterea sepulchrum illis constituebatur, quod Polyandrion Græci appellabãt, & nominibus titulisque clarissimis inscribebãt, vt perpetuæ memoriæ viri fortes commendarentur: quale fuit apud Thermopylarum angustias, in quo omnes, qui cum Leonida pro salute Græciæ ceciderunt, sepulti sunt, & quinque columnæ versibus sculptæ illorum virtutes posteris indicabant. Tale etiam extitit apud Marathonem vicum, vbi Milciades Persarum copias superauit. Simile monimẽtum erat apud Plateas, quo loci Mardonium ducem cum trecentis Persarum millibus Græcorum copiæ deleuerunt. Simile etiam apud Cheroneam, vbi Philippus Macedo magno prælio victis Atheniensibus, Bœotijs, & Corinthijs Græciam subegit. Simile etiam apud Leuctras, vbi Thebanis Epaminundas Lacedæmonios superauit, quos deinde apud Mantineam vicit, & ipse in eo prælio occubuit. Romani gentium victores, hostium fugam trophæis signabant, & pro tempore truncis arborum fugientium exuuias & reliqua arma suspendebant. Deinde quam maximas columnas turrium instar erigebant, in quibus & sculpturis & literis summam faciemque historiæ adnotabant: vt testimonium perpetuò seruarent. Q. Fabius Aemylianus tropheum cãdido marmore statuit ad Comenum montem, vbi Isara & Rhodanus in vnum alueum concurrunt, eo namque loci cum triginta milibus Romanorum militum, ducenta Gallorum milia profligauit. Eius inuentum nonnulli Liberi patris (quem Dionysium appellabant) fuisse perhibeant, hunc enim omnium primum triumphasse dicunt, cùm vniuersam Indiam superasset, eiusque currum Tigres, ac Linces traxisse fabulantur, & cerimoniales operationes (quæ orgia dicuntur) longo ordine preisse: nam suis locis dispositi erant Sileni, Satyri,

Sepulchra publica vbi constituta.

Satyri, Fauni, Tityri, Bacchæ, Lenæ, Thyæ, Mimallones, & Nymphæ ac Musæ omnes quæ choreas ducebant, carminaque varijs modulis in honorem Bacchi concinebant, nituntùrque etiam hoc ostendere à triumphi nomine: Græcè enim θρίαμβος dicitur, quòd alij dictum putant à Poëtico furore quē Thriasim vocant, & iambo poëtico pede: iambicis enim versibus in triumphantem Bacchum cauillabantur milites qui currum sequebantur. Alij deducunt hoc nomen à ficulneis frondibus, que Græcè θρία vocātur, & iambo. Ficus enim Libero patri dedicata est: cuius folijs ante oscillorum ac personarum vsum omnes, qui in triumphantem conuitiabantur faciem (ne internoscerentur) velabant, quò liberius iambicis cauillis vti possēt. Ex hac cōsuetudine Græci ἰαμβίζειν dicunt, quod cauillari & conuitiari significat. His opinionibus constat triumphi nomen Græcam habere originem, cui rei Varro, & nōnulli Grammaticorū adstipulatores sunt: & nisi vsus præualuisset T. aspirationem habere debuisset. Suetonius tamen Tranquillus triumphum Latinam dictionem esse sentit, diciq; putat à tripertito honorantium iudicio, exercitu Senatus, & populi: quod si ita esset, T. omnino aspiratione careret. Latini etiam T. non aspirant in suis dictionibus, Romani triumphandi morem à Romulo vrbis conditore habuerunt. Huius rei Dionysius Halicarnasseus testis, ad hanc ferme sententiam: *Romulus Genniensibus victis, primitias offerre, varia sacrificia facere, triumphùmq; ducere instituit. Vltimo ipse post triumphalem pompam quadrijugo curru vehebatur, purpurea indutus veste, & lauro coronatus, equestres pedestresq; copia sequebantur, dijs pro victoria gratias agentes, incondito carmine ducem suum efferebant extemporalibus versibus,* Romani *omnes qui intra mœnia remanserant, cum coniugibus ac liberis præ victoria gaudentes obuiam prodire, vinum pateris libare, & mensas passim ante illustriorum virorum ades sternere, dapibusq; ac ferculis onerare redeuntibus victoribus festinabant.* Hunc triumphi ordinem à Romulo institutum crescente imperio consules Imperatoresque Populi Romani adeò aure-

Triumphus vnde.

auxerunt, vt nihil præstantius, nihil admirabilibus dici aut excogitari possit. Omitto Liuium, omitto Ammianum Marcellinum, & complures alios nostros, qui aliquid de triumpho scripserunt, ne qua suspitio gratiæ, aut adulationis in eis fuisse videatur. Lege Plutarchum hominem Græcum, qui æmulatione Latini nominis ductus, vel vera omnino scripsit, vel extenuat potius, quàm auget quæ maiora aut admirabilia esse cernuntur. Is in vita Aemylij Pauli Macedonicum triumphum trium dierum serie ordinat. *Primam quidem diem vix satis fuisse ait tabulis, colossis signisq; transmittendis, quæ ducentis & quinquaginta curribus vehebantur. Secunda die pulcherrima & ornatissima Macedonum arma multis curribus delata fuisse asserit: galeas præterea, scuta, thoraces, ocreas, & Cretenses peltas, & Thraicias cetras, pharetras etiam, & equorum fræna, & nudos enses ac sarissas infixas, quæ minas etiam præ fulgore adeò seruare videbantur, vt sine spectantium metu cerni haud possent. Post hos armorum currus tria virorum milia sequebantur, qui numismata ferebant argentea, vasis trecentis quinquaginta. Vas quodlibet trium talentorum extitisse dicit, & quatuor viros singulum quoque detulisse, alios complures suo ordine crateras argenteos & phialas, & calices ingentes, præclari operis portasse. Tertia die prima luce tubicines bellicum canentes præisse ait, quos centum & viginti boues auratis cornibus, & vittis sertísque ornati sequebantur. Et pueri aureas argenteásque patinas sacrificij gratia deferebant. Hos sequebantur (vt idem refert) iuuenes qui aurea numismata gerebant in vasis trium talentorum, numerus vasorum fuit octoginta minus tribus, his succedebant, qui auream phialam decem talentorum, quam Aemylius ex lapillis effecerat. Item qui Antigonea & Seleucia & Therielia, & Persei vasa portabant. Post hæc Persei currus & arma, & diadema super armis positum, deinde modico interiecto interuallo, illius filij ducebantur: masculi duo, & fœmina vna, & cum eis pædagogi, ac ministri manus ad ciues tendentes, mœsti adeò, vt plerisque ciuibus lachrymas excuterent. Ipse autem Perseus post & ministros ibat, pulla veste amictus, & crepidas more patrio in pedibus habens ad omnia trepidus, & mente turbatus præ magnitudine malorum.*

Plutarchus Latinæ veritatis æmulus

Triumphus Macedonicus.

lorum. Post eum deferebantur quadringentæ aureæ coronæ, quibus Aemylium virtutis gratia Græciæ ciuitates donauerant. Aemylius deinde sequebatur ornatissimo curru vectus, indutus purpuram auro contextam, lauri ramum dextera gerens. sic quoque milites qui circum currum, Legiones, Cohortes, Manipuli, militesq; omnes longo ordine sequebantur, partim Aemylij laudes canentes, partim cauillis & iocis per risum eum (vt moris erat) lacessentes. Hæc pauca (vt breuius potui) ex Plutarcho collegi, quibus facilè coniectare possimus triumphi pompam omnium mortalium rerum quam maximam fuisse apud Romanos. Habitus triumphantium ex Hetruscorum Regũ habitu fuit. Nam coronam auream habebant, sellam eburneam, sceptrum eburneum, aquilam desuper. Vnde illud Iuuenalis:

Cauillandi mos in triumphis.

Aquila.

Da nunc & volucrem sceptro quæ surgit eburno.

Tum purpuream tunicam, contextam auro, quam Iouis tunicam idem poëta appellat. Tum amictum purpureum varium quali amiciebantur Lydi, Persæ Reges, vt Dionysius etiam refert, & duodecim fasces, duodecimq; secures & Hetruscorum Regum more.

Decernebatur autem triumphus ex Senatusconsulto, & his solum, qui vrbes expugnassent, aut magnos exercitus, profligassent. Quinetiam ne parua ex victoria triumphus peteretur, nisi ei cuius ductu quinque hostium milia vno prælio cecidissent, & ne falsus numerus referretur, legem ediderunt, qua indicebatur pœna Imperatoribus qui aut hostium occisorum in prælio, aut amissorum ciuium falsum numerum Senatui ausi essent scribere, iurabantque antequam de triumpho ageretur, apud Prætores vrbanos de vtroque numero vere ab his Senatui esse scriptum. Lex etiam fuit, vt pro aucto solùm imperio, non pro recuperatis quæ populi Romani fuerant, triumphus decerneretur: idcircò nec Fuluio qui amissam Capuam restituit, nec L. Opimio qui Fregellanos, qui defecerant, ad deditionem compulit, aditus fuit ad Senatũ, vt de triumpho referretur. Missis etiam ad res gerẽdas sine vllo magistratu triumphus non decernebatur. ideò nec P. Scipio ob recuperatas

Triumphus quibus decernebatur.

Triumphorũ leges.

peratas Hispanias, nec M. Marcellus ob captas Syracusas triumphauit. Sed quando per seditionem extorqueretur, extraordinarius triumphus dicebatur, quod etiam Liuius sentire videtur in tertio libro Romanarum historiarum his verbis. *Valerius & M. Octauius consules de Equis ac Sabinis, quos bello vicerant, triumphum petentes, à Senatu repulsi sunt. Populus autem referente L. Iulio tribuno plebis triumphum consulibus tum primò decernit, Caio Claudio vociferante, de Patribus non de hostibus consules triumphare velle: gratiámque pro priuato merito in tribunum, non pro virtute honorem peti: nunquam antè de triumpho per populum actum, semper æstimationem arbitriumque eius honoris penes Senatū fuisse.* Mutatus deinde est ordo triumphantium pro voluntate, ambitioneque Principum, vt Appianus Alexandrinus pleraque refert in triumpho Cn. Pompeij, quæ præter consuetudinem sunt aliorum, qui antè eum triumphauerant. Fuit & minor triumphus, quem Ouationem appellabant. Huius inuentores Romanos fuisse Dionysius Halicarnassæus refert, cū ait: *Superatis Sabinis apud Niritum oppidum maximo prælio, Senatus redeuntes cum victoria consules triumphis ornauit.* Menenium quidem Lauatum maiore, Publium verò Posthumium minore, Ouatione quidem tunc primum (vt ait Licinius) à Senatu inuenta. Differt autem Ouatio à Triumpho, quòd pedes ingreditur cum exercitu non clangentibus tubis, sed præcinentibus tibijs, laurea tantùm corona ornatus, vt Dionysius refert: vt verò A. Gellius cap. 6. libro quinto, & ex Græcis Plutarchus, myrthea. Nam laurea solis triumphantibus debebatur, nō vehitur curru, non induitur picta veste, neque aureo clauo, neque trabea, neque sceptrum tenet: reliqua penè omnia triumphantium habet. Ouationis nomen alij putant Græcam habere originem, alij à Bacchi nomine dici, quem Euan veteres poëtæ dixerunt. Sed alia ratione diligens verborum indagator Festus Pōpeius dici putat, quòd ouantes dicantur, ab eo clamore, quem faciunt redeuntes ex pugna victores milites geminato O litera. Sunt qui opinantur oua-

Ouatio, à Romanis inuenta.

Ouatio.

tionem dici à sacrificio ac victima, quæ ex ouibus fiebat. Nam sicut in maiore triumpho centum boues mactabantur, sic in minore centum oues, id exẽplo Laconum fiebat. Sparta enim quondam centum vrbibus imperabat, cognominabaturque Hecatompolis: singulis namque annis ab vrbium numero Spartani ciues boues centum immolabant, & id sacrificium hecatomben appellant. Vnde illud Pindari. Omnia centena faciebant. Sic etiam Satyricus noster.

Hecatõpolis.

Hecatombe.

Nec deerunt qui promittant hecatomben.

Nec contrarium huic rei videri debet, quod Plutarchus in vita Aemylij Pauli, vt diximus, centum & vinginti boues ad victimam ductos dixerit. Nec id magnitudini triumphi aut gloriæ rerum gestarum tribuendum est, licet Macedonas vicerit, Xerxem Regem superauerit, septuaginta Epirotarum vrbes euerterit, ex quibus centum & quinquagita milia mortalium in seruitutem redegerit, vt auctor est Polybius: sed veterum sacrorum ritui. Facturi siquinem sacra, vt ex sententia Varrodis cerni licet, vltra numerum animalium quæ mactaturi essent, alia eiusmodi generis præmittebant, alia submittebant, ne quid sacrificio deesset, vel fuga pecorũ vel quod aliquo alio casu minus idoneum haberetur. Præsto igitur aderat vnde acciperent ne minueretur numeres, piaculumque committeretur, vocabaturq; præcidanea hostia, quæ præcedebat, & succidanea. Sic ergo in triumpho Aemilij Pauli iudicandum est centum boues veram victimam fuisse, reliquos autem præcidaneos, succidaneosque. Hæc de triumpho, & reliquis muneribus satis. Nunc autem tempus admonet, vt huic operi finem imponamus, ne magnitudo voluminis laudem (si quam mereretur) obscuriorem reddat. Solonis enim illius sapientis sententia iandudum pro oraculo habita est, cùm ait: *Omnibus in rebus videndum esse, ne quid nimis.* Nam quamuis suus cuique rei modus adhibendus sit, tamen magis offendit nimium quàm parum: qua in re veteres scriptores summoperẽ laudant Apellem qui & decorum opti-

Succidanea.

mẽ

mè seruauit, & pictores illos vehementer peccare dibat, qui non sentirent quid esset satis. Atqui Phidias Atheniensis Olympij Iouis simulachrum ex ebore fecit, cuius pulchritudinem omnes mortales admirati sunt. In hoc pecasse deprehenditur, quòd dimensionis rationem non rectè seruauit. Nam cùm sederet simulachrum tanta magnitudine erat, vt tectum templi attingere videretur: quod si erigeretur, staretque tectum omnino deicijendum fuisset. Ne igitur in similem culpam incidamus, hactenus dixisse sufficiat. *Phidias.*

FINIS.

INDEX COPIOSISSIMVS VOCABVLORVM, HISTORIARUM, similium, sententiarum, dictorum, factorumq́; memorabilium, quæ in hoc opere continentur.

ACademici vnde 95
academicæ sectæ princeps Plato 92
achillis & patrocli amicitia 164
actia, quinquennales ludi 412
actio humanæ vitæ quadruplex 111
adolescentis descriptio 401
adrianus Imperator Romanus 148
adulari vnde 229
adulatio 220
adulteram vxorē Cæs. repudiauit 166
adulterium grauiter à Persis punitum 169
aduocatorum præmiū 131
ædes sacræ 368
ædes priuatæ 362
ædis sacrę latitudo longitudinis dimidium esse debet 369
ædium pulchritudo auget viri dignitatem 362
ædium sacrarum triplex ratio 368
ædificandi ratio 49
ædificandi inuentores ib.
ædificia vbi optima 313
ædificia publica & communia 363
ædificia quæ diuturna ib.
ædiles 146
ædiles qui 125
æditiuus 146
ægyptiorum iudicia 131
ægyptij Osirim solem dixerunt 82
ægyptij animalium figuris pro literis vtebantur 62
ægyptij sua nomina apud præsidem profitebantur 43
ægyptij philosophiam se inuenisse glorianture 98
ægyptus cœlesti humore destituta 337
ægyptus Memphis filius 98
æmilia virgo vestalis 179

æmilius vnde 301
æmilius repulsam tulit 122
æmilius quam curiose filios suos docuit 206
æneæ mors 81
æneas indigetes ibid.
æqualitas concordiam parit 33
æquitas in bello seruanda 388
ærarij ratio 138
æsculapius 73
ætas in milite conducendo spectanda 400
ætatis cuiusque virtus 230
agathocles ex figulo Rex creatus 265
ager effatus 349
agesilai mors 253
agger 354
aglaophon pictor primus 54
aglaus agricola 40
agni Subrumi 191
agnomina 298
agri emptorem quid considerare debeat 307
agricolæ sunt laudandi, agriculturam ne deserant 41
agricultura 25
agricultura beatos facit 40
agriculturæ scriptores 38
agricultura in clypeo Achillis 40
agriculturæ laus 38
agricultura ad politiam necessaria 41
agricultura vitam pollicetur ibid.
agricultura sanis alimentũ 72
agrippa 300
agrorum limitatio 129
agrorum diuisio 269
aiacis proceritas 401
albaris apud Scythas 100
albidius fuit proteruus 239
alcœus aureo plectro donatus 90
alcibiades eloquio præclarus 391
alexander 49
alexander pictura delectabatur 55
alexander præceps in iram 231
alexandri statua vbi 56
alexandri velocitas 397
alexandri astutia 396
alexander maturæ ętatis vires secutus 408
alexander præceptori quãtas debeat gratias 199
alexandri vigilia 143
alexander eruditionem prætulit opibus 196
alexandri mors 331
alexander de Homero 89
alexander.21. annum agens Philippũ patrem amisit 408
aliena licet miscere suis scriptis 3

ambi-

ambitio 288
ambitiosi ciuis incommoda ibid.
amphion Iouis & Antiopes filius 71
amicitia sensim dissuenda 290
amicitia vera inter coniuges 65
amicorum omnia communia 156
amicorum quatuor paria 163
amor diuinus furor 84
anacharsis philosophiæ inuentor 100
anatomia 74
anaximandri prædictio de terræ motu 67
anfractus 354
ania 186
animæ tres gradus 345
animi morbi 74
animi ratio 215
animi medicina ib.
animus languens corpus victum reddit 102
anniceris Lybs 94
annonæ præfectus 144
annonæ nomen ib.
annulus donum militare 411
anserum solertia 228
antæi sepulchrum sanctum 254
antigonus altero oculo captus 55
antimachus quanti Platonem fecerit 8
antipho Ramnusius 131
antistites 125
antonij aspectus 402
antonij fidelis seruus 154
antonius Pius frugalissimus 176
antoninus princeps philosophus 14
antoninus picturam exercuit 54
antoninus vxoris turpitudinem tegere curauit 567
antoninus stoicæ sectæ deditus 96
apelles pictor 55
apes imitandæ 5
aphranius Togatarum Poëta ibid.
aphricano quæ causa exitij 141
aphricanus Panætium audiuit 96
apollinis simulachrum treis habens Charites 71
apollo Musarum moderator ibid.
apollo cytharam solùm inuenit ibid.
apollonia Ponti vrbs 57
apollonius Glaucidas 73
aqua & diuersæ eius virtutes 328
aqua bituminosa 334
aquæ medicæ. 338
aquæ puræ signa 336
aqua optima quæ ib.
aqua insalubris 335
aquila 416

arbores infœlices 320
arbores fœlices ibid.
arbores glandiferæ 317
archesilai scitum 384
architectura 49
architectus debet esse doctus ib.
architectus adhibendus cũ vrbs statuitur 343
architecturam Vulcanus invenit 50
archimedis solertia 51
architas à Tarentinis obseruatus 7
arcis munimentum Thebanis fuit exitio 358
arenarum genera 327
areopagitæ 131
areta Aristippi maioris filia 196
argiui tibijs milites excitabant 69
aristides testaceis suffragijs in exilium actus 285
aristidis tabula 55
aristippus auri contemptor 47
aristocratiæ regnum 23
aristocratia 11
aristocratia quid 257
aristocratia 25
aristocratia 56
aristophanes 87
aristoteles à Platone plura sumpsit 3
aristoteles iuuenis philosophiam didicit 77
aristoteles 18. annos Platoni operam dedit 8
arithmetica teneris ætatib. ediscenda 66
arma bellica & agrestia 99
arma antiqua 386
armenia Tigranis vxor 188
armeniorum mos coniugalis 162
armillæ 411
ars ludicra 102
artaxerxis dictum de legib. Solonis 21
artaxerxis forma 204
artemisia Mausoli Regis vxor 52
artium bonarum honos rei militaris gloriæ præstat 60
ariobarzanes 256
arx an sit statuenda in vrbe liberæ ciuitatis 357
arx Palladis 359
asera oppidum 305
assentatorum mos 80
astrologiæ inuẽtor 61
astrologiæ vsus 66
astyampsicus 100
athenæ Cecropia appellatæ 13
atheniensium decretum de gemina vxore ducenda 180
atheniensium institutum 161
atheniensibus licuit sororem ducere vxorem 6
athletæ quales 105
atlas Philosophiæ inuentor 99

Attel-

attellanæ comœdiæ 88
attius: qui bene cõsulet cõsul fiat 127
auaritia pestis 248
auaritiæ morbus 74
auarus omnibus obest 175
augusti indulgentia nimia in filios 168
aures in genibus 220
autores citandos, quos tuis scriptis inseris 5

B

Babyloniorũ nuptiæ 162
babylonis muri 52
babylonis altitudo, latitudoq; 351
bacchus 222
balneæ 338
belgæ Gallorum populi 44
bellaria 244
belli ratio 373
belli authorem se polliceri periculosum in Republ. 377
bellum mortem hominibus pollicetur 41
bellum vnde 387
belua, non homo est, qui ciuilem societatem fugit 20
beneuolentia vt ineunda 98
bene viuere quid 93
beneficentia 223
bibliotheca Ptolemæi 60
bibliothecæ sapientiæ seminarium ibid.
bibliothecæ laus per comparationem 366
bæotia 63
bombarda nouum balistæ genus 354
britannorum mos coniugalis 162
bruti libertatis studiosi 26
brutus vindex libertatis Ro. 36
bryaxis 52
bullæ 411
bulla ingenuorum insigne puerorum 287

C

Cadmus vrbe sua exactus 85
cælatura 53
cæsares imperio deteriores facti 12
cæsaris versutia 397
caieta Scipio valde delectabatur 1
caietanæ vrbis amœnitas, vbertas, salubritas ib.
calamides 54
calanus Gymnosophista 98
calani mors ibidem.
callicles 56
calliditas 393
calliope Musa 70
calliphron 20
calphurnius pœnam pecuniariam induxit 123
calx 326
calx quib. lapidibus optimè coquitur ibid.
cambysis præceptum ad filium 396

cambyſes de belli duce 382
cambyſes de patrijs legibus 116
cambyſes Thebas inuaſit 58
camillus in exilium pulſus 131
camillus 303
camma mulier illuſtris 164
campus Martius cur inſtitutus 404
canachus fictor 54
candaules 174
cauere foris & intus 20
cantus Iouis inuentum 71
capadoces imperare neſciunt 256
capitale iudicium poſita vrna inſtituebatur 137
capitalia iudicia 138
capitalium rerum iudicia apud Romanos 137
capite cenſi 135
capitolium Romæ 13
cardo limes 129
carere quid ſignificet 252
caro lutulenta, aſſa, frixa 246
carthaginenſes centum Senatores delegerunt 21
carthaginenſes Xantippum impetrant 392
carthaginenſes fœdifragi 114
caſſij inopia & mors 112
caſſius à patre occiſus 56
caſtor & Pollux 402
caſtrorum eligendorũ mos antiquus 335
cato Cenſorius ægrè ſtatua caruit 57
catonis ſententia de erratis in bello 397
catonis ſcitum de ocio 34
catonis grauitas 87
catonis præcepta militaria 385
catonis dictum de agricultura 40
catullus 90
cauillandi mos in triumphis 416
cauſarum tria genera 75
cauſidici 76
cauſidicorum olim nullus vſus 132
cecrops 13
cecrops literarum inuentor 62
ceræ vis 253
cenſere quid 132
cenſi capite qui 132
cenſores & eorum duplex munus 132
cenſorum oratio ad populum de ducendis vxoribus 162
cenſores qui 125
cenſores primi Papirius & Sempronius 134
cenſus ciuis 134
pro cenſu filios procreari 212
cenſura 133. cenſere ibid.
cenſus 274

chal-

chaldæi vnde 67
chaldæi Philosophi 100
chares Lydius 52
charondras Pythagoricus 7
chilon sapiens 101
chiō, Leonides Plutonis discipuli 276
chiron 73
christus vnicus Dei filius 83
chrysippi Medea 4
cicerones 303
cicero in Sallustium 261
cicero genus duxit à Volscijs Regibus 261
ciceronis laus 77
ciceronis iudicium de pictura 54
cimon sororem duxit 161
cincia lex 76
cincinatus ab aratro ad dictaturam vocatus 403
circenses magni cur ita dicti 106
citreum malum non est cedri arboris sed citri 324
ciuilis societatis scriptores 7
ciuilis societatis ratio & inuentum 18
ciuilis institutio exemplis persuadenda 3
ciuilis vir 215
ciuis quid 22
ciues noui 277
ciuium æqualitas 33
ciues peregrinis præferendi 118
ciuis ingenuus non est nescius literarum 63
ciues tutius imperāt quam peregrini 117
ciuium officium in peregrinos 277
ciuitas 18
ciuitas quid 22
ciuitatis diuisio 258
ciuitatum ordo triplex 259
ciuitates vtilitatis gratia cōstitutæ 40
ciuitas vt conseruanda 279
claudia Vestalis 25
claudij lex in Senatorum luxum 121
claudiorum familia 24
cleobulus 101
cleobuli præcepta duo de re vxoria 174
clio Musa 70
clitus de militibus 382
clonas 71
cœlites 303
cœlibes Reip. muneribus indigni 173
cœlibes nota Censoria digni 134
cognomen 300
colonus vir bonus 39
colophonem addere 371
colossus in Rhodo 52
colossus Apollinis Romam deuecta 57
columna vnde 327
comenus mons 413
comœdi 88
comœdiæ togatæ ibid.
comœdia in Sicilia primùm adinuenta 87
comœdia nō toleranda ib.

comœ-

comœdia non toleranda 87
comœdiæ togatæ, Prætexatæ, Attellanæ, &c. 88
comœdiæ Etymon ibid.
concordia maximum ciuitatis stabilimentum 280
concordia paruæ res cresꝯunt 617
concordia ciuium 215
corona obsidionalis gramminea 411
connubium maritale 155
consilium rectum 230
consuetudo quid 132
consuetudini concedendũ 17
consul quare dictus 127
consulatus 126
consules in bello 381
consultare de bello inferendo difficile 374
conuiuia 243
conuiuia olim dominia dicta esse 246
conuiuium quatuor rebus constat 247
corax 77
coriolanus 376
cornelia Gracchorum mater 186
cornelia Gracchorum 196
corona oleagina 410
corona quernea 411
corona Naualis aurea ibi.
corporis exercitatio 102
cortina 9
corynna lyrica quinquies Pindarum vicit 90
cornelius Nepos laudatur 242
cato Censorius cur appellatus 133
crantor Xenocratis auditor 111
crantoris quadriuium 113
cratinus 87
cretenses lyræ modulis in bello incitabantur 69
cretifodinæ inuentæ 99
ctesiphon architectus 51
cupedinis forum 48
curia curam significat 127
curiones 269
curius Dentatus 150
currum Dionysij Tygres & Lynces trahunt 413
curules 147
custodia 393
cydonia 9
cyneas Demosthenis discipulus 75
cyneæ dictum in Pyrrhum 379
cynici vnde dicti 94
cynica 92
cyrenaicus Aristippus ibid.
cyrene Callimachi patria 90
cyri pædia Xenophontis 8
cyri Epitaphium 253
cytharistæ veteres 70

D

DAedali Labyrinthus 50
dare nobilius est quam accipere 220
decemuiri à Repub. deiecti 282

decij 26
defraudare genium 346
delectus militum habendus 402
delicati & elegantes nunquam validi 243
demades de Alexandro 128
demaratus Tarquinij pater 60
demetrij lex de mortuis 251
demetrius Poliorceta 45
democratia crudelis 24
democratia 22
democritus medicus 73
democritus architectus Alexandro multum pollicitus 144
demodocus Corcyræus 71
demosthenes Græcorũ Orator 391
dercyllidas neglectus, quod liberos nullos haberet 158
desidia ceciderunt Athenienses 393
deus à Virgilio Spiritus vel mens vocatur 84
deus est Spiritus partibus immixtus ib.
deus naturæ nomine effœminatus à Lino 84
deus solus sapiens 91
dialectica & eius inuẽtores 78
dialectice Eloquentiæ comes ibid.
dialectica compresse manui similis ib.
dialecticæ commendatio ib.
dialectice 92
dianæ Ephesiæ ædes 51
dianæ Ephesiæ templum 364
dicendi vis omnis in duas partes distributa 78
dicendi triplex figura 391
dij patrij & Samothraces 344
dinocrates perutilis Alexandro 51
diocles carystius medicus 73
dionysius regno pulsus 96
dionysij currum Tygres & Lynces traxerunt 413
dionysius Halicarnas. Varronis discipulus 129
dionysij sæuitia in Locrenses 359
dionysius qui Bacchus 386
diripentina virgo 181
disciplinæ tres species 50
discordia Romanos perdidit 217
dissensum à Platone & Cicerone 279
diuitiæ hominem non efferunt 112
diuitiæ sine virtute nil prosunt ibi.
diuites pauciores 23
diuitiæ belli subsidia 24
docti doctos amant 60
dolus malus 229
draconis leges seueræ 21
draconis leges explosæ quia nimis rigidæ 127
druidæ Philosophiæ inuẽtores 97

dyn-

dyndimena mater Deúm 53

E

EDucatio iuuenum apud Gymnosophistas 42
elea Lucaniæ vrbs 7
elegia 90
eloquentia sine Sophia nil prodest 77
eloquentia animi medicina 74
eloquentia flexanima 75
eloquentia rerum domina 71
eloquentia & eius inuentores 74
eloquentia explicitę manui ac palmæ similis 79
empedocles medicus 73
endymionis fabula 237
epaminundas operam palestrę dedit 104
epaminundas musica delectatus 6
ephesiorum dictum 285
ephoros Theopompus primus instituit 283
ephori 266
epicurea 92
episcopus 125
epistola Franc. Patritij 1
epitaphium Cyri 253
erasistratus Aristotelis filio genitus 73
erato Musa 21
erectrix 92
ergastula 154
erythræa terra feracissima 149
esse quæ dicantur 65
essentia duplex ibid.
essedones 29
ethica sine Physica manca 91
ethica vtilissima ibid.
ethruricę religionis gymnasium 271
eupolis 87
euterpe Musa 21
excubiæ 141
exercitatio corpus firmat 102
exercitatio corporis 102

F

FAbij 303
fabius Gurges vnde dictus 239
fabius Patricius dictus Pictor 54
fabrica quid 3
fabritius Censor
fabricij epistola ad Pyrri 281
fabrorum varia genera 409
fabulæ ad quid prosint 85
facere pro sacrificare 25
facinoribus nox aptior die 143
familiaris disciplina 153
familiariter factum 152
far campanum 243
fel hostiæ Iunoniæ cur eximebant antiqui 284
fœlicitas aliena inuidis est toxicum 286
fœlicitas Platonica 60

fera-

ferraria fabrica 99
ficus libero patri dedicata 414
fidem fallere turpissimum ibid.
fides quid ibid.
filij gloria patris triumphus 202
filij degeneres 36
filij bonæ indolis parentum lauta supellex 181
fistulæ inuentor 72
flauius Albinus 3
fluuius mira natura apud ciconas 329
fœminæ apud Italos in honore 7
fœminæ cur timidiores quā mares 157
fœminæ quæ pudicæ 169
fœminæ præstantes doctrina 197
fœminis cur oscula libabāt uiri 193
fœminæ in palæstra nudantur 29
fœmina virum facilius eligit bonum quam vir fœminam 171
fœnerari proximum homicidio 48
fons insipientes faciens 338
fons Neptunius 331
fontes aluminosi 334
forceps inuentus 99
foris canere 70
formicarum exemplum 43
fortitudo viri propria 115
forum vnde 364
fossa 354
frumenti species 243
frumentum vt diu seruetur 271
frustra à dijs petimus, quæ in nostra sunt potestate 238
fuga hostium vt à Romanis signata 43
funerum impensæ 248. & 249
furem nocturnum ex 12. tab. occidere licet 143
furores diuini quatuor 54
furta Laconibus permissa 29
furto rem amittens quarta eius parte mulctabatur 29
fuscina Neptuni 107

G

Galeni pater 73
Gallus Poëta foroiuliēsis 58
Galli cornuum strepitu milites ad fortiter pugnandum accendebant 69
Gallorum mos militaris per vtilis 394
Galli mors 59
Galli Italis proceriores 309
Gallus fluuius 331

gallorum mos laudabilis 44
gangaridas neque Hercules neque Alexander, neque Liber superare potuit 98
ganymedes stupri causa raptus 80
genius 344
geometria teneris ætatibus ediscenda 66
geometriæ inuentor ib.
gigantum bellum 86
gladiatorum duces duo 153
gladiatorum ordo 107
gorgias statuam sibi erigi poscebat 56
gracchus pop. Rom. fistula sæpe in suam voluntatem pellexit 69
græci liberos in Poëtica erudiebant 85
græcorum mos 182
grammatica 64
grammatica disciplinarum omnium fundamentum ibid.
grammatica vbi inuenta 64
grammatica & musica eodem tempore doceri possunt 205
gratiæ 223
gratiæ Socratis opus 56
gratijs primus sacrificauit Etheocles 371
gratitudo R. Senatus in Lucullum 70
gymnasia tria ex publico constituta Athenis 103
gymnici ludi 103
gymnosophistis ab Alexandro quæstiones factæ 98
gymnosophistæ 97
gymnosophistarum mos in educandis iuuenibus 41
gymnosophistæ 17

H

HAdriani sepulchrum in Cyzico 13
hægesias 14
harmodij & Aristogitonis statuas & nomina sciri non videbant 218
harmodius sculptor 6
hargiæ dicuntur auari 13
heraclides Ponticus 7
heraclides Tarentinus 71
hercules aëris gloria 11
hercules Antheum superauit 386
herculis res gestæ 11
hercules colum trahit ib.
hercules Deus 223
herculis visio 13
herostratus nomen suum scelere perpetuum fecit 364
hesiodus & Homerus 44
hesiodi mors 41
hiagenes 71
hieroglyphica 62
hieroglyphicæ notæ 413
hippasus 7
hippocrates medicinam à sapientia separauit 71
hippocratis vaticinium de peste

peste 67
histriones publico munere indigni 87
histrionica odio habita ib.
homerus & Hesiodus 41
homerus & Virgilius inimitabiles 89
homeromastix 2
homerus ab inuidis laceratur ibid.
homerus scrinio Darij insertus ab Alexandro 89
homerus Poëtarũ parens 2
homeri laus 89
homeri mors 41
homo animal sociale 18
homo in pastorem suum seditiosus 13
homo tribus indiget 146
hominis vita nullo beneficio compensatur 136
homo nõ nisi verisimilia sequitur 91
homini quoad viuendũ 98
homo ad iustitiam natus 32
hominis natura vult, fortuna potest longioribus vti 370
honestum vt Aristoteles definiebat 6
honos virtutis comes vt corporis vmbra 206
horatij laus 90
horologiorum inuentor 94
horti olitorij 271
hostilius rusticis parentib. ortus 264
humanæ vitæ temporibus anni comparantur 235
humandi ius inuenit Cecrops 251
hyrcanorum mos de mortuis 252

I

Iani simulachrum 83
ignis vt inuentus 99
imperãdi cupiditatem esse moderandam 378
imperatores in bello 381
imperatorum clementia 393
imperatoris ornamenta explicata 382
impressio quid 122
india 97
indulgere genio 346
ingenij primum signum in pueris 199
ingratitudo 116
ingratitudo Carthaginensium 393
ingratos Persæ puniebãt 116
instrumenta rustica 99
inter os & offam multa cadunt 242
intus canere 70
inuentores quorundam opificiorum 53
inuidia Thebanorum 286
inuidia lubrica anguilla apud Aegyptios notata 62
inuidia gloriæ & fœlicitatis comes 284
inurbani qui 213
ionica Philosophia 93
ionicũ Philosophię gen9 94
iouis statua in Campo Martio 57
iouis statua cubitorum quadraginta 57
iouis tunica 416

E

iracundia 230
iracundiæ mores 14
iſchomachus optimus œconomus 177
iſis Oſiris coniunx 81
iſocrates Gorgiæ diſcipulus 77
iſonomia 23
italia à bobus nomen habet 245
italia omnium regionum temperatiſſima 310
iuba Numidicus 263
iudex corruptus pecunia pœnam meretur 130
iudicium Neptuni & Mineruæ 13
iudicium capitale poſita vrna inſtituebatur 137
iuliani Cæſ. ſententia 380
iulius Cęſar doctos pręmijs & honore affecit 96
iul. Cæſar ad Alexandri imaginem ingemuit 57
iul. Cæſaris modeſtia imperij 284
iul. C[illegible] & Pompeius affines 156
iulij Cæſ. eloquentia 391
iuno aër 83
iupiter æteris poteſtas ib.
iuramentum per interfectos in Marathone & Salamine 413
iuris vtriuſq; laus 31
ius honorarium 130
iuſiurandum 220
iuſtitia ibi.
iuſtitiæ rami ibid.
iuſtitia prima virtutum 114
iuſtitia omnium conſeruatrix 93
iuſtitiæ à teneris aſſueſcendum 20. & 21
iuuenalis de ſtatuarum raptoribus 58
iuuenalis de Regib. 13
iuuenes vnde dicti 400
iuuenum inſtituendorum mos imitandus 200
iuuenes expulſi à parentum delicijs ſæpe plus proficiunt 47

L

LAberij ſententia de amico 375
labienus fortunatus 975
lac aſininũ frontem ſtriatam polit 182
lacedæmonij diligẽtes 208
lacedæmoniorum mos carpitur 105
lacedęmonij Thebanam arcem occupant 318
lacedæmonij pueros furi alebant 102
lacedæmoniorum cõuictus publicus 19
lacedæmoniorum ſucceſſus 279
lacedæm. leuctrica pugna ibid.
lacones venatores 29
lactis in alenda ſobole vis 191
lamiſus Chabrini filius 71
lapidicinæ 326
laquearij 107
larmanochargas 98
lateres 327

latini

latini tubarum clangore in acie incitabantur 69
lectionis fructus 3
lectisternium 107
legati in bello Imperatoris vice sunt 408
legem scripturis naturam imitandum esse 31
leges 12.ta.decemuirales appellatæ 274
leges Vulcani 99
leges Persarum 20
leges aranearum telis similes 27
leges magistratui imperent 113
leges non omnes omnibus ciuitatibus conueniũt 29
legis virtus 32
legis Cinciæ seu Ciuicæ tẽperamentum 77
legumlatores 27
legum promulgatio 28
legum 12.tab.laus 31
leochades 52
leonidæ mors 93
leonides Alexandri pædagogus 64
lepicius 303
lex Rex loquens 12
lex nullo affectu mouetur 28
lex mutus magistratus 30
lex Fannia 248
lex Didia ibi.
lex Licinia ibi.
lex Iulia repetundarum 137
lex Iulia de adulterijs 171
lex sumptuaria 240
lex 12.tab.funebris 251
lex Voconia 135
lex Cincia 76
lex Voconia de ornatu muliebri 178
lex Agraria 274
lex Solonis 46
Lex Thebanorum de mercatoribus 47
lex communis Reipu.sponsio 28
lex Romanorum de incendio 356
liber pater 97
liberalitas 223
libertas 23
libri Cic. de Repub. desiderantur 17
lictores prætori tantum sex 130
linificium Isis docuit 187
linus lyræ inuentor 71
linus Chalcidensis Herculẽ literas docuit 62
linus Euboicus Apollinis & Musæ filius 71
linus Philosophiæ inuentor apud Thebanos 99
liparis Ciliciæ fluuius 338
lis vnde 129
literarum viam memoriæ obesse scribit Plato 61
literarum vtilitas ibi.
litera Pythagoræ 202
loquere, vt te videã, apophthegma 2
loqui ignorat, qui tacere nescit 227
lotos legumen fabæ simile 149
lucretia 180

ludi Circenses &c. 102
ludi Miscellanei Lugdunenses 198
ludi Gymnici 102
lunæ obseruatio in cædendis arboribus 322
lupercalia 108
lustum vnde 134
luxuria & auaritia duæ pestes 248
lycurgus 9
lycurgi instituta 27
lycurgi leges seueræ 33
lycurgi lex 204
lycurgus de Musica 68
lydi 162
lyræ inuentor Linus 71
lyriope fons 329
lyrici Poëtæ 90
lysander ab Hercule degenerauit 281
lysander auræ popularis captator 282
lysippes sculptor 56

M

MAcchaon 73
macella 145
magister 113
magistratus ibid.
magistratus lex loquens 30
magistratus diuini 124
magistratus humani officiũ 125
magistratus eligendis ætas legitima 298
magistratib. populo imperent 113
magistratus ꝓiectis in vrnã nominib. designabãtur 123
magistratus num perpetui esse debeant 34
magistratus plures nullus eodem tempore gerat 35
magistratus deferre an peregrinis liceat 118
magistratibus tria sunt necessaria 116
magnitudo bipartita 66
magon 38
maiestas 113
maiores Franc. Patricij 259
manius, Manilius, Manlius 300
manliana imperia 116
manlius Torquatus filium suum obtruncat 116
marcellus Syracusas euertit 51
mares vbique fœminis prę-sunt 156
margaritas ex cœno legere 4
marij varices 103
mariti officium 166
mars Nerio dictus 231
marsyas 71
martis simulachrũ 401
massiliensium sol[ertia] 395
massilienses à Phocensibus instaurati 298
matheses apud Aegyptios in pretio 60
mathesis ciuili viro necessaria 64
matrimonia farracea 160
medea Chrysippi 4
mediastinus quis 346
medicina ægris remediũ 72
medicina & eius inuentores ibid.

medi-

medicina triphariam diuiditur 73
mediocres viri Reipub. vtilissimi 265
medus Rex 297
meles 341
melpomene Musa 21
membra puerorum fingenda 194
memoriæ obest literarũ via 61
memphis puella 98
mendacium 220
menippea Varronis 166
mensa secunda 244
mercatores in Rep. vt accipiendi 42
mercatura 25
mercatura sine literis esse nequit 63
mercurius hermes dictus 82
mercurius Trismegistus 30
meridionalis plaga 308
messalina Claudij Cæsaris vxor 167
meta vnde 105
metelli Numidici oratio 162
meuarica 90
miletum oppidum Ioniç 94
militiæ scribendæ ratio 399
milites quã ætate militiæ præficiendi 407
milites ex agricolis fiunt fortes 42
militũ luxuria hoc æuo 384
militum officium 381
minos 9
miracula orbis septem 52
misericordiam colebant Athenienses 292
modestia vitæ 238
mœnia 350
mœnia vnde 19
monarchia 11
monetales viri 140
monimus Syracusanus 47
morbo venienti occurrite 293
mores variarum gentium 6
mortui gratia in Simonidẽ 220
mortui vt apud plerasque gentes sepeliantur 232
mors non timenda 97
mos quid 132
mos Lacedæmoniorum 47
mosis laus 30
muliebris solertia instituendorum puerorum 192
mulieres Indiæ 164
mulieris grauidæ regimen 189
mulierum dominium apud Aegyptios 176
multitudinis authoritas nõ parui momenti 28
mũdi septem spectacula 49
munimenta 19
munimenta loci 350
munus à munitione 19
muri Babylonis 52
muri iusta altitudo 360
musæ nouem 70
musei Eleusini præceptum de vino 211
musica à quibus in pretio habita 6
musicæ inuentor Pythagoras 71
musica naturæ munus 69

musica triplex 70
musica omnium disciplinarum antiquissima 72
musica ciuitati necessaria 68
mutatio periculosa 295
myron 54
mysias mons 71

N

Natura Solis, Lunæ, siderumq; moderatrix 84
naturę vox vulture signabatur 62
nemus 316
ne quid nimis 115
nescire turpe 233
nestor 408
nicæa quadrata 349
nicias caruit astronomia 67
nicostrata 62
nicostrata dicta carmēta 197
nigidius vnde dictus figulus 68
nihil difficilius, quam bene imperare 13
nilus 336
nobilitas quid 258
nobilitatis varij modi 262
nobilis verè quis ibid.
nobilium imperium 25
nomina 298
nosce teipsum 92
nubere 159
nummus vnde 141
nundinarum conuētus cur acti 39
nundinæ vnde ibid.
nuptiæ 159

O

Obeliscus victoriæ monumentum 412
obliuionis malorum lex à Thrasybulo lata 281
ochus Persarum Rex 73
ocij damnati, capite puniebantur 43
ocij magis quam negocij ratio exigenda 42
ociosi venenū ciuitatis 43
ocium à Gymnosophistis odio habitum 97
ocium concedendum quādoque 69
octauij vltio in antoniū 294
oderint dum metuant 86
officina nil ingenuū habere potest 45
oligarchia 23
olympiodorus 70
opifices necessarij in Re. 45
opificum varia genera ib.
opificia 10
oppidum 29
optimatum status 23
oratio omnia conficit 74
oratorem natura, doctrina, & exercitatio perficiūt 77
oratoriæ artis primi scriptores 77
orationem solutam conscripsit primus Pherecydes ib.
oratoribus præmia proposita 60
orator vir bonus dicendi peritus 75
orator numine afflatus 74
orchomenon 371
orchestra præstantior locus in theatro 365
orientalis plaga 308
oris laudatio 402

orna-

ornamenta muliebria rem familiarem collabefactant 178
orphei origo 83
orpheus vnum Deum confessus ib.
oscula fœminis cur libabāt viri 193
osirim Aegyptij solem dixerunt 82
osiris 73
osiris mors 81
osthanes 100
ouis lupo non rectè committitur 64
ouium commendatio 245

P

PAcuuius 86
palestræ inuentor Mercurius 109
palamedes literarum repertor 62
pali exercitatio 404
pallas aër purior 83
panthea 164
in parricidas Solon cur legem non tulit 115
parentū officium in alendis educandisq; liberis 189
parthorum connubia 162
parthorum consuetudo 182
paterfam. qualis esse debet 176
patres à cura appellati à Romanis 120
patres & patricij 259
patres conscripti 120
patria duplex: Germana & Iuris 214
patrimonia priuata 272
patrisfamilias officium in erudiendis liberis 63
patritij 120
patricius poëmata scripsit 90
patroni quales esse debeant 130
patroni seruorū domini voluerunt appellari 154
pausanias persas superauit 382
peccata omnia paria secundum Stoicos 33
peccatum grauius exemplo quam culpa 240
peculatus crimen 148
pecunia vbi primùm signata 140
pelopidas Thebis potitur 358
penares 344. & 347
penelopes telæ 187
peregrini qui ciuitate donandi 277
pergamena bibliotheca 367
periandri factum 24
pericles 67
pericles Anaxagora vsus 95
peripatetica 92
periander vxorem interemit 101
persarum Magi 100
persarum mos in erudiendis pueris 115
persarum leges 20
pestilentia quomodo vitāda 315
phalaris ad Albarim scripsit 100
pharos turris 344

phidiæ ſtatua 45
philamnon Thamyræ pater 71
philippus iniuriam ab vxore acceptam riſu diſſimulauit 167
philippus dolo Athenas obſidet 291
philippus ad Ariſtotelem ſcribit 96
philippus Græciam ſubegit 413
philippus iudex in cauſa Machetæ 27
philippus pictura delectabatur 55
philo architectus 51
philoſophiæ genus Italicũ inſtituit Pythagoras 93
philoſophiam Pythagoras primus appellauit 91
philoſophorũ decẽ ſectę 92
philoſophamur fruſtra, Matheſi non cognita 65
philotectes iuuenis alacerrimus 408
phocionis callidum reſpõſum 232
phoroneus 30
phrygij tibiarũ inuẽtores 71
phyſica multum prodeſt 91
phyſica ſine Ethica manca 91
pictores primi 55
pictorum inuenta ibi.
pictura 53
picturæ in triumphis 57
pictura tacens poëſis 53
pierius Macedo 71
pietas primum iuſtitiæ munus 32
pietatis officium 114
pindarus lyricus 90
pinnæ turrium 368
pinnæ murorum ibid.
piſces ægrota corpora præſtant 340
piſiſtratus Orator 391
piſiſtrati filiorũ interitꝰ 289
piſones 303
platanum ignorant nunc Itali 325
plato Poëta 85
plato picturæ ſtudioſiſſimus 54
plato prius Ariſtocles dictus 104
plato multa à Pythagora ſumpſit 3
platonis ſententia non approbanda 156
platoni Dionyſius obuiam veniebat 96
plautus 88
plautus piſtori ſe locauit 112
plutarchus Traiani præceptor 96
plutarchus Latinæ veritatis æmulus 415
podalyrius 73
poëma & poëſis 82
pœna & præmium duo numina 36
pœna ne maior, quam culpa 33
pœnam pecuniariam induxit Calphurnius 123
poëſis loquens pictura 53
poëſis diuinus furor 84

poëtę sancti 84
poëtæ Heroici 88
a poëtis laudari magna laus 89
poëtarum fabulæ de dijs & deabus non sine causa fictæ 81
poëtis honores constituti & præmia 60
poëtæ à Rep. exigendi 80
polycleti diligentia 55
polydamas pugil 109
polygnotus pictor prim⁹ 54
polymnia Musa 70
pomœrium 349
pomponius Atticus 362
pons sublicius 125
pontifex ib.
pontifex & de eius nomine 124
popularis status 22
populonia 311
populus arbor 322
portæ vrbis 355
portia Catonis filia 164
porticus 360
portus manufacti 338
præceptores sint optimi 63
præda Syracusarum 399
præmia militaria 409
præmium & pœna duo numina 36
prænestinus mons 317
prænomina 298
prætor peregrinus 130
prætor vrbanus 129
prætores 30. Atheniēsib. Lysander præfecit 282
praxiteles sculptor 56
pręcariò viuere miserū 291
principum bonorum facies in vnius annuli pala scribi possunt 12
proculus 300
proletarij 135
prometheus 100
propria nomina 298
protogenis tabula 45
protogenis cura in pingendo 55
prouocatio 30
prudentia 115
prudentiæ adminicula 220
prudentia seminarium legum 31
ptolemæi bibliothecæ 60
publios, quod populi grati essent, dictos accepimus 301
pudor optimus moderator cupiditatum 237
pudicitia 176
puer editus vt alendus 190
pueri pharmacis non assuescant 195
pugiles à pugna dicti 107
pulpa 317
pylades & Orestes 163
pyramides in Aegpypto 52
pyramides fuere sepulchra 261
pyrrhi consilium ad Athenienses 359
pyrrhi dictum de Cynea oratore 75
pyrrhus Alexandri patruus 379
pithagoras Pherecydis & Hermodontis auditor 93
pythagoræ legatum filiæ fa-

ctum 196
pythagoras Italicæ Philosophiæ princeps 64
pythius architectus 52

Q

QVantitas discreta multitudo 65
quæstores 138
quæsitor cur ita dictus 138
quæstores capitales 137
quæstorum creandorum origo 138
quæstus omnis indecorus 46

R

RAbulæ forenses 76
radamanthus 9
rationis definitio 31
regionis diuisio 269
regnorum mitissima sors est sub Rege nouo 12
regnum quid 257
rei familiaris & publicæ similitudo quædam est 152
reip. definitio 34
rerump. status quot 22
respubl. præstat Principi 14
resp. optima ex omni hominum genere 26
respub. vtrum præstantior Monarchiâ 11
resp. beata, quæ à sapientibus & doctis regitur 43
respub. quid 22
resp. nulla diutius stabilis 279
resp. optima quæ 27
riconicæ comœdiæ 88
robus 244
roma quadrata 349
romanæ plebis modestia in proscriptos 293
romani ab ansere expergefacti 143
romani musicam non desiderarunt 6
romuli mors 81
romuli versutia bellica 389
romulus Altellus seu Quiritus dictus 81
romulus Romæ cōditor ib.
rubor pudoris signum 200
rusticæ rei vtilitas 243
rustici 46
rustici, quid cum illis agendum in Rep. 38
rusticitas 213

S

S pro R. 303
sabacus Aegyptiorū Rex 136
sabinarum virginum laus 156
sacerdotes Reges 125
salapia 311
sapiens quis 26
sapiens solus Deus 91
sapientes septem 100
sapientiâ dissimulanda 230
sappho Erexia, & Mitylenia 90
sardanapalus ignauus & effœminatus 69
saturni globus 70
satyra 89
satyræ principium vetus comœdia ibid.
satyrus 52
satyrus Clearchi frater 276
scena quid propriè dicatur

tur 365
ſcenarum tria genera ib.
ſcenica odio habita 87
ſcipio ſolo cibario pane cō tentus 384
ſcipionis laus 104
ſcipionis virtutes 375
ſcriptores doctrinæ ciuilis in quibus differunt 15
ſcriptorum conſuetudo 3
ſcriptores de ciuili ſocietate 7
ſculptura 53
ſcytharum gens inuicta 153
ſcythæ à ſeruis ſuis finibus excluſi 153
ſecutores 107
ſemiramis 52
ſenatores quid obſeruare debeant 119
ſenatores 259
ſenatores ab ætate dicti 120
ſenatus & populus vnum corpus 25
ſenectus languida filiorum ſpe lenitur 168
ſenenſis Reip. laus 15
ſenenſis ciuitas ab omni ſeruitutis iugo aliena 10
ſeneſcentis corporis animus gloria iuueneſcit 61
ſepulchrum in Caria 52
ſepulchra publica vbi conſtituta 416
ſepulchrum Hadriani in Cyzico 53
ſepulchrorum modus 248
& impenſæ 249
ſerapion medicus 73
ſeres 43
ſeriphus inſula 305
ſermo humanus quando diſtinctus 19
ſermo optima hominis pars 2
ſermo maternus 196
ſermonis vis 2
ſertorius diruit ſepulchrum Antæi 254
ſertorij ceruã 390
ſerui nequam mirabile exēplum recens 155
ſeruilis fides raro tentanda 154
ſigna & ſigilla 34
ſilius Italicus poëta 104
ſimulachri Martis facies 401
ſilentij opportunitas 220
ſingulorum opes diuitiæ ciuitatis 223
ſixti Pontific. laus 8
ſmyrna 341
ſocrates Ethices inuentor 91
ſocratis dictum de ſermone 2
ſocrates muſicam in ſenectute didicit 68
ſocratis diſcipuli 94
ſocrates de Muſica 6
ſocrates ſculptura delectatus 56
ſocrates vxores duas duxit 160
ſocratis ambulatio qualis ante cœnam 241
ſol Ianus à Rom. appellatus 83
ſol princeps orbium 71

ſol mens mũdi & cęli cor 71
ſolonis leges Romam delatæ 29
ſolonis leges quam Draconis mitiores 32
ſolonis lex de ſumptib. funerum 249
ſolon in parricidas cur legẽ non tulit 119
ſolonis lex de mortuis 253
ſolonis lex de alimentis parentum 46
ſolonis lex in ocioſos 207
ſolonis leges ſeruatæ quia mites 137
ſophocles filijs ſuis tædio fuit 236
ſparta & Taygetus corruerunt terræ motu 47
ſpartanus & Chryſus gladiatorum duces 278
ſphæram Archimedes primum inuenit 223
ſpolia ſtatuarum 58
ſtatuæ clarorum virorũ, ſtimulant corda iuuenum 56
ſtatuæ in triumphis 57
ſtrabo totus Homerius 4
ſtudia in celebritate hominum debent verſari 19
ſtudia præmijs ſublatis pereunt 77
ſuburbana prædia commoda 271
ſuccidia 243
ſumptus comprimendi 248
ſylua cædua quo tempore cædi debet 321
ſylua quadrifariam diuiditur 316
ſyracuſas Marcellus euertit 51

T

Tabernariæ comœdiæ 88
tabula Timanthis 55
tacere qui neſcit, loqui ignorat 227
tarentini ignauiæ ſuæ pœnas luerunt 360
taxus 320
temperantiæ comites 219
temperantia 115
tempus per ſerpẽtem apud Aegyptios expreſſum 62
terentius 88
terpander 71
terpſichore Muſa ib.
terra ſecundum ſydera vertenda 66
terra ferax ſine foſſione 149
terror communis concordiam parit 292
thales primus ſapiens 13
thales de immortalitate animæ ſcripſit 101
thaletes Geometriæ inuentor 66
thaletis caſus in ſcrobẽ 92
thalia Muſa 71
theatra 365
thebæ vrbs direpta 58
thebarum mœnia 52
thebanorum lex de mercatura 47
thelages 94
themiſtoclis adoleſcentia turpis 297
themiſtocles lyræ imperitus 6

themiſtoclis callidum reſponſum 261
themiſtoclis ætas 236
theodorus atheus 94
theſauri apud amicos bene ſeruantur 139
theſeus vrbe exactus 85
thimotheus muſicus 69
thraſybuli modeſtia in Athenienſes 285
thraſybulus ſomno famam ſuam obſcurauit 342
tibiarum inuentor 72
tilia arbor 323
timanthis ſolertia in pingẽda Iphigeniæ tabula 55
timidos flere decet 142
tiſias Siculus 77
torquatus ſpem de ſe dubiã fecit 296
torques 411
toxica 320
tragœdia non admodum ferenda 86
tragędiarũ primus promulgator ibid.
tragœdiæ Etymon 88
tribuni militum 117
tribuni vrbani ibid.
tribuni 266
tribus Romanæ tres 117
tributis exigendis Darius mediocritatem prę ſe tulit 139
tributa quæ 134
tributa 117
tributa dederũt cauſam ſeditionum in Thebaide 58
trinundinum 28
triptolemus frumenti repertor 222
triuialis ſcientia 64
triumphus vnde 414
triumphorum leges 416
triũphus Macedonicus 415
triumphandi mos 416
triumphus quibus decernatur ibid.
triumuiri capitales 137
tunica Iouis 416
turres & earum forma 351
turres vrbem decorant 352
turturis natura 186
tuſcia 179
tydeus ingenio pugnax corpore paruus erat 401
tyrannus ſenex omnium difficillimum 13
tyronem quærat, qui veteranum non habet 399
tyrtæus tibicen 68
tyrrheni tubarum inuentores 71

V

VAgitus pueris vtilis 394
valerij Publicolæ inopia 112
valeria de viro 186
vanitas 220
varro 19
vaticinium diuinus furor 84
vbertas ſoli eligenda 314
vellus aureum 245
venatio 316
veneris imago Cæa 56
venetorum mos eligendi magiſtratum 123
venetorum Reſpub. 118

venti

venti qui salubres 302
ventorum nomina & regiones 312
venus voluptatum Dea 192
veritas solius Dei 91
verres statuarum raptor 58
vespasianus solus in melius mutatus 12
vespasiani comitas 225
vesta Dea 347
via Flamminia 361
via Aemilia ibid.
viarum latitudo 360
vicinia in legum latione cõsideranda 32
victoriæ monumẽtum obeliscus 412
victoriæ ædes 106
viduæ nuptias labor duplex comitatur 172
vigiliæ & vigilum præfecti 141
vigiles ad quid prosunt 146
vini vsus in conuiuijs 144
vir & mulier qua ætate con iungendi 173
vir mulierum non mulier virum corrigit 170
viri imperium fons, fœminæ domi exercent 157
virgines Spartanæ 180
virgilius & Homerus inimitabiles 89
virgilij dictum 4
virgilius ab Homero multa accepit ibid.
virginitas 176
viridis color oculos acuit 367
virtus 25
virtus sufficit ad beatè viuẽdum 45
virtutis optimum iudicium 200
virtutum duo genera 201
virtuti & opibus nemo simul indulgere potest 47
vita morte fortior 98
vitæ humanæ spatium 234
vitæ humanæ terminus 84
annus 235
vitæ humanæ actio quadruplex 111
vita humana ferro comparatur 43
vitia perpetuò remanent 64
vlysses offendit castam Penelopen 169
vnitas initium numeri 65
volat irreuocabile verbum 228
vox communis 19
vrania omnium Musarum prima 70
vrbanitas 213
vrbs vnde 19
vrbes in fertili solo locandæ 44
vrbis situs opportunitas 306
vrbis facies ac forma 349
vrbis optimus situs 336
vrbis nomen 18
vsura homicidio nõ minor 276
vulcanus Philosophiæ inuentor & ignis 99
vulcanus architecturâm inuenit 50

vulcani leges 99
vulpina pellis assuenda, quò leonina non peruenit 281
vxor ducenda 159
vxores mitius tractādæ 166
vxoria electio periculosa 171
vxoris officium 126
vxorum mirabilis amor 163
vxor vna duobus viris apud Lacedæmones 161
vxoris ducendæ ratio 156
vxorem Nero interemit 166
vxoris cura penus 177
vxores indotatas ducere Lycurgus instituit 197
vxorem in conuiuium ducere laudi Italis 6

X

XEnocrates quinquagenarius discebat 233
xenocratis sermo de pudicitia 209
xenophon musa Attica dictus 11
xenophon Thelagis discipulus 94
xerxes Athenas incēdit 297

Z

Zzaleucus Pythagoricus 7
zamolxis Philosophiam Getis inuenisse creditur 99
zenon Eleates Dialectices inuentor 79
zeno Pythagoricus 7
zeno viginti annos Crati operam dedit 47
zeuxis pictor 14
zoilus Homeromastix 2
zoroastres magicæ artis inuentor 100

FINIS.